

Prophetia Efaia.

Argumentum primi capituli.

Explicat diuinus Vates genus operis, nomē authoris, materiam, & tempus. Inducit Deum loquentem, & Iudæorum scelera, eorumque sacrificia execrantem. Inuitat peccatores ad penitentiam. Aperit mysterium redemptionis humanæ per Christum seruatores nostrum. Deplorat Hierosolymę flagitia & miseras. Inuehitur in eius Principes & magnates, qui cum tanquam parentes boni, & tutores fideles esse deberent, eam opibus spoliabant, eiusque dignitatis patrimonium diripiebant. Tandem prædicit Iudæos infideles suorum impiorum facinorum esse poenas graues iustaque persoluturos.

CAPVT PRIMVM.



VISO Efaia filii Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem in diebus Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia regum Iuda. Audite celi, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui & exaltavi, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. *Ve genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini uequam filii sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra addentes praearizationem? Omne caput languidum, & omne cor marens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fusa oleo.*

EXPLANATIO.

Visio Efaia. Inter omnes sensus nullus est qui certiores & euidentiores cognitionem obtineat, quam visus. Illud enim certum nobis & perspicuum esse absque dubio asserimus, quod oculis aspiciamus. Eam ob causam dicebat regina

Saba regi Salomoni, vt in libro tertio Regū memoria præditum est: Non credebam narrātibz mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis. Et diuus Thomas apostolus apud diuū Ioannem dicentibus aliis discipulis vidisse Dominum, dicebat non crediturum se esse, nisi eum videret. Vnde illud Saluatoris nostri: Quia vidisti me Thoma, credidisti. Eam ob causam Prophetæ appellabatur quondam videntes, vt in libro primo Regum literæ diuinæ testantur. Et de Abrahamo nobili patriarcha, eximia fide & obedientia præstanti ait Christus Deus noster apud diuū Ioannem: Exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Quamobrem prophetia appellatur visio, quasi res certissima. Ita Nahum suam prophetiam appellat, dicens in eius principio & inscriptione: Onus Niniue: liber visionis Nahum. Et Abdias, Visio, inquit, Abdias. Ezechiel etiam, Cum essem, inquit, in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. Ezechieli viro sanctissimo aperiebantur cæli qui illis clausi erant, qui flagitiorum vinculis captiui detinebantur. Non enim decebat, vt cælestem illam claritatem & admirabilem visionem intueretur impiorum animus caligine turpium cupiditatum obcæcatus, scelerumque deprauatione irretitus. Et noster Esaias, Visio, inquit, Esaiæ, filij Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem. Quibus verbis ostendit vaticinium hoc summam habere certitudinem & firmitatem. Et vt visus lucem requirit, sine qua esse non potest, cum omnes alij sensus etiam in tenebris suos effectus obtineant: sic diuini Vates absque diuino lumine vaticinari non possunt, nec Dei visiones mentis oculis aspicere. Qui enim fieri potest, vt in illum eximium splendorem diuinarum visionum mentis aciem intendat ille, qui fit diuino lumine destitutus? Reuera, inquit diuinus ille Vates & clarissimus rex David, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Nam vt oculus solem sine solis luce intueri non valet, sic mens hominis rerum diuinarum cognitionem capere non potest nisi fuerit diuini auxiliij radio illustrata. Et alio in Psalmo volens ostendere Prophetiam suam esse diuinitus inspiratā, Lingua mea, inquit, calamus scribæ velociter scribentis, Quibus verbis quid aliud significat, quam seipsum esse instrumentum, sanctum verò spiritum præcipuum effectorem? Ideo multis in Psalmis præfigitur hæc inscriptio mizmor le David; psalmus Davidi. Significat enim sanctus Vates psal-

morum auctorem Deum esse, qui eos sibi inspirauit. Articulus enim, *le*, hebraicus cum datiuo coniungitur: quanquam non desint, qui dicant, posse etiam genitiuo copulari. Sed septuaginta interpretes datiuum esse aperte significauerunt vertentes ἐλαμὸς τῷ Δαβὶδ . Et diuus Petrus apostolorum *1. Petr. 1.* princeps in epistola sua *2.* hæc verba scripra reliquit: Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Apud *Malach. 2.* Malachiam prophetam ubi communis versio, quam vulgaram editionem appellamus, habet: Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiae, habet versio Septuaginta: Assumptio verbi Domini super Israël in manu angeli eius. Vbi vides vaticinationem appellari assumptionem, quod eam Vates à Deo assumant, & visionem, quod sit certa & mentis oculis diuino lumine illustratis perspecta ac diuinitus inspirata. Visio aut est naturalis, aut per fidem, aut prophetica, aut beatifica: prophetica est inferior visione ea, quam appellant beatificam, sed superior naturali: & ea quæ est per fidem eorum, qui Prophetæ non sunt.

Filii Amos.] Hic Amos non est Propheta ille tertius in ordine prophetarum. Ille namque ita scribitur Amois: hic verò hoc modo, Amois. Præterea ille fuit humili loco natus, hic verò nobilis, & frater Amasæ regis, vt viri docti memoriam prodiderunt.

Super Iudam & Ierusalem.] Nomine Iudæ intelligitur etiam Benjamin. Separatis decem tribubus, quæ Israël & Ephraim appellantur, & in Samaria habitabant, semper Benjamin adhæsit tribui Iudæ, de quibus duabus Esaias præcipue loquitur, quæ Hierosolymæ & in Iudæa habitabant. Est enim eius præcipuum institutum loqui de Melsia, cuius mysteria Hierosolymæ & in Iudæa futura esse præuidebat. Ibi enim natus est, ibi mortem acerbissimam toleranter tulit, & suo purissimo sanguine pro nobis fuso, peccata nostra deleuit, ibi fuit sepultus, & redditus ad vitam & ascendit in cælum. Ibi denique ea operatus est mysteria, quibus hominum genus à miserrima seruitute, qua oppressum tenebatur, eriperet, & ad cælestem æternamque patriam perduceret. Dicens autem Propheta: Super Iudam & Ierusalem, indicat vaticinari de rebus tam prosperis quàm aduersis, quæ præuidebat esse & Hierosolymæ & in Iudæa futuras.

In diebus Ozia.] Hic appellatur etiam Azarias, vt libro quarto Regum licet videre. Est igitur sensus huius inscriptio *4. Reg 15.*

nis:

nis: Hoc libro continetur prophetia Esaiæ filii Amos, quam Deo reuelante mentis oculis aspexit, qua de rebus super Iudæam & Ierusalem venturis vaticinatur regnantibus successiue in Iudæa, Ozia Ioatham, Ahas & Ezechia. Vbi vides quatuor in hoc exordio à Propheta explicari: primum, genus operis, est enim visio siue prophetia: secundum nomen auctoris, est enim Esaias filius Amos: tertium, materia, agit enim de rebus Iudæarum prosperis & aduersis, & de mysteriis, quæ in Iudæa futura intuebatur: quartum, tempus quod fuit in diebus regum, qui hic commemorantur. Sed de inscriptione hactenus,

Audite cæli, & auribus percipite terra.] Intuere huius principij amplitudinem & maiestatem. Voluit sanctissimus vates & eloquentissimus orator cælum terramque in exordia inuocare, vt rerum dicendarum magnitudinem ostenderet, & auditorum animos attentos redderet. Sed si totum Prophetam legas, videbis apertissime totam operis seriem principio respondere. Sublimi enim quadam & heroica dicendi magnificentia & amplitudine fertur, & in omni genere amplificationis inflammatur. Est igitur horum verborum sentus: Audite angeli & reliqui cælestes, vosque homines adestote animis, aures vestras erigite, & dicentem attendite, quonia Dominus locutus est. Metonymicòs, vt per continens id, quod continetur, intelligatur. Potest etiã ita explicari. Moyses postquam populo Israëlitico legem Dei dedit, testatus est cælum & terram, vt in Deuteronomio apparet. Nunc fracta & contempta diuina lege citat diuinus noster vates, & vocat eosdem testes, vt videant omnes creaturæ esse Deum merito illis iratum, qui legem suam pro nihilo putarunt, & in republica violanda dolos pestilentes conceperunt. Poteris præterea per cælos homines intelligere, sed eos quorum familiaritas in cælo est, qui in corporibus humanis vitam cælestem imitantur, qui, humanis rebus contemptis, ad quas homines cupiditate incensi rapiuntur, ad cælum semper aspirant. Per terram verò homines flagitiis astrictos, qui terram semper spectant, & in præmiis humanis spem rerum suarum ponentes humana diuinis anteponunt. Solent enim diuinæ literæ viros animi celsitudine præditos iustitiam & pietatem colentes cælos appellare, eos vero, qui scelere & maleficio pascantur terram vocant. Ita enim viri docti explanant locum illius Esaiæ: Cælum sedes mea est iuxta id quod ait Paulus Apostolus: Vos estis templum Dei viui & alibi: Templum Dei sanctum est, quod estis vos, Et id, quod dicitur in Psalmo: Cæli enarrant

*Deut. 10.
31. & 32.*

*Infra 66.
2. Cor. 6.
1. Cor. 3.
Psalm. 18.*

rant gloriam Dei, de Apostolis & viris sanctis intelligitur
 vt videtur ex diuo Paulo deduci, qui id, quod statim sequi-
 tur, Non sunt loquelæ nec sermones, quorum non audian-
 tur voces eorum, de Apostolis in epistola ad Romanos in-
 terperetur. Appellari autem peccatorem terram, aperit in
 dicat scriptura dicēs: Corrupta est terra coram Deo, & re-
 pleta est iniquitate. Et ita interpretatur Chrysostomus lo-
 cum illum Genesis: Terram comedes cunctis diebus vitæ
 tuæ. Hæc enim verba dixit Deus serpenti, postquam primus
 parens noster Euę deceptæ obediuit, quādo illa eum ad fu-
 nestas epulas inuiraui. Est enim homo mortifero flagitio
 contaminatus cibus diaboli, iuxta illud Petri Apostoli: Ad-
 uersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit qua-
 rēs quem deuoret. Vbi vides hominem flagitiosum terram
 esse, & ab antiquo serpente deuorari. Ergo nomine cæli &
 terræ intelligit iustos & peccatores. Vel ita: Vos o res insen-
 sibilis alloquor. Audite me orbes cælestes, præbe mihi au-
 res tu terra infimum elementū. Vos Voco o res inanimatæ,
 nam homines sunt multo vobis insensibiliores. Clauserunt
 aures suas diuinis monitis velut aspides surdæ, nolunt me
 audire, vos mihi aures date, & dicentem attendire. Hic vi-
 detur esse huius loci germanus sensus. Nō enim recedit à li-
 tera, & ostendit vehementem impetum à diuino amore pro-
 ductum, quo erat vir sanctissimus inflammatus. Eodem mo-
 do alius propheta videns regē Ieroboam idolū veneratē
 verumq; Deum contemnentem, diuino quodam amore in-
 census, non homines impios, sed ipsum altare insensibile in
 hunc modum alloquitur, Altare altare, hæc dicit dominus:
 Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immo-
 labit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura
 succendunt. Quid ais propheta, lapidem alloqueris? Lapi-
 dem, quoniam homines multo insensibiliores lapide facti
 sunt. Et statim altare mirabiliter scissum est verbis prophe-
 tæ optēperans, & cinis effusus est. Lapis audiuit, & fuit cō-
 festim fractus: homines autem non solū frangi, sed neq; au-
 dire voluerunt. habes hanc historiam; lib. Regum Impe-
 rabat Christus vento, & mari fluctibus exagitato, & statim
 parebant, vt euāgelica cōtestatur historia, & siebat tranquil-
 litas magna: homines autē nec Christo imperante volunt
 quiescere, nec à turbulentis scelerū tempestatibus desistere,
 inconstantiores vento, fluctuosiores mari, duriores lapidi-
 bus, surdiores illis, qui ea loca accolunt, quæ Catadupa no-
 minantur.

Rom. 10.

Gen. 6.

Gen. 3.

1. Petr. 5.

2. Reg. 12.

Matt. 8.

Luc. 8.

minantur. Hoc intuens diuinus vates quasi ignorās quō se verteret vbi quereretur, quos imploraret, vt eum audirent, non homines, sed res sensu audiendi carentes alloquitur.

- Filios enutriui & exaltaui*] Hebręos vocat Deus filios suos. Et in Exodo, Filius, inquit, primogenitus meus Israël, Populus gentiū filius etiam est, sed non primogenitus, sed secundo genitus. At si diuinas literas volueris attentius intueri, & veterū historiarum memoriā replicare, inuenies multis in locis, non primogenitos accepisse hereditatē, quin potius filios secundos deo fuisse charissimos. Primogenitus fuit Cain, sed Abel iustitiam coluit & pietatē, & ad illum, eiusq; munera, non autē ad Cain Deum respexisse diuinę literę testantur. Primogenitus fuit Ismael, sed Isaac accepit hereditatē. Primogenitus fuit Esau, sed Iacob pręcepit benedictionē. Itaq; Hebręi filij vocantur. Sed quoniā Deum clementissimū patrem spreuerunt, eiusq; filiū Christum Iesum Deum verum cruciixerunt, & acerbissimis cruciatibus ad mortem vocarunt, fuerunt optimo iure hereditate expulsi, & reprobati. Eos autem, qui ex gentibus crediderunt adoptauit Deus & in cęlestem hereditatē vocauit, & eos etiā qui ex Iudęis ipsum Christum receperunt. Accipistis inquit, Paulus Apostol⁹, spiritū adoptionis filiorū, in quo clamamus abba pater. Ipse enim spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quōd sumus filij Dei: si autem filij, & hęredes. Et Ioannes Euāgelista, Quotquot autē, inquit, eum receperunt, dedit eis potestātē filios Dei fieri. Sed anī maduerit. Explicaturus Deus Iudęorum ingratitude, cęteraq; nefaria scelera, prius cōmemorat beneficia ab eo in illos collata, vt eorum culpa emineat, & terrior atq; grauior appareat. Tria beneficia cōmemorat, generationis, dicens filios: nutritionis, dicens enutriui: dignitatis, dicens exaltaui. Genuit eos doctrina & gratia, enutriuit eos non solum terreno cibo, sed etiā cęlesti, iuxta id quod dicitur in Psalmo: Panē cęli dedit eis, panē angelorum māducauit homo. Extulit eos victoriis & triūphis, atq; memorabilis trophęis & monumentis. Adduxit illos ad terrā vberriam, quā illis promiserat, vt eā victis mirabiliter gentiliū regibus possiderēt. Superauerunt diuino pręsidio muniti & domuerunt gēres immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, omni copiarū genere abūdantes. Sed totā hanc dignitatē deformauerūt, & penitus amiserunt, quoniā cęlestē illū doctorē de cęlis ad terrā missum, qui eos ē tenebris errorū vindicatum

dicatum, & à peccatorum vinculis liberatum venerat, ad excidium crudelissimum falsis criminibus vocarunt.

Ipsi autē spreuerūt me. Aduerte, Ipsi me. Viraq; dictio suam habet emphasim ipsi ingrati filiū, me piū patrem, nutritium, authorē suę dignitatis, & Deū. O cæcitatē deplorādā. O nefariam gratitudinē, & immanē hominū impietate, qui post tot beneficia à Deo accepta ipsum Deū aspersioni sunt. Quæ autē ea sint, in quib⁹ deus fuerit ad illis spretus, nō est opus cōmemorare, cum illis plena sit historia Euangelica. Nā etsi hæc verba Dei possint ad tēpus illud referri, quo Esaias ea litteris mādauit, proprius tamē ad Christi tēpus referuntur.

Cognouit bos possessorē suū. Arguit Israëlīs ingratitude, & ignorantiam brutorum comparatione, quid stolidius boue? quid stupidius asino? Et nihilominus eos cognouit, qui eis tribuunt beneficia. At Israël deum, à quo innumera-bilia beneficia acceperat, non cognouit. Et populus meus non intellexit. Si esset populus extraneus, nō esset ita mirū. Sed est meus quod amplificabat criminis grauitatem. Non fuisse autē Christum notum à Iudæis, ipse apud Ioānem in hunc modum testatur: Hoc faciet vobis, quia nō nouerunt patrem nec me. Et iidē Iudæi dicebāt apud Ioānem: Hunc autē nescimus vnde sit. Et apud Lucam alloquens Christus Hierosolymam. Non relinquent inquit, super te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Egressis Iudæis ex Aegypto dedit illis deus in deserto panem de cælo, de quo ait diuinus vates: Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis, panē angelorū mādauit homo. Viso autē cælesti pabulo dicebant filiū Israelis: māhu? Quod significat? quid est hoc? Ignorantes & rei nouitate cōmoti quid illud esset, inuicē quærebant. Habes hanc historiam Exodī capite 16. Et quoniam illa vt ait Apostolus, illis in figura contingebant, per panē illum cælestē Christus significabatur, qui de seipso. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendit. Quid igitur per illa Iudæorum verba significabatur, nisi venturū esse tempus, quando Iudæi de pane illo cælesti Christo seruatore nostro dicerēt, Quid est hoc? tu quis es, hic nescimus vnde sit. Anima nostra nauseat super cibo illo leuissimo. Voluit Spiritus sanctus figura illa ostēdere, Iudæos non esse Christū cognituros, quod hic per Esaiā ipse testatur. Nō cognouerunt autē eum, quia malitia obstinati eū cognoscere noluerunt. De illis enim est in libro Sapientie monumentis mandatū, Ex

Ioan. 16.

Ioan. 9.

Luc. 19.

Psal. 77.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Figura.

Num. 21.

Sap. 2.

cæcauit

cæcauit illos malitia eorū, & sacramenta Dei ignorauerunt.

Va genti peccatrici.] Deploꝛat Propheta Iudeoꝝ miſe-
riam & calamitatem, æternūq; eis minatur interitum. Nō
vnius tantum aut duorū, ſed totius populi flagitia deplorat.
Reſpice cōgeriem rhetoricam, qua ſignificat eſſe Hebræos
omni ſclerum genere contaminatos. Gens peccatrix, popu-
lus grauis iniquitate, ſemen nequam, filij ſclerati, idem di-
uerſis verbis ſignificāt. Sed voluit hæc ad ampliorem exag-
gerationem coniungere. Tu verò conſidera quæ nomina
Deus peccatoribus imponat. Multi ſunt improbi, & impio-
rum facinorū maculis notati, qui, vel quòd illuſtri loco na-
ti ſint, & maiorum opinione nitantur, vel quòd rem publicā
adminiſtrarent, vel quòd aliqua alia de cauſa illuſtri aliquo
honore in hominum cœtu celebrentur, magnificis nomini-
bus appellantur. Sed talia nomina ſunt inania & fallacia,
quippe ab hominibus impoſita, qui & alios fallūt, & ipſi lō-
gè opinione fallūt. At vera & apta impiorū nomina ſunt
ea, quæ hoc in loco verus ille iuſtiſſimus ac ſapientiſſimus
Deus illis imponit. Contra verò viros iuſtos, omnibus vir-
tutum ornamentis decoratos, & ardenti charitate præſtan-
tes nominibus illuſtribus appellat. Vos, inquit ille, eſtis ſal-
terra. Vos eſtis lux mundi. Vos eſtis ciuitas ſuper montem
poſita. Quibus ampliſſimis nominibus voluit Deus Apo-
ſtolorum laudem oſtendere, eoſq; incitare ad omnes tēpe-
ſtates atque procellas forti & erecto animo ſubeundas.

Matt. 5.

Populo graui iniquitate.] Homines ſcleratos appellat gra-
ues iniquitate. Eſt enim peccatum onus & pondus vſq; eò
grauè, vt animas in inferos deprimat. Nam vt graue ſup-
te natura tendit deorſum vſq; ad centrum, ſic mortiferum
peccatum animas ad ima, & profunda tartara ſecum ducit,
multo grauius omni plumbo abſq; vlla comparatione. Hoc
peccati pondus voluit Zacharias propheta ſignificare, ita
capite quinto dicens: Ecce talentum plumbi portabatur &
ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ: & dixit, Hæc eſt
impietas. Et Dauid Quoniã, inquit, iniquitates meæ ſuper-
greſſæ ſunt caput meū & ſicut onus graue grauatae ſunt ſu-
per me. Quibus verbis apertè oſtendit ſe peccati pondere
adeò obrui, vt animi vires tam graui oneri ferèdo pares nō
habeat. Et paulò poſt, miſer inquit, factus ſum, & curuatus
ſum vſque in finem. Et alio in loco exclamat idem prophe-
ta, Filij hominū vſquequo graui corde? Vt enim nauigia ni-
mis grauata & onuſta pondere premuntur, & naufragium
faciunt,

*Zach. 5.
Pſal. 37.*

*Pſal. 4.
Simile.*

faciunt, sic animi nostri peccatorum onere succumbat, & in medijs fluctibus corrumpit, priusquã in ipso cursu obruuntur, quã portum conspiciere potuerunt. Et vt charitas est ignis sursum tendens, sic peccatum est terra centrum petens. De eius pondere illud etiam intelligitur, quod in hunc modum Deus per Ieremiã ait, Ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ierusalẽ in die sabbati. Hierosolymã portã sensus nostri sunt, per quos in ciuitatem regiam, hoc est, in animam nostram ad imaginem Dei factã, sarcinas grauissimas ferimus, cum deliberatẽ peccatis assentimur.

Ierem. 17.

Blasphemaerunt sanctum Israël.] Israël est genitiui casus, Sanctus Israelis est dei periphasis, qui ideo sic vocatur, quia Israeliticum populũ, quem sibi elegerat sanctificauit, & coram eo se sanctum ostendit. Eum Iudæi blasphemaerunt, quando eum Samaritanum, dæmoniumq; habentem vocauerunt, in eum odium vsq; ad sanguinem excitarunt. Lege euangelicam historiam, si impias Iudæorum in Christum Deum nostrum blaiphemias videre uolueris.

Abalienati sunt retrorsum.] Non solum non secuti sunt Deum, sed etiam ab eo fugerunt, & defecerunt: quam ob causam in infernum præcipitati sunt. Ait enim scriptura, Qui elongant se domine à te peribunt. Defecisse Iudæos à domino, & tergo uertisse, multis in locis diuinæ literę cõtestatur. Apud Ieremiam emittit Deus has voces, Elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & uani facti sunt. Et paulò post, Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Et Oseas, Dereliquerunt, inquit, dominum non custodiendo. Et multis alijs in locis. Sed quid loquitur de Iudæis, cum nos ipsi Deum cotidie derelinquamus, ab eo que animos nostros alienemus? Quid facis homo? quẽ relinquis? cur te in fugam turpissimam conticis? Quò is? quẽ quæris? ad quem confugis? Quẽ potest esse maior insania quã ab eo fugere, qui est summẽ bonus, qui ad æternam gloriam vocat, & eum sequi, qui est pessimus, qui cogitat de tua pernicie & uasitate, qui suis falsis illecebris te ad æternos cruciatus perducere conatur?

Psal. 72.

Ierem. 2.

Osea. 4.

Super quo perueniam vos ultra?] Quoniam poterat aliquis ita Deo obicere: Si hic populus se tam impitis sceleribus cõtaminauit, quare eum nõ punis, vt flagellis ipsis ad te conuertatur? Huic tacitẽ obiectiõni uidetur respondere Deus, iam hoc remedium adhibitum esse, sed nihil profuisse. Ait igitur: Sepe vos percussĩ, vt corrigeremini, vos autẽ ipsam medicinam

medicinā in venenum cōuertitis. Tātum abest vt supplicia vestros nefarios conatus coerceat, vt etiam scelera sceleribus addatis. Vbi ergo vos feriā, cum nulla sit in vobis pars que iam non sit percussa? Ostendit Deus ideo nos affligere, vt oculos aperiamus, & vitia relinquētes cælestia contempler mur, & ad Deū conuertamur. Solēt enim aliquādo peccato res cōverti, quādo afflictionibus & calamitatib⁹ premūtur. Hoc intelligēs Dauid, Cōuersus, inquit, sum in ærūna mea, dū cōfigitur spina. Ex quo perspicias magnā esse dei irā, quādo nobis nō irascitur, quēadmodū quādo per Ezechielem dicebat: Zelus meus recedit ā te, & nō irascar tibi amplius. Et per Osēā: Nō visitabo super filias vestras, cū fuerint fornicatæ, & super spōsas vestras, cū adulterauerint. Tūc vltio dei est grauissīma, cū dimittit hominē in manu sui deprauati appetitus. De qua vltione ipse in psalmo, Dimisi, inquit, eos secūdū desideria cordis eorū. Eā ob causam viri sapientes virtuteq; præstātes afflictionibus delectātur. D. Paulus, Gloriamur, inquit, in tribulationibus. Et alibi: Quod in præsen ti est mōrētaneū & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternū gloriæ pōdus operatur in nobis. Nā vt in semine fructus est, sic in afflictione gloria. In Apocalypsi D. Ioānis Apostoli de beatis, qui deo sempiterno quo fruūtur, dictū est: Isti sunt qui venerūt de tribulatione magna. Non sine causa veteres sapiētes fictis fabulis memorię prodiderunt, solem pasci aquis amaris, lunam verō dulcibus. Qua in re significare volebant, virum sapientia excultum, virtutumq; ornamentis decoratum, qui per solem intelligitur, amara quærere, afflictionibusq; delectari, stultum vero & flagitiis coopertum, inconstantem luceque aliena resplendentem, qui per lunam significatur, mundi voluptates appetere, falsis illecebris pasci & deliniri. & ardenti inanis celebritatis cupiditate inflammarī.

Omne caput languidum, & omne cor mærens.] Alloquitur Deus Iudæorū populum, ac si esset corpus vnum, cuius caput esset rex, cor artifices & Sacerdos, reliquū corpus omnes alij tā nobiles quā obscuri. Et volens ostēdere esse eos incurabiles ait: Vulnus & liuor, & plaga tumēs, nō est circumligata, necq; curata medicamine, necq; fota oleo. Ac si diceret: Cū tam grauib⁹ animi morbis laboretis, nullam tamen vltis adhibere medicinā. Id iis verbis deplorabat Ieremias Percussisti eos, & nō doluerunt: attriuisisti eos, & renuerunt accipere disciplinā. Indurauerunt facies suas super petrā, & noluerunt

Psal. 31.

Ezech. 16.

Osee. 4.

Psal. 30.

Rom. 5.

2. Cor. 4.

Apo. 7.

Ierem. 5.

noluerunt reuerti. Hæc proprie de Iudæis illis possunt intelligi, qui percussî à Deo, traditi Romanis, vastata Hierosolyma, in censo templo, in sua infidelitate & perfidia permâserunt. Est igitur sensus: Nullas inuenio plagas, quibus duritiæ vestram confringam siquid nullis vultis corrigi verberibus. Nã à planta pedis, hoc est ab infima plebe, vsq; ad verticem, hoc est vsq; ad regem, estis corrupti, flagitiisq; cõtaminati. Illud est aduertendũ, regem vocari caput, & sacerdotem cor, quæ sunt in toto corpore præcipua mēbra. Volens ostendere, esse totũ populum corruptum, satis esse duxit indicare, principes & præfules corruptos esse. Nã quales in republica principes sunt, tales solent esse ciues, quod Plato eleganter scriptũ reliquit. Sed grauius diuinæ literæ in Ecclesiastico

Eccle. 10.

Simile.

is verbis affirmât. Secũdũ iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & habitates in ea. Nã vt columnæ umbra ipsam columnam imitatur, vt si columna recta sit, umbra in rectitudinem tendat: si verò curua & obliqua eodem modo umbra se habeat, sic populus principem & præfulem imitatur. Ex quo efficitur, vt populi peccata sæpenumero principi & antistiti meritò tribuantur.

Exod. 32.

Inueniens Moyses populum colentem vitulum, fratrem suum Aaronem ita obiurgauit: Quid tibi fecit populus hic, vt induceres super eum peccatum maximum? Adscribit sacerdoti & præfulem populi flagitium, quod ei non omni conatu restiterit. Intellexit enim vir sapiens & iustus, debere præfulem vi ac potestate cæcum impetum imperitæ multitudinis coercere. Ideo non ait: Quid fecisti? sed, quid tibi fecit populus hic? quasi maximum sit genus sui vlciscendi non coercere subiectorum deprauatum appetitum. Peccauerat populus, & sacerdos obiurgatur. Si horologi um plena habuerit rotas, pondera, & cætera ad suum artificium necessaria, quibus orbes suos, circulosq; conficiat mirabili certitudine & constantia, vt possit horis certa temporis spatia & interualla distinguere, & nihilominus horæ intemperatè sonuerint nulla certitudine, nulla moderatione, talis error potius moderatori tribuendus est, qui horologiũ temperandũ susceperit, quàm ipsi horologio. Sic errante populo, & à temperantia & à moderatione discedente, illi qui eum gubernandum suscepit, est absq; dubio culpa tribuenda, est enim princeps veluti horologi moderato. Illud est præterea cõsiderandũ, antistitem & sacerdotem appellari cor, quoniã quæadmodum cor est fons quidam omnium sensuum, in quo est perennis

Simile.

B

quædam

id. quædã motio, ex qua arteriarũ cursus proficiscitur, sic ex antistite exire debet crebræ precationes, solida atq; sancta doctrina, insignes virtutes, quibus populus adiuuetur, & ad virtutẽ moueatur. Et vt cor habet sedem in medio corporis, sic præsul debet esse in medio, omnibus communis & æqualis. Et vt cor est veluti medium inter animam & corpus, sic præsul debet esse mediator inter Deum & homines. Incolu-
 ssi corde possunt membra sanitatẽ recuperare, at faucio & percusso corde nulla est spes salutis recuperandæ. Eodẽ modo si populus in vitiõrũ ægritudinẽ inciderit, poterit sanita-
 tem obrinere, sed corrupto præfule, & vitiis contaminato, quæ erit spes salutis recuperandæ? Si ceciderit lapis ex pariete, faciliẽ restituetur, sed labefactato & euerso tẽpli funda-
 mento, qui fieri potest, vt totum ædificium non corruat, & funditus euertatur? si lucerna extinguitur, si lux obscuratur, si nauclerus mergitur, si dux amittitur, quid facient cæteri? Imò ipse præsul quid faciet? Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?

Matth. 5.

Vulnus, & liuor, & plaga tumens.] Poteris per vulnus aper-
 tum scelus intelligere, per liuorem occultum, per plagã tu-
 mentem, superbiam & elationem.

Infras.

Terra vestra deserta, ciuitates vestra succensa igni, regionem
 vestram coram vobis alieni deuorant: & desolabitur sicut in vasti-
 tate hostili. Et derelinquetur filia Sion vt umbraculum in vinea,
 & sicut turgurium in cucumerario, & sicut ciuitas que vastatur.
 Rom. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma
 Gen 19. fuisset, & quasi Gomorrha similes essemus: Audite verbum
 Ierem. 6. Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri
 Amos 5. populus Gomorrhae. Quid mihi multitudinem victimarum ves-
 trarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, &
 adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, &
 hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis
 quaesit hac de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis?
 Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est
 mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non fe-
 ram. Iniqui sunt cætus vestri: Calendas vestras, & solemnita-
 tes vestras odinit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui
 sustinens.

Terra vestra deserta.] Hæc omnia referuntur ad tempus
 Titi Vespasiani, quando Iudæi fuerunt à Romanis capti, &
 occisi, & Hierosolyma fuit deleta, & templum incendio
 flagra-

flagrauit. Est igitur sensus: Quoniam vos o Iudæi cælestē medicinam estis neglecturi, & in vestra malitia & contumacia permanuri, ideo terra vestra deferetur, & vrbes vestra igne flagrabunt.

Filia Sion.] Hoc est, Hierosolyma: quæ ob eam causam vocatur filia Sionis, quia in monte Sione sita erat, ex quo quasi nasci videbatur. vel quoniã phrasis est Hebræa, ciuitates sic filias appellare. Hebræis enim idem valet filia Sion ac ciuitas Sion, & filia Babylonis ac ciuitas Babylonis. Fuit igitur Hierosolyma derelicta; quemadmodum ita dixerat Deus per Ieremiam: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam. Et Christus Deus noster apud Matthæum, Ecce, inquit, derelinquetur vobis domus vestra deserta. Et apud Ioanem, Eamus hinc. Ac si diceret: Relinquamus Iudæos infideles, ciuitatem integram, templum materiale, & ab hoc loco discedamus.

*Matt. 23.
Ioan. 14.*

Et sicut ciuitas quæ vastatur.] Vt finita vindemia, & collectis cucumerib⁹, vineq; atq; cucumerū custodes derelinquunt humiles ac rusticas casulas, quas ad vitandos æstus atq; imbres construxerāt: sic Hierosolyma instar abiecti tugurii erit euerfa & derelicta. Neq; solū vt vilis habitatiuncula deferetur, sed etiam ab acerrimis hostibus vastabitur. Hęc & si de Hierosolyma in aperto orationis argumento dicuntur, possunt tamen in ea intelligendi ratione, quam moralem vocant, ad animam nostrā aptissimè referri. Quando enim anima vulnere flagitiorum faucia cælestem medicinā aspernatur, Deumq; relinquit, deseritur ab ipso Deo, & ab hostibus immanissimis hoc est, à dæmone, mundo & carne, crudeliter vastatur.

Nisi dominus exercituum.] Sensus est: Tantum erit excidium, tātis calamitatū angustis prememur, vt nisi De⁹ nobis opē ferat, omnes pereamus. At clementissimus pater relinquet superstites quasdā reliquias, ne sicut Sodoma & Gomorraha cōsumamur. Ostendit propheta prius Dei iustitiā, deinde misericordiam. D. Paulus in epistola ad Romanos aperte ostendit, hunc locū esse ad tēpus gratiæ referendum: Ex quo apparet eos in errore graue incidere, qui rotum hoc de tempore illo solū interpretātur, quando post Babyloniam captiuitatē pauci ex Hæbreis sub Zorobabele duce, &

Iesu filio Iosedec, sacerdote, ad patriā, ex qua erant magna iactati tempestate expulsi redierūt. Volens Apostolus ostendere, non omnes Iudæos repullos esse, hunc citat locū, intelligens per hoc semen Christi Apostolos, & cæteros, qui ex Hebræis in Christū crediderūt. Hos appellat alio in loco Esaias reliquias, ita dicens: Si fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiaz conuertentur ex eo. De quibus reliquiis loquitur in hunc modū Apostolus: nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam ego Israëlita sum ex semine Abrahæ de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quā præsciuit: Et paulò post, Sic in hoc tempore, inquit, reliquiaz secundū electionē gratiæ saluæ factæ sunt. Illos igitur paucos, qui ex tam innumerabili Iudæorum multitudine Christum receperunt, semē vocat, sumpta metaphora à re rustica. Quando enim coloni paruam & exiguam messem cōqueruntur, solent dicere, vix semen super fuisse. Per hoc semē Christus etiam intelligitur. Ait enim Apostolus in epistola ad Galatas: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Vide sitne prima expositio literæ conuenientior, & sensus Apostoli in Epistola ad Romanos accommodatior.

Audite verbū domini principes Sodomorū. Et si hoc propheta ad homines suæ memoriæ referebat, mentis tamē oculis intuebatur Scribas & Phariseos, ad quos hoc dirigebat. Cū prædixisset seruandos esse Apostolos, & reliquos, quos semē & reliquias vocat, cōuertit sermonē ad Scribas & Phariseos homines effrænatos, sibiq; præfidentes, qui cū nulla ratione & virtute, sed cæca atq; turbulēta cupidine suorum animorū dominatrice mouerētur, Christi seruatoris nostri sanctissimi infinitā bonitatē maculare voluerūt. Hos vocat principes Sodomorum, reliquos verò infideles & cōtumaces populum Gomorrhæ: quod essent sceleribus obstricti, & omni flagitiorā genere cōtaminati. Et alio in loco eodē nomine eos appellat, Peccatum suum, inquires, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Nec est mirum tam acriter Esaiā fuisse Iudæos allocutum, nam dolor animi, innata libertas, ardētissima charitas, prompta excellensq; virtus, magnanimum virum, sanctissimumq; vatem cohortabatur, vt tam vehementi impetu in eos inueheretur.

Quo mihi multitudinē victimarum vestrarū. Sacrificia veteris legis erāt figuræ & vmbre earū rerū, quæ postea in le

ge gratiæ futuræ erāt. Hęc autem omnia, inquit Apostolus, in figura contingebāt illis. Loquēs Moses cum domino de ihs, quæ ad tabernaculū pertinebāt, audiuit hęc verba: *Inspice, & fac secundū exemplar, quod tibi in mōte ostensum est. Exēplar illud erat Dei Ecclesia, quam Moyses mentis oculis aspexit in monte, priusquā enim legis veteris tabernaculum fieret, iam Christi Ecclesia erat in mēte diuina cōstructa: & per tabernaculū illud, ea quę erāt postea in Ecclesia futura, significabantur. Sed cū Moyses alloqueretur populū, faciem velo operiebat, quia nō poterāt filiī Israel claritatē vultus eius respicere. Quod significabat eos non intelligere ea, quæ ipse tradebat, cum mentes non puræ tantum sapientiæ splendorem capere non valerent. Et eodem velo est nunc Iudæis cooperta lex antiqua, quæ per Moysen significabatur. Sed cū conuersi fuerint ad dominū, vt ait Apostolus, auferetur velamē. Ex quo colligitur, res illas veteres figuras fuisse & vmbas quasdam verarum rerum. Ob eam causam appellat D. Paulus in epist. ad Hebræos vetus tabernaculū vmbra cælestiū, & alio in loco in eade epistola, Vmbra, inquit, habens lex futurorū bonorum, nō ipsam imaginem rerum. Ac si dicat: Lex vmbra veri sacrificij tantum habet, non ipsum verum sacrificiū, quod est Christus verus Deus & verus homo, qui nos patri reconciliauit, se ipsum in cruce immolans, vt cunctas nostras iniquitates suo purissimo ac preciosissimo sanguine deleteret. Cū autem veteris legis sacrificia Christum & Ecclesiam adumbrarent, permittebantur à Deo, illique placebant, si bono animo atque spiritu fiebant: sed non qua ratione carnalia erant. Ait enim Dauid, Si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis nō delectaberis. Et Michas, Nunquid placare potest dominus in millibus arietū, aut in multis millibus hircorū pinguiū? Quasi dicat nequaquam. Et Ieremias, Holocausta vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. Ideo loquens Christus cum patre has voces emittit, Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixit, Ecce venio. Ita D. Paulus hūc locum in epistola ad Hebræos interpretatur. Non ergo veteres hostiæ Deo placebant quatenus carnales erant, sed quatenus Christi eiusq; Ecclesiæ mysteria figurabant, & idololatriā excluderent, & quatenus significabant debitum ordinem mētis humanæ in Deum, & candido animo fiebant. Sed cum tēpore Esaiæ populus Israheliticus esset sceleribus irretitus, & flagitiis deprauatus,*

1. Cor. 10.
Exod. 25.

Figura.

2. Cor. 3.

Hebr. 8.

Hebr. 10.

Psal. 50.

Mich. 6.

Ierem. 6.

Psal. 39.

Hebr. 10.

nolebat Deus eorū sacrificia, quoniam ea absque fide, & pietate, & animi candore offerebant. Sed quoniam præcedentia de Phariseis intelligebantur existimo etiam hæc esse ad eos referēda. Est igitur sensus, Vos Scribas & Phariseos alloquar, cæterosque Hebræos, qui Christū recipere negligitis: Nolo sacrificia vestra, quoniam iam verū sacrificium, cuius illa erant vmbra, in ara crucis immolatū est. Ne amplius imoletis paschalem agnum: nam verus agnus qui tollit peccata mundi, cuius ille alter imaginem gerebat, humana crimina suo sanguine luit. Respuo sacrificia, quæ moriente Christo cessarunt, & volo Evangelicam puritatem: Nec mirum est Deū vetera sacrificia respuere, quoniā post Evangelicam prædicationem & diuulgationem sunt mortifera, & æternam damnationem secum afferentia. Est enim lex vetus cum suis ceremoniis & sacrificiis antiquata, & sepulta: nec erat nisi vsque ad Christū & ecclesiam. Ad construendū tectum lapideum alicuius templi, ad faciendā eius testudinem, sit prius quoddā artificiū ex lignis, tabulis, & funibus, quod simplex testudinis nuncupatur. At perfecta testudine & fornice, constructo & consummato templo, euertitur simplex testudinis, & totum illud tabulatū & artificiū decedit, & omnia ambulatoria pēfilia cum trabibus & funibus deiciuntur: quippe quæ solum ad templi vsque constructionē & perfectionem seruiēbant. Ecclesia catholica est templum quoddā pulcherrimum & excellentissimū, quod verus ille Salomon, verus rex pacis Christus Deus noster construxit & perfecit, & suo sanguine decorauit: Lex vetus cū suis iudiciis, sacrificiis & ceremoniis, fuit simplex testudinis & fornicis huius amplissimi templi. Sed ædificata ecclesia, constructo templo, cū Christus in cruce pendens dixit: consummatum est, cecidit lex antiqua, cessarunt eius victimæ & ceremoniæ, deiecta sunt in terram illa ambulatoria lignea, quæ non erant duratura nisi ad Christi mortē, donec ædificaretur ecclesia, templum hoc celeberrimum & magnificentissimum, cuius illud Salomonis templum imaginem gerebat. Et ideo cessauit, quia adueniente substantia non opus est imāgine: & adueniente figurato non est opus figura, quemadmodum nō est necessaria vmbra adueniente veritate. Est enim lex vetus vmbra, vt ex diuino Paulo ostēdimus, Euangelium autem veritas, quemadmodum ait diuus Ioannes: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Simile.

Ioan. 19.

Ioan. 1.

Plenus

Plenus sum.] Hoc est diues sum, vestris sacrificiis non egeo. Velsic: Satur sum, pariunt mihi nauseam sacrificia vestra. Non me placabitis, nisi Euangelicam puritatem amplectamini.

Holocausta arietum.] Holocausta tota in altari cremabantur, victimæ non item. Sacrificium comprehendit holocaustum & victimam siue hostiam.

Sanguinem vitulorum.] Non omnem sanguinem repudiat, sed eum qui ex brutis fundebatur animalibus: Christi autem sanguine placatur.

Sacrificium frustra.] Ideo Iudæorum sacrificium cassum siue mendax appellat, quia cum esset figura, & vsque ad Christi mortem duraret, iam nunc mendax est, quoniam eum innuit venturum, qui iam venit.

Incensum abominatio est mihi.] Capitur incensum pro holocausto, erat enim holocaustum totum incensum. Vel pro thure, quod in templo propter eius odorem cremabatur. Est sensus: Fætet mihi odor vester. Loquitur Deus more humano. Tu verò vide quanta sit peccati deformitas, & fœditas, cum efficiat vt odoriferum thus in fætores conuertatur. Contra verò virtus odorem mittit suauissimum, & ipse vir pius, virtutum ornamentis munitus odor appellatur, quemadmodum dicebat D. Paulus: Christi bonus odor sumus Deo. 2. Cor. 2.

Neomeniam.] Festum erat quod Iudæi celebrabant in principio mensis, vel in nouilunio, quod apud Iudæos idem erat: vtebantur enim lunis pro mensibus.

Odiuit anima mea.] Loquitur Deus more humano, vt eum intelligamus, quemadmodum paulò post: Laboraui sustinens. & alio in loco: Præbuiti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Infra 49.

Ei cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestre sanguine plene sunt. Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Quiescite agere peruersi: discite bene facere: Querite iudicium, subuenite oppresso: iudicate pupillo: defendite viduam.* Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabitur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deorabit vos, quia os Domini locutum est. *Quomodo facta est meretrix ci-* Infra 59.
1. Petri 2.

uitas fidelis, plena iudicii: iniustitia habitauit in ea, nunc autem homicida. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.

Et cum extenderitis.] Mos fuit apud antiquos, quem admodum nunc apud nos, in precationibus fundedis manus leuare. Ita Dauid, Expandi, inquit, ad te manus meas. Et alio in psalmo: Eleuatio manuum mearum sacrificiū vespertinum. Sic pugnantibus Iudæis Moses manus ad cælum tollebat. Significamus hac corporis actione misericordiam diuinam implorare, & ad sanctissimū numen tāquam ad arcem tutissimam confugere. Et ideo ad Deum manus leuamus, vt ipse eas suis manibus accipiat, nosq; diuino præsidio muniat & sustentet. Sed si manus nostræ sint coïnquinatæ, si opera nostra sint impia, quomodo Deus suis purissimis atq; sanctissimis manibus suscipiet nostras immūdas & contaminatas? Est igitur horum verborū sensus: Cum ad me confugeritis pressi afflictionibus & calamitatibus, meum præsidium implorantes, nec vos videbo, nec exaudiam. Id sentiebat ille, qui apud Ioannem dicebat: Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Est tamen hoc de illis peccatoribus intelligendū, qui nolūt se à sceleribus abducere, nec de sua cōuersione cogitare. Hos non exaudit Deus, quia non animo eum quærunt, sed solum lingua.

Eos verò exaudit, qui ad eum animo attrito confugiunt. Talis fuit publicanus ille, quē Christus apud Lucā asseruit egressum fuisse è templo iustificatum. Ad cuius pleniorē intellectum ea poteris videre, quæ sequuntur.

Manus enim vestre sanguine plene sunt.] Reddit, causam cur auertat oculos à peccatoribus, cum ad ipsum manus extendant, nimirum quia eorum manus sanguine, hoc est cæde prophetarum, aliorumq; hominum sint pollutæ, ideo eas non vult suis manibus attingere: quin potius oculos auertit, eorumq; preces non exaudit. In Prouerbiis ita ait scriptura: Qui declinat aurem suā, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et Esaias, Non est, inquit, abbreviata manus Domini, vt saluare nequeat: nec aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestre diuiserūt inter vos & deum vestrum, & peccata vestra absconderūt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Quibus verbis ostendit diuinus vates, esse peccatum nostrum murum quendam nos à Deo diuidentem & separantem. Et Ieremias dominū alloquēs, Posuisti, inquit, nubem, ne trāseat oratio: vbi vides esse peccatum

Psal. 42.

Psal. 40.

Exod. 17.

Ioan. 9.

Luc. 18.

Prou. 18.

Infra 39.

Tbren. 3.

catum nostrum cum nube comparatū. Nam vt nubes fumus est eleuatus, à terra egressus, sic peccatum fumus est à nobis, qui terra sumus, consurgens. Et vt nubes radiorum solis splendorem impedit, sic peccatum ob suam caliginem & densitatem est nobis impedimento, ne diuinæ gratiæ splendida luce collustremur. Ex quo efficitur vt anima peccatoris flagitio mortifero cooperti iaceat in obscuro, diuino hoc lumine priuata, & à Deo non exaudita. Considera peccati pondus. Contra verò vir iustus & pius in afflictionibus suis exauditur à Deo, ad quem tanquam ad certissimum defensorem confugit. Clamauit ad me, ait Deus per regium vatem, & exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Et alio in psalmo scriptum est: Clamauerunt iusti, & dominus exaudivit eos, & de omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Et apud Esaiam ait dominus: Antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Et quāuis Deum offenderis, ne peccatis tuis desperationem adhibeas, sed animo pœnitenti, & contrito clama. Deum ardentem obsecra, & ipse te exaudiet. Contemplare Ionam qui cum Deum offendisset, & proiectus esset in mare, & à pisce magno deuoratus, tamē animum erexit, & ad deum leuauit, preces fudit, & liberatus est. Intuere viri huius admirabilem in Deum fiduciam. Tumebat mare, fluctus ab imis sedibus ad cælum rapiebantur, sæuientibus ventis procella terribilis interitum miserabilem, ac triste naufragium minabatur. Proiicitur Ionas in mare, ruit præceps in pelagi profunditatem, deglutitur à pisce, descendit ad ima maris, nulla spes salutis apparebat. Et tamen ipse, vbi omnia desperata videbantur, sperauit, deum vehementer obsecrauit, eumq; toto animo quesuit, & fuit à periculo ingenti mirabiliter ereptus. Imò id quod eius necis causa videbatur, eum eripuit: piscis qui eum deglutiuit, eum seruauit. Talis est enim afflictio humana, quæ cum videatur tranquillitatem eripere, est ipsius animi tranquillitatis & quietis conseruatricis. Calamitas qua flagitiosi homines viro iusto perniciem moluntur, eum mirabiliter à vera pernicie custodit. Nunc considera quid peccatum secum afferat ponderis & detrimenti. Nec mare immensum, nec piscis ingens, nec profundissimæ abyssi cauernæ impediuerunt Ionæ preces, & peccatum eas impedit. Propter peccatum repudiat Deus sacrificia, quibus antea placaba-

*Simile.**Psal. 90.**Psal. 33.**Infra 65.**Iona 1.*

tur, non exaudit preces, non vult videre manus ad eum leuatas, quin potius oculos auertit. Ita enim ait; Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis. Si tu domine nos non videris, si nos oculorum tuorum fauore non fueris profectus, quid faciemus? Peribimus absq; dubio. Id intelligens clarissimus ille Vates Dauid, canebat: Auertisti faciem tuam a me, & factus sum cōturbatus. Et alio in psalmo: Ne auertas faciē tuam a me. Et in alio: Respice in me, & miserere mei. Et Iob inquit, faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Et Ieremias, Intuere, inquit, domine, & respice opprobriū nostrum. Medicinam suarum calamitatū in Dei visu collocabat. Vidit Deus Petrum, qui eum negauerat, & in se reuersus exiuit foras, & vim lachrymarum profudit. Visus a domino Matthæus reliquit teloniū, & caducas opes; eumq; secutus est. Quid opus est plura? Vt magnes ad se ferrum trahit admirabili vi, sic Dei visus, eos, quos vult, ad se mirabiliter rapit. Relinquamus igitur peccata nostra, vt Deus nostra sacrificia acceptet, preces audiat, & oculos illos suos misericordes ad nos conuertat. Illud est præterea aduertendum, cur tantum hoc in loco Deus obijciat Iudæis sanguinem manum suarum. Mirum enim videtur nō obiecisse ille superbiam, auaritiā, ambitionē, idolorum cultum, multaq; alia scelera, quibus ipsi erant irretiti & coinquinati, sed tantum sanguinem, quo manus suas maculauerant. Ad quod sc̄to posse respondere multos, per sanguinem intelligi peccatū in communi, quemadmodum dicitur in psalmo: Libera me de sanguinibus deus salutis meæ. Ego verò etfi hanc explanationem non reiicio, aliam tamē libentius amplector, Existimo enim deum hoc in loco ad Scribas & Phariseos sermonem dirigere, & ad cæteros Iudæos infideles, qui in Iesum Christum irruerunt, eius sanctissimum sanguinem postulātes & dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Effuderunt sanguinem iusti, & vineę hærcdem verum Dei filium, seruatorem nostrum pessimi coloni occiderunt. Ideo hoc peccatum tantummodo hoc in loco illis obiicit, quo nullum aliud potest maius & scelerius excogitari.

Lauamini mundi estote.] Lauate manus vestras sanguinolentas & pollutas, si vultis vt ego ad eas oculos conuertam. Lauare animas vestras lachrymis & pœnitentia, & mundi estote: hoc est, in puritate perseuerate. Date operam

Psal. 29.

Psal. 26.

Psal. 85.

Iob. 43.

Thren. 5.

Luc. 22.

Matt. 9.

Luc. 5.

Simile.

Psal. 50.

Matt. 27.

Matt. 21.

vt vos iterum non contaminetis. Multis se abluunt, sed mundi non sunt, quia statim eadem peccata admittunt, & post lachrymas, quibus sordium maculas deleuerant, ea, quæ deplauerat, iterum repetunt. Hos appellat D. Petrus *2. Petr. 2.* apostolus in Epistola sua secunda canes ad vomitum reuertentes. Id quod Salomon in prouerbis scriptum reliquerat, Abluamus igitur nos ipsos & in puritate manere studeamus, iuxta id quod ait Ieremias: Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias. Sed vide obsecro, & attento animo considera pœnitentiæ vim & excellentiam. Inuocauit propheta cælum & terram cõtemplans memoriaq; repletens populi flagitia. Plorauit, ingemuit, & interitum æternum minatus est. Ostendit Deus iram suam dicens, non suscepturum esse sceleratorum sacrificia, quin potius thus esse illi abominationem, & eorum solennitates odisse, & se non esse eos exauditurum, nec visurum, quanuis manus ad cælum extulissent, & preces multiplicassent. Nonne vides peccatorum vlcera propè insanabilia? Nonne vides ægritudinem iucurabilem? Vide quid nunc dicat: Lauamini, mundi estote, & cætera quæ sequuntur. Quid hoc est? Nonne dixerat Deus se eos non esse exauditurum? Dixerat: Sed tanta pœnitentiæ amplitudo, vis, & excellentia, vt per eam peccatores teterrimi ad animi candorem & puritatem perueniant, & ab omnium scelerum maculis expurgentur. Per Ezechielem ita ait Deus: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Et per Zachariam: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. *Ezech. 18. Zach.*

Potest etiam hoc ita explanari. Postquam Deus ostendit se respuere veteris legis sacrificia, nunc pro eis dicit se velle Ecclesiæ sacramenta, quorum primum Baptismus est. Ac si diceret: Baptizamini, & permanete in gratia, quam cõfert baptismi sacramentum. Vt enim fieri non potest, consequi aliquem honores & dignitates, priusquam nascatur, sic nec spiritualium donorum esse participem, nisi fuerit per baptismum renatus. Filij Israël ex Aegypto discedentes, prius mare rubrum tranferunt, deinde panem angelorum manducauerunt, demum Iordanem transeuntes terrâ promissam fuerunt mirabiliter consecuti. Sic tendentibus ad cælestem patriam primò occurrit Baptissimus, cuius figura fuit

1. Cor. 10.
Psal. 79.
fuit mare rubrum, quemadmodum Apostolus in prima ad Corinthios asseueranter affirmat. Ibi obruuntur peccata, iuxta id quod dicitur in Psalmo: Contriuisti capita draconum in aquis. Post baptismum sequitur manna, hoc est, dulcis animi oblectatio. Tandem transacto Iordane, finito itinere, sequitur vt animæ poenitentiae sacramento ablutæ, aliisque sacramentis roboratæ, ex hac vita migrantes, æternam illam beatitudinem, veram promissionis patriam consequantur.

Auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.] Docet hic locus cogitationes nostras à Deo videri, nosque non solum omne maleficium vitare debere, sed etiam operam dare, vt omnem animi cogitationem puram integramque seruemus. Aquila, vt ferunt, pullos suos quos habet in nido, aduersus solem ponit, vt illum veluti auctorem vitæ cognoscant. Sol enim & animal, vt aiunt Physici, animal gignunt: & eos, qui solis radios non ferunt, nec valent ipsum solem intueri, è nido tanquam spurios aut alienos eiiciunt. Sic nos paruas adhuc cogitationes versus iustitiæ solem dei rigamus, vt ad Deum oculos leuantes, eum auctorem atque Dominum cognoscant. Eas verò, quæ Deum intueri noluerint, nec in eum oculorum aciem dirigere, tanquam extraneas & illegitimas ab animi nido eiiciamus, easque dum paruas sunt, ad petram, hoc est, ad Christum allidamus, iuxta id, quod dicitur in Psalmo: Beatus qui allidit paruulos ad petram. Hoc enim est auferre malum cogitationum nostrarum.

Psal. 130.

Similitudo.
Similitudo.

Quiescite agere perversè.] Id est, cessate à maleficiis, nolite amplius iniquè agere. Sed quoniam non sat est desistere à malo, sed necesse est in virtutis actiones incumbere, addidit: Discite benefacere. Et animaduerte, Nō dicit: Discite benedicere, sed benefacere. Plus Deus exaudiuit grauiorem atque submissiorem tonum nostrarum factorum, quam acutos atque magnos clamores vocum nostrarum. Qui dicit, nec id efficit, quod docet, cotis vsurpat officium, quæ ferrum reddit acutum, cum ipsa inutilis sit ad secandum. Et vt pictor pulchram atque elegantem pingit imaginem, cum ipse sit turpi quadam fœditate insignitus, sic est qui virtutem verborum coloribus exornat, cum ipse nullo virtutis colore, nullis veris honestatis ornamentis sit decoratus. Quid tibi prodest alios in portum dirigere, eiusque viam demonstrare, cum tu nolis è mediis fluctibus discedere? Ex hoc loco colliges virtutem non esse nobiscum natam, sed necesse esse vt eam discamus, & comparemus. Nihil enim quod natura in-

fitum

atum & innatum est, aliter atque est assuescit, vt Aristoteles in libro secundo de moribus asseruit. Ex quo perspicuum est, nullã omnino moralium virtutum, vt ibidẽ Aristoteles contestatur, nos ingenerari natura, sed consuetudine comparari. Sunt tamen in nobis semina quãdam innata virtutum, vt igniculi quidã, quos nos celeriter malis moribus ita ferẽ restinguimus, vt virtutis lumen nusquam appareat, nisi accedat regina ratio, cui obtemperantes virtutem consuetudine comparamus. Non loquor de virtutibus infusis, sed de moralibus, quas acquisitas vocant.

Querite iudicium.] Petite à Domino scientiam, quã muniti iuste ac sapienter iudicetis. Id quod fecit Salomon: de quo dicitur in Psalmo: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Vel sic, Facite omnia cõ iudicio, date operam vt omnia maturẽ atque ordine geratis, non repentino quodam quasi vento impetu animi incitati. Psal. 71.

Subuenite oppresso.] Ferte opem indigentibus, iniuriarum ab iis, quibus inferitur, propulsate. Ita dicitur in Prouerbiiis. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses: Et Iob. Oculus, inquit, fui cæco, & pes claudõ, pater eram pauperum, &c. Et in eodem capite. Liberaui pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Iuxta sententiam diui Ambrosii libro primo officiorum, qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quã ille qui facit. Colliges hinc in quã deprauata opinione versentur illi, qui alios non curant, qui de fratrum salute nunquam cogitãt, qui dicunt cum Cain: Nunquid custos fratris mei ego sum?

Et venite, & arguite me.] Facite quã modo numeravi, inquit Deus, incumbite in virtutes, opera charitatis exercete, & si vos non fuero remuneratus, intendite mihi litem, & me quasi ingratum arguite. Adestote & disceptemus in iudicio. Ita apud Michãam: Iudicium Domini cõ populo suo, & cum Israël diiudicabitur. O summam clementiam, & infinitam Dei nostri bonitatẽ, qui cum nos propter scelera nostra possit optimo iure euertere, vult tamen nobiscum in iudicio contendere. Vbi vides nõ esse vi atq; oppugnatione conficiendum id, quod prius potest rationibus effici & concludi. Est autem magnopere aduertendum quantam fiduciam præstet Deus bonis operibus nostris, ad cuius rei maiorem euidenciam, vide ea quã sequuntur.

Si fuerint peccata vestra vs succinum.] Sensus est: Si feceritis

cerius quæ dixi ego vobis, peccata vestra etiam grauissima condonabo. Loquitur Deus cum peccatoribus, quibus dicit se illis peccata dimissurum, si bona opera exercuerint. Aspicijs hic apertissimum locum contra eos qui omnia tribuunt fidei, operibus autem nihil. qui cum nihil minus sint quam fideles, semper fidem habent in ore. Hoc tamen dicimus, nulla opera nostra ex condigno mereri gratiam, qua iustificamur, cum ex impijs iusti efficiamur. Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin, vt ait Apostolus, gratia iam non est gratia. Est tamen necesse vt in huiusmodi iustificatione cõcurrat motus liberi arbitrij, quod quidẽ fatemur. At post iustificationẽ cum gratia gratum faciente de condigno meremur, in diuina tamẽ pollicitatione statumẽ & firmamentũ nostrorũ operum collocante Ceterum opera primam iustificationẽ præcedentia, etsi iustificationẽ ipsam nõ mereantur, prouocant tamen Dei misericordiam ad illã homini dandam, ipsumque hominẽ disponit ad ipsam recipiendã. Et ante iustificationẽ, & si quis habeat fidem, tamen talis fides mortua est. Et post iustificationẽ si se mortiferis sceleribus inquinauerit, amittit gratiam manẽte fide, quæ, vt ait diuus Iacobus apostolus, iine operibus mortua est. Qui enim fieri potest, vt viua dicatur, quæ vita, hoc est, charitate caret? Illa fides viua est, quæ, vt ait diuus Paulus, per charitatem operatur. Illã verò, quæ sine charitate est, non prodesse per se solam ad æternam vitam consequendam indicat, apertissimẽ idem Apostolus ita ad Corinthios scribens. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Quid ad hæc respondebunt Lutherani, qui sola fide gloriantur, opera autem charitatis reiiciunt, non esse necessaria affirmantes? Qui fieri potest, vt non sint necessaria opera, si nos Deus est secundum ea iudicaturus? Vide quid dicat diuus Paulus in epistola ad Romanos: Deus reddet vnicuique secundum opera sua. Vbi vides nullam hic de fide fieri mentionem, sed de operibus. Sed quid cito Paulum? Ipsa veritas, ipse Christus Deus noster in hunc modum apud Matthæum loquitur: Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Hæc apud Matthæum capit. sextodecimo. Nihil muto, ipsa verba formalia scribo. Quid potest esse clarius contra Lutherum? Si sola fides satis est, cur ait Christus apud Matthæum: Multi dicent mihi in illa

Rom. 11.

Iaco. 2.

Galat. 5.

Cor. 13.

Rom. 2.

Matt. 16.

Matt. 7.

illa die: Domine domine, nonne in nomine tuo propheta-
 uimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine
 tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia
 nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini
 iniquitatē. Et paulo pōst: Omnis qui audit uerba mea hæc,
 & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domū
 suam super arenam. Vbi Christus apertissimè docet, nemi-
 nē esse uitam æternā consecuturū, nisi sit charitate p̄ditus,
 etiā si tantam fidē habeat, ut in nomine Christi uaticinetur,
 & dæmonia eiiciat. Id intelligens D. Ioannes. Qui, inquit, *1. Ioan. 3.*
 non diligit, manet in morte. Et D. Iacobus, Estote, inquit, *Iac. 1.*
 factores uerbi, & nō auditores tantū, fallentes uosmetipfos:
 quia si quis auditor est uerbi, & non factor, hic cōparabitur
 uiro cōsideranti uultū natiuitatis suæ in speculo, &c. Vbi uī
 des nō auditores uerbi tantū, sed factores esse iustos. Sed di-
 cis Lutherus hęc epistolā nō esse D. Iacobi. Ego certè potius
 credo ecclesiæ illā esse diuī Iacobi asserenti, quā tibi. Sed
 quid respondebis ad epistolā ad Romanos, quā esse D. Pau-
 li tu ipse fateris? Ita enim illic ait Apostolus: Nō enim audi-
 tores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabū-
 tur. Lege scripturam, ubique inuenies opera commendari.
 Apud Matthæum Christus nos ad operandum in uineam *Matt. 20.*
 mittit. Et alibi, Sic luceat, inquit, lux uestra coram homini-
 bus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem ue-
 strum qui in cælis est. Et alibi reddens rationem quare per-
 ducturus est iustos ad regnum sempiternum, opera chari-
 tatis commemorat, nulla factā mentione de fide: sine qua
 tamen, ut ait Diuus Paulus, impossibile est Deo placere. *Matt. 24.*
 Diuus Petrus princeps Apostolorum in epistola sua secūda
 ita ait. Satagite ut per bona opera certam uestram uocatio-
 nem & electionem faciatis. Et diuus Paulus in secunda ad
 Corinthios testatur, ituros nos esse ante tribunal Christi,
 & ibi manifestandos, ut referat unusquisque propria corpo-
 ris, prout gessit siue bonum siue malū. Et hoc in loco asse-
 rit Deus per Esaiam daturum se esse gratiam impijs, eisque
 peccata remissurum, si in uirtutum opera incubuerint, nam
 seipsum p̄paranti, & quod in se est facienti Deus non des-
 negat gratiam. Et tamen asserit Lutherus opera non esse
 necessaria, sed solum fidem: cum opera non solum ualeant
 ad gratiam consequendam, sed etiam ad eam conseruan-
 dam, & cum fides sine operibus sit mortua, & Deus nos se-
 cundum opera nostra sit iudicaturus. Si ego hæc ex meo
 sensu

sensu depromerem, non mirarer non adhiberi mihi fidem: Sed cum hæc sint ex diuinis literis apertissima, est admirandum esse homines tam stupidos, qui tanta nubi testium non moueantur. O insipientes Lutherani cur Lutherocreditis homini perditissimo, potius quam D. Paulo doctorigentium? potius quam D. Petro Apostolorum principi? potiusquam Christo cælesti atque summo doctorigentium? qui ideo humanam naturam inexplicabili ratione sibi copulauit, ut hominumgenus doceret & à tenebris vindicaret, & viam veræ salutis consequendæ aperiret. Sed iam ad literam explanandam accedam, eius sic est sensus: Si peccata vestra sanguinea & rubra veluti coccinum & vermiculus fuerint, tamē velut nix & alba lana dealbabitur. Videtur alludere ad id quod dixerat: Manus vestra sanguine plene sunt, ac si dicat: Et si anima vestra contaminata fuerit, ego tamē eam lauabo, si vos opera bona exercueritis, eique candorem tribuam. Coccinum color est splendorem ruboris ostendens, dicitur Lusitanæ grama. Vermiculus est minium: appellatur à Lusitanis Vermelham. Capitur etiam pro colore purpureo, quam ob causam potest verti: Si fuerint instar purpuræ.

Si volueritis & audieritis.] Non dicit: Comeditis necessario bona terræ. Sed si volueritis & audieritis me, bona terræ commeditis. Quod nolueritis, &c. Vides hic apertissimè liberum nobis arbitrium relinqui. Præter hoc testimonium sunt multa alia in diuinis literis liberum arbitrium planè constantia, quorum duo tantum commemorabo. Alterum est ecclesiastici, cuius ad literam hæc sunt verba: *Eccles. 15.* Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quam volueris porrigere manum tuam, Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Alterum testimonium simile huic est in Deuteronomio, ubi ita scriptum est: *Deut. 30.* Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius, ac ceremonias, atque iudicia, & viuas ac multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris Deos alienos, & serueris eis, prædico

prædico tibi hodie quod pereas, & paruo tempore moreris in terra ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semē tuum. Aspicias hæc loca apertissimè indicare arbitrii libertatem. Essent enim penitus superuacanea & ridicula, nisi liberum esset arbitrium. His adde præcepta & consilia, quibus plenum est vetus ac nouum testamentum, quæ essent omnino inutilia, & prorsus exhibilanda & ridenda, si nihil esset in nostra potestate, sed omnia fataliter, vt aiunt, & necessariò euenissent. Ex quo sequeretur, nullam esse omnino religionē. Quis enim locus precationibus? Quis votis? Quis sacrificiis relinqueretur, si cuncta ineuitabili necessitate futura esse crederemus? Aristoteles in libro de interpretatione apertè ostendit non omnia necessariò euenire, sed esse liberum hominum arbitriū: quod à Socrate & Platone, aliisque excellentibus Philosophis iam antea fuerat assertum. Fuerunt tamē hæretici nonnulli, qui aduersus sacrarum literarū euidentissima testimonia liberum arbitriū negarūt: quorum sectam ab Ecclesia damnatam & sepultam renouauit modo Martinus Lutherus hæreticus detestabilis, errorum ac vitiorum ingens ac propè infinita vorago, qui articulo trigesimo sexto suarum hæresum liberum arbitrium ait esse rem de solo titulo, sed re vera nihil prorsus esse.

Bona terra comedetis.] Hoc est, eritis in hac vita sælices, opibus affluentes. Potest etiam hoc de illa terra intelligi, de qua dicebat diuinus Psaltes: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Hæc est æterna beatitudo, de qua Christus seruator noster, Beati inquit mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hæc est vera illa terra promissionis, quam Deus Aegyptum relinquentibus, & mundi tenebras atque vanitates aspernantibus promittit.

Gladius deuorabit vos. Id est, gladio hostium vestrorum interficiemini. Poteris per gladium quamcunque calamitatem intelligere. Sed si per bona terræ gloria cælestis intelligatur, consequens erit, vt nomine gladii æternum supplicium significetur.

Quia os Domini locutum est.] Ac si diceret, Hoc est certissimum, quoniam Deus, qui nec fallit, nec fallitur, illud dicit. In libro Numerorum ita scriptum est: Non est Deus vt homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Poteris

Jerem. 23. **Is** per os Domini Prophetam intelligere, iuxta id, quod ait Deus per Ieremiã: Si separaueris preciosum à vili, quasi os meũ eris. Ac si hic diceret Elaiç: hæc dico non quatenus homo, sed quatenus Propheta. ideo certissima absque dubio sunt.

Quomodo facta est meretrix.] Miratur Propheta & deplorat Hierosolymã calamitatẽ, quã cum olim fuisset fidelis, imò fidelissimũ domicilium & receptaculum, facta esset meretrix, hoc est infidelis. Sciebat Propheta fuisse ciuitatẽ illã quondam florentissimã, virtutum præsidio munitã, religione & iustitia veluti mœnibus septam. Ideo non poterat continere lachrymas, videns eius casum & ærumnas: cum pro religione idolorum cultus, pro iustitia iniquitas, pro charitate homicidia, pro aliis denique virtutibus nefaria scelera successissent. Et si hic locus possit de corporis fornicatione intelligi, existimo tamẽ esse eum de animi fornicatione, hoc est de idololatria intelligendum, Illa ciuitas & illa anima est meretrix, quẽ sponsum suũ Deum derelinquit, sc̃q; cum idolis coniungit. Ita intelligitur locus ille Ieremiç: In omni colle sublimi, & sub omniligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Et illud Ezechielis: Aedificasti tibi Iupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. Hinc est illud, quod dominus Iesus apud Matthæum obiiciebat Iudæis: Generatio mala & adultera signũ quarit: Generationẽ adulteram illos vocat, quia ipso contempto mundũ, dæmonem, & carnem sequebantur. Et quanquam hic locus Esaiã de Hebræis suã ætatis intelligitur: ego tamen existimo esse præcipuẽ ad Scribas & Pharisæos, cæterosque Iudæos infideles tempore Christi referendum.

Plena iudicii.] Hoc est, in qua olim æquissimi iudices extierunt.

Argentum tuum versum est in scoriam.] In literis diuinis nomine argenti sacra doctrina intelligitur, iuxta illud, quod dicitur in psalmo: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Ideo sensus est. Heu ciuitatem infœlicem, vbi pro vera doctrina regnar mendacium, & pro diuinis præceptis Pharisæorum traditiones.

Vinum tuum mistum est aqua.] Hoc est, nulla est mera atq; germana virtus, iustitia mista est crudelitate, vltione, & malitiosa quadam iuris interpretatione. Fortitudo mista est temeritate & animi eleuatione: tẽperantia coniuncta est cum negligentia & ignauiã: prudentia malitiam sibi & caliditatem

*Jerem. 2.
Ezech. 16.
Matt. 12.
E. 16.*

Psal. 11.

licitatem copulauit. Nullā denique virtutem tenes puram ac solidam, vmbra tantum virtutū, atq. imaginibus vteris. Qui vitam monasticam profitetur, tunc dicitur aquā miscere vino, quando mundi oblectationibus delinitur, quando rebus sanctis & feruentibus inserit res viles & frigidas, quando denique propriam retinet voluntatem. Qui populo concionatur, aquam vino miscet, si reprehensionibus adulationes adiungunt, & puram atque vtilem veritatem silentio transeant.

Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, & sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israël: Heu ego consolabor super hostibus meis, vindicabor de inimicis meis. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriā tuam: & auferam omne stannum tuum. Et restituum iudices inos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbis fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia, & conteret sceleros & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, consumeruntur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Et erubescetis super hortis, quos elegeratis, cū fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succedet vrbis & non erit qui exstinguat.

Principes tui infideles.] Potest referri ad fidem theologalē, vel ad eam quæ est doctorum conuentorumque substantia, quæ est fundamentum iustitiæ. Hi principes Pharisæi erant, qui omnia iura diuinā & humana peruertebant, propter eū quem ipsi concupiebant, principatū. Socii erant furum, quoniam fures defendebant, & ipsi rapinis vfurisque partebantur. Vnde ipsa veritas Christus Deus noster intrans in templum, eticiens vendentes & cimentes dicebat: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matt. 21.*

Omnes diligunt munera.] Retulit Propheta in tabulis vteriorum, & numerauit in catalogo scelerum munera diligere. Et alio in loco ait: Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. In Exodo scriptum legitur: Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustiorum. Quæ sententia est etiam scripta in Deuteronomio cap. sextodecimo, & multis aliis in locis. Principes ac iudices qui omnia suis cō-

dis metiuntur, nō reipublicæ utilitate, ipsam rempublicam euerunt, nisi ipsi prius euertantur. Id quod sequitur : Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos, in promptu est. Nam cum omnia pro muneribus agant, facile pauperes pupillos & viduas contemnunt. Id ipsum obicit illis Ieremias in hunc modum : *Causam viduæ non ius dicauerunt, causam pupilli non dixerunt.*

Ierem. 7.

Fortis Israël] Id est, qui olim Israël fortissimè liberauit. *Heu consolabor.*] Prædicat Deus se Iudæos puniturū : & loquēs humano more dicit se consolatione afficiendū esse. Solent enim homines iniuria læsesit vltione inimicorū suorū delectari. Tu verò contēplare Dei nostri summā pietatē. Volēs penas sumere, prius ingemit & plorat. Est enim particula *Heu* interiectio dolētis & plorātis. Plāgit clemētissimū pater Iudæos infideles & sceleratos. Eodē modo appropinquans Hierosolymę, vidēs eā vim lachrymarū posudit, quoniam erat eam per Romanos euerurus. Hanc Dei misericordiam significauit alio in loco iis verbis *Elaias* : *Vt faciat opus, suum alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum opus eius ab eo. Opus alienum ab eo & peregrinū vocat vltionē, quā erat de reprobis sumptur⁹. Opus autē suū appellat misereri, parcere, quemadmodum canit Ecclesia dicēs : Deus cui propriū est misereri semper & parcere : Nō punit Deus ex animo, sed quia ira exigūt peccata nostra : Vult enim, vt ait Apostolus, omnes homines saluos fieri. Hoc intelligēs Ieremias ita de deo loquēs ait : Nō enim humiliavit ex corde suo, & abiicit filios hominū. Et Habacuc : cū iratus fueris, misericordię recordaberis Et Dauid : Ira in indignatione eius & vita in volūtate ei⁹. Quę loca ostendunt Deum misereri nostri, non solum quando in nos confert beneficia, sed etiam quando nos punit. Et hoc modo in omnibus suis operibus vtitur misericordiā.*

Luc. 19.

Infra 23.

1. Tim. 2.

Thre n. 3.

Habac. 3.

Psal. 19.

Psal. 44.

2. Cor. 1.

Psal. 10.

Quod sentiēs Dauid, miserationes, inquit, eius super omnia opera eius. Quem locum diuus Hieronymus ita vertit. Misericordiæ eius in omnia opera eius. Ac si diceret : Nullum est opus Dei, in quo ille non vtatur misericordiā. Meritō ergo diuus Paulus Deum patrem misericordiarum appellat, & Deum totius consolationis

Et conuertam manum meam ad te.] Hoc est te percutiam. Ponere in aliquo manū, est eum punire. Hūc sensum habet id, quod dicitur in psalmo : Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat eos, qui te oderunt.

In libro Genesis vbi editio vulgata habet: Manusq; ve-
 stras seruate innoxias, potest verū de Hebræo: Manus ne
 mittas in eum, ita dicitur primo libro Regum: Non sit
 manus mea in eo. Hoc est, non eum percutiam. Eundem
 sensum habet id, quod capite nono ait Esaias: Sed adhuc
 manus mea extensa: Hoc est, non cessat eos percutere &
 punire. Conuertere manum, extendere manum, mouere
 manum, ponere manū, significant punire, phrasi hebraica.

Gen. 17.
 1. Reg. 24.
 Infra. 2.

Et excoquam ad purū scoriā tuam.] Hoc est, te affigam &
 percutiam, idē sensus cum superiore. Promittit Deus se fla-
 gellaturū Hierosolymā, vt quę beneficia non cognoscebat,
 supplicio corrigeretur. Et quoniam supra dixerat: Argentū
 tuum versum est in scoriā, permanet in eadē translatione,
 dicens se illi purgaturū scelerum sordes, vt separato stanno,
 ablata scoria, purum remaneat argentum. Fornax in qua
 erant igni examinandi, afflictio est. Hęc est fornax illa pue-
 rorum Babylonis, in qua aurum remanet purius & splendi-
 dius, paleæ verò fumāt, & cōsumuntur, in qua iusti illustrio-
 res reddūtur, impij autē in cōdicio flagrant. Nā eadē afflictio-
 ne iustus Deū precatur & laudat, impius autē in blasphemias
 prorumpit: quēadmodum in eadē area sub eadē tritu-
 ra stipulæ cōminuuntur, frumenta purgātur. Et ex eadem
 olea sub eodem prelo oleum & amurca egrediuntur: &
 pari atq; eodem vento saluia & millitena exagitatæ fra-
 grant, & odorem suauem emittunt, cicuta verò & ruta fet-
 torem exhalant. Euenit tamen aliquando, vt improbi af-
 flictione corrigantur, quemadmodum argentum sordibus
 contaminatum igne perpolitur. Cur autem dicat Deus se
 ablatum esse stannum, ratio est, quia stannum speciem
 habet argenti, cum sit vilis quædam materia cuius nomine
 hypocrisis significatur: quemadmodum scoriæ nomine
 alia peccata. Hanc dicendi exornationem & metaphoram
 ab aurificibus sumptam inuenies apud Malachiam capite
 tertio, & apud Ezechielem vigesimo secundo. Sed quoniā
 argenti nomine diximus veram doctrinam significari, po-
 teris hic per scoriā & stannum falsas hominum doctrinas
 intelligere.

Similia.

Et restituiam iudices suos, vt fuerunt prius.] Hoc referunt
 nonnulli ad tempus post captiuitatem Babylonicā Ego ve-
 rō eorum sententiam libentius amplector, qui dicunt esse
 hoc ad tempus gratiæ præcipuē referendum: Quando De-
 us pro Patriarchis, & Prophetis, & sanctis Iudicibus, dedit

Apostolos, aliosque viros in diuinarum literarum sapientia excellentes, virtute & charitate præstantes. Hos inuicem alius Propheta dicebat in psalmo: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Hoc dicit Christus apud Matthæum, se suos esse, & duodecim tribus Israël is iudicatuos.

Et consiliarios tuos.] Colliges hinc Dei esse beneficiū, esse principum consiliarios sapientia præstantes, & ad rectā rationem consilia sua referentes. Ut grauius puniendus est, qui venenum in communē fontem cōicit, quam qui in particulari poculum: sic grauiori supplicio afficiendi sunt, qui suis deprauatis consiliis principem corrumpit, quam qui hominē priuatum. est enim princeps veluti quidā publicus fons, quo infecto & veneno contaminato corrumpuntur omnes, qui ex eo perniciem exhauriunt. Oportet principē vti consiliariis iustis & prudentibus. Nā sine consilio repinubl. facile labefactabit effrænata temeritate concitatus. Poteris per consiliarios omnes intelligere, qui non solum principes, sed quoscunque alios consiliis instruunt.

Post hæc vocaberis ciuitas iusti.] Hoc est Christi. Iusti enim nomine in diuinis literis Christus significatur, vt. in libro Sapientie: Circumueniamus ergo iustum. Et in Actis Apostolorū: Occidebant eos, qui prænucciabant de aduentu iusti. Hæc ciuitas. quæ pro Synagoga constituitur, ecclesia est catholica, ex Gentibus & Iudæis congregata, quæ ob Christi fidem fidelis appellatur. Quā iis verbis præcinit eloquentissimus atque clarissimus vates: Fundamēta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Potest veriti ex Hebræo: ciuitas iustitiæ: & ita vertit Pagninus: Quæ versio nostræ fauet explanationi. Est enim Iesus Christus iustitia nostra, vt ait in epist. ad Corinth. D. Paulus.

1. Cor. 1. *Sion in iudicio redimetur.*] Hoc est ecclesia catholica erit sanguine Christi redēpta in iudicio, quia pro ea ipse patietur: Non dicit, oēs redimentur, sed Sionē, hoc est Dei ecclesiam, redimendam prædixit. Quia etsi Iesus Christus deus noster vult omnes homines saluos fieri, vt ait Apostolus, & ad agnitionem veritatis venire, (vnus enim Deus vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus) tamen multi non sunt huius gratiæ participes ob suam ipsorum culpam. Iesus enim extra ecclesiam salutem consequitur. Ecclesia est

arca

Psal. 44.
Matt. 19.

Sap. 2.
Act. 7.

Psal. 86.

1. Cor. 1.

1. Tim. 2.

arca illa, quæ sola ex diluuiio euasit. Et vt omnes, qui erant extra arcam submersi sunt: sic omnes, qui extra ecclesiam moriuntur, in pœnas æternas, quæ eorum scelera sequuntur, incurrunt. Dicit autem Sionem redimendam in iudicio, quoniã opus redemptionis factum fuit per iudicium & iustitiam. Sunt qui hoc referant ad tempus post captiuitatē Babyloniam, quando referuata fuit Hierosolyma. Sed in diuinarum literarum studium incumbentibus illud est satis perspectum & exploratum, hæc in primis dicta esse à diuino vate de ecclesię ædificatione & Christi regno, quarū rerū erant vimbæ & imagines vetera illa de tēplī & Hierosolymę instauratione. Quid enim significare volebat illustrissimus ille ac sapientissimus rex Dauid, nisi ecclesię sanctę & Christianę religionis constitutionē, quando hæc verba præcinebat Quia ædificabit dominus Sion, & videbitur in gloria sua? Tunc enim visus est Deus in gloria sua, cum eius sanctissimum nomen fuit in omni terrarum orbe celebratū, & homines à vera religione abhorrentes, relicta superstitione, contempto idolorum cultu, Christum verum Deum coluerunt, eiusq; sanctissimo numini se toties dedicauerunt.

Gene. 7.
Figura.

Psal. 102.

Psal. 92.

Matt. 24.

Infra 34.

Confundentur autem ab idolis.] Hoc est à peccatis, quæ idola appellantur. Melius tamē existimo ea de sculptilibus & falsis diis intelligere: quemadmodum dictum est in psalmo: Confundantur omnes qui adorant sculptrilia.

Super hortis.] Lucos intelligit locaq; amœna, vbi idolis immolabant, & actus turpes exercebant.

Cum fueritis velut quercus.] Id est, Cū fueritis omni gloria spoliati. Comparat Iudæos infideles cum quercu arida nec fructus habente nec folia. Refert diuus Matthæus malè dixisse Christū ficui perpetua ariditate, cū in ea quæssisset fructū, & foliū folia inuenisset. Ficus illa populus erat Iudaicus, qui tunc foliis, hoc est, cæremoniis utebatur & ornabatur, licet fructum charitatis non referret. Sed modò aridus est omnino & non solum charitate, sed etiã cæremoniis destitutus. Ideo quercus sine foliis à propheta appellatur, & hortus absq; aqua. Contrā verò de viro iusto alibi ita ait vates noster: Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ab alio propheta vir iustus cum arbore secunda comparatur semper virente, & florente, vberiorumque fructuum abundantia exornata: quæ cum perennium fontium, & amœnorum fluuiorum a quibus irrigetur, nullo vnquã æstu arefeit, nulla siccitate labefacta-

Psal.

tur. Et erit, inquit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur. Hæc arbor semper virens videtur esse palma, quemadmodū dicitur in psalmo: Iustus vt palma florebit. Est igitur iustus non quercus sine foliis, sed palma semper foliorum pulchritudine cooperta, & fructibus pulcherrimis suo tempore ornata.

Psal. 91.

Et erit fortitudo vestra.] Idola, quibus fiebant, fortitudinem eorum appellat: Ac si diceret, Idola vestra, in quibus omne vestrum præsidium collocatis, tanquam stupa comburentur. Et omne opus vestrum, domus, mœnia, & reliqua alia igne consumerentur. Et succendetur vtrumque, nempe fortitudo vestra, & opus vestrum. Hæc omnia scimus fuisse completa, quando in euerfione Hierosolymæ per Titum Vrbs fuit funditus deleta, & mœnia cum idolis incendia flagrarunt.

Annotationes ex Hebræo in

aliquot loca primi capituli.

Super Iudam & Ierusalem.] Pro, super, est in Hebræo Aal. Quæ dictio significat super, vt 4 Reg. 9. Lenticulâ olei fundens super caput eius. Significat etiâ aduersus, vt in psalmo 2. Aduersus dominum, & aduersus Christū eius. Quæ ratione adducti Septuaginta interpretes verterūt hoc in loco: Contra Iudā & Ierusalē. Sed quoniam non omnia quæ sunt hic literis mandata, sunt cōtra Iudam & Hierosolymā, imò multa de illis prospera ad voluntatem fluentia prædicuntur, videtur melior esse hoc in loco editio vulgata.

Ve genti peccatrici.] In Hebræo pro væ est Hoi, quæ particula significat ve, heu, & à aduerbium vocandi. In hoc eodē cap. paulò post vertit interpres noster per heu interiectionē dolentis & plorātis, hic verò per interiectionē cōminātis, quanquā hæc cōminatio sit mista cū gemitu & luctu.

Infra 3.

Blasphemauerunt sanctū Israël.] Pro blasphemauerūt est in Hebræo vcaſu à verbo naats, quod significat blasphemare, vt capite quinto in hoc eodem propheta: Et eloquium sancti Israël blasphemauerunt. Sed quoniā in coniugatione Piel quemadmodum est hoc in loco, verba aliquando alteram in super actionē significant, potest verti, fecerunt indignari sanctum Israël, vel multò melius, Irritauerunt, & ad iram prouocauerunt sanctum Israël, Nam Septuaginta verterunt.

verterunt. Prouocastis, seu iratum fecistis sanctum Israël. Et Pagninus: irasci fecerunt. Vult propheta significare Iudæos suis sceleribus Deum ad iram prouocasse.

Non sunt circumligata.] In Hebraico est zoru, à verbo Zi-or quod significat circumligare & cōstringere, quam ob causam vertit Pagninus: Non sunt constricta. Significat etiam frangere, ideo poterat Latine reddi: Non sunt fracta, hoc est aperta & compressa, vt educeretur sanies.

Neomeniam.] In Hebraico est Chodes, à verbo Chodus quod significat renouare, vt in psalmo: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Et quoniam in vnoquoq; mense renouatur luna, accipitur hoc nomen pro mense, & pro principio mensis, siue pro nouilunio. Nam apud Hebræos menses numerabatur per lunas, & in nouilunio incipiebatur mēsis, qui quidē dies erat celebris apud eos, & solennis. Hoc nomine vitur etiam propheta paulo post in numero plurali, pro quo interpres Latinus vertit: calendæ vestras. Vbi aduerte nō dixisse, calendas & solennitates odiuit anima mea: sed calendas vestras & solennitates vestras, quasi dicat Deus: Non sunt meæ hæ solennitates & festa, quoniā in illis vos nefariis sceleribus coinquinatis. Id statim ostendit dicens, Iniqui sunt cœtus vestri. Vbi significat eos iniquitatē cū festorū celebritate solitos esse cōiungere. Hoc nomē neomenia Grecū est à νεο nouum, & μην luna, quasi noua luna.

Principes tui infideles.] Pro infidelibus est in Hebraico sorerim: à verbo Sore, quod significat declinare, recedere, & peruertere. Vnde Aquila vertit, recedentes. Pagninus verò declinantes, quod idem est, hoc est à recta via discedētes. Potest verti, principes tui peruersi. Et quoniā verbū hoc significat etiā rebellare & non obedire, ideo Septuaginta venterunt: non obediētes, siue non obediunt: quibus assentitur D. Hieronymus, qui in versione sua cui adiecit cōmentaria, habet, inobediētes. Et ita habent nonnulli codices editionis vulgatæ ad marginē. Sed mirum videtur tribuere inobediētiā principibus iniquis, iustis autem obediētiā, cum obediētia subiectis, non autem principibus cōuenire videatur. At altē spectare si voles, & ad veritatem reuocare rationem, videbis absq; dubio propriū esse boni principis obedire. Vt enim populus paret principi, sic ille Dei legibus parere debet. Populo præest princeps, principi autē lex. In libro Deuteronomij præcipit Deus, vt qui rex constitueretur, haberet secum legem scriptam, quam legeret cū

Psal. 102.

Dent. 17.

ētis

4. Reg. 11. Etis diebus vitæ suæ. In libro 4. Regū sunt hæc verba moni-
 menti mandata: Produxitq; filium regis, mirirū sacerdos,
 & posuit super eū diadema & testimonium, feceruntq; eum
 regē. Per testimonium lex intelligitur, quæ designato prin-
 cipi simul cum regia corona dabatur. Vides igitur apertis-
 simè oportere regem legi obedire, eamq; semper memoriā
 tenere. Quo enim die rex fuerit constitutus, debet legē sus-
 mere, & iuxta eam gubernare. Nec solum literæ diuinæ
 hoc dicunt, sed etiam gentium philosophi contestantur. In
 interrogatus Bias quisnā esset verè princeps, eū respōdit. qui
 primus se legi subiiceret. Et rectè quidem, nam, vt ait Pinda-
 rus: lex est omnium mortalium reginas quem locum refert
 Plato in eo dialogo qui Gorgias inscribitur. Et hac de re
 multa in primo dialogo de legibus, & aliis in locis disserit
 scitu dignissima. Nam cum iustitia sit finis legis, contēpta
 lege fieri non potest quin princeps iustitiam contemnat: cō-
 tempta autem iustitia, necessariò sequetur seditiosus ac tur-
 bulentus reipubl. status: ex quo constabitur regni pernicitas,
 & certissimus interitus. Ex quo colligitur obedientiam
 bono principi propriam & summè necessariā: Sed quoniā
 verbum hoc Sore significat fætere & putrescere, potest ver-
 ti ex Hebræo: Principes tui putridi seu fœtidi. Et id quod
 est apud Oseam 4. Separatum est conuiuium eorum, potest
 verti. Putidum seu fœtidum factum est conuiuium eorum.
 Nam vt in pisce, corrupto ac putrido capite totum corpus
 corrumpitur, sic in republica deprauato principe aliū in pra-
 uitate versantur. Qui videre vult sit ne piscis corruptus aut
 contaminatus, aspicit caput, hoc enim est quod prius labe-
 factatur & corrumpitur. Vis cognoscere reipublicę statum,
 intuere principem, contēplare caput. Si princeps iustitiam
 coluerit & pietatem, omniaq; ad rationis normam direxe-
 rit, videbis subditos legibus obedientes, animorumq; mo-
 tus rectæ rationis imperio sedātes. Contrā verò deprauato
 principe, turpi voluptate & effrenata dominandi cupiditate
 corrupto, videbis populum ab omnibus virtutum ornamē-
 tis destitutum, & indomitis appetitibus atque vitiis inflā-
 matum. Aduentu magorum ait D. Matthæus turbatum fu-
 isse regem Herodem, & omnem Hierosolymam cum illo.
 Turbato rege statim fuit tota ciuitas cum illo turbata. Cō-
 parat igitur diuinus vates rempublicā cum pisce, cuius cap-
 ut princeps est, corpus autem populus. Et significare vo-
 lens Hierosolymæ corruptelam, ait eius principes esse cor-
 ruptos.

Simile.

Matt. 2.

rapros & contaminatos.

Auferite malum cogitationum uestraram. In Hebraico est: *Auferite malum maalalicheim* quod potest etiam veriti: *Ope rum uestrorum*: & ita veriti Pagninus. Vel studiorum uestrorum: Omnia enim hæc dictio hebraica significat.

Argumentum Capitis Secundi.

Prædicit Christi Dei nostri aduentum è cælis in terram missi, vt hominū genus infinitis erroribus implicatū, & sceleribus astrictum doceret, & liberaret, eiꝫ viam veritatis ostenderet. Describit gentium vocationem, & Euangelicam pacem, & Iudæorum nefaria delicta, ob quæ eos in luctuosissimas miseras, & acerbissimas calamitates esse incursum, & Hierosolymam funditus euertendam prænuuntiat. Tandem Iudæos hortatur vt ab impietate & contumacia desistant, nolintq; Christum verum Deum & verum hominem falsis criminibus in interitum vocare.

CAPVT SECVNDVM.



VERBUM quod vidit Esaias filius Amos *Mich. 4.*

super Iudam & Ierusalem. Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit vos vias suas, & am-

bulauimus in seipitis suis: quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: Et constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei nostri. Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, qua repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philistiim & pueri alieni adhaeserunt. Repleta est terra auro & argento, & non est finis thesaurorum eius: & repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius idolis: opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir: Ne ergo dimittas eis.

EXPLANATIO.

Quoniam prædixerat Propheta capite superiore impiorum

rum Iudæorum venturum excidium, ac piorum hominum salutem & redemptionem: nunc explicat id futurum esse Christi tempore, quando euangelium prædicaretur, & multi ex Iudeis, pluresq; ex Gentibus in ecclesiam conuenirēt. Et vt fidem sibi consiliat, idq; certum & infallibile esse affirmet, ait: Verbum quod vidit Esaïas. Ac si diceret: Sequitur prophetia Esaïæ vera & certissima, nam ipse id, quod dicturus est, mentis oculis aspexit.

- Et erit in nouissimis diebus.*] Solet vetus testamentum tempus Messiaë dies nouissimos appellare. Cum Iacob eximius patriarcha & propheta ad exitum vitæ vocaretur, filios suos in hunc modum allocutus est: Congregamini vt annunciem, quæ ventura sunt in nouissimis diebus. Et conuersus ad Iudam, Non auferetur, inquit, sceptrum de Iudæ, & dux de stirpe eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Quæ verba intelliguntur de Christo, quem hic vult propheta nomine montis significare. Hi nouissimi dies sunt fines illi seculorum, de quibus ait
- 1. Cor. 10.* Apostolus in epistola prima ad Corinthios: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deueniunt.
- Gal. 4.* Hos seculorum fines & vltimam ætatem appellat idem Apostolus in epistola ad Galatas temporis plenitudinem dicens: Vbi venit plenitudo tēporis, misit Deus filium suum, &c. Et diuus Ioannes in prima epistola sua horam nouissimam dicens: Filioli nouissima hora est.

- Preparatus mons.*] Hic mons Christus est, qui vt est apud Danielē, lapis est qui abscissus est de mōre sine manib⁹, hoc est de virgine Maria sine humano opere, sed virtute Spūs sancti creuit in montē magnum, & repleuit terram. Hic est mons ille super quem edificata est ciuitas Dei .i. ecclesia, de qua ait Christus apud Matth. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Hæc ciuitas appellatur hic ab Esaïa domus domini, & Christus mons huius domus, in quo sita est Ecclesia. Est enim Christus ecclesiæ fundamentum, vt in epistola prima ad Corinth. Apostolus asserit. Idem etiā ecclesiam in epistola prima ad Thimotheum domū Dei appellat. Aspiciēs Esaïam statim in principio tractare de Messia, quod est eius præcipuum institutum.

In vertice montium.] Per hos montes & colles intelligit prophetas & patriarchas, cæterosq; sanctos, qui ob animi altitudinem & celsitatē montes appellantur, quia contemptis mundi

mundi illecebris & voluptatibus ferebantur in sublime, & charitate, sapientia, & contemplatione rapti in corporibus humanis vitam cælestem imitabantur. Sed filius Dei vnigenitus Iesus Christus Deus noster montes omnes transcendit & superauit, quod Propheta volens ostendere, dicit esse hunc montem, nimirum Christum, in vertice montium & collium: vt eius sublimitatē & excellentiā super omnes sanctos significaret. Poteris per mōtes eos sanctos intelligere, qui fuerūt excellentiori virtute & sapientia præditi: per colles verō eos qui ad tantā sanctitatis altitudinem non peruenerunt.

Et fluuius ad eum omnes gētes.] Tanta erit huius montis sublimitas & altitudo, vt sit vniuerso orbi conspicuus, & ad illum veniant omnes gentes, eius amplitudine, charitate, & excellentia excitatæ. Prædicat diuinus vates congregandā esse ecclesiam catholicam ex gentibus in magnā multitudinem, & coagmentandum esse corpus vnum pulcherrimum, cuius caput & magister est Iesus Christus, qui nomine mōris significatur, eiusq; finem esse per vniuersas terrarum regiones longe lateque propagandam. Plenum est vetus testamentum huiusmodi vaticiniis. Vnum tantum aut duo loca citabo. In psalmo scriptum est. Omnes gentes seruient ei. Et alio in loco: Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum. Vbi diuinus vates gentium vocationem præcinit, & de Christi regno vaticinatur, sub quo omnes gentes erāt ad veritatem venturæ. Est tamen aduertendum non dicere, Omnes homines veniēt. Multi enim ad Christum nō venerūt: sed omnes gentes. Nulla enim fuit gens, quæ non veniret ex omnibus quatuor mundi partibus, tam ex Oriente quàm ex Occidente, tam ex Meridie, quàm ex Septentrione: Non tamē omnes illarum gentium homines venerunt.

Venite ascēdamus.] Sedentes in peccatis ad Christum non veniunt. Oportet surgere, ire, & ascendere. Qui eūt ad Christum, ascendere dicuntur. Considera piorum hominum voluntatē, qui non solum propriam salutē desiderant, sed alios ad eandem cohortantur. Thesauri terræ cōmunicati exhauriuntur: at spirituales thesauri, quō magis communicantur, eo magis augentur. Ideo in Apocal. Ioannis hæc verba scripta sunt: Spiritus & sponsa dicunt, veni: & qui audit dicat, veni: & qui sitit, veniat. Nos igitur ascendamus, quæ sursum sunt querentes, non quæ super terrā, & alios ad altissimarum rerū contemplationem & seruentem charitatem inuitemus.

Psal. vi.

Psal. 52.

Et docebit nos vias suas.] Ut nos doceat vias suas, oportet ascendere ad eum tanquam ad caelestem doctorem. Prius vias Dei discere debemus & postea in illis ambulare. Et obserua has vias Christi non docere nisi in domo Dei Iacob, quæ est ecclesia catholica columna veritatis: nam extra eam nec est fides nec salus. In ecclesia magister est Christus, qui nobiscum est usque ad consummationem seculi. Væ illis qui tale respiciunt magistrum. Extra ecclesiam magistri sunt homines impij & seductores, à diabolo edocti & decepti quemadmodum fuit nostris temporibus Martinus Lutherus infamia nostri seculi, homo impius & pestilens, natus ad seditionem, natura factiosus, & perniciosarum nouitatum amarissimus. Ad huius amicitiam conuolauit Philippus Melanthon detestabilis hæreticus, cæteri que homines flagitiosi, ut suis vitis & voluptatibus seruirent. Et quod sine lachrymis dici non debet, in apertas Lutheri fraudes, & pestiferas atque diaboli cas hereses libentissimè iurarunt: vias autem Dei, quibus ad caelestem patriam peruenitur, dereliquerunt,

Quia de Sion exiit lex, & verbum Domini de Ierusalem.] Repetitio est: Lex enim & verbum domini idem est ac euangelium, quod hic aperte prædicatur. Nam lex vetus data fuit in monte Sinai, non autem in monte Sion. Euangelium verò exiit de Sion & Ierusalem. Hæc est noua illa lex, quæ dominus apud Ieremiam in cordibus nostris scripturum se esse pollicebatur. Dabo, inquit ille, legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Quæ locum D. Paulus in epistola ad Hebræos de euangelio interpretatur: Hierosolymæ prædicauit Christus, & docuit euangelium suum, & inde egressus est. Ideo non ait: In Sione & Hierosolymæ manebit verbum domini: sed exiit: ut de illo fonte omnes gentes significet esse rigandas, & non concludendum esse euangelium intra septem Hierosolymæ, sed longius esse progrediendum & propagandum: Non enim solum pertinet ad populum Iudaicum, sed etiam ad omnes gentes. Ideo eas propheta facit mutuo se horâtes, ut ad Christum ascendant, qui erat legem omnibus daturus.

Et iudicabit gentes.] Hoc est, dabit ius euangelicum gentibus. Vel iudicabit in iudicio discretionis, discernens qui sint boni, qui verò mali: & non omnes infideles pati poena damnandos, sed pro scelerum diuersitate diuersis tormentis cruciandos esse. Vel, iudicabit gentes, hoc est pro gentibus ad fidem conuersis sententiam feret contra calumniatorem demonem, easque in sua iustitia absoluet Non enim semper iudicare aliquem est

*Ierem. 31.
Hebr. 8.
10.*

est contra eum sententiã ferre, sed aliquando pro eo. Quod aperte indicat locus ille Dauidis in psalmo, Iudica me De-

Psal. 42.

& discerne causam meã. Vel vt potest etiam verti ex Hebraico: & defende causam meã. Vbi Dauid vir iustus pietate & sapiẽtia prãditus Deum orat, vt causam suã defendat, tumq; ab hostibus se liberet, à quibus se videbat falsis criminibus in inuidiã, & capitis periculum vocantẽ. Nec solũ hoc in loco, sed in alijs, inquit Esaias, Christum gẽtes iudicaturum. Ita enim ait cap. 9. Super solium Dauid, & super regnũ

Infra 9.

eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia Qui locus aperte de Christo intelligitur, Et capite

Infra 32.

trigesimo tertio: Implebit Sion iudicio & iustitia. Et cap.

Infra 48.

40. Iudicium gentibus profert. Et Ieremias in hunc modum inducit Deum patrẽ loquentem: In tempore illo ger-

Ierem. 33.

minare faciã Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiã in terra. Cũ his locis pugnare prima specie videtur id, quod ait Christus apud Ioannẽ: Non misit Deus filium

Ioan. 3.

suum in mandum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quæ verba falsã Iudæorum opinionẽ re-

darguant existimantium Messiam suam fore iudicem, regemq; terræ, quemadmodum fuit Dauid & Salomon. Ipse

Luce 18.

Christus verus Dei filius cuiusdã de quodam mundi negotio eũ interroganti respondit: Quis me constituit iudicem &

Ioan. 6.

diuiso rem inter vos? vt est apud Lucam capite 10. Et Ioannes refert eum aufugisse, cum eum regẽ vellent constituere.

Ioan. 18.

Et Pilato respondit, Regnum meum non est de hoc mũdo. Præterea Esaias cap. 16. nõ in iudicio, sed in misericordia præ-

Infra 16.

parandum esse Christi solũ prædixit, Præparabitur, inquit in misericordia solium eius. Et in Psalmo scriptum legimus:

Psal. 48.

Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Quauis hæc

authoritates cum superioribus pugnare videãtur, tamen attentius cõsiderare si voles videbis apertissimẽ nullã esse in-

ter eas repugnantiam. Nam quotiens in diuinis literis hæc quæ voces copulantur, iudicium & iustitia significare solent non

rigorẽ iuris, nec iustitiam, quam vindicatiã appellãt, sed excellentem quandam administrandi viam & rationẽ cum

omnia ordine gubernantur, & ad rectã normam dirigitur, quod maximẽ conuenit excellentissimo illi rerum om-

nium moderatori & conseruatori Deo, nostro, cuius consilio & sapientia mundi pulchritudo regitur & conseruatur.

& quoniam hæc optima administrandi via in regno Christi

conspicitur, ideo prædictũ fuerat à sanctis vaticibus eum im-

pleturum

pleturū esse Sionem iudicio & iustitia, hoc est ecclesiā suam
 præclare gubernaturum Quæ gubernandi ratio non repu-
 gnat, nec aduersatur misericordiæ. Præterea iustitia accipi-
 tur in scriptura sæpe pro iustificatione, quando gratia Dei
 iustificamur, de qua iustitia possunt explanari auctoritates
 prædictæ, quæ de iustitia loquebantur. In hanc significatio-
 nem eam accipit Apostolus, cum ait in Epistola ad Roman-
 um, Iustitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidē. Et in alio capite.
 Nunc autē sine lege iustitia Dei manifestata est: iustitia autē
 Dei per fidē in Iesum Christum. Et ad Galatas: Si per legē
 est iustitia, Christus igitur gratis mortuus est: Et iustitia in
 hac significatione nequaquā misericordiæ aduersatur. Imò
 fieri non potest, vt sine Dei misericordia quis à peccatis re-
 surgat & iustificetur. Iudiciū etiam sæpenuero significat
 actionē, qua quis seipsum iudicat: quemadmodū ait Apo-
 stolus: Si nos ipsi iudicaremus, non vtique Domino diuidi
 caremur. Significat etiā ipsorū scelerū damnationē: cum e-
 nim peccator eripitur, dānatur peccatū. Deus, inquit Apo-
 stolus mittens filiū suū, de peccato damnauit peccatū. Hoc
 autē iudiciū, quo damnantur peccata, non est absq; Christi
 gratia & misericordia. Colliges ex his Christi aduentū non
 fuisse in hominū iudiciū & dānationē, sed scelerū, de quo ea
 loca intelligūtur, quæ de primo Christi aduētū loquebātur.
 Ita poteris intelligere id, quod ait Christus apud Ioannem:
 Ego in iudiciū veni in mūdū. Et in alio capite: Nunc iudiciū
 est mundi. Igitur hic locus Esaiæ: Et iudicabit gētes, & ille:
 Iudiciū gētibus proferet, & similes, hūc possunt habere sen-
 sum: Christus in ecclesia gentes ad fidē conuersas rectē ac
 pulchrē gubernabit. Vel ita. Christus gentes iustificabit. Vel
 gentium peccata damnabit. Aspicias igitur etiam in his locis
 quæ pugnare videbantur, maximam coherentiam & con-
 cordantiam inueniri.

Et arguet populos multos.] Arguisse Christum Iudæorum
 scelera planē indicat euangelica historia. Nec per se solum,
 sed etiam per discipulos suos. quibus spiritum sanctum pro
 mittens dixit: Cum venerit ille, arguet inmundum de pecca-
 to, &c. Hoc est, vos discipuli mei Spiritu sancto inflamma-
 ti mundi scelera arguetis. Aspicias hic scelera reprehendere
 esse munus Dei eiusque concionatorum. At multi sunt, qui
 improborum scelera regentes, & dissimulantes, & quod pe-
 ius est, laudantes, in hominum piorum vitam inuehuntur.

Et conflagrabit gladios suos in vomeres.] Descriptio est fu-
 turæ

Rom. 1.
 Rom. 7.
 Galat. 1.

Rom. 8.
 1. Cor. 11.
 Rom. 8.

Ioan. 9.
 Ioan. 12.

Ioan. 16.

turæ pacis. Ac si diceret: Tempore Messis magna pax spiritalis vigeat. Id prædictum fuerat in psalmo, Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Nam viri iusti & p̄i in medijs afflictionibus & calamitatibus spirituali & euangelica pace gaudent, quam impij nullo modo assequuntur. Vbi est gratia ibi pax est. Eam ob causam diuinus Paulus in exordio suarum epistolarum gratiam & pacem precatur: pax enim sine gratia esse non potest. De hac Christi pace intelligitur id quod dicitur in psalmo, Audiã quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam; & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Viderat vates non omnes hanc euangelicam pacem esse habituros, ideo ait, Super sanctos suos, & super eos qui conuertuntur ad cor. Hanc pacem cælestes annuntiarunt, quando nascente Christo cecinerunt, Gloria in altissimis, Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc est pax illa, quam Christus moriturus in testamento suo discipulis suis reliquit dicens, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Sed considerandum est cur describens hoc in loco Esaias hanc euangelicam pacem, dicat constandos esse gladios in vomeres, & hastas in falces conuertendas. Diuus Paulus in epistola ad Romanos, Non exhibeatis, inquit, membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquã ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Dei. Ex quibus verbis Apostoli apparet membra hominis flagitiosi esse gladios & hastas, qui bus animã suam sauciat & vulnerat, cum deberet esse arma iustitiæ, quibus aduersus vitia pugnaret, & in quibus Deum portaret, iuxta id quod ait idem Apostolus, Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Nihil igitur aliud est, gladios in vomeres cõuertì, & hastas in falces, quam sensus omnes, omniaque nostra membra, quæ sine Christi gratia in homine flagitioso arma sunt diaboli, mundi & carnis, quibus anima nostra transfigitur, effici vomeres, agrum domini operibus charitatis scindentes & arantes, vertiq; in falces, fructus pietatis Deo gratissimos metientes. Et hoc modo spiritali atque euangelica pace gaudebimus. Coercebit ratio appetitum, & omnium nefariarum cupiditatum ardorem sedabit. Sunt qui hoc referant ad pacem, quæ fuit tempore Augusti, quando Christus natus est: Tunc enim Iani fores Romæ clausi sunt, quod nisi in summa pace fieri non solebat.

Psal. 71.

Psal. 85.

Luc. 2.

Ierem. 14.

Rom. 6.

1. Cor. 6.

D

DOMINE

Domus Iacob venite. Prædixit propheta montem illum altissimum Christum Deum nostrum, qui venturus erat, vt nobis viam veritatis ostenderet, & in ea gressus nostros dirigeret. Prædixit gentium vocationem, euangelicam pacem, ac spiritus tranquillitatem: nunc se ad populum suum conuertit, quem domum Iacob in præsentem vocat. Inuitat igitur Iudæos, & horratur vt accedant ad Christum, recipiant euangelium, & ambulent in eius lumine, doctrina & veritate. Nos verò ommissis Hebræis ad nos ipsos sermonem conuertamus. Nos qui hæcenus Deum offendimus, qui indomitæ cupiditatibus incensi, fuimus in magna prauitate versati, qui in tenebris iacuumus peccatorum, accedamus ad veram lucem, eamus, ambulemus in lumine Dei nostri. Accedite ad eum, inquit d. uinus Psaltes, & illuminamini. Non enim patietur Deus nos lumen sapientiæ requirentes oberare, quin potius oculos nostros aperiet, & erratibus viam consequendæ immortalitatis ostendet.

Psal. 33.

Proiecisti enim. Sensus est. Eã ob causam Hebræos horret domine Deus, vt mecũ tui luminis fiant participes, quia eos video in tenebris versari, tu enim propter eorum scelera eos proiecisti. Quæ autem ea sunt scelera explicat cum ait. Quia repleti sunt, nempe peccatis, vt olim quando vitulum coluerunt, scq; nefariis vitiis cõtaminauerunt, & auguriis, magicisq; artibus more Palæstinorũ coinquinãrunt. Præceperat enim Deus illis, ne talibus artibus vterentur.

Deut. 18.

Pueri alienis adhaferũt. Quidã hoc de turpissimo cõtra naturam crimine explanant. Quidam verò de idololatria. Ac si diceret: Iunxerunt se Iudæi gentibus idolorum culticibus, vt simul cum illis idola colerent. Qui enim idola colunt, alieni à Deo in scriptura sancta dicuntur. Poterit itã explanari, Communicauerunt cum alienigenis in fidelibus, eorũmq; familiaritate & consuetudine vfi fuerunt, quod erat illis prohibitum.

Matt. 6.

Repleta est terra argento & auro. Damnat auaritiã. Nemo enim, vt ait Christus, potest seruire Deo & mammonæ. Et quoniã auarus nunquã satiatur, inquit, thesaurorum non esse finem, hoc est, nunquã expleri sitim cupiditatis. Quò enim magis auari diuitiis abundant, eò ardentius eas appetunt. Auarus, vt ait Salomon, non impletur pecunia. Animaduerte, non dicit repletum est cor auro & argento, sed repleta est terra. Fieri enim potest, vt terra impleatur diuitiis, & hominis auari animus nunquam implebitur?

Eccles. 5.

Non

Non sine causâ Plato & Architas Tarentinus animû homi-
nis cupidi perforato vasi similè esse dixerunt, ob insatiabilè
atq; infinitam voraginè appetendi. Totus mundus cor ho-
minis non implet, quoniam mundus figurâ habet forundâ,
cor verò pyramidalem. Est enim perspicuum figurâ sphæ-
ricam pyramidali non quadrare. Tunc satiabimur; cû Deo
fruemur in gloria. Satiabor, inquit vates sanctus, cum ap-
paruerit gloria tua. Cû igitur caducæ diuitiæ non solum
animû non explèat, sed indies accendant, cur eas tantopere
concupiscis? cur Deo neglecto ad eas aspiras & raperis in-
credibili cupiditate inflâmatus? Cur quæris thesauros in ter-
ra, cum patrem habeas in cælo? Pereunt Christi pauperes
fame & nuditate, premuntur inopia, & ærumnarum an-
gustiis, & tu pecuniam, qua illi poterant viuere, in arcula
recondis. Nonne intelligis te habere inclusam vitâ paupe-
rum? Quid dico? sepultam. Quid est arcula auari nisi sepul-
chrum, vbi sepelitur vita pauperum? Cur sepelis vitam?
Sed quid loquor? imò cur sepelis teipsum? Gazophylacium
tuum tumulus est tui ipsius. Vbi est thesaurus tuus, ibi
cor tuum. Non ego hoc dico. Ille hoc asserit, qui fallere nō
potest, qui est ipsa veritas. Cû autem thesaurus tuus se-
peliatur, apertissimè colligitur te ipsum esse cum eo sepul-
tum. Aspice quid hoc loco dicat Esaias, asserit eam ob cau-
sam esse populum à Deo proiectum, quia repleta erat ter-
ra auro & argento, nec erat thesaurorum finis: est enim
auaritia, vt ait diuus Paulus, idolorum seruitus. Et in alio
loco asserit cupiditatem esse omnium malorum radicem.
Vt terra quæ auri & argenti venas habet, aliis in rebus ste-
tilis est & inculta, si auari diuitiis affluentes metallâq; in a-
nimo porta res nullum bonum fructum producere con-
sueuerunt. Fit enim plerunq; vt magnas diuitias insolentia
& impietas consequantur.

Simile.

Psal. 102.

Simile.

Matt. 6.

Collos. 3.

1. Tim. 6.

Simile.

Equis.] Respuit Deus & redarguit fastum, & superua-
canam equorum multitudinem. Idem scriptum legimus
Deuteronomij capite 17. Vult Deus vt in ipso, non autè in
equis & quadrigis, & apparatu militari, omnem nostram
fiduciam collochemus.

Incurrauit se homo, & humiliatus est vir.] Per hominè intel-
ligit eum, qui est obscurus, & humili loco natus, per virum
verò, nobilè & illustri laude celebratum. Ait igitur rãple-
beios quàm magnates idola coluisse, & ad sculpitilia, quæ
ipsi fixerant, supplices accessisse, verumq; desi repudiasse.

D 2 Ne

Ne ergo dimittas eis.] Non est imprecatio, sed vaticinium. Non petit à Deo ne parcat Iudæis, sed vaticinatur non esse Deum peccata illis condonaturum, quoniã ipsi in sua prauitate & pertinacia erant permanſuri. Eodẽ modo id quod dixerat regius vates: Fiant eius dies pauci, & episcopatum eius accipiat alter, non fuit imprecatio, qua obſecraret Deſi vir ſanctus, vt aliquem tali pœna mulſtaret, ſed fuit vaticinatio prædicens excidium Iudæ & Matthiæ electionem. Ita enim locum illum interpretatur in Actis Apoftolorum, eorum princeps & eccleſiæ paſtor. Sunt præterea multa alia eiufmodi in diuinis literis, quæ nõ ita accipienda ſunt, quaſi mala imprecetur, ſed ea prædicunt vates. quæ mentis oculis ventura eſſe intuebantur. Huic expoſitioni fauet verſio Pagnini, habens, Et non parces eis. Non dicit: ne parcas, ſed non parces.

Pſal. 108.

Actor. 1.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris domini, & à gloria maiestatis eius. Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem dominus solus in illa die. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelſam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharſis, & super omne quod viſu pulchrum eſt. Et incuruabitur omnis ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum.

Ingredere in petram.] Hortatus eſt Propheta Iudæos, vt in Chriſtum crederent, ſed quoniam præiudicauit eos in ſua infidelitate & perfidia permanſuros, innuit eorum peccatum nulla venia dignum eſſe, & eam ob cauſam eſſe Hieroſolymam à Romanis euertendam. Hoc intelligens Eſaias hortatur eos, vt ingrediantur rupes, ſeq; ab exercitu Romanorum in ſpeluncis & cauernis ſubterraneis abscondant. Huic timoris & vaſtatis meminit diuus Lucas, apud quem ita Chriſtus ait, Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Quidam hoc intelligunt de euerſione Hieroſolymæ per Chaldæos. Nos in noſtris ærumnis ingrediamur petram: petra autem Chriſtus eſt. Ad eum confugiamus, ingrediamur in eius vulnera, vbi refugium inueniemus, & portum tutiſſimum cõtra omnes huius mundi procellas & tempeſtates.

Luc. 23.

1. Cor. 1.

A facie timoris Domini.] Vaſtatem Hieroſolymæ domini timo-

ni timorem appellat, quoniam ibi se ostendit Deus iratum & valde timendum. Appellat etiam gloriam maiestatis eius, quoniam ipse per Romanos Iudæis infidelibus, omni- que scelerum genere astrictris interitū & perniciem inferebat. Tunc enim Deus suam potentiam & gloriam ostendit quandō impios opprimit & evertit. Id indicat paulo post verbis aliis.

Oculi sublimis hominis humiliati sunt.] Describit Hierosoly-
lymæ luctuosum excidium. Ibi, inquit, non solum homi-
nes obscuri & abiecti in gemitu & lachrymis versabuntur,
sed etiam nobiles & potentes in ærumnas incident acerbis-
simas. Supplicio & interitu pœnas suæ impietatis luent, &
tota ciuitas ferro & flamma vastabitur, & funditus debili-
tur. Vitur præteritis pro futuris, & multis aliis in locis, &
vt prophetiæ certitudinem ostendat, quemadmodum mos
est prophetarum.

Exaltabitur autem.] Iudæi abiicientur & prosternentur:
solum autem Deus magnus & sublimis apparebit, cum ab
eius ira nullus Iudæorum possit fugere nec liberari. Idem ait
capite quinto iis verbis, Exaltabitur dominus exercituum
in iudicio, & deus sanctus sanctificabitur in iustitia. Non
differt ab hoc testimonio id, quod iis verbis canit clarissi-
mus vates, Cognoscetur dominus iudicia faciēs, in operibus
manuum suarum comprehensus est peccator. Quidam hoc
referunt ad extremum iudicium, quorum sententiæ etsi non
reicio: nō tamen ita amplector, vt eam priori antepo-
nam.

Dies Domini exercitusuum.] Sensus est: In excidio Hierosoly-
mæ omnes elati, diuitiis affluentes, & potētia præstantes, in
quos oculi omnium erant coniecti, ferro, aut flammæ, aut
capriuitati subiiciētur. Eos comparat propheta cedris, quer-
cubus, montibus, collibus, turribus, muris, nauibus Thar-
sis, & rebus aliis pulchritudine sua oculos videntium oblectan-
tibus. Diem domini exercitusuum super omnem superbū ap-
pellat Iudæorum vastitatem, quos cedrorum nomine vo-
cat. Nec est nouum homines improbos & elatos cedris Li-
bani comparari. Vidi inquit Dauid, impium superexaltati,
& eleuatum sicut cedros Libani. Et Zacharias, Vlula, in-
quit, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati
sunt. Significari autem nomine quercuum Basan homines
diuites, ostendit eodem loco Zacharias dicēs: Vlulate quer-
cus Basan, quoniam succifus est saltus munitus. Quasi di-
cēt: Plorate vos qui diuitiarum copia abundatis, quoniam

*Infras.
Psal. 2.*

*Psal. 44.
Zach. 11.*

Hierosolyma delebitur bello luctuosissimo vestris sceleribus confato. Illud est sciendum, Libanum, vt ait D. Hieronymus, montem esse altissimum Phœnices: Basan verò regionem esse Arabiæ, cui imperauit Og, qui appellatus est rex Basan.

Et super omnes montes.] Nomine montium significari homines improbos ostendit locus Ezechielis ita habens: Hæc dicit dominus Deus montibus & collibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdent excelsa vestra. Intelligi etiam eosdē per turres significat locus apud Esaiam cap. 30. inquit: Et erunt super omnem montē excelsum, & super omnem collem eleuatum riuus currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. Hoc est, Dabit tibi Deus bonorum abundantiam, cum adeptus fueris victoriam, & hostes tui fortissimi contuerint. Fortitudine quoq; & potentia pollentes murus appellantur. Ita apud Ieremiam: Ego dedi te murum æreum super omnem terram. Appellatur præterea naues, vt est apud Esaiam. Vlulate naues maris: quod alij verterunt, naues Tharsis. Non naues vlulant, sed homines nauibus comparati. Vides igitur locos e media scriptura depromptos & repetitos, ostendentes homines potentes & diuites cedris Libani, quercubus Basan, montibus, collibus, turribus, muris, & nauibus Tharsis esse comparatos.

Et incuruabitur omnis sublimitas hominum.] His verbis ostendit præcedentia ab hominibus dicta esse.

Et eleuabitur Dominus solus in die illa.] Et idola penitus conterentur. Et introibant in speluncas petrarum, & in voragine terre à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. In die illa proicit homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas & vesperitiliones. Et ingreditur scissuras petrarum, & in caernis saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus est, quia exorsus reputatus est ipse.

Idola penitus conterentur.] Fuisse sæpe Iudæos idolorum cultores, & vitii terribilis contaminatos, & eã ob causam fuisse à Chaldeis captos & afflictos, est omnibus vetus testamentum legentibus planum & perspicuum. Prædicat ergo Esaias in Illa Hierosolymæ vastitate per Chaldeos esse idola in quibus Iudæi spem suã collocauerant, cõterenda. Poterit etiã hoc de euerfione per Romanos explanari, & per idola pos-

la possunt intelligi diuitiæ. Id enim in quo quis beatitudinē constituit, & quod colit, relicto Deo, potest idolū appellari. Et D. Paulus auaritiā, idolorū seruitutem appellat.

*Ephes. 5.
Colos. 3.*

Cum surrexerit percutere terram. Id est, cum Deus euerterit Hierosolymam. Potest etiam de extremo iudicio intelligi. Existimo tamen apertiorē esse primā interpretationē, quoniam in principio capitis nō ait se super vniuersum orbem, sed super Iudam & Hierosolymam vaticinari.

In die illa proiciet homo idola. Tantus erit metus, vt homines diuitiarū suarū, & idolorū auri & argenti obliuiscātur, dummodo vitæ consulāt. Hæc idola appellat talpas & vespertiliones. Ad id amentię & cecitatis perducti sunt Iudæi, vt imagines colerent serpētium, & aliorū brutorum animalū. Vide quid adorabant, talpas & vespertiliones, animalia cæca, abiecta, & inutilia. Cum ipsi in tenebris iacerent ea colebant animalia, quæ solem videre nequaquā possunt, eisque preces & cultus sanctissimo numini debitos adhibebant.

Et ingredietur scissuras petrarum. Repetit id quod dixerat, vt firmiter in memoriā auditorū in hereret. Opus enim erat vt tantæ calamitatis memoriā nulla vnquā deleteret obliuio. *Quiescite ergo ab homine.* Epiphonema est totius huius capituli. Ac si diceret. Quoniam in nouissimis diebus ostenditur mons ille altissimus ecclesiæ fundamentum, omnes alios montes faciliē superans, ad quē cōcursuræ sunt omnes gentes eius celsitate & amplitudine excitatæ, quoniam laturus est nouam legem, quoniā vos o Iudæi, si eum nō receperitis, estis in luctuosissimū excidium incursum, & in perpetuas tenebras relegandi: quoniā venient dies in quibus Hierosolyma ob vestra impia facinora est penitus euertenda: vos magnopere hortor ne Messiam vestrum ad interitum vocetis. Quiescite ergo offendere hominem, cuius spiritus in naribus est, id est, qui irā suā vobis ostendet: quia excelsus reputatus est ipse, hoc est quia magnus & potens est qui vos poterit faciliē vastare. Habere spiritum in naribus est iratum esse. Dicens: Quiescite ab homine, ostendit Christi humanitatem, dicens autē, Quia excelsus reputatus est ipse, ostendit eius sanctissimū nomen. Ac si diceret: Videte ne Christū contemnatīs verū deum & verū hominem, qui iratus poterit vos faciliē perdere, & omnē vestram reipub. labefactare & penitus extinguere. Potest hoc etiam ita explanari: Quiescite à Christi blasphemis, qui etsi in naribus habet spiritum, hoc est, etsi homo est & spirat, & halitum naribus tra-

Simile.

hit, vt ceteri homines: tamen secundum diuinā maiestatem excelsus est & altissimus. Preuidebat diuinus vates esse Hierosolymā ciuitatē florentissimam euertendam ob Iudæorū in Christum odium & impietatē. Vt enim in seminibus causa est plantarū, sic luctuosissimi excidii Hierosolymę causa fuit scelus illud teterrimum & impiissimum, quod in Christi nece admiserunt. Et eam ob causam eos hortatur Propheta, vt saltem cū se viderint afflictos, contemptos, omni ignominia & dedecore notatos, suumq; statū labefactū & radicitus euulsū, oculos aperiant, & aspiciant aliquādo se ob suam impietatē in tā acerbis ærumnis versari, & desistant à sua contumacia non à magnitudine animi orta, sed à malitia, perfidia & superbia inducā. At obstinati homines nolunt moneri, nec se hoc saluberrimo prophetæ cōsilio inruere: imò in suis synagogis Christum blasphemāt, & in suis animis iterum atq; iterum occidunt.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT II.

Psal. 70.

Repleti sunt olim.] In Hebræo est maleu mikkedem. Nomē significat antèrius, initium, antiquum, vt in psalmo: Cogitavi dies antiquos. Vnde accipitur aliquando aduerbialiter, & significat olim, in quam significationem accipitur ab interprete nostro. Sed quoniam mundi pars orientalis appellatur anterior & mundi principium, quemadmodum occidentalis appellatur posterior, & mundi finis, ideò hoc nomē pro oriente siue orientali plaga accipitur, vt Numerorum 23. De montibus Orientis. Et illud Exodi, flante vento vehemēti, poterat verti, flante vento orientali: est enim ibi hoc nomen. Hac ratione ductus conuertit in hunc modū Pagninus, Superstitione repleti sunt præ Aramæis, qui sunt ad orientem Israëlī. Multa verba addidit quæ nō sunt in hebræo, vt sensum, quem hebræo contextu inclusum putauit, exprimeret. Nō enim verbū ex verbo transitu lit, vt nonnulli existimant, sed sæpè potius ad sensum, quàm ad verba respicit. Poteris vertere. Repleti sunt præ Chaldæis, subaudi superstitione, vel magica, vel peccatis in communi. Vel ita, Abundant magica plusquam orientales.

*Numer. 23.**Exod. 14.*

Et pueris alienis adhaeserunt.] In hebræo est: Vucialde nochrin iaspiku. Tota huius loci difficultas est in nomine hoc Ieled, ob eius æquiocationem. Significat enim puerum, vt 4. Reg. 4. Cernit autem puer. Quam significationē secutus

secutus est noster interpretis : significat etiam filium, vt i. Re-
 gum i. Hannæ autem non erant liberi . Deriuatur enim à
 Ialed, quod significat gignere & parere , Et quoniam cor-
 generat cogitationes , consilia , inuentiones , scientias , i-
 dedò omnia hæc ieladim appellantur . Vndè potest verti, Et
 cogitationibus, aut consiliis, aut inuentionibus, aut scientiis
 alienorum adhæserunt. vel se totos dediderunt. Reprehendit
 Iudæos, quia omisis diuinis monitis, contempta Dei le-
 ge, magicis artibus, & gentium superstitionibus operã da-
 bant: eorumq; consilia & inuentiones sequebantur, quæ eos
 à vera virtutis via, ab honesta viuendi ratione, & à religio-
 ne ac pietate abducebāt. Hoc deplorabat alius propheta di-
 cens, Et cōmisti sunt inter gentes, & didicerunt opera corū,
 & seruiuerunt sculpsitilibus eorū , & factū est illis in scandalū.
 Pagninus vertit, in sciētis alienis fuerūt sufficētes. Sed quo-
 niam nomen Ialed significat etiā imaginē, potest rectissimè
 verti. Et imaginibus alienorū applauserunt, seu operã dede-
 runt. Cotidie enim nouas imagines, noua idola & simula-
 chra conficiebāt, nulla erant gētium sculpsitilia, nulla idola,
 quæ Iudæi non colerēt . Est enim impiū scelus imagines la-
 tria adoratione, quæ soli Deo debetur, adorare. Quanquā
 est piū & debitū sanctorum imagines venerari & suscipere,
 non tanquā idola, sed tanquam eorum representatrices, qui
 in hac vita Deo seruiuerunt, eorūq; in altera fruuntur.

¶ *Quia excelsus reputatus est ipse.*] Pro quia excelsus, est in
 hebraico Ci vammeh . Hæc dictio Bamah, significat ex-
 celsum , in quam significationem accipitur i. Reg. 9. Ante-
 quam ascendat excelsum : & in psalmo, Et super excelsa sta-
 tuens me: & aliis in locis. Quam significationem in præ-
 senti secutus est , & rectè quidem, diuus Hieronymus, qui
 ita transfulit, vt est in vulgata editione. Sed quoniam di-
 ctio Mah, significat quid, & Ba, significat in, existimauit
 Aquila hoc in loco esse duas dictiones, qua ratione addu-
 ctus transfulit, in quo dicens. Quia in quo reputatus est ip-
 se? Pagninus vertit, Quid enim reputationis est ipse? Ego
 credo multò rectiorem esse nostram versionem communē,
 & quia nomen hebraicū excelsum significat, vt ostendimus,
 & quia literæ textus magis congruit, & Christi celsitudinē
 & excellētiam ostendit. Miror Pagninū virum doctissimū
 hoc in loco & à vero sensu, & à veritate hebraica recessisse.
 Tolerabilior est Aquilæ versio hoc in loco. Sed primæ sunt
 cōmuni versioni, meo quidē iudicio, hoc in loco tribuendæ.

Psal. 109.

Psal. 17.

Argumentum capitis Tertij.

Prædicat diuinus vates Iudæorum excidium, eorumque reipub. turbulentū ac seditiosum statum, ob nefariam in Iesum Christum Deum nostrum ingratitude, & effrænatam immanitatem. Præcinit Dei iustitiam & misericordiā, ostendens esse impios suorum scelerum pœnas daturos, iustos verò præmiis afficiendos. Inuehitur in adulatōres. Minatur diem extremi iudicij. Tandem Hierosolymā luctuosissimam euersionem & vastitatem prænuñciat.

CAPVT III.



Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validā & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, & fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetā, & ariolum, & senē, principē super quinquaginta, & honorabile vultu, & consiliariū, & sapiētem de antheleth, & prudentē eloquij mystici. Et dabo pueros principes eorū, & effæminati dominabuntur eis. Et conuet populus, vir ad virum; & vnusquisque ad proximiū suū. Tumulabatur vir contra senē, & ignobilis contra nobilē. Apprehēdet enim vir fratrem suam domesticum patris sui, & dicit: Vestimentū tibi est, princeps; esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebūq; in die illa dicens: Non sum medicus, & in domo non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me principem populi.

EXPLANATIO.

Ecce enim. Hortatus fuerat Iudæos propheta Esaias in fine superioris capitis ne Christum offenderēt. Nā et si verus homo esset, excelsustamen est: verus enim est Deus, splēdor gloriæ, vt inquit D. Paulus, & figura substantiæ eius. Ipse est infinitæ sapientiæ pelagus, & illa dei sapientia, de qua idem Paulus, Loquimur, inquit, Dei sapientiā in mysterio, quæ abscondita est, quā prædestinauit Deus ante seculā in gloriam nostram. Et quoniam Esaias diuini luminis radio illustratus sciebat Iudæos non esse Christum recepturos, prædicat hoc capite excidium, quod illis eam ob causam venturū præuidebat. Et est sensus. Quoniā vos o Hebræi contempturi estis Messiam vestrū, ideo in luctuosissimam calamitatē incidetis. Auferet à vobis dominus viros fortes, prophetas, nobiles, prudentē

Hebr. 1.

1. Cor. 2.

prudentes, cōsiliarios, & eloquentes, & regnabunt pueri, & labefactabitur Reipublicæ status, & tota deniq; ciuitas corruet, & funditus debetur. Quæ quidem ego non existimo Esaiam sine lachrymis scripsisse. Nam cum ille Hebræorum populus in maxima celebritate, & in oculis cæterarum nationum quondam vixisset, neque esset natio vlla tā ampla & illustris, quæ deos præsentis haberet quemadmodū Hebræi deum suum præsentem, & in votis ac precibus occurrentem habuerunt, & vidisset eos religionem impiè violaturos, & in summā calamitatem incurturos, non possum credere, eum cum hæc literis mandaret, potuisse lachrymas continere. Videbat enim fore vt funditus deleteretur respublica illa Hebræorū quondā florentissima, quia nulla alia fuerat vnquam & prudentiæ opinione grauior, & sapiētia illustrior, & rerū gestarū gloria præstantior. Sed fuit æquū, vt Iudæi, qui veram lucē neglexerunt, qui lumen illud de lumine Christi deū nostrū repudiarunt, lumine cælesti priuati in te nebris versarentur & hostiles insidias, luctuosissimū excidium, infamiā, & dedecus, malorumq; omnium tempestatem declinare nequaquam possent. Sed fuerunt à Romanis victi & opressi, atq; amplissimis dei beneficiis orbatī. Quod ceteris propheta has voces emittit. Ecce enim dominator, &c. Particula enim, indicat hoc caput à superiore pendere.

Validum & fortem.] Abstulisse Deū à Iudæa omnes viros bellicosos, & corporis fortitudine præstantes asserunt aperte historiæ & antiquorum monumenta. Poteris etiā per validos & fortes eas intelligere, qui animi fortitudine valent, qui res arduas non corporis, sed animi viribus pulchrè agrediuntur appetitū vincētes, & aduersus vitia pugnātes, qui nec aduersis franguntur, nec prosperis eleuantur. Nec mirū est hos ablatos fuisse è Iudæa: vbi nanque Christus non est, ibi deest vera fortitudo. Solum ille, qui verè fortis est, potest dicere cū Paulo: Omnia possum in eo qui me confortat, hoc est, qui me fortē atq; potentē efficit. In te, inquit regius vates, eripiar è tētatione, & in deo meo transgrediar murmur. Philip. 4.
Psal. 17.

Omne robur panis.] Hoc est, spoliaturus est Deus Iudæos cibo & potu, quibus rebus corpus reficitur & sustinetur. Fuit enim in obsidione per Titū & Vespasianum, vt refert Iosephus, incredibilis fames. Per panem & aquā intelligi omne alimentū indicat locus libri quarti Regum cap. 6. ita habēs, Pone panem & aquā coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad domū suam, appositāq; est ciborum magna præparatio,

- 1. Reg. 14.** paratio, & comederunt & biberunt. Et lib. 1. Reg. narrat diuina historia, Ionathã comedentẽ fauũ mellis p̄ceptum patris fregisse dicentis, Maledictus qui comedit panem vsque ad vesperã: vbi vides nomine panis intelligi etiam fauũ mellis & omnẽ cibum. In hanc significationem accipitur e D. Luca dicente. Cũ introisset Iesus in domũ cuiusdã principis sabbato manducare panem. Nam apud Hebræos panis appellatur lechem e verbo lachã, quod significat comedere. Vnde quicquid comeditur, panis appellatur. Poteris etiam per hũc panem Christum intelligere de seipso dicentẽ. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendit. Hic est panis ille de quo Salomon in Prouerb. Iustus, inquit, comedit & replet animã suam, venter autem impiorum insaturabilis est. Quẽ locum D. Cyrillus de Christo interpretatur. Poterit p̄terea nomine panis verbũ Dei intelligi, vt hæc fames ea sit, de qua ait per alium Prophetam Deus, Ecce dies veniẽt, dicat dominus, & emittam famem in terram, non famẽ panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Qui tali fame laborant carentes epulis cœlestibus peregrinantur, & in Aegyptum descendunt, vbi Pharaoni deseruiunt. Refert diuina scriptura descendisse Abrahamum in Aegyptum, ibique fuisse peregrinatum: cumque Aegyptiũ Sarã eius vxorem viderent, eiusque excellentem pulchritudinem contemplerentur, eam Pharaoni tradiderunt. Qui, vt Abrahami merorem leniret, cum muneribus oblectauit. Fames hæc causa fuit, vt Abrahamus patriam relinqueret, & ingrederetur Aegyptum, vbi vxore rapta traditaque Pharaoni peregrinaretur. Etsi Abrahamus in descensu illo non peccauit, eorum tamen imaginem retulit, qui ad mundi vitia descendũt. Aegyptus mũdus est, Pharaõ diabolus, Sara anima nostra, serui Pharaonis illi animam nostram tradentes nostri effrenati appetitus sunt. Nos illi sumus, qui fame verbi Dei oppressi, amissa diuina lege in Aegyptum, hoc est, in mundi scelera descendimus vt ibi peregrinemur à vera patria & capta anima nostra ab indomitis appetitibus, & effrenatis cupiditatibus, diabolo seruimus nos falsis voluptatibus mulcenti, vt eius illecebris deliniti raptum animæ nostræ aut non sentiamus, aut saltem dissimulemus. In quibus verbis est magnoperẽ aduertendum, nõ dixisse scripturam Abrahamum in Aegyptũ iuisse, sed descendisse. Peccare enim descendere est, & in p̄ceptis ruere, Id existimo significare scripturã cũ refert dixisse Deũ Isaac, ne in Aegyptũ descenderet. Est etiã attendendum,

tendendū, & menti ac memoriæ mandandū, nō dixisse scripturā, vt ibi habitaret: sed vt ibi peregrinaretur. Cum morti fero peccato astringimur, à cælesti patria exulamur. At viri iusti et si corpore in terra viuunt, animo tamē in cælo cōmorātur. Id sentiebat diuinus ille Paulus dicens. Nostra conuersatio in cælis est. Et regius ac sanctus vates: Stātes erāt pedes nostri in atriis tuis Ierusalē. Vt enim Sol, licet terrā radiis contingat, in cælo tamen est, sic vir optimus, animi magnitudine & celsitate præditus etsi terram hanc pedibus terat, mente tamen ea, quæ cælestia sunt contemplatur, & ad eas æternas mansiones aspirat, ibique iam tanquam in patria quodammodo habitat, vbi illi in perpetuū viuunt, qui è corporum vinculis tanquam ex carcere ad oras illas beatas & immortales euolauerunt. Est igitur verbum Dei & sacra scriptura panis. Sed aduerte. Non dicit propheta: Auferet à vobis Deus o Iudæi panem & aquam sed omne robur panis & omne robur aquæ. Habent enim Iudæi panem & aquam, sed absque robore & fortitudine. Habent veteris testamenti scripturam, sed absque intellectu: quoniam Christum Iesum saluatorem nostrum in scriptura significatum amiserunt. Quare est eorum miseria & insania deploranda, qui in tanta panis abundantia filiquis porcorum vescantur, quæ nec famem illis expellunt, nec vires animi tribuunt.

Et iudicem.] Nam cum Romani imperium terrarum obtinerent, imponebant Iudæis reges & gubernatores, qui eorum causas iudicaret. Et hoc modo fuerunt Iudæi suis iudicibus priuati.

Prophetam.] Propter cædes prophetarum, aliaque scelera grauissima, in quæ Iudæi inciderant, fuerunt capti, & septuaginta annos in Babylonica captiuitate detenti: quo temporis non illis defuerunt prophætæ qui futura prædicerent, eoque consolarentur. At post Christi mortem nullū penitus prophetam habuerunt, Ex quo colligitur quanto grauius & tetrius fuit detestandum scelus, quod in Christi cæde admiserunt, siquidem propter illud fuerunt, prophetis priuati, & à Romanis capti & afflicti, & per totum orbem terrarum dispersi & vagi, plusquam mille & quingentos annos, viuentes sine propheta, sine rege, sine templo sine diuina oblectatione.

Ariolum.] Id est præscium, & coniectorem futurorum, qui coniectura, signis, & prouidentia, futura tanquam ex aliqua specula præuidet. Accipitur hoc in loco in bonam partem,

Philip. 2.
Psal. 122.
Simile.

partem, Septuaginta verterunt coniectorem.

Senem.] Eum, qui longo rerum experimento sapientiam fuit assecutus. Eam ob causam Thales Milesius, vt refert Laertius, tempus sapientissimum esse dicebat. Prædicit propheta spoliandam esse Hierosolymam omnibus ornamentis ad pulchrum & magnificum reipubl: statum pertinentibus. Vt enim aqua vino admista illud reddit moderatius, sic in republica senes adolescentibus admisti eos grauitate sua moderantur, eorum temeritatē & impetum coercentes. Poteris etiam hanc senectutē non ad annos & ætatem, sed ad virtutē & consiliū referre. In diuinis enim literis id sæpe significat senectus. Apud Iudeos multi senes reperuntur ætate, nullus tamē virtute & sapientia. Apud Danie-

Simile.

Dan. 13.

Num. 11.

lē duos senes inuenie, si caniciem respicias: iuuenes vero, si eorum effrenatā libidinem intuearis. Mosi præcepit Deus vt eligeret senes, quos sciret esse senes. Nō igitur canos, sed prudentes & virtute præditos intelligebat. Non enim ait: quos populus videt esse senes & canos, sed quos tu notui senes populi esse ac magistros. Canicies enim hominis est prudentia & virtus, & vt in libro Sapientiæ scriptum est, Cani sunt sensus hominis.

Sap. 4.

Principem super quinquaginta.] Ita vocabatur qui in bello quinquaginta militibus præerat, quemadmodum centurio qui centum. Est igitur sensus: Auferet à vobis Deus omnem virum qui bellum ducere & instituire possit.

Honorabilem vultu.] Hoc est grauem, quem populus vereatur, & cuius autoritatem suspiciat.

Consiliarium.] Id est non erit Hierosolymæ qui alios instruat consilio. In catalogum calamitatum, in quas Iudæi erant incursum, retulit propheta inopiam consilij. Nisi enim habeas, qui tibi cōsiliū copiā faciat, teq; monitis iuuet & instruat, facillē rues, & in errores varios incidēs. Si reipubl. gubernes, eā facillē labefactabis & scindēs. Nam vt gubernator nauis optimos querit nautas, & architecto peritissimos inquirat ministros, sic princeps & rector eos viros querere debet, quorū consilio vtatur, qui opibus sapientiæ floreat, & in excellentissimarū virtutum studia incūbant. Salomon ille, qui nō solum homines suæ ætatis, sed posterorū etiā, & antiquitatis memoriā sapientia superauit, ita in Proverbijs

Similia.

Proa. 13.

Proa. 15.

scriptū reliquit: Qui agunt omnia cum cōsilio reguntur sapientia. Et paulò post: Astutus omnia agit cū cōsilio. Et alio in loco: Dissipantur cogitationes, vbi non est consiliū: vbi verò

verò sunt plures consilarij, confirmantur. Homo absq; cõ- *Simila.*
 filio, est nauis gubernacula defuituta, omnibus ventorum
 agitationibus exposita. Sed in electione consiliorum est
 magna cura adhibenda. Non minor prudẽtia requiritur ad
 consiliũ petendum, quã ad dandum. Tales consilarios po-
 teris eligere, qui tibi perniciem moliantur. Eam ab causam
 dicit scriptura in lib. Ecclesiast. Multi pacifici sint tibi, & *Eccles. 4.*
 consiliarius sit tibi vnus de mille. Vt enim Zeuxis pictor in *Simila.*
 signis imaginẽ Iunonis picturus, inspectis puellis omnibus
 Agrigentinis quinq; solum elegit, quarum pulchritudinem
 imitaretur, vt viri docti approbatis historiis memorię prodi-
 derunt: sic a pluribus pauci nobis eligẽdi sunt quorũ consi-
 lio & sapientia instruamur, & quorũ vitã imitemur. Et quẽ- *Simila.*
 admodum preciosus adamas nihil amittit nec ex virtute,
 nec ex precio, si puro auro inseratur & copuletur, imò estĩ-
 mationẽ auget: sic viri prudentia non vilescit, si alieno cõ-
 filio nitatur: quin potius quò magis sapientiũ adhæret sen-
 tentiẽ, eò redditur illustrior & præstantior. Sed vt nõ deest
 excellentẽ gemmã cum sordido ferro coniungi, sic non de-
 cet ab hominibus impuris & insanis consiliũ suscipere. Eam
 ob causam referunt diuinẽ literã regẽ Roboam decem tri- *1. Reg. 12.*
 bus amisisse, quia repudiatis senibus iuuenes in consiliũ ad-
 hibuit, quibus libenter acquieuit Socrates apud Platonẽ in
 dial. qui inscribitur Theages, consiliũ rẽ sacram vocat.

Sapientem de architectis.] Quamquam hoc intelligitur de
 artificibus mechanicis, potest tamẽ ad spirituales magistros
 referri, qui ecclesiastici ædificij structuris præfunt. Talis er-
 rat Apostolus Paulus, qui de seipso, Vt sapiens, inquit, ar- *1. Cor. 3.*
 chitectus, fundamentum posui. Amisissis Iudæorũ archite-
 ctis omnis ædificandi gratia ad ecclesiam transata fuit.

Prudentem eloquii mystici.] Hoc est, oratorem eloquentẽ.
 Est enim perspicuum multum prodesse eloquentiam cum
 virtute coniunctam. Nam si præterita tempora respiciamus,
 & annalium memoriã replicemus, inueniemus fuisse multa
 bella eloquentia & dicendi facultate restincta, & firmis-
 simas societates atq; excellentes amicitias comparatas.

Et dabo pueros principes eorum.] A principio capitis vsq; ad
 hunc locum loquebatur propheta: nunc autem repẽte deus
 introducitur loquẽs more prophetarum, Non solum, inquit
 Deus auferã vobis viros fortes, prophetas senes, cõsiliari-
 os sapiẽtes, & eloquentes: sed etiam, quod est vestrã vanità-
 tis apertissimũ signũ, dabo vobis pro eis pueros & effor-
 minatos,

- Eccle. 10.** minatos, qui dominētur. Væ tibi terra, inquit Salomon, cuius rex puer est, & cuius principes manē comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescūtur in tēpore suo ad reficiendū, & non ad luxuriā. Et quemadmodū paulō ante senem non ætate, sed prudentia & virtute iudicandū esse dicebamus, sic hoc in loco de puero dicendum.
- 1. Tim. 4.** Timotheus adolescens erat, ait enim illi Apost. Nemo adoleſcentiā tuā cōtemnat: nihilominus tamē ab ipſo Apoſto. Episcopus constitutus est potius quā multi alii, qui cū annis & canicie anteibant, quoniam erat sapiētia & virtute canus. Quid opus est multis? Idem Apoſt. in epist. 1. ad eundē Timoth. describens Episcopi qualitates nullā omnino facit ætatis mentionē. Nam si episcopus est iustus, & pius, & prudens, senex est. Oportet tamen habere eam ætatē, quæ est à pontificio iure constituta. Lege primum Ieremiæ caput & videbis: Deū prophetæ dicēti se esse puerū ita respondente: Noli dicere, quia puer ego sum, quoniam ad omnia ad quæ mittam te, ibis. Illud est præterea aduertendum, vt ex hoc loco colligitur Deū permittere, vt iniqui homines imperēt, propter populi scelera. In libro Iob ita de Deo scriptum est: **Iob. 34.** Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.
- Et corruet populus, vir ad virum.* Hoc est vir contra virum. Regnantibus pueris, ablatis è medio senibus & sapientibus necesse est labefactari reipublicæ statum, & rerum sequi confusionem. Vbi non est gubernator, corruet populus, ait Salomon in Prouerbiis. Et alio in loco in iisdem Prouerbiis: Regnantibus impiis ruinæ hominum. Describit hic Esaias seditiosum ac turbulentum reipublicæ statum. Nullus, inquit, erit ordo, Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilē: nulla erit ratio nec ætatis, neq. dignitatis, nec sapientiæ. Pueri insolentes furore cæco cōmoti, magistratus potestatem sibi vindicabunt, & in senes, quos suscipere deberent, impetum facient: Hæc omnia acciderunt in obsidione Hierosolymæ per Romanos: cum populus, vt refert Iosephus, fuit in tres partes distractus & diuisus, & ad intestinas seditiones conuersus.
- Apprehendet enim vir fratrem suum.* Fratres in diuinis literis dicuntur non solum ex iisdē parentibus orti, sed etiam ex eadem familia. Abraham & Lot cū non essent ex iisdē parentibus geniti, sed ex eadem familia, fratres appellātur. Non est ergo necesse intelligere hunc locum de germano fratre, sed de cognato aut propinquo, Est igitur sensus: **Vnusquisq.**

Vnusquisq; volet regem constituere sibi propinquū & familiarē. Et dicent singuli singulis, quos viderint ditiores: **Quo** niam vestes habes, hoc est, quoniam opes tibi sunt, esto rex noster. Tuere nos ab hac miseria & ruina. Nō quærebāt publicā vtilitatē, sed omnia ad sua propria cōmoda referebāt. Vnusquisque eligere cupiebat nō eum, qui esset rebus gestis illustrior, aut virtute sublimior, aut sapientia præstantior, sed eum, qui cum esset familiaritate aut cognatione cōiunctior, vt suis propriis rebus consuleret: cum Deus in libro Deuteronomi ita dicat: Eum regem constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit. Animaduerte. Non dicit: quem tu appetitu ductus elegeris: sed quem Deus elegerit. Non enim Deus omnes elegit: ipse enim per Oseam inquit: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoraui. Tunc ruent congregationes, si in præsulibus eligendis vnusquisq; non Dei honorem, & communem vtilitatem, sed proprium commodū respexerit, Iudæi cū gubernarentur à iudicibus, hæc verba fecerunt Samueli, vt in lib. 1. Regū est literis mandatum: constitue nobis regē, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Qua petitione, vt ibi narrāt literę diuinæ, Deum grauitèr offenderunt. Non quod regē habere vellent, vt nonnulli dicunt, hoc enim aiunt esse illis permisissum: sed quia non Dei honorem, & iustitiæ conseruationem, sed propria commoda quærebant. Non dicunt: Cōstitue nobis regem, vt possimus Dei religionem melius conseruare: sed sicut vniuersę habent nationes. Ideo regē volebant, vt viuerent sicut gentes à vero Deo alienatæ. Videte quem regem constituere volebāt, qui eos suis voluptatibus & prophanis ritibus seruire permitteret. Et in libro Numerorum dicebant: Cōstituamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum. Attende quem ducem volebant, qui eos sine ret in Aegyptum reuertit: cum Deus Deut. 17. præciperet ne rex populū in Aegyptum reduceret. Væ illis qui tales eligunt præfules, qui illis permittant in Aegyptum, hoc est, ad tenebras, & mundi vanitates & voluptates reuertit: qui in electionibus non animarum salutem, sed corporis vtilitatem ab honestate seiunctam quærunt.

Respondebitque in die illa. Qui principem constituere desiderabunt, eum locupletiore[m] esse comparatione sui videbant: electus verò intuens sui inopiam & imbecillitatē, indignum se esse asseuerat, dicens se nec esse medicum, nec opibus abundantem. Tu verò qui præsul cōstitueris, aspice m[er]itum

E

seriam

Deut. 17.

Osee 2.

Numer. 17.

seriam tuam, & si neq; medicus es, vt possis animorum languoribus mederi, quin potius ægritudinibus laboras, nec diues es virtute & sapientia, vt possis esurientibus alimentum spirituale tribuere, cur præfecturam concupiscis? cur nō cessas magistratus ambire? cur dignitates perquiris? cur fragilitatem tuā non intueris? Quot hodie iunt, qui falsæ gloriæ dignitatis sui nullis agitati, se diuites & medicos iactant, amplissimis honoribus dignissimos se esse gloriantur: cum inopia & omni ægritudine laborent, sintq; omni dignitate penitus indigni. Fit enim, vt dū ambitiosi homines principatū ardentè appetunt & inquirūt, omnia ornāmēta verè dignitatis amittant. Dicant id, quod dicebat Moyses ille virtute & sapientia præstanti: **Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Aegypto?** Et paulo post: **Obsecro Domine mitte quem misurus es** Dicant id quod hic habetur: **Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nec vestimentum.** Hæc domus anima est, hic panis est salutæ doctrinæ, hæc vestis charitas est, de qua Christus apud Matthæum, **Quomodo** inquit, huc intraſti non habens vestem nuptialem? Et Petrus Apostolus. **Charitas operit multitudinem peccatorum.**

Exod. 3.

Exod. 3.

Matt. 22.

1. Petr. 4.

Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinventiones eorum contra dominum, et prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondebit eis: & peccatum suum quasi Sodoma predicauerunt, nec absconderunt. Ve anima eorum quoniam reddita sunt eis mala. Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit. Ve impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatae sunt eis. Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Sicut ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium venit cum senibus populi sui, & principibus eius. Vos enim depastis estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum.

Apo. 1.

Luc. 11.

Ruit enim Ierusalem.] Verba sunt Prophetæ causam reddentis cur homines oblatum imperium recursarent, quoniã tanta erat calamitas vt nullū propè remediū appareret. Dicit ergo tam calamitosi & crudelis excidiū causam fuisse Iudeorum impietatem & contumaciã, qui Deum linguis suis grauitè offenderāt. Vocauerunt eū Samaritanum, dæmonē habentem, seductorem & alia multa, quibus eius nomē gloriamq;

riamque extinguere conabatur. Docet hic locus peccata esse causam cur Deus tot ciuitates deleuerit, quæ olim florētissimæ extiterunt. Propter Græcorum scelera permittit Deus totam Græciam & sapientiæ & rerum gestarū gloria quondam celeberrimā, vbi vixerūt viri sancti, in omni virtutum genere excellentes, & sapientia præstantes, in manu impiorum Turcarum venisse. Deflexerant enim Græci ab insignibus antiquorum virtutibus ad vitia detestanda. Ideo fuerunt victi & capti à Turcis nominis Christiani hostibus acerrimis, magis nostris sceleribus, quàm suis viribus pugnātib⁹.

Ioan. 8.
Matt. 17.

Agnitio vultus eorum respondebit eis.] Hoc est, ex eorum vultu licebit conicere quales sunt. In tantam impudētiam incident, vt nihil dissimulent. Erunt non solū ab honestate, sed etiam ab honestatis simulatione relicti. Ac si dicat: Vultus eorū statim eorum scelera prodeat. Tacita corporis figura afferet cōiecturam esse nos sceleribus implicatos. Vel sic: Agnitio vultus eorum, hoc est dolor, qui agnoscetur & apparebit in vultu eorum, respondebit suis sceleribus. Quasi dicat: Quanta fuerit scelerum multitudo, tantā erit afflictio & calamitas; iuxta id quod est in libro Deuteronomiū scriptum: Pro mensura peccati erit & plagarum modus: Simili hebraismo & verborum exornatione vitur Oseas dicens: Vitis frondosa Israël, fructus adæquat⁹ est ei.

Deut. 7.

Oseas 10.

Ve anime eorum.] O homines infelices & ærumnolos, qui sibi ipsi erunt autores suarum miseriarum. Ob sua scelera in acerbissimas pœnas, & tenebras æternas relegabuntur.

Dicite iusto quoniam bene.] Sensus est: ne existimetis idē esse iudicium omnibus: nam pereuntibus impiis bene erit iusto, fructumque suarum inuentionum comedet. Sequitur: Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei, Hoc est, æternum supplicium recipient omnes impij, quemadmodum eorum scelera merentur. Vide quantā sit inter pium & impium differentia. Pius pabulo diuinæ consolationis in hac vita recreatur, & postea æternam beatitudinem consequitur: impius verò in hac vita, aut potius morte: sceleratorum enim quæ dicitur vita, mors est, tranquilla securitate caret, & postea seclusus à cœtu & consilio cœlesti iusti pœnis æternisque cruciatur. Quæ seminauerit homo inquit Apostolus, hæc & metet. Et alibi: Vniuersusque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et Dauid, Quoniam tu, inquit, reddes vnicuique iuxta opera sua. Bonis enim Deus amplissima bona constituit, iniquis verò

Gal. 9.
1. Cor. 3.
Psal. 61.

debita supplicia: Quorum alterum spectat ad iustitiam, alterum ad misericordiam.

Populum meum exactores sui spoliauerunt.] Exactores sunt, qui pecuniā & redditus exigūt. Prædicit propheta auaritiā & tyrānidem pharisæorum, qui populum spoliabāt, & eis, quorum tutores esse deberent, opes rapiebant, Lege caput Matthæi quintumdecimum, vbi eis Christus obiicit suas traditiones & auaridam.

Mulieres dominatæ sunt eis.] Cōtra id quod dicitur in libro Ecclesiastici: Ne des mulieri potestatem animæ tuę. Est igitur sensus: O infelicem rempublicā vbi mulieres obtinent principatum? Aspicias hic extremā esse perniciē, quando mulieres dominantur, & rempublicā gubernant. Sunt tamē nonnullæ excellentes, & in republica regenda mirabiles, sed de iis nō loquitur Esaias. Possumus per mulieres ipsos Pharisæos intelligere effeminos, lasciuos, & deliciis affluentes, Moraliter exactores dæmones sunt, qui nos virtutibus spoliāt, mulieres verō voluptates, quę tanquā blandissimæ dominæ animū à virtute detorquent, & omnes constantię neros elidunt. Nam dominante voluptate tēperantiæ nullus est locus, nec in regno voluptatis virtus potest consistere. Eleganter quidem & grauius appellatur voluptas à Platone malorum esca, quod ea homines capiantur veluti hamo pisces, sibi ipsis interitum molientes, vbi pabulum inuenire existimabant. Antisthenes Socraticus voluptatem esse malorum omnium causam in hunc modum ostendebat: Omnia mala proueniunt ex corruptione iudicij, cum autem voluptas sit huius corruptionis causa, apertè colligitur eam esse omnium malorum fontem & causam præcipuam. Contemnamus igitur pestiferas voluptates, & delicias lutum putemus, si volumus æternam voluptatem adipisci. Delicatus es frater, inquit diuus Hieronymus in quadā epistola, si & hic vis gaudere cū seculo, & postea regnare cum Christo. Pro mulieribus vertunt Septuaginta, exactores. Vtrumq; significat verbum Hebraicum. Potest etiam verti: feneratores.

Popule meus.] Reprehendit scribas & Pharisæos populum laudantes ob munera, quæ in templo offerebat: quam re eum decipiebant, & viam gressuum eius, hoc est rationē vitę dissipabant. In communi arguit omnes adulatores, qui homines impios etiam errantes laudibus efferunt. Hoc deplorabat Dauid, Laudatur, inquit, peccator in desiderijs

Psal. 9.

Psal. 140.

animę suę, iniquus benedicitur. Et alio in loco: Corripiet

me

me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autē peccatoris non impinguet caput meum. Vbi per oleum peccatoris intelligitur adulatio: Ideo alio in psalmo, Molliciter inquit, sunt sermones eius super oleum, ipsi autem sunt iacula. Fili, inquit Salomon, cum te lastrauerint peccatores, ne acquiescas eis. Et alio in loco: Meliora sunt vulnera diligētis: quā fraudulenta oscula odientis. Plus nocet lingua adulatoris, quā gladius acerrimi inimici. Plato ille, quem Panætius sapientissimum, quem Homerum philosophorum vocat, in Phædro adulatorem appellat bestiam humano generi pestilentem: & in Menexeno eum præstigiatori similem esse significat, quippè qui quocūq; latrone deterior à nobis rationem & iudicium abripiat & abstrahat: imò ipsa Circe ficta à viris sapientibus crudelior & perniciosior. Ea enim exteriora hominū in bruta transformabat, at adulator suis fallaciis & blandis lenociniis interiora transmutat. Cōtemnamus igitur adulationes, nec illis vnquam acquiescamus. Nam vt vmbra quicquid facis imitatur, si stas stat, si curris currit, sic adulator quocūque te veritas sequitur. Si taces laudat tuum silentium, si loqueris celebrat & admiratur tuā orationem, si gaudes fingit se voluptate perfundi, si premeris dolore mœstū se esse ostendit. In omnibus denique tibi respondet, teque comitatur, veluti linea mathematica, quæcum per se non detur nec recta nec curua, inflectitur tamen & producitur, & migrat pariter cum ipso corpore. Ex quo sequitur, vt qui laudibus efferitur, longè opinione fallatur, & in erroribus incredibilibus versentur. Nullum enim decoris splendorem, nullam veram celebritatē adulationibus consequuntur. Nam à crescente vmbra aut decrescente corpus ipsum nec augetur nec diminuitur, sic nec laudibus meliores sumus nec detractione amittimus splendore verè dignitatis. Quin potius cum sēpē videamus homines impios, omnique scelerum genere profligatos ab adulatoribus extolli, & à cæca atque temeraria multitudine celebrari, contra verò viros excellenti ingenio præditos, virtute & sapientia præstantes in silentio iacere, illustrius esse existimandū est ab impuris hominibus nullis laudibus efferri. Hac ratione adductus Antisthenes, vt est apud Laertium, cuidam dicenti: multi te laudant: respondit: Quid malè feci? Existimabat insignis Philosophus turpe esse à turpibus laudari: esseque præstantius in obscuritate latere, quā esse à talibus hominibus aliqua laude celebratū. Magnifica verò vox, &

*Psal. 54.**PROV. 1.**PROV. 28.**Similitudo.**Similitudo altera.**Tertia similitudo.**Quarta similitudo.*

tali philosopho digna. Intuens igitur Esaias quæ mala ex adulatione nascantur, in hæc verba prorupit: Popule meus qui te beatum dicunt ipsi te seducunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Tu qui Christianus es, & euangelicus concionator, ne populū laudibus decipias, sed iuxta Dei verbū annuntia populo eius scelera, vt suam miseriam cognoscēs à peccatis abducatur, & ad virtutum reuocetur.

Stat ad iudicandum Dominus. ¶ Qui stat videtur esse promptus atq; paratus ad aliquid agendum. Significat propheta iudiciū Dei, vt vnusquisque meminerit, se esse in die illo terribili rationem redditurum. Non enim solū cum populo disceptabit, sed etiā cum senibus & principibus, nemo existit: met se esse iudicium Dei euasurum, Particula, cū, accipitur, hic pro contra. Vel sic: Deus cum senibus, hoc est cum patriarchis & prophetis, & cū principibus, hoc est, cum Apostolis venit ad iudicandum populos. Hi enim sedebunt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël, vt illis Christus promisit.

Matt. 19.

Vos enim depasiti estis vineam meam. ¶ Verba sunt Dei ad iudiciū venientis, & cum Scribis & Principibus disceptantis, quod eius vineam depopulati sunt. Quid nomine vineę intelligatur, aperit capite quinto dicens: Vineæ Domini exitum domus Israël est. Et quoniā Pharisei avaritiæ stimulis concitati studebant plebi pecunias & opes eripere, & hanc nefariam cupiditatem religionis simulatione operire: appellat eos propheta fures dicens: Rapina pauperum in domo vestra.

Infra. 3.

Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis. ¶ Hoc est. Quare populum meum paulatim consumitis, & pauperes fame & macie attenuatis? Ita Amos. Calumniam, inquit, facitis egenis, & constringitis pauperes. Deplo rat diuinus vates casum & orbitatem plebis, que à primatibus, & qui eā protegere deberent, tanquā ab impiis prædonibus deriperetur, Et quamuis multi sint principes Christiani iustitiam & pietatē colentes, vitamque ad certam rationis normam præparentes: sunt tamen alij, qui populū grauibus oneribus opprimunt, eiusque diuitias vsurpant, vt eas in profundissimam libidinum suarum gurgitem profundāt: ad quos sunt hæc verba Esaiæ referenda.

Amos 4.

Et dicit Dominus Deus: Pro eo quod eleuatae sunt filia Sion, & ambulauerunt extento collo, & nihil eis oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant & pedibus suis composito gradu incedebant: decalauit

decaluauit Dominus verticem filiarum Sion & Dominus erinem earum nudabit, in die illa auferet Dominus ornamentum calcamentorum, & lunulas, & torques & monilia, & armillas, & miras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas & olfactoriola: & in aures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vitas, & iberistra. Et erit pro suauo odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluicium, & pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & Fortes tui in prelio. Et merebuntur atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.

Pro eo quod eleuatae sunt.] Dixerat superius mulieres esse principatum sumpturas, & hominibus imperaturas. Nunc describens earum vanitatem, libidinem, & amatorias leuitates, prædicit supplicium, quo ob sua scelera erant afficende. Non solum enim ipsæ libidine ardebant, sed etiam oculis, deliciis, & impudicis motibus homines in sui amorem inuitabant. Quare auferet, inquit, ab eis Dominus omnia corporis ornamenta, & in squalore & lachrymis versabuntur. Quod impletum est cum à Romanis caperentur, & ciuitas euerteretur. In ea intelligendi ratione, quam moralem appellant, nomine filiarum Sionis animas intelligimus, quæ ob admissa flagitia amittunt veram pulchritudinem, & omnia virtutum ornamenta, quæ per lunulas & torques, & cætera quæ hic continentur, intelliguntur. Possent singula hæc ornamenta spiritualiter explanari, sed ego ea solû, quæ ad literæ expositionem pertinet, interpretabor. Lunulæ erant ornamenta mulierum habentia figuram lunæ, quibus partes vestium inter se connectebantur. Torques vel torquis colli ornamentum circulus est aureus. Monile ornamentum gutturis est, quod solet de collo puellarum pèdere: sic dictum quod vitutis admonet. nam olim ob aliquam egregiam virtutem dabatur. Armillæ sunt brachiorum ornamenta instar circulorum, quæ à Prisciano appellantur brachialia. Mitra est pelus incuruus, & corona muliebris, ad capitis ornamentum confecta. Discriminalia sunt instrumena, quibus virgines segregabant crines in fronte pèdentes. Periscelides ornamenta sunt circa crura, quibus mulieres gressus suos cõponere solebant: à περι, quod est circum, & σκέλος, crus seu tibia. Murenulæ sunt ornamenta colli flexuosa instar murenarum, & catenæ ex auro, quibus mulieres ornabantur, Olfactoriola sunt fasciculi florum vel odorum. In aures sunt circuli ex auribus perforatis pèdentes. Mut-

toria sunt vestiū genera, quibus humeri & pectora opperuntur. Linteamina sunt vestes tenuissimæ ex lino. Acus in strumēta sunt quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne capilli ad diuersas partes moueantur. Theristrum vestis est ætati conueniens ex lino delicatissimo confecta. Hoc est aduertendum, Deum hic reprehendere ornatum nimium, lasciuum, & immoderatum. Nam si mulieres ornentur moderatè, & ad bonum finem, non peccant, etiam si indè eueniat, vt aliqui cæca & indomita libidine capiantur, & equarum effrænato desiderio inflāmentur, quod est etiam de ludis chorearum dicendum.

Pulcherrimi quoque viri tui.] Conuertit sermonem ad Hierosolimam, prædicens eius excidium & Iudeorum cladē; & auertit his verbis ab illis spem vlciscendi iniurias, quibus à Romanis erant afficiendi. Cū enim pulcherrimi atque fortissimi viri occidendi essent, quis remaneret, qui posset tam immanes & atroces iniurias vindicare?

Et mærebunt atque lugēbunt portæ eius. Solebant Iudæi in portis vrbs iudicia exercere, erant enim ibi loca celebra, ad quæ omnes conueniebant. Possunt per portas ciues intelligi metonymicos, vt per locum eos, qui in loco sunt, intelligamus. Vel quæadmodum metaphoricis dicimus prætæridere, quod cernētes lætita afficiāt, sic lugere portas, quod aspicientibus luctum & mœrorem afferrent, eosq; ad lachrymas excitarent, Tantus erat mœror, vt etiam portæ mœrere viderentur. Possumus totū hoc in sensu morali ira explanare, vt per hanc ciuitatem animam intelligamus de qua dicitur in libro psalmorum, Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circundabit eā super muros eius iniquitas, & in medio eius labor & iniustitia. Cū anima à dæmone vincitur, & virtus implicatur, cadunt virtutes in prælio, & absente sponso lugent portæ, quibus ingreditur mors, & vrbs vastata iacet in pulvere & mœrore: Nō enim hic sedere debemus sed currere, donec cæleste præmium consequamur. Sic currite, inquit Apostolus, vt comprehendatis. Et alio in loco, Bonum certamen certauimus consummaui. Et Dauid, viam, inquit, mandatorū tuorum cucurri. Et quoniā in hac vita filij Zebedæi sedere volebant, vnus ad dextrā, alter ad sinistrā, audierunt à Christo. Nescitis quid petatis. Non enim vita nostra debet esse sessio, sed festinatio. Quam ob causam dicebat D. Paulus, Festinemus ingredi in illam requiem. Cū enim hic nō ha-

beamus

Psal. 14.

1. Cor. 9.

2. Tim. 4.

beamus manentem ciuitatem, vt inquit Idem Apostolus, sed *Pfal. 118.*
 futuram inquiramus, stultum est sedere hic, sed currere & fe
Matt. 10.
 stinare ad beatam illam requiem, & æternam securitatem.
 At anima quæ fuerit sceleribus contaminata, nõ curret, sed, *Hebr. 40.*
 vt hic ait Elaias, desolata in terra sedebit. *Hebr. 19.*

Annotationes ex Hebraico in

CAPVT III.

Prudentem eloquii mystici.] Pro eloquio mystico est in He-
 braico Lachax, à verbo Lachax, quod significat submissa
 voce loqui susurrare, vt in psalmo, Aduersum me susur- *Pfal. 40.*
 rabant omnes inimici mei. Et quoniam incantationes fiunt
 verbis submissis significat etiam incantare. Vt malacha-
 xim significat incantatores, vt in psalmo, Quæ nõ audit vo- *Pfal. 57.*
 cem incantantium. Eam ob causam conuertit hic Pagninus
 ex hebræo, intelligentem incantationis. Theodotus pruden-
 tẽ incantatorem. Et quoniam incantationes cõficiũ-
 tur verbis occultis & arcanis, vertit noster interpres, & re-
 ctè, pro incantatione eloquium mysticum, poteris pro pru-
 dente eloquij mystici vertere oratorem, neque ineptè qui-
 dem. Nam eloquentes oratores graues, copiosi, vehemen-
 tes, & ad dicendum instructi ac parati, possunt quodammo-
 do incantatores appellari. Alliciunt enim homines, volun-
 tates impellunt quò volunt, vnde autem volunt deducunt.
 Quod maius potest esse incantamentum quàm non solum
 populi morum, sed etiã Senatus grauitatem cõuertere? Po-
 test præterea capi, & rectius, meo quidem iudicio, pro theo-
 logo concionatore in vtroque testamento perito, qui salu-
 tari doctrina homines à vitis ad virtutum, & à turbulentis
 perturbationibus, ad statum animi tranquillum diuino fa-
 uore reducit. Inquire Iudæorum synagogas, nullum talẽ
 inuenies concionatorem. Quis debet cohortari ad virtutẽ
 ardentius? Quis à vitis reuocare acrius? Quis impietatẽ vi-
 tuperare asperius? Quis religionem laudare ornatius? Quis
 mœstos consolari dulcius, quàm euangelicus concionator,
 qui oratione & eloquij mystici prudentia, hoc est diuina-
 rum literarum, non solum literalis, sed etiam spiritali intel-
 ligentia debet auditores ad rerum humanarum tolerantia
 & despicientiam mouere, & ad rerum cælestium contem-
 plationem & desiderium excitare? At multi ex auditoribus
 sunt animo tam obstinato, & tot sceleribus astricco, vt hos
 incantatores nolint penitus audire. Tales peccatores com-
 parat

parat diuinus ille vates & illustris rex Dauid aspidi, veneno
 so serpenti aures obturanti, quoniam nolunt audire con-
 silia salutaria. Alienari sunt, inquit, peccatores à vulua, er-
 rauerunt ab vtero loquentes falsa, venenum illis secundum
 similitudinem serpentis, sicut aspidis surde obturantis au-
 res suas, quæ non exaudit vocem incantantium.

Non sum medicus.] Pro medico est in hebraico chouex, à
 verbo chauax quod significat ligare, & imperare siue do-
 minari, quod qui imperat, suis præceptis liget & coerceat.
 Hic capitur pro mederi, & procurari vulnera, quod soleant
 Chirurghi vulnera ligare. Vt Esaiæ 30. In die qua alligau-
 rit dominus vulnus populi sui. Ex quo efficitur, vt hoc no-
 men chouex capiatu pro chirurgo siue medico, quod no-
 men propriè significat alligantem & dominantem. Et hac si-
 gnificationum varietate fluxit versionum varietas. Interpres
 noſter tranſtulit, Non sum medicus. Septuaginta, Non ero
 princeps. Pagninus, Nō ero dominus. Quidā, Nō ero cura-
 tor. Potest verti, Non ero ligans. sumpta translatione à chi-
 rurgis. Paraphraſtes chaldaicus, Nō sum dignus vt ſim ca-
 put aut princeps Colliges ex iis principē siue præſulem eſſe
 caput, & medicum, & chirurgū, & debere non ſolum ſub-
 ditos iuſtis præceptis ligare, ſed etiam eorum vulneribus &
 animi languoribus mederi. Ob eā cauſam lex & guberna-
 tor ab antiquis anax appellabatur, ab acos, quod nomē ſig-
 nificat medelā. pharmacū, & ſanitatē, quod regis & præſulis
 ſit ſubditis mederi. Auctores ſunt Plutarch. & Eufſathius.

Quoniam lingua eorum, & adinventiones eorum.] Potest ver-
 ti ex hebraico. Quoniam lingua eorum & studia eorum.
 Idem enim vocabulum hebraicum adinventionem significat,
 & studium & opus. Ideo Pagninus vertit, Quia lingua eo-
 rum & opera eorum: Hæc autem studia & opera scelerato-
 rum hominum adinventiones eorum merito appellantur.
 Ira in psalmo, Da illis secundum opera eorum, & secundum
 nequitiam adinventionum ipsorum. Et in alio, Ibāt in ad-
 inuentionibus suis.

*Psalm. 17.
 Psalm. 30.*

Agnitio vultus eorum respondebit eis.] Pro respondebit eis
 est in hebraico anethabbam, à verbo anah quod significat
 respondere, in quam significationem accipitur ab interpre-
 te nostro. Significat etiam testificari, & affligere. Vnde Pa-
 gninus vertit, Agnitio vultus eorum testificabitur contra eos.
 Ac si diceret, Tanta erit impudentia affecti, vt etiā eorum vul-
 tus aperte indicent eos esse vitiorum conscientia proſtigatos.

Potest

Potest verti: Agnitio vultus eorum affliget eos, Ac si dicat, Vnusquisque affligetur videns alios vultu tristiſſimo. Tãta erit eorũ calamitas, vt animi dolorem facie ostendentes ſinguli ſingulos mœrore afficiãt. Significat autẽ hoc verbum affligere & humiliare, indicat locus Zachariã dicens, Affligetur, quia non eſt eis paſtor: & Pſal. 34. Humiliabã in ieiunio animã meã, Ideo id, quod dicitur in pſalmo, Quoniã non ſpreuit nec deſpexit deprecationem pauperis, poteſt reſtẽ verti, Quoniã nõ ſpreuit nec deſpexit afflictionẽ humilis. Eſt enim diſtictio Ghoni, à verbo noſtro anah.

Zach. 10.

Pſal. 34.

Væ anima eorum, quoniam reddita ſunt eis mala.] Septuaginta habent, Væ animæ eorum, quia inierunt conſiliũ malum contra ſe dicentes. Alligemus iuſtum, quoniã inutilis eſt nobis. Aſpicias hic contra Iudæos testimoniũ apertiſſimũ. Ipſi enim alligãrunt iuſtũ Chriſtum Deum noſtrũ, & cruci affixerunt, vt eius nomen extingueret. Sed multo aliter euenit nam ipſe tertia die reſurrexit, & fuit eius nomen in omni orbe terrarũ celebratum laudibus ampliſſimis, illi verò fuerunt interfecti, & in æternas pœnas præcipitati. Qui autem ex bello euaserunt, fuerunt à Romanis capti, & aſſicti, & vſq. hodie degunt vitam infamẽ, abiectam, & calamitoſam, omni dedecore & ignominia notati. Ideo ait ſcriptura iuxta Septuaginta verſionẽ. Væ animæ eorũ, qui inierunt conſilium malum contra ſe dicentes: Alligemus iuſtum. Non dicit contra dominum, ſed contra ſe, quoniã perniciẽs, de quã contra Chriſtum cogitauerunt, in eorum caput redun dauit. Eſt abſque dubio admirabilis hæc Septuaginta interpretum verſio.

Et deſolata in terra ſedebit.] Pagninus vertit, Et munda in terra ſedebit. Nam verbum Nakah, ſignificat deſolare, & mundare, ſiue mundum eſſe: Latinus interpres ſecutus eſt ſignificationem primam, Pagninus ſecundã, ſed in idem reidentem cum prima. Idem enim eſt eſſe urbem deſolatam, & eſſe mundam ab hominibus, hoc eſt, inhabitatã. Et quoniã verbum hoc ſignificat euacuare, poteſt verti. Et vacua in terra ſedebit, nimirum ab habitatoribus, quod idem eſt.

Argumentum capitũ Quarti.

Deſcripta Iudæorum paucitate in euerſione Hieroſoly mæ ob Chriſti mortem, vaticinatur de vberriſſimo euangelicæ prædicationis fructu, & fidelium gaudio. Quamuis enim à tyrannis, cæteriſque infidelibus, qui maleſicio & imma-

immanitate pascebantur, Christiani variis cruciatibus torquerentur, vitæ priuarentur, incredibili tamen oblectatione perfundebantur, quoniam morte sua immortalitatem comparabant, & honestissimum ac pulcherrimum Christi Dei nostri testimonium præbebant.

CAPVT IIII.

Jerem. 2.
Matt. 24.



ET apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: id est summo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terre sublimis, & exaltatio his qui saluati fuerint de Israël. Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicii, & spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & ubi inuocatus est, nubem per diem, & splendor ignis flammantis in nocte: super omnem gloriam enim protectio. Et tabernaculum erit in umbraculo dici ab actu, & in securitatem & abscessionem à turbine & à pluuia.

EXPLANATIO.

Et apprehendent.] Hæc verba pendent à superioribus. Vaticinatus fuerat propheta præcedenti capite futuram esse tam acerbam Iudæorum cladem, vt viri fortes & pulchri in prælio corruerent, & respub. illa, quæ quondam fuerat clarissimè constituta, dilaberetur. Nunc verò asserit tam mirabilem hominum paucitatem, vt multæ mulieres apprehendant unum virum, quæ vix possint inuenire. Interfectis enim viris necesse erat manere viduarum multitudinem. Id quod ait: septem mulieres, existimo poni indefinitè, vt capiatur numerus certus pro incerto. Ac si diceret: Multæ mulieres querent virum unum, dicentes se habere panem & vestes: quoniã vir hæc tenetur querere, si possit, vt valeat familiæ suæ consulere. Poni autè particulam septem pro numero incerto, explicat locus primi libri Regum cap. 2. vbi cum in Hebraico sit, Sterilis peperit septem, veritè interpres noster: Sterilis peperit multos. Ita existimo posse intelligi illud Prouerborum: Septies in die cadit iustus, hoc est, multoties. Et illud psalmi, Septies in die laudem

Zach. 3.
Psal. 119.
Prou. 24.

laudem dixi tibi. Et apud Zachariam per septem oculos su per lapidem vnū, posuimus multas custodias intelligere.

Panem nostrum.] Nomine panis, vt superiore capite demonsttrauimus, omnis cibus significatur.

Tantummodo inuocetur nomen tuū super nos.] Id est hoc solū volumus vt sis vir noster, nosq; vxores tuę vocemur. Nolumus vt nos sustētes, nos ipsę nos alemus & vestiemus. Aufer opprobriū nostrū. Dabatur tunc opprobrio non habere filios, iuxta id quod scriptum est Exodi 23. & Deuter. 7.

In die illa erit germē Domini in magnificentia.] Quando Hierosolyma ob Iudæorū peccata euerſa fuerit, extolletur nomen Christi, & in vniuersa terra celebrabitur. Prædicabitur euangelis, fient euidentissima miracula, & erit germē domini in magnificentia & gloria, hoc est, fructus euangelicę prædicationis erit magnificus & gloriosus, & fructus terrę sublimis, hoc est fructus hominum, qui nomine terrę significatur, erit pulcherrimus & excellentissimus: florebut enim virtutū abēdāria, & charitatis fructus habebimus ferēt. *Qua* propter erit exultatio iis qui saluati fuerint de Israël, hoc est Apostolis, cæterisq; qui relicta synagoga ad euāgelicam peruenient veritatē. Lætabantur enim, & incredibili gaudio afficiebantur videntes ingentē hominū multitudinē contēpto idolorū cultu repudiata gētium superstitione, ad Christi fidē & veram religionē conuersam. De hac Apostolorum lætitia alio in loco Esaias: Lætabuntur corā te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultāt victores capta præda Quāuis enim viri illi sanctissimi affligerentur à tyrannis, nō tamen ærumnolos se esse putabāt, quin potius incredibili voluptate in mediis cruciatibus afficiebantur. Est enim Christianæ veritatis proprium, nihil extimescere, omnia humana despiciere, nihil quod homini accidere possit, intolerādū putare. Eam ob causam eligebant potius se hostium telis obicere, quā Christiani nominis dignitatē & amplitudinē maculare. Et vt refert in Actis D. Lucas, cæsi Apostoli à Iudæis ibant gaudentes à cōspectu consilij, quoniā digni habitū erāt pro nomine Iesu contumeliā pati. Possumus etiam per hoc germē domini Christū intelligere, quē statim Propheta appellat fructum terrę sublimem. Apud Zachariam capite 3. vbi in editione vulgata Christus appellatur oriens, potest verti germen, id enim significat etiam nomen Hebraicum. Appellatur germen Domini, quia est filius Dei vnigenitus, verus Deus & fructus terrę, quia est filius virginis Marię sanctissime,

Infra 9.

A. For. 5.

sanctissimæ, verus homo. Idē Christus est germen domini, & fructus terrę, Dei filius, & virginis filius: idē Deus, & flos de virga radice Jesse. O admirabile vnionem, & ineffabile sacramentum. Est igitur sensus: in die illa transacta nocte infidelitatis apparebit in mundo Christus filius Dei & filius hominis, verus Deus & verus homo, & erit magnus, gloriosus, & sublimis. Quid enim gloriosius, quid sublimius, quàm cæcis visum restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam reuocare, & alia euidentissima miracula suo nomine & virtute efficere, quibus Christus numē suū ostendebat? Quid maius quàm genus humanum à diaboli potestate eripere, & ad æternā beatitudinem vocare & perducere? Quid præstātius, quid commodatius hominum memorie sempiternæ? Quę omnia Iesum Christum fecisse, & nos firmiter credimus, & ipsa euangeliorum historia apertē attestatur, quod iā sanctissimorum vatum diuina oracula futurum esse prædixerant. Appellari autem Christum fructū terrę indicat locus alter huius prophetæ ita dicens: Aperiat terra, & germinet saluatorem. Et quod dicitur in psalmo. Et terra nostra dabit fructum suum.

*Infr. 43.
Psal. 66.
Supr. 10.*

Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion.] Capite primo dixerat hæc verba Esaias: Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus. Vbi per semen relictū ex Israël Apostolos intelligit, & eos qui ex populo Israëlitico in Christū crediderunt, vt ibi exposuimus. Hoc semen appellat cap. 10. reliquias, quem imitatur D. Paulus in epistola ad Romanos: Hæ sunt reliquię, de quibus hic loquitur dicens: Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur. Animaduerte, Nō ait omnem Israëlē esse salutem consecuturum, sed eos qui relictī fuerint, hoc est qui Iudæorum infidelium pertinaciam non fuerint secuti, sed in fide Christi permanserint. Hos vocat sanctos, hoc est, fideles Christianos. Hoc enim nomen sanctū, in diuinis literis sepe pro vero Christiano accipitur, licet habeat peccata. In hanc significationem capitur à D. Paulo in prima ad Corinthios dicente: Sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo: & aliis in locis.

*Infr. 10.
Rom. 9.
C. 11.*

1. Cor. 14.

Omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.] Id est, omnis qui prædestinatus est, & ad gloriā præordinatus. Liber vite est Dei præsciētia & prædestinatio, qua electos ad salutē ab æterno venturos cognouit, ac vt peruenirent prædestinauit. His quos propheta dicebat scriptos esse in vita in Ierusalem, dixit

Lut. 10.

Christus:

Christus: Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Vbi aspicias. Hierusalē accipi hic pro cælis & eccle. triūphāte. Not⁹ est hic liber ex diuinis literis, vbi sunt scripta nomina sanctorū. Hic est liber ille, de quo dicebat Moyses: Si nō dimittis populo noxā hanc, dele me de libro quē scripsisti. De eo dicitur in psal. Deleat̄ur de libro viuentiū, & cū iustis nō scribāt̄ur. Et apud Danie. Saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et in Apocal. Nō intrabunt in eā, nisi qui scripti fuerint in libro vitæ agni. Et fortasse ex hoc libro intelligitur id, quod Christus inductus à propheta dicit in psalmo: In capite libri scriptū est de me. Reprobatorum verō nomina in terra scripta sunt, quemadmodum ait Ieremias: Recedentes à te in terra scribentur. Id fortasse voluit significare Christus, quando Scribis & Pharisæis mulierem in adulterio deprehensam adducentibus, vt ipsū tentarent, in terra scribebat, significans eos non esse in cælis scriptos cū iustis, sed in terra cum impiis.

Si abluerit Dominus sordes filiarū sio.] Sēsus est: Tūc salutē cōsequētur reliquē Israēlis, si crediderint, & baptizate fuerint. In baptismo, nō Deus illis sordes maculāsque peccatorū abluet. Per sordes & sanguinē omnia peccata intelliguntur.

In spiritu iudicii, & spiritu ardoris.] Id est in spiritu iudiciæ iudicio discretionis & separationis bonorū ab iniquis. Et in spiritu ardoris, hoc est charitatis animos inflammantis. Vel in spiritu iudicii, hoc est in iudicio & iustitia: Nā morte sua abluet Christus nostrorum scelerum maculas, soluens pro nobis. & vt verbis Pauli vtar, delens quod aduersus nos erat chirographū decreti. Et ad Rom. Proposuit, inquit, De⁹ Christū propitiatiōē per fidē in sanguine ipsius ad ostēsiōnē iustitiæ suæ, propter remissionē precedentū delictorum.

Et creabit dominus.] Videtur alludere ad prosperitatem filiorum Israēlis, quando eos exeuntes ex Aegypto Deus protegebat per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt habes Exodi decimotertio. Ac si dicat: Dabit Deus ecclesiæ suæ pristinam felicitatem, sed multo maiorem & illustriorem. Quod enim tunc Israëlitico populo fecit, Ecclesiæ suæ spiritualiter faciet. Creabit dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, hoc est, super ecclesiam, & super fideles, nubem gratiæ ab æstu effrenatæ cupiditatis protegētis, & ignem atque splendorem vitæ fidei ab infidelitatis nocte eripientis, & animum amore diuino inflammantis. Est tamen aduertendum nomine

Exod. 13.

Psal. 68.

Dan. 12.

Apoc. 20.

Psal. 50.

Ierem. 17.

Iod. 8.

Collos. 2.

Rom. 3.

Psal. 120.

diei intelligi posse prosperitatem, nomine verò noctis aduersitatem: quemadmodum intelligunt nonnulli id, quod dicitur in psalmo: Per diem sol non vret te, nec luna per noctem. Ac si diceret: Ita te tuebitur Deus, vt in rebus prosperis & ad voluntatem tuam fluentibus, quando omnia, vt in die clara esse apparent & tranquilla, tibi non noceat hominum laus, & gloria, & diuitiarum abundantia. Fit enim sæpenumero vt homines opibus & honoribus extollantur, & omnia iura diuina & humana peruertant. Neque tempore aduersitatis, quando vt in nocte omnia sunt tristitia & obscura, & in luctu & caligine iacere videntur, paupertas afflictio, & cæteræ calamitates te opprimant, & de gradu constantiæ deiciant. Eodem modo per columnam ignis, qua Deus Hebræos in nocte illuminabat, & quâ hic tuis fidelibus promittit, possumus intelligere diuinam consolationem, qua Christus pijs viris tenebras & calamitates mitigat & lenit. Contrâ verò nubes hæc qua Deus suos protegit in die, afflictio est, qua Christus iustiorum virorum prosperitatem, & mundi gloriam temperat & moderatur, ne efferantur, & opinione ac potentia inflati in eum errorem incidant, vt eos iustitiæ, cæterarumq; virtutum capiat obliuio. Itaq; Deus in die prosperitatis protegit suos nube afflictionis, visitat eos igne diuinæ oblectationis & lætitiæ. Tam enim noceat nimia prosperitas quàm aduersitas. Hoc intelligens quidam vir doctus edidit librum de remedijs contra prosperâ & aduersam fortunam. Natura nostra, dum vinculis corporis ligamur, & in hoc miserabili exilio detinemur, nec magnum dolorem ferre poterit, nec magnâ lætitiâ. Nam magno dolore exterremur, & in desperationem incidimus: magna verò lætitiâ insolescimus, nostræq; fragilitatis obliuiscimur. Quare oportet vt maior oblectatione aliqua spirituali temperetur, & oblectatio in ætate. Non ergo semper lætitiâ queramus, nec dolorem detestemur. Vnde vtrâq; & lætitiâ in afflictione, & afflictio in lætitiâ columna dicitur, sine qua ruet ædificium nostrum.

Ioel. 2.

Et fumum, & splendorem ignis. J Fumus hoc in loco in bonam partem accipitur, nempe pro gloria, quemadmodum cap. 6: Et domus repleta est fumo. Et apud Ioel. de gratia, quâ Deus apostolis impertiuit, ita scriptum est: Effundâ de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt, & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum: & sanguinem, & ignem & vaporem fumi. Est igitur hoc in loco fumus

fumus vapor lucidus è terra eleuatus: vel flamma ignis, quæ est fumus accensus. Vel reuera capitur pro fumo: Nam iustis & piis dat Deus in hac vita lumen in nocte, hoc est, æternam consolationem in afflictione, sed mistâ cum fumo, lachrymas mouente, id est, cum cõpunctione. At in cœlesti patria gaudium erit purum, & lumen absq; fumo, & requies absq; labore. Possumus præterea per fumum intelligere particulare Dei præsidium, quo protegit suos aduersus hostiũ impetum & malitiam, ne accedentes possint viros pios lædere & conculcare. Et hic videtur huius loci germanus sensus præsertim si locum Exodi respiciamus, ad quem, vt diximus, hoc in loco propheta videtur alludere.

Exod. 13:

Super omnem enim gloriam protectio. J Accipit gloriam pro viris gloria dignis, iustitiam & pietatem colentibus. Sensus est: In omni loco, vbi fuerint fideles virtute præditi, erit diuina protectio; Deus tuebitur viros iustos, vbi cunq; extiterint. Aspicias hic apertissimè Deum nostrum misericordiarum patre piorũ salutem tutissima custodia regere atq; munire. Sed hoc protectionis genus tam remotum est ab eorũ hominũ intellectu, qui humana tantum spectant, & cœlestia minime intuentur, vt iudicet viros pios, & virtutũ præsidio septos à Deo contineri ac derelinqui: cum eos Deus maximè muniat & tueatur. Non potest homo voluptatibus deditus & cupiditatum seruus intelligere quàm suauis, secura, & tranquilla sit eorum vita, qui veram pietatem colunt. Hos abscondit Deus ab hostium immanitate, ne in animo lædantur. Quod prospiciens animo diuinus vates Deũ alloquens canebat: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatio-
ne hominũ. Vbi vtitur quadam verborum exornatione sumpta à similitudine principis, quæ eum, quæ tutissimũ esse vult, in suum cubiculum recipit, ne ab impetu & insidiis inimicorum lædatur. Hanc domũ refugij cupiebat ardentè idem propheta, Esto mihi inquis, in Deũ protectore, & in domũ refugij, vt saluum me facias. Et alibi dicebat: Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui. Et in alio psalmo, vbi editio vulgata habet: Cogitauerunt aduersus sanctos tuos, potest verti ex Hebraico: Cogitauerunt aduersus absconditos tuos. Ex quo colliges idẽ esse, sanctum esse, & à Deo absconditum & protectum. In alio psalmo, vbi editio vulgata habet: Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cœli commemorabitur, habet versio D. Hieronymi ex Hebra-

Psal. 30:

Psal. 30:

Psal. 26:

Psal. 90:

- Psal. 90.** ico: Cogitauerunt aduersus absconditos tuos. Ex quo colliges idem esse, sanctum esse, & à Deo absconditum & prote-
ctū. In alio spalmo, vbi editio vulgata habet: Qui habitat
In adiutorio altissimi, in protectiōe Dei cæli cōmorabitur,
habet versio D. Hieronymi ex Hebraico: Qui habitat in ab-
scodito excelsi, in vmbaculo domini commorabitur. Aspi-
cis ergo piorum vitam absconditam esse in Deo & tutissimā,
Et hoc existimo esse id, quod ait diuus Paulus in epistola ad
Colof. 3. Colossenses: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
Hoc volēs Esaias significare in hunc modum concludit: Et
tabernaculū erit in vmbaculū diei ab æstu, & in securitatē
& absconsiōe à turbine & à pluuia. Ac si dicat: Deus tuebi
tur iustos ab omni tēratione & afflictione sēquēte, & ecclesia
nullo subuertetur turbine, nullis vnquam procellis & tēpe-
statibus obruetur. Docet planē locus hic virum piū & iustū
à nemine lædi: quin potius, quō magis ab impiis impugna-
tur, eō altius tendere. Vt enim arbor quo magis à nouellis
Similitudo virgultis exciditur, eō sublimius eleuatur, sic vir iustus quo
immanius ab impiis affligitur, eō amplius crescit, & clarior
efficitur. Nā vt arca Noe, quo copiosius aquæ diluuiū abūda-
Simile. bant, eō altius ferebatur, & ad cælum tēdebat: sic vir iustus
Gen. 7. quāto plures sunt afflictiones per aquas significatę, tārō red-
ditur illustrior, & excelsior, & cælo propinquior. Et ita om-
nia illi vertūtur in bonū, vt aserit in epist. ad Rom. D. Pau-
Rom. 8. lus, Magnum profectō & pulchrum pietatis præmium vt
etiam ex iis rebus, quæ aliis perniciem consistere solent: fru-
ctū capiant viri iustū. Verūm, quod hic habetur, Super om-
nē enim gloriam protectiō, potest hūc habere sensum: Hęc
diuina protectiō, qua dominus iustos tuetur, excedit omnē
huius mundi gloriā. Et rectissimē quidem. Nā nihil est ope-
re aut manu factum, quod aliquando non labefactet & con-
sumat ipsa vetustas, & omnis huius mūdi glorię splēdor ex-
iguis regionibus coercetur, nec vnquā de vllō perennis fuit,
Obruitur enim hominū interitu & obliuione posteritatis
Ecele. 34. extinguitur. Nihil est fugacius, nihil incōstātius. Hanc inā-
nē gloriam appellat Ecclesiasticus vmbra, & ventum, &
aperta mendacia. Quod mente percipiens diuinus ille vates
Psal. 36. & clarissimus rex has voces emisit: Vidi impiū super exalta-
tum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non
erat: & quęsiui eū, & nō est inuentus locus eius. Et illustrissi-
Infra 40. mus noster Esaias, Omnis inquit, caro senū, & omnis gloria
eius quasi flos agri. Huius glorię inconstantiam cecinit
Græcis

Gracis carminibus Euripedes, vt est apud Plutarchum, quibus ostendit eam solum diem vnum durare, & statim extirpui. Quo in loco à Demetrio Phalereo fuit obiurgatus, quod non diem vnum deberet dicere, sed temporis quoddam punctum. Non est igitur talis gloria quærenda. Præsertim cum illi homines eam tepenunero consequantur, & in populi luce & celebritate versentur, qui nulla sunt præditi virtute, quin potius scelerum furis exagitentur, & nefariis criminibus constringantur. At qui protegentur à Deo, pabulo diuinæ oblectationis, quasi quidam ambrosia alluuntur. Et hæc diuina protectio nullum iustum ac pium derelinquit, nulla tempestate, & temporum mutatione labefactatur. Quare est omni humanæ gloriæ anteponenda. Quod intus ens Esaias ait: Super omnem enim gloriam protectio.

Annotationes ex Hebræo in
CAPVT IIII.

Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vb̄ inuocatus est nubem.] Septuaginta interpretes habent in hæc modum: Et veniet: & erit omnis locus montis Sion, & omnia, quæ in circuitu eius sunt, proteget nubes per diem. Hæc interpretatio est absq; dubio mirabilis: & hunc locū Esaiæ diuinitus explicat. nam tunc dixit fore in ecclesia pristina populi Israelitici felicitatē, cum Christus in mundum venturus esset. Inquit enim: Veniet, nimirum ille de quo prædixerat patriarcha Iacob: Nō auferetur sceptrū de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: hoc est Christi. De eo ait Esaias alio in loco: Cum venerit quasi fluuius vidētus, quæ spiritus domini cogit, & venerit Sion redemptor. & Aggæus, Veniet, inquit, desideratus cunctis gentibus.

In spiritu ardoris.] In hebraico est pro ardore baer, à verbo Baar, quod significat ardere, vt Exo. 3. Et videbat quod rubus arderet. In quam significationē accipitur in præsentī ab interprete nostro. Et quoniam verbū hoc significat etiā intendere, vt in psalmo. Et carbonēs succensi sunt ab eo, potest verti: In spiritu incendij. In piel significat excidetur. Vnde Pagninus vertit: In spiritu excisionis. Significat enim remouere & eiicere. Vnde potest verti: In spiritu remotionis siue eiectōis. Et ita interpretatur R. Abraham vir clarus inter Hebræos. Significat quoq; pascere. Ideo potest verti in spiritu pascendi, siue pascuæ. Et quamuis hæc videantur inter se diuersa, nec vilo modo coherentia, atq; tamen spectare si vo-

Gene. 49.

Infra 50.

Agg. 2.

Psal. 17.

les, omnia videbis Christo concorditer & aptè cōuenire. Ipse enim homines abluit in spiritu ardoris & incendiij, tribuens eis ignem charitatis, qui eos incenderet, & studio æternæ beatitudinis inflāmaret. Hic est ignis ille, de quo ipse ait apud Lucam: Ignem veni mittere in terram. Et quoniā tribuens nobis vitam, ipsam mortem excidit, iuxta illud Osee propheta: Ero mors tua o mors: præclare interpretatur. Pagninus fuisse redemptionem nostram in spiritu excisionis. Fuit etiam spiritu eiectionis, quoniam diabolus eiecit, iuxta id quod ipse apud Ioannem ait: Et nūc princeps huius mundi eiicitur foras. Fuit quoque in spiritu pascuæ, quoniā ipse est pastor noster de se inquit: Ego sum pastor bonus. De quo dicitur in psalmo: Dominus regit me, vel vt potest verti ex Hebraico, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Christus Deus noster est pastor hic, qui vltro pro nobis sanguinē fudit, vt nos ab incursu & impetu luporum tueretur. Sed quoniā Esaias prædixit redemptionem nostram fore in spiritu iudicij, & per hoc iudicium discretionē & separationem intelligimus, quia Deus voluit fideles ab infidelibus separare, fortasse volens Propheta hoc explicare, adiecit: in spiritu baer, hoc est separationis & discretionis, ita vt sit explicatio eius quod dixerat: in spiritu iudicij. Nam verbum baer separare significat, vt Deuteronomij vigesimo sexto. Nec separaui ea in qualibet immunditia.

Luc. 12.
Osee. 13.

Ioan. 12.
Ioan. 10.
Psal. 13.

Argumentum capitis Quinti.

Solebant veteres res magnas & memorabiles complecti carminibus, & mandare monimentis, vt vigerent memoria posteritatis, nullaque hominum obliuione delerentur. Eam ob causam canit Esaias hoc lugubri & flebili carmine admirabilem Dei erga Iudæos benignitatem & magnificentiam & eorum erga Deum nefariam ingratitude, & incredibilem impietatem. Comparat diuinus vates Hebræorum populum vineæ electæ, & à Domino mirabiliter culturæ, quā ob eorum malitiam vaticinatur esse delendam, & penitus vastandam. Reprehendit eorum iniustitiam, avaritiam, delicias, voluptates, & alia scelera, ob quæ prædicit esse Iudæos ab exercitu Romanorum capiendos, & in luctuosissimam vastitatem vocandos.



Cantabo dilecto meo canticum patruelis meo vineæ suæ. Vineæ facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit vineam electam & edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret vnas, & fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Ierusalē & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectauit vt faceret vnas & fecit labruscas? Et nunc ostendam quid ego faciam vineæ. Auferā sepem eius & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendet super eam vepres & spine, & nubibus mandabo ne pluuie super eam imbrem. Vineæ autem Domini exercituum domus Israël est, & vir Iuda germen eius delectabile: Et expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & institiam & ecce clamor.

EXPLANATIO.

Cantabo dilecto meo.] Pergit Propheta Hebræorum scelerata redarguere, quod superioribus capitibus fecerat, vt eos ad sui cognitionem excitaret: Et statim in principio aperit licet arcanis verbis, mysterium aduentus Christi, quem & dilectum appellat, & patruelem: dilectum, quia cum singulari amore prosequabatur: patruelem, quia futurus erat ex femine Abrahami, & ex eadem familia & tribu cum ipso Esaia. Aiunt enim fuisse Esaia fratrem regis Amasie, ex tribu Iuda, ex qua tribu perspicuum est fuisse Christum seruatorem nostrum, vt asserit in epistola ad Hebræos D. Paulus, *Hebr. 7.* & ex euangelica historia apertissime constat. Est igitur san- *Matt. 1.*
fus: Cantabo ego Esaia dilecto meo Christo, quem vnicè diligo, in eiusque honorem proferam mæstum canticum quod ipse Christus patruelis meus ex mea gente & progenie oriundus posset dicere, imo dicturus est vineæ suæ. hoc est Hebræorum populo. Canticum appellat parabolam hanc, qua populum Israëliticum cum vinea comparat, & Christum cum eius cultore. Et quemadmodum Ezechiel *Ezec. 32.* propheta præcipit Deus: vt super Aegyptum lugubre carmen concineret, vt licet videre apud eundem capite. 37. Sic Esaia aduersus Israëliticum populum hoc canticum cecinit, Idem fecit Christus, quando lugubres illas & lamentabiles voces emisit, quando lugubres illas & lamentabiles voces emisit, vt refert D. Lucas, *Luc. 19.*
 & flets ac plorans super ipsam. Totam hanc parabolam re-

Matt. 11.
Luc. 10.

tulit Christus vineæ suæ, vt narrat. D. Matthæus cap. 21. dicens: Homo erat paterfamiliâs qui plantauit vineam, & sep̄ circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & cætera, quæ ibi Euangelista commemorat. Narrant etiâ hoc Marcus & Lucas. Quidâ per hunc dilectum intelligunt populû Israeliticum. Rectius tamē esse existimo Christû intelligere, & quoniâ magis literæ videtur conuenire; & quoniam Christus in sacra scriptura solet dilectus appellari, vt videre licet apud Matth. 3. & apud Paulum ad Ephes. 1. & aliis in locis.

Vinea facta est dilecto meo] Incipit canticû. Nomine dilecti diximus significari Christum, qui plantauit vineâ in cornu filio olei, hoc est in loco alto, in regione montosa & frugifera. Per cornu intelligit locum editum & eminentem, quod cornua in animalibus altiozem partem obtineant: vnde Pagninus pro cornu vertit, in collo. Per filium olei terrâ intelligit opulentâ pinguem, & feracē. His verbis & hoc Hebraico describit terram Israël, quæ magna ex parte montosa est, & vberima fluens lacte & melle, vbi fuit populus Israeliticus collocatus. Vel per cornu robur & fortitudo intelligitur, in quâ significationē capitur sæpenuerò in sacra scriptura veluti in 2. Reg. 22. Dominus cornu salutis meæ. Et in psalino: In te inimicos nostros vtilabimus cornu. Et apud Habacuc propheta: Et cornua in manibus eius. Quamuis enim Christus in cruce vulneratus existimaretur fragilis & imbecillus, ibi enim, vt ait idem propheta, abscondita est fortitudo eius, in manibus tamē suis vulneribus confossis cornua habebat, hoc est, fortitudinē & potentiam. Ibi enim diabolus principē huius mundi vicit, nosq; ab eius immensissima tyrânide liberauit. In hanc significationem capitur cornu à D. Luca in cantico Zachariæ: Et erexit cornu salutis nobis, Et quemadmodum apud Latinos robur arborem quandam significat validam, & fortem. & ob eâ causam pro fortitudine & firmitate ponitur: sic cornu arma animalium significat quibus se muniunt, & fortiter pugnant, & eam ob causam in diuinis literis pro ipsa fortitudine accipitur. Est igitur sensus: Populus Israeliticus positus fuit à Deo in loco forti & munito, & in terra fertili & frugifera. fortasse idē terra illa appellatur filius olei, quia quemadmodum oleum in lampade est materia ignis & splendoris: sic Hebræi multis gentibus clarum Dei notitiæ lumen præbuerunt. Et capitur filius olei pro, oleo, quemadmodum filia Babylonis pro Babylone, & filius perditionis pro perdito.

Psal. 42.
Habac. 3.

Et sepiuit eam.] His verbis & sequentibus significatur diligentia, qua Deus vineam suã excoluit. Considera igitur diligentiam qua Deus nos vult liberare: & diligentiam qua nos eum volumus peccatis nostris offendere. Intuere eius ad nos stram salutem curã, & nostram desidiam. Ille vult nos ipsos eripere, nos volumus nos ipsos perdere. Ille nos ad eum statum vocat, qui in cœlestiũ atq; diuinarum rerũ contemplatiõne consistit, vt diuinis bonis affluẽtib; ipsius Dei amore ardentissimo inflammemur, & tãdem veram beatitudinem consequamur, nos verò terram solũ intuentes, turbulẽtis negociis implicati, nobis ipsis molimur perniciẽm & vastitatẽ. Sed ad literã explanationem veniamus. Per sepe in intelligitur diuina lex & angelorũ custodia. per lapides, quos abstulit ex vinea, intelliguntur idola, superstitiones, & cetera virtutis & diuini cultus impedimenta, per turrẽ in medio eius templum celeberrimũ, per torcular altare, propter sanguinis effusionẽ. Et vt vuz afferuntur ad torcular, vt ibi conculcentur: sic fractus & animalia ad altare, vt ibi sacrificentur. Vel ita: Sepes est diuina protectio: lapides quos abstulit, sunt homines infideles ipsis lapidibus ob animi durtiẽm cõparati, nulla memoria beneficiorũ Dei seipsos emolliẽtes. Fuisse autẽ homines impios eiectionẽ ab illo loco indicat psalmus ita dicens: Eiecisti gẽtes & plantasti eã. Ex quo colliges, magnũ Dei beneficium esse, magnam erga pios homines benignitatẽ, auferre impios de medio eorũ. Turris est regia dignitas, torcular legitimus Dei cultus. Existimo tamen turrim esse sacram scripturã, ad quam, velut ad arcem munitissimã in nostris tẽtationibus & periculis confugere debemus. Et vt ex altissima turre ea, quẽ longinqua sunt, apparent: sic ex lege & prophetarum oraculis Christũ longẽ venturum varicinantibus, idẽ Christum quasi ex longinquo conspiciebatur. Omnia quẽ in hac parabola continentur, in dicant fuisse à Deo exhibita populo Israelitico omnia, quã ad eius salutem & conseruationem pertinebant.

Psal. 79.

Et plantauit vineam electam.] Electam appellat Hebræorum nationẽ, quoniam eam elegit Deus, vt ab ea coleretur, & ex ea carnem sumeret, & propter electos viros Abraham Isaac & Iacob, ceterosq; patriarchas & prophetas, sapientia excultos, & charitate atque nobilitate præstantes.

Expectauit vt faceret vvas, & fecit labruscas.] Labruscæ sunt vuz agrestes, acerbæ & erraticæ. Nam pro diuino cultu idola sæpe coluerũt Iudæi, pro virtutibus in crimina nefaria in

Ierem. 2.

cidierunt, Apud Ieremiã has queribundas voces emittit Deus: Ego plantaui te vineam electã, omne semẽ verum, quomodo ergo conuersa es in prauum vinea aliena? Elegit Deus vineã hãc ex patribus antiquis optimis & sanctissimis, fecit eam in populum sibi peculiare, consuevit eã in loco firmo & munito, & in terra frugifera, abstulit ab ea impedimenta, custodiuit eã, fouit & detendit, & omnibus ornamentis ad pulcherrimũ & excellentissimũ statum pertinentibus decorauit: ipsa verò eum contempsit, scelus astrinxit, & quod detestabilius est, & omnẽ impietatem superat, in ipsum Deum verum Messiam fuit interitum machinata. Tu verò considera Dei nostri immensam pietatem & patientiã. Peccauerat populus Israeliticus, Deus verò, nõ statim eum deleuit, sed expectauit. Quid ait propheta? expectauit vt faceret uvas, Nõne vides? non eos statim euertit, sed quid fecit? expectauit vt bonum fructum ferret. Monemur hic nõ statim desperandum esse de peccatorum salute, nec subito esse interficiendos, qui crimen aliquod admiserunt, sed expectandos vt penitentiam agant, & suo tempore debite ac iuste puniendos. Cum hæc vinea etiam expectata noluisset uvas producere sed labruscas, fuit à Deo relicta, & tandem à Romanis euersa, & penitus vastata, & Iudæi qui ex ea euaserunt fuerunt cæsi, & in abiectissimam & acerbissimam feruitutem adducti. Quid autem sit facere labruscas explicuit Christus, qui, vt refert euãgelica historia, ob eã causam dixit vineã suam esse aliis locandam, & Iudæos perdendos, quia filium Dei occiderunt, Hic fuit vineæ fructus, hæ fuerunt, labruscæ amarissimæ quidem & acerbissimæ. Locauit autem Deus eã aliis agricolis, hoc est, Christianis pastoribus. Et aduerte, nõ dixisse Christum fuisse hanc vineam traditã dominis, sed locatam agricolis, vt referunt tres euangelistę. Ex quo colliges pastores ecclesiasticos non debere dominari, sed seruire: non vineam conculcare, sed colere, vt fructus vberimos ferat. Christus enim summus ille rerum omnium Dominus & moderator, vt ipse apud Matthæum de seipso ait, non veni ministrari, sed ministrare.

Matth. 20.

Nunc ergo habitantes Ierusalem & viri Iudæi iudicate inter me, &c.] Mirum videtur cur Deus intendat litem vineę coram ipsa vinea. Si hæc vinea domus est Israël, & habitatores Iudæi & Ierusalẽ, qui fieri potest, vt hi ferant sententiã contra vineam, si ipsi sunt ipsa vinea? sed vult Deus vt nos à nobis ipsis iudicemur, & aduersus nos ipsos sententiã feramus,

mus, vt nostro gladio iugulemur, & testimonio nostro conuincamur. Fecisse hoc Nathan prophetā indicat lib. 2. Reg. 2. Reg. 12. Misiss enim à Deo vt Dauidem argueret ob adulterium & homicidium, proposita prius parabola de ouicula, coegit regem, vt nesciens seipsum sua sententiā damnaret. Eodē modo Christus in euangelio proposita parabola de vinea ad hoc Iudæos adduxit, vt contra se sententiā ferrent dicentes: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis. Ideo subiunxit Deus: Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius. Si Deus de Iudæis tam grauitè queritur, quanto grauius de nobis queri potest? Expectat à nobis vt virtutē colamus, & eū ipsum ardentè amemus: Nos verò sceleribus implicamur, & eum ipsum negligimus. Nos sumus vinea sua, quā ipse coluit, pro qua acerbissimo cruciatus tulit, pro qua se hostiū iniuriis obiecit, pro qua summa charitate inflāmus vitā profudit, quam precioso sanguine suo rigauit. Quid igitur debuit amplius facere vineæ suæ, & non fecit? Nemo potest ardentius amare eo qui pro amicis sanguinē fudit: At tu domine mi Deus multò ardentius amasti, quoniā etiam pro inimicis te cruci obtulisti, vt mortem acerbissimā vltro tolerasti. Quid debuisti facere vineæ tuę, quod nō feceris? At nos qui pro te mori deberemus, quibus nihil magis deberet esse in optatis quàm te sequi, ad te semper aspirare, te relinquimus, & in imis volutamur. O cęcum nostrū iudiciū, O ingratitudinē incredibilem, & effrenatam nostram cupiditatē: qui Deum optimum maximum contemnimus, & in rebus fluxis atq; caducis beatitudinem collocamus? Nos nos sumus ad quos hæc possunt referri, nos sumus illi, de quibus conqueritur Deus apud Michęam *Mich. 6.* prophe. dicens: Popule meus quid feci tibi? responde mihi.

Auferam sepem eius.] Priusquam sepē auferret, minatur se esse eam ablaturum, vt conuersi ad penitentiā ab imminentibus periculis liberarentur. Solet enim Deus priusquā puniat cōminari. Id fecit Niniuitis Iona præcone, & Iudæis præcone Ieremia aliisq; prophetis. Et volens Deus Iudæos occidere propter eorum idololatriam, & nefariam impietatē, dixit Moyssi pro populo supplicanti: Dimitte me vt irascatur furor meus cōtra eos, & deleam eos. Ita hoc in loco, Auferam, inquit, sepem eius, hoc est, non eos protegam. Et maceriam eius diruā hoc est, viros sanctos, qui populo pro muro sunt, quibus ablati conculcatur populus, hostiumq; direptioni cōmittitur, & manet vinea bestiis, hoc est vitis

Pfal. 67. *Eccle. 36.* exposita & aperta. Destruisti sepē. ait propheta, & exterminauit eā aper de sylua. Et Ecclesiastic. Vbi nō est, inquit, sepes ibi diripitur possessio. Pro magna pœna minatur Deus se ablaturā esse à Iudæis non solū diuinam protectionē, sed virorum piorū custodiā & familiaritatē. Tunc enim impij in perniciē ruūt, cū ab iis viri iusti separātur & auferuntur.

Genes. 18. *Exod. 14.* Remoto Lot à Sodomitis fuerūt illę ciuitates terribili supplicio mirabiliter euerſę : & discedentibus Hebræis ab Aegypto, fuerunt Aegyptij in mari rubro obruti, vbi æternam memoriam suę ignominię & pietatis reliquerunt.

Simile. *Pfal. 91.* *Simile.* *Pfal. 91.* Non amputabitur.] Omnibus iis rebus ostendit Deus voluntatē vineę destruendę. Quemadmodū vinea nisi amputetur, ipsa sua fecunditate iylueſcit & perit, omnino sic homines nisi curas superuacaneas reſecet, & indomitā cupiditas res recidāt, iisdē rebus, quibus opes & gloriā cōparare existimabant interitū sibi & periculū moluntur. Tunc Deus ciuitatem suę animam nostram amputat, cum ab ea remouet & reſecat virtutum impedimenta. Nam vt quicquid ob amputationē adimitur ex vite, fructibus additur: sic quō quis caducarū inutiliumq; rerum studia diligentius reciderit, eō amplius illustrabitur, & vberiores virtutū fructus feret, quibus animum ad æternitatem alet & reficiet.

Similitudo. *Similitudo.* Ascendens super eam vepres & spina.] Hoc est, vitiis & flagitiis opprimetur. Vt enim in agris dēſi vepres frequētēq; syluę terram ita occupant, vt salutares ac vtilis herbas crescere non sinant: sic in animis vitia nos opprimunt, vt omnē rationem, omnem temperantiā, omnem deniq; animi culturā obumbrent & impediant. Subeunt hanc vitiorum syluā varix beluę indomitę & moleſtę, hoc est, appetitiones noſtrę effrenatę, quę ita omnia depopulantur, vt nullo modo finant in lucem prodire rationem.

Similitudo. *Similitudo.* Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.] Nubes sunt Prophetę & Apostoli. Vt. n. nubes ex terra eleuātur, sic viri iusti diuinarū rerū amore & contemplatione veluti diuinis epulis recreati à terra, & humanis negotiis se abducunt & abstrahūt, & ad cęlestia efferūtur. Et vt nubes rore & pluuiā aridā terrā ſecundant, & fructuosam reddunt, sic viri sancti eos, qui virtutū ariditate laborant, doctrina & exemplo humectant & irrigant, vt fructus vberimos ferant. His rationibus adductus Esaias nō solū hoc in loco, sed etiā cap. 60.

Pfal. 17. Apostolos ita nubes vocat, Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Et Dauid, Tenebrosa, inquit, aqua in nubibus aëris, hoc

hoc est, vaticinationes & oracula prophetarū sunt explanatu difficillima. Nomine aquæ doctrina significatur. Ita Moses veluti quædā nubes dicebat, Crescat vt pluuiā doctrina mea, sicut vt ros eloquiū meū. Est igitur horū verborū Esaiæ sensus: Prophetis & Apostolis præcipiā ego dominus ne Iudegorū populum irriget doctrina sua. Quod post Christi mortē impletū fuisse perspicuū est, Nullū enim Iudæi habent nec prophetā, nec apostolū, imō nulla gens hodiē viuit abieciōr, indoctior, durior, calamitosior, & detestabilior. Et ita videmus apertē id, quod Deus in Leuitico Iudæos alloquēs dicebat, Dabo vobis cælū desuper sicut ferrū, & terrā enēā: Et in Deuter. Sit cælum super caput tuū enēū, & terra sub te ferrea. Det dominus pro imbre terræ tuæ puluerē, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. Cūm autē confret in Babylonica captiuitate Iudæos non caruisse prophetis, sed fuisse doctrina irrigatos, apertē concluditur esse hanc Esaię vaticinationē de captiuitate per Romanos intelligendam. Est præterea obseruandum auferri beneficiū & præsidium ab indignis, vt per supplicia illi Deum cognoscant, qui eū beneficis cognoscere noluerunt, Tu vero quē Deus muneribus ornauit, cui ingenium, opes & dignitates tribuit, noli eis imperanter abuti, noli pro vuis ferre labruscas, ne tibi omnia auferantur, & alteri dentur.

Deut. 32.

Leuit. 26.

Deut. 28.

Vinea autem domini exercituum domus Israël est.] Verba sunt Prophetæ parabolam explicantis. Per domus Israël intelliguntur decem tribus, per viros autem Iuda duæ aliæ, quas germen domini delectabile appellat, quia præuidebat Christū Dei filium ex tribu Iuda humanā carnē esse sumpturū.

Et expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam & ecce clamor.] Explicat id quod dixerat, Expectaui vt faceret vvas, & fecit labruscas. Per iudiciū & iustitiam vvas intelligit, per iniquitatē & clamorē labruscas. Fuit autē hæc iniustitia & hic clamor quando à Pilato petierunt, vt Christum crucifigeret. Cūm Pilatus proponeret Iudeis, quæ velent ē duobus dimitti, Christum an Barabbā, erat autē Barabbas latro quidam qui ob seditionē & homicidiū erat in carcerem coniectus, elegerunt Barabbā, clamoribus autem magnis Christū crucifigi postulabant. O electionē satanicā. O cæcum furorē, o impietatē incredibilē, & impudentiā prædicandā. Iustitia exiebat vt dimitteretur Iesus, Barabbas autem damnaretur, sed pro iustitia clamor. Circumsonabant Iudegorum voces, omnia clamoribus implebant petentes

Matt. 27.

Mar. 13.

Luc. 23.

Ioan. 18.

tentes vt Christus occideretur. Tribuerūt vitā homini, quī homines vita priuabat, illum autem qui mortuos ad vitam reducebat, morti destināunt. Absoluerunt inpiū & dānāunt innocentem. Eum seruauerūt, qui viuos occidebat, eum occiderunt qui mortuos suscitabat. Petierunt viuere ipsam mortē, ipsam autē vitā ad mortē vocauerunt. Quod intuens propheta ait, Et expectauit vt faceret iudiciū, & ecce iniquitas, iustitiam, & ecce clamor. Poterit hoc intelligi de iniustitia Iudæorum in cōmuni. Et aduerte per clamorē iniustitiam significari, opponitur enim hoc in loco clamor iustitiæ, quæadmodum iniquitas iudicio: nam pauperes oppressi & iniuste afflicti clamabāt, & omnia querimonis implebant, & nō erat iudex, qui eos liberaret. Tu qui iudex es constitutus, ne pauperes opprimas, nō est enim Deus, vt ait propheta, oblitus clamorem pauperū. Non solum dū viuunt clamant, sed etiam post mortē clamat innocentium sanguis. Id significauit Deus Caino dicens, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Fortasse ideō clamorem imposuit iustitiæ quoniā in loco vbi causæ discernebantur, qui deberet esse pacis & modestiæ plenissimus, ibi nulla erat moderatio, nulla securitas, sed omnia clamoribus, altercationibus, conuitiis, & turbulētissimis concitationibus reduncabant, quæ iustitiam peruertebant.

Va qui coniungitis domū ad domum, & agrū argo copulatis vsque ad terminū loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nisi domus mulierum deserta fuerint gradēs & pulchra, & absque habitatore. Decem enim opera vinearum facient lagunculam vnā, & triginta modū sementis facient modios tres. Va qui consurgitis mane ad ebrietatem se hauriendā, & potandū vsque ad vespērā, vt vino estuetis, Cithara, & Lyra, & tympanū, & tibia, & vinū in conuiujs vestris & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllō termino, & descendit fortes eius, & populus eius, & sublimēs gloriosiq̃ue eius ad eum. Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir & oculi sublimium deprimentur. Ex exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & deus sanctus sanctificabitur in iustitia.

Va qui coniungitis.] Vituperat auaritiā, quoniā hæc est, s. Tim. 6. quæ peruertit fundamenta iustitiæ. Radix omnium malorum

rum inquit Apostolus, est cupiditas. Et cum talis sit, videmus tamen plerosque mortalium pecuniæ seruos incredibili avaritia flagrare. Ait enim Ieremias, A minore vsque ad maiorem omnes avaritiæ student. Est namque avaritia altera linea æquinoctialis cingens totum vniuersum. Et vt qui sub linea degunt atri sunt, qui verò ab ea distant, albedine afficiuntur, & quanto longius distant, tanto sunt candidiores, sic qui avaritiæ subiciuntur, improbi sunt, qui verò ab ea longè distant, animi candore sunt præditi & quanto longius absunt, tãtò puriores sunt. Ait ergo Propheta, Væ vobis: æternam enim damnationem incurretis, qui studio avaritiæ incitati vi & fraude, quò ad fieri potest, possessiones vestras augetis vsque ad terminum loci, hoc est donec non sit amplius locus vilis. Quid facies ò infelix auare? nõne tres cubiti terræ solùm te expectant? nõne paruus lapis ad tuum miserum corpus tegendum satis est? Cur igitur totopes & possessiones tam ardentè quæris, & impedimèta æternæ beatitudinis cõcupiscis? Filij Ruben & Gad ob diuitias, & multa pecora quæ possidebant, petierunt à Moyse, vt daret illis terrã pecoribus aptã ante Iordanem, nõ enim volebant terrã promissionis intrare. Qui diuitiis astuant & oblectantur, & iumentis abundant, nolunt trãfire Iordanem, nec in terra veræ promissionis hæreditatè habere, eligunt cæpstria, pascuntur terra, cælestè autem habitationem nequam requirunt. Ob bruta animalia quæ nutriunt, hoc est, ob indomitos avaritiæ motus, ob insatiabilem diuitiarum cupiditatem ad altissimam promissionis patriam ascendere non curant. Quod cernens Esaias, inuehitur in auaros. Et quanquam hæc ad ludæos præcipuè referebat, sunt tamen ad omnes auaros in communi referenda.

In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum.] Id est, hæc omnia quæ facitis, ait Deus, ego audio. Omnia vestra scelera sonant ante me. Vel ita: Ego Esaias audio hæc, quæ sequuntur, quæ dicit Dominus exercituum.

Nisi domus multæ.] Aposiopesis est. Debet subaudiri aliquid. Ac si dicat: Si ego non fecero vt domus multæ & ornate deserantur, nolite amplius mihi credere.

Decem enim iugera.] Sensus est: Capta Hierosolyma à Romanis tanta erit agrorum sterilitas, vt decem iugera vinearum reddant batum vnum siue lagunculam vnã vini, & ex multis modis sementis non colligetur nisi parum quippiam. Iugerum est spatium terræ, quod vno die par bonum arare

Ierem. 6.

Simile.

Figura.

Deut. 3.

arare potest. Lagunculam siue batum dicunt esse mensuram tres amphoras, continentem.

Ve qui confurgis mane ad ebrietatē sectandam.] Inuehitur in eos qui dediti ventri & deliciis, se vitiis contaminant: ex quo efficitur, vt Deum obliui eius opera nequaquā contemplantur. Nam ventris saturitas est veluti seminariū quoddā nefariæ voluptatis, & animū quasi quibuldā vinculis tenet

Genes. 2.

Genes. 3.

Genes. 4.

Matt. 17.

Dan. 3.

Dan. 2.

Dan. 6.

Gen. 14.

lud mortiferam comederet, ad quod cum Eva inuitant, in paradiso feliciter vixit: postquā verò comedit, fuit eiectus, & vxorem cognouit: & qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, fatur extra eū vxori copulatur. Aspicias hic paradisi felicitatem absq; cibi abstinentia non fuisse. D. Hieronymus ad uersus Iouinianum ob ieiunij confortium inquit apparuisse Moysen & Eliam in monte cum Christo transfigurato. Et ob ieiunium nō fuisse consumptos tres illos pueros in baby lonis fornacē coniectos: & fuisse mysteria Danieli referata, eumq; in lacu leonum referuatum. Cōsidera ieiunij magnitudinem & excellentiā. Mitigat & terret leones immanissimos, efficitque vt flammæ ignis ardentis non comburant.

Quid maius? Quid præstantius? Sed quid opus est multis? Lege sacram scripturam, inuenies viros illustres vtriusq; testamenti fuisse ieiunio & abstinentia res maximas & pulcherrimas cōsecutos. Cōtrā verò ob crapulam & gulam multos in scelerū gurgitē incidisse, & in æternas miseras fuisse precipitados. Diuus Paulus in epistola ad Galathas inter opera carnis ebrietates & commestationes cōnumerat, subiungens statim, eos, qui talia agunt, regnum Dei nequaquam esse consecuturos. Et in epistola ad Romanos: Si secundū carnē vixeritis, inquit, moriemini: si autē spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis. Oportet igitur ieiunio & ciborum abstinentia & temperantia carnem domare, si volumus esse verē Christiani. Nam, vt ait Apostolus, qui sunt Christi, carnē suam crucifixerunt cū vitiis & concupiscentiis: Nec sunt audiendi hæretici nostri temporis, qui negāt penitentiam, & aiunt non esse ieiunij nec carnis afflictionē necessariam, quoniā crux Christi nos ab eo labore eripuit. Quid respondebunt ad citatas auctoritates Apostoli? Si sola crux Christi ita esset sufficiens & efficax, vt nostra non esset necessaria, non diceret Christus apud Matthæum: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Et D. Lucas ait, Et tollat crucem suam cotidie

Galat. 5.

Rom. 8.

Galat. 6.

Matt. 16.

Luc. 8.

Et sequatur me. Et D. Lucas ait, Et tollat crucem suam cotidie

tidie & sequatur me. Vbi apertissimè Deus offendit esse nobis nostram crucem necessariam. Non dicit: Tollat crucem meam, sed crucem suam, & sequatur me.

Cithara, & lyra, & tympanum] Eos vituperat, qui vario organorum cātu, & vocum lasciuarum inflexionibus se delectant & effeminant. Nō instrumenta musica dānat, sed eorū intēperatos abusus, & delicias atq; voluptates per ea intellectas. Hæc musica instrumenta habebat rex Babylonis, quibus consonantibus vniuersarū gentium populi proferebantur, & statuā auream adorabāt. Efficiunt enim vanæ voluptates, vt idolis, hoc est mundo, dēmoni, & carni seruiamus & obīperemus. Sed quæ est hæc dementia, vt firenarū cātibus delectemur? In salicibus in medio Babylonis suspēdamus organa nostra. Et quoniā iuxta flumina Babylonis sedemus, oculos ad cælestem Hierosolymā leuimus, eamq; contēplātes vim lachrymarū profundamus: Quomodo cātābimus in terra aliena exules à cælesti patria? Præsertim cum omnes mundi opes & voluptates sint flumina & mare mortis perenni fluxu tendentia, & illud solum remaneat, quod simus rectè factis & virtute consecuti.

Et opus Dei non respicitis] Hoc est dediti crapulis & mundi voluptatibus opera Dei nō animaduertitis. Opera Dei sunt creaturæ. Ex quo colliges rerū creaturarum consideratione vtilem esse & salutarem, cum non ducat ad ipsius creatoris contemplationem. Nam vt riuli nos ducunt ad fontem, sic creaturæ ad creatorem. Et quamuis riuli sint impuri, nos tamen ad purum fontem inueniendum dirigunt. Est enim Deus fons ille sempiternus, de quo ait Propheta, Apud te est fons vite: hoc est, tu es fons ex quo omnis vita effluit & dimanat. Quicquid est creatū explicat suo modo gloriam Dei. Cæli, vt ait Dauid, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annūciat firmamentum. Quid dico cælum? imo etiam aues, lilia, scænum. Ad omnium enim harū rerū considerationem nos inuitat Christus apud Matthæum. Et D. Paulus in epist. ad Rom. Inuisibilia enim Dei, inquit, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta cōspiciuntur. Eam ob causam appellarunt nonnulli seculum speculum rerum inuisibilem. Et ita intelligitur id, quod est in libro Sapientie: Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, hoc est, mundus omnia continens te Domine scit prædicare, & laudibus efferre. Ideo dicunt nonnulli dixisse Anaxagoram naturam se esse vt videret solem, quia pulcherrimum

Dan. 9.

Psal. 136.

Simile.

Psal. 99.

Matt. 6.

Rom. 1.

Simile.

Sap. 8.

cherimum illius astri, eiusq. admirabilis luminis & immutabilis constantiæ contemplatio, eum ad contemplandum summum illum rerum omnium opificem & moderatorem Deum optimum Maximum vehebat. Vel per opera Dei, non solum creationis, sed etiam redemptionis opera intelliguntur. Poteris per opus Dei legem diuinam intelligere digito Dei scriptam. Et sic erit sensus: Studetis auaritiæ, traditis vos ipsos voluptatibus & deliciis, legem autem Dei hæc omnia prohibentem nequaquam consideratis. Et quæuis omnes hæc explanationes huic loco conueniant, existimo tamen hoc proprius intelligi de illis Dei operibus, quæ quotidie geruntur à diuina prouidentia in administratione rerum humanarum, vt fit sensus: Vos infelices appello ò impij peccatores, qui sceleribus vestris intenti non intuemini quemadmodum Deus improbos puniat, iustos autem præmiis afficiat. Et si enim aliquando impij opibus floreat, rebus secundis vtantur, & hominum sermone celebrentur: tamen in hac prosperitate premuntur dolore, agitantur scelerum furis, & sæpe in medio cursu ruunt, & antè fluctibus obruuntur, quam portum conspiciant. Et quod est calamitosius, in æternos cruciatus præcipitantur. Contra verò viri iusti, pietate atq. charitate excellentes, quamuis aliquando in calamitatibus versentur: omnia tamen vertunt in bonum, & per varios casus tendunt in patriam cælestem, quam tandem itinere finito consequuntur. Horum diuinæ prouidentię operum cõsideratione alitur piorũ animus: impij autè hæc non curant nec contemplantur. Id intelligebat regius vates ita canens: Delectasti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo, quàm magnifica sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscat, & stultus non intelliget hæc. Et alio in psalmo, Reddit, inquit, retributione eorum ipsis, quoniam non intellexerunt opera Dei.

Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiam. Hæc Iudæis sub Tito Vespasiano acciderunt. Nō habuerunt scientiam legis, ideo Christum non receperunt: vnde factum fuit vt captiuus ducerentur. Ad scientiam legis eos inuitat Christus dicens apud Ioannem: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. At illi nō intellexerunt nam vt ait scriptura in libro Sapientię. Obsecrauit illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei. Ideo dicebat

Psal. 91.

Psal. 27.

Ioan. 5.

Sap. 2.

Ioan. 8.

cebat

cebat illis Dominus apud Ioannem : Nec me scitis , nec qui
 me misit. Et id fatebantur ipsi ita apud eundem euangeli- *Ioan. 9.*
 stam dicentes: Hunc autem nescimus vnde sit. Potest hoc i-
 ta explanari: Propterea captiuus ductus est populus meus,
 quia non considerauit opera creationis, nec redemptionis,
 nec diuinæ prouidentie, vt pendeant hæc verba à præcedē-
 tibus. Et est magnopere aduertendum, non dicere fuisse Iu-
 dæos captiuos propter homicidia, nec propter adulteria,
 sed propter inscientiam, ob quam etiam hodie captiui deti-
 nentur. Ignorantes enim iustitiam Dei, vt ait Apostolus, &
 suam querentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Nec *Rom. 2.*
 solum Iudæi, sed omnes etiam qui Christum dereliquerunt,
 & vitii contaminantur, ignorantes sunt, & captiui vinculis
 scelerum ligati. De omnibus flagitiosis potest dici: Propte-
 rea ductos esse captiuos, quia non habent scientiã. Esse om-
 nes impios ignorantes indicat Salomō in Prouerbiis ita di-
 cens: Impius ignorat scientiam. Et in libro Sapientiæ scri- *Prou. 20.*
 ptum est: Pugnabit cum illo omnis orbis terrarum contra *Sapient. 5.*
 insensatos: hoc est, contra peccatores. Vbi vides eos insensa- *Rom. 1.*
 tos appellari. D. Paulus in epistola ad Romanos. Obscuratū
 est, inquit, inspiens cor eorum: dicentes enim se esse sapien-
 tes, stulti facti sunt. Et in prima epistola ad Corinthios, Sa- *1. Cor. 30.*
 pientia inquit, huius mundi stultitia est apud Deū. Et ad E- *Eph. 4.*
 phesios: Non ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate
 sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectu, alienati
 à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis. Esse verò omnes
 impios captiuos aperte asserit Salomon in Prouerb. dicens:
 Iniquitates suæ capiunt impiū, & funibus peccatorum suo *Prou. 5.*
 rum constringitur. Et alio in loco in iisdem Prouerb. Igno- *Prou. 7.*
 rās, & nescit quòd ad vincula stultus trahatur: Vnde dicitur
 in psalmo: Qui educit vincetos in fortitudine. Vbi peccato- *Psal. 67.*
 res vinceti appellantur, quos Deus sua fortitudine ex vincu- *Psal. 68.*
 lis educit, Et alibi: Et vincetos suos non despexit. Peccata no-
 stra funes sunt, quibus ligamur. Eam ob causam fortasse fe-
 cit Deus flagellum ex funibus ad flagellandum peccatores.
 Refert enim D. Ioannes fecisse dominum quasi flagellū de *Ioan. 2.*
 funibus, & omnes vendentes eiecisse de templo. Nostris e-
 nim peccatis flagellamur. Colligimus ex iis verbis Esaię, im-
 probos esse, & insanos & captiuos. Id quod in historia Sam-
 sonis significauit scriptura. Cū enim ille se Dalilæ tradi- *Indie. 10.*
 ditset, & arcanū referasset, fuit cæcus & captiuus. Venerunt
 Philistiim hostes ipsius, & eruerunt eius oculos, eumq; ad-

duxerunt vinctum catenis, & in carcerē coniecerunt. Quid nomine Dalilę nisi turpis voluptas intelligitur? Quid nomine Philistiim nisi animę impetus significatur? Cum se quilibet homo falsę voluptati tradit, & sceleribus coinquinat, statim diabolus, mūdus, & caro animi eius oculos auferūt, & peccatorū vinculis attingūt. Si peccator ab his vinculis voluerit absolui, confiteatur debite de peccatis suis, & audi et sacerdotem dicentem: *Authoritatem, qua fungor, ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis. Confugiāt ergo peccatores ad sacramentū penitentię a Christo institutum, vt ibi a peccatis absoluantur. Ipse enim apud Ioan. ca. 20. sacerdotem alloquitur, Quorum, inquit, remisistis peccata remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ioan. 20.

Et nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.] Hoc in obsidione & euerfione Hierosolyinę per Romanos impletum est. Obserua. Dixerat paulo ante Iudęos deditos esse ventri, nunc prędicat eos fame & siti puniēdos esse. Et merito quidē, quoniam per gulā & ebrietatē peccauerant. Aegypti pueros Hebręorū in fluuium suffocabant, & ipsi poitea in mari rubro interierunt suffocati, iustas atq; debitas pœnas suę inmanitatis perfoluentes. Sunt qui hanc famem & sitim spiritualiter intelligant. Qua de re poteris etiam videre, quę suprà annotauimus cap. 3.

Exod. 1.

Exod. 14.

Propterea dilatauit infernus animam suam.] Infernus nec animam habet nec os: sed loquitur hoc modo propheta vt hęc tenacius inhæreant in memoria auditorum: & vt sic exprimat esse infernum capacissimum, & magnam esse damnatorum multitudinem.

Es incuruabitur homo, & humiliabitur vir.] Id est, omnes impij tam plebei quam nobiles, in infernum præcipitabuntur.

Et exaltabitur dominus exercituum.] Cum Iudęi suę infidelitatis & pertinacię pœnas luerint, laudabitur Deus, quod iuste iudicauerit, & impios perdidit. Tunc vulgus ad pietatem & religionem excitatur, Deumque laudibus effert, cū ipse aliqua insigni pœna improbos vlciscitur. Eā ob causam dicebat Dauid: Exurge domine deus meus in præcepto, quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te. Ac si diceret: Tu domine præcepisti rempublicā gubernantibus vt homines nefarios punirent: tu ergo fac, quod aliis faciedum præcepisti. Castiga & vlciscere impios & congregatio populorum ad te conuertetur, te hominum cœtus intuebitur,

Psal. 7.

bitur, & iustū prædicabit. Ex quo efficitur, vt vir iustus improborum vltione lætetur, vt peccator reddatur curiosior, & Dei iustitia appareat illustrior, hoc est quod dicitur in Psalmo: Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Exaltati dominum impiorū vltione dictum est capite secundo.

Psal. 137.

Et pascentur agni iuxta ordinē, & deserta in vbertatem versa ad uena comedent. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrī peccatum. Qui dicitis: Festinet, & cito veniat opus eius, vt videamus: & appropiet, & veniat cōsiliū sancti Israël: & sciemus illud. Væ, qui dicitis, malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram ipsis prudentes. Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui iustificatis impium muneribus, & iustitiam iusti auferitis ab eo.

Prou. 30.

Rom. 12.

Prou. 17.

Et pascentur agni.] Captis & punitis infidelibus Iudæis Christiani pascentur in pratis ecclesie. Christiani appellatur agni, quē admodum. cap. 40. Et Christus Deus noster apud Ioan. Pasce agnos meos. Et apud Lucā. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Quibus autem pabulis agni pascantur, indicat psalmus. 22. Idem aperit hoc in loco propheta dicens: Et deserta in vbertatem versa adueniē comedent. Hoc est, gentes ad fidem conuersæ illorum bonorum potenti, a quibus Iudæi exciderint. Sunt autem hæc quæ Iudæi deseruerunt, diuina eloquia, quæ ab illis deserta & versa in vbertatem veræ intelligentiæ a Christianis in ecclesia possidentur.

Ioan. 10.

Luc. 10.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.] Hoc est, Væ vobis, qui extenditis & dilatatis iniquitatem, querentes varios & illicitos peccandi modos. Per funiculos vanitatis intelligit vias, modos & occasiones delinquendi, quibus iniquitas augetur & dilatatur. Eos improbat & infœdices vocat, qui in peccatis perseverant, & nouas indies inuentiones admittēdi flagitia inquirunt. Ideo vias peccandi funibus cōparat, quia vt funes necuntur ex filis, & ita producantur & dilatantur, sic peccatores peccatis peccata addentes iniquitatem propagant, & lōgissimam efficiunt. In pis in gurgitem proiectus multos facit vndarū circulos, qui quō plures sunt, eō maiores efficiuntur, & latius dilatantur. nam vnus exortus alterum maiorē excitat, post quem alius oritur multo maior, & ita propē in infinitum, donec flu-

simile

ctus terram, vel aliquid attingant, quod eorum multiplicati-
 cationi obstat. Eodem modo se habent peccata, nam ex
 vno alterū grauius oritur, ex quo aliud multo grauius pro-
 ducitur. Et ita crescerēt in immēsum peccata, nisi diuina mis-
 sericordia impedirentur. Et vt funes facile ex filis neētuntur
 & texuntur, sed forriter astringunt, sic peccata facile admit-
 tuntur, sed fortiter ligant. Ideo quādo scelera perpetramus
 funes teximus, quibus astringimur. Quod aliis verbis sed in
 idem recidentibus dicit propheta statim subiungēs: Et quasi
 vinculum plaustrī peccatum. Comparat peccatum vinculo
 validissīmo, quo currus ligatur & trahitur. Indicāt hęc ver-
 ba peccatum ligare & astringere, quod paulo ante diceba-
 mus verba illa interpretātes, Propterea ductus est captiuus
 populus meus, &c.

Feslinet, & cito veniat opus eius.] Verba sunt Iudæorum
 infidelium prophetas irridentium. Præuidebat Esaias esse
 ab eis sanctorū vatum oracula contemnenda, & hęc referet,
 quæ eos ducturos esse sciebat. Quousque o prophetæ mina:
 mini iram Dei? Dicitis esse nos captiuandos, & Hierosoly-
 mam euertendam: videamus hoc: veniat iam hęc ultio: ap-
 propinquet hic effectus consilij Dei, qui est significator
 Israëlīs. Hęc dicebant ironicē & irrisorie.

Væ, qui dicitis: malum bonum, & bonum malum.] Hęc, &
 quæ sequuntur, in idem recidunt. Aduerte. Non solum eos
 arguit, qui bonum vituperant, sed eos etiam qui malum
 laudant. Inuehitur propheta in eos, qui nihil iudicant recta
 ratione, sed omnia corrupti iudicij opinione metiuntur. Ex
 quo efficitur, vt mentis cæcitate impediti nomina rerū mu-
 tent, virtuti vitij nomē imponentes, vitium verò virtutem
 appellantes. Rationi parere imbecilli animi esse dicūt, terrā
 facinus admittere gloriosum. Potest per bonum non virtus
 sed vir bonus intelligi: per malum verò non vitium sed vir
 improbus & sceleratus. Huic expositioni fauet versio Aquila
 ita habens: Væ, qui dicunt malo bonus es: & bono, ma-
 lus es. Vnde Salomon in Proverbiis. Qui iustificat, inquit,
 impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vter-
 que apud Deum. Signum est viri iusti viros optimos laudi-
 bus extollere, & benevolentia profsequi: homines verò im-
 pios non solum non laudare, sed etiā odio habere, non qua-
 tenus homines sunt, sed quatenus iniqui: vt nō Dei opus de-
 testetur, sed hominis malitiā. Et hoc odium nō contrariatur
 amorī proximi, imo cū charitate maxime coheret. Rex Da-
 mid

Prou. 7.

uid in eo psalmo, in quo pollicetur se esse officio boni principis functurū, ita inquit. Factētes p̄uaricationes odiui. Et in alio psalmo, Nōnne, inquit, qui oderūt te domine oderā, & super inimicos tuos tabescebā? Perfecto odio oderā illos, & inimici facti sunt mihi. Et in alio, vbi viri iusti qualitates describit ita ait: Ad nihilū deductus est in cōspectu eius ma lignus, timētes autē Dominū glorificat. At deprauati homines corrupto iudicio, & ceco impetu agitati omnia peruertūt: viros doctrina excultos, & virtute p̄ditos vituperant, & maledictis lacerant: amentes autē & scelerū maculis notatissimos laudibus exornant. Et quāuis Esaias hęc dicat in cōmuni, inuehitur tamen p̄cipuē in pharisæos, qui Babbabam seditiosum homicidam & latronem elegerunt, Christum verō sanctissimum ad mortem vocarunt.

Psal. 100.

Psal. 138.

Psal. 14.

Ioan. 3.

Rom. 13.

Psal. 118.

Ephes. 40.

Ioan. 3.

Matt. 5.

Simile.

Ioan. 5.

Eccle. 27.

Ponentes tenebras lucem.] Nomine tenebrarum peccata intelliguntur. vnde Christus apud Ioan. Qui, inquit, sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et diuus Pau. in epistola ad Roma. Abiciamus ergo opera tenebrarū. Nec mirū est, peccata tenebras appellari, cum cōtrarietur verbo Dei: quod, vt dicitur in psalmo lucerna est pedibus nostris, & quia ita animū obscurat, vt vix agnosci possit impius, sit ne homo an brutū, & quia in tenebras extrinas adducūt. Vel per tenebras peccatores significatur. Vnde Apostolus, Eratis, inquit, aliquandō tenebræ, nunc aut lux in Domino. Et D. Ioānes, Et lux, inquit, in tenebris lucet, hoc est Christus inter peccatores. De iustis ait Christus, Vos estis lux mundi. Nā quæadmodū p̄sente sole lux est, eo verō absente sequitur tenebræ, sic verē p̄ sole iustitiæ illuminati appellantur lux: cōtrā verō impij diuinę gratię claritate destituti vocantur tenebræ. Est igitur vir pius & iustus lux, Sed qualis ea sit indicat Christus de Ioan. Bapt. dicens, Ille erat lucerna ardēs & lucēs. Ardebat charitate, & lucebat vi tæ & exemplo. Prius est ardere quàm lucere. Luna lucet, sed nō ardet, quia luce aliena rutilat, ideō mutabilis & instabilis est. Vndē in Ecclesiast. itā scriptū inuenies, Stultus vt luna mutatur. De sapiēte verō dicitur in eodē cap. Homo sensatus in sapiētia manet sicut sol. Est enim sol princeps & moderator reliquorū astrorū, tanta magnitudine vt omnia suo splendore lustret & cōpleat, cuius luci ob eam causam vir iustus comparatur, quia ardet & lucet.

Ponentes amarū in dulce, & dulce in amarū.] Ea est humani iudicij corruptela, ea cæcitas & ignorātia, vt mala pro bo-

Simile.

nis, obscura pro illustribus, amara pro dulcibus sepe numero amplectamur. Prouenit hæc gustus deprauatio ex eiu illius pomi funesti primis parētibus prohibiti. Et vt multi morbo aliquo & sensus stupore suauitatē cibi nō sentiūt, sic improbi homines veræ virtutis gustū nō habent: quin potius mortiferas voluptates cōcupiunt. Peccatū dulcissimū esse existimant, virtutē verō amarissimā. Illi qui vocati sunt ad magnā cornā à Deo paratā, quā D. Lucas scribit cap. 14. epulas illas diuinas ac suauissimas ob eā causam contēpserūt, quia deprauatū gustū habentes pro dulcibus amara desiderarūt. Nōnne ex illis vnus dicebat, Emi quinq; iuga boū, ideo nō possum ire? Vide cæcitatē & gustus deprauationē. Durissima mundi iuga epulis Christi suauissimis anteponebat. In Psalmo. 18. vbi editio vulgata habet, Bonitatē & disciplinā, & scientiam doce me: vertit quidam, Bonum gustū & scientiam doce me. Ita enim potest veri ex Hebræo. Vbi vides sanctissimū vatem à Domino bonum gustum postulare, ac si diceret, ita domine mētem meam illumina, vt perspiciam quid appetendum sit, quid vitandum, talem mihi animi gustum præbe, vt verorum bonorum suauitatem sentiam, mala verō amara esse & acerba esse iudicem.

Rom. 12.

Ve qui sapientes estis in oculis vestris.] Sic D. Paulus in epistola ad Rom. Nolite, inquit prudentes esse apud vosmet ipsos. Eis damnationem æternam annūciat & minatur propheta, qui prudentiam & sapientiam sibi arrogant, & mundi sapientia instructos se esse existimantes, sunt vera sapientia priuati. De his ait Apostolus, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Hi scientiam diuinam contemnentes humana gloriantur, cum scriptum sit, Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.

*Rom. 1.**Psal. 93.*

Qui iustificatis impium pro muneribus] De iis locutus est capite, 1. Eos appellat D. Iacobus apostolus iudices cogitationum iniquarum. Iob ita inquit, Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Et inter qualitates iusti hæc David in psal. 9. literis mādauit, Munera super innocentem non accepit, de vero autem iudice ait, Virga dictionis virga regni tui. Debet igitur iudex iustus esse, & omnia æquitatis norma mensurare. Ob eā causam, & sapienter quidem, veteres philosophi iustitiā Ioui assidentem esse dixerunt, significantes sine iustitia nec ipsum Iouē posse imperare. Ea verō iuxta Hesiodum est virgo quædam incorrupta, castitatis, vtilitatis, & pudoris amantissima. Iniquus

*Iac. 2.**Iob. 15.**Psal. 44.*

iudex

iudex est arundo piscatoris, quæ capto pisciculo manet re- *Simile.*
 sta, si aut trahitur piscis magnus, flectitur & contorquetur.

Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ
 exurit, sic radix eorum quasi sawilla erit, & germen eorum ut pul-
 nis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & elo-
 quium sancti Israël blasphemauerunt. Ideo iratus est furor Domi-
 ni in populum suum, & extendit manum suam super eum, &
 percussit eum. Et conturbati sunt montes, & facta sunt mortici- *Infra 9.*
 nia eorum quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non *& 10. 44*
 est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Et eleuauit
 signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, &
 ecce festinus uelociter ueniet. Non est deficiens nec laborans in eo.
 Non dormitabit neque dormiet, nec soluetur cingulum renuum eius,
 nec rumpetur corrigia calciamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & om-
 nes arcus eius extenti. Ungulæ equorum eius ut fides, & uolæ eius
 quasi impetus tēpestatis. Rugitus eius ut leonis rugiet, ut catuli leo-
 num. Et frendet, & tenebis predam, & amplexabitur, & non erit
 qui eruat. Et sonabis super eum in die illa sicut sonitus maris. Aspā-
 tiemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata
 est in caligine eius.

Propter hoc sicut deuorat.] Significat Iudæorum abiectio-
 nem & excidiū. Stipula est calamus frumētī, qui ueluti stu-
 pa facile exurit. Flammā ignis linguæ cōparat, quia instar
 linguæ ruber, & in acutiē tendit. Et quoniam propheta pop-
 ulum Israhēliticum uinæ comparauerat, uidetur modō ad
 eandē alludere in uerbis, radix & germen. Ideo per radicem
 parentes, per germen uero filios intelligimus. Est igitur
 sensus: Ob scelera modō numerata ut ignis stipulā facile cō-
 burit & deuorat, sic Iudæi tam patres quā filij funditus e-
 uertētur. Vel cōparat cum radice, qua nihil est in arbore fir-
 mius, uiros robustos: cum flore uero, quo nihil est in arbore
 pulchrius & oculis gratius, uiros illustri laude celebratos.
 Vel per radicē eos intelligit, qui maiorū opiniōe nituntur,
 per germē uero siue florē eos, qui per se nulla cōmendatio-
 ne maiorū ad honoris gradus ascēdunt: qui sunt posteritati
 suæ nobilitatis initiū, & uirtutis exemplū. Obserua. Radicē
 dicit ut stipulam comburendam esse, & florē instar pulueris
 dissipandū. Id quod solidius esse uidetur comparat, cum sti-
 pula, qua nihil est uanius, nihil facilius consumitur: & id
 quod pulchrius apparet, cū puluere, quo nihil est sordidius,
 nihil facilius euanescit, & à uentro dissipatur. Aspice & attē-
 to animo intuere humani iudicij deprauationē, & rerum hu-
 manarum

manarum imbecillitatē. Huius mundi fortitudo & potētia, quā nos firmissimā puramus, stipula est vana, leuis, vacua, & breui consumpta, & in fauillā conuersa: & eius flos & pulchritudo puluis est ater, sordidus, molestus, à vëto dispersus & exagitatus. Vnde Malachias ira ait: Erūt omnes superbi, & omnes facientes impietatē stipula, & inflammabit eos dī es veniens. Et Iob: Erunt, inquit, sicut paleę ante faciē venti, & sicut fauilla, quā turbo dispergit. Et psal. Non sic impij non sic, sed tanquā puluis, quē proicit ventus à facie terre, Poteris etiā in hoc Esaię loco per radicem intelligere malam cogitationem, per germen verò malum opus.

*Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & sermonem san-
cti, &c.*] Rationem reddit quare Deus sit iratus Iudæis, Non enim solum auaritiā, ebrietatē, iniustitiā, ceteraq; flagitia sectati sunt, sed etiam in tantum furorē sunt prolapsi, vt Christi euangelium abiecerent & blasphemarent. Lex Domini & sermo sancti Israhēl, hoc est Christi Israhēl sanctificantis, idem est ac euangelium, de quo dixit capi. 2. De Sion exiit lex, & verbum domini de Ierusalē. Hęc est lex quā dominus per Ieremiā se daturum pollicebatur, & in cordibus fidelium scripturum, quā Apostolus Paulus in epist. ad Hebræos euangelium esse testatur

*Ierem. 31.
Hebr. 8.
& 10.*

*Iob. 19.
Psal. 31.
Soph. 2.*

Extendit manum suam super eum.] Hoc est, eum flagellauit, Hebraismus est. Sic Iob, Manus, inquit, Domini tetigit me, Et David, Grauata est, inquit, super me manus tuā. Et Sopho, Extendet manū suam super aquilonē, & perdet Assur, Ergo nomine manus potestas punitoria significatur, Quā de re cap. 1. nonnulla diximus, quæ ibi videre poteris.

Et conturbati sunt montes.] Tantum erit supplicium, vt etiam viri potentes, qui mōtes appellantur, tremant. Id more prophetico narrat tanquam impletum, quod sub Tiro Vespasiano futurum esse præuidebat: quando tanta fuit Iudæorum clades, vt eorum corpora in medio platearum instar stercoris iacerēt prostrata, plagis & vulneribus cōfecta. Poteris etiam montes simpliciter intelligere. Et est, ea orationis exornatio quam Rhetores Græci *ὀρειβάλλον* Latini superlationem vocant. Ea vtitur Dauid ad vim iræ diuinæ exprimēdam dicens in psalmo: Commota est & cōtremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt, quoniam iratus est eis. Eodem modo apud Esaiam capite 13. ait Deus: Cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum. Hac

Psal. 17.

Infrat. 13.

superla-

superlacione voluit diuinus vates iram Dei exaggerare.

In omnibus his non est auersus furor eius.] Sensus est: Quoniã Iudei nolunt conuerti: non placabitur illis Deus. Et quoniã peccata peccatis accumulanti, adiunget Deus illis pœnas, & adhuc inanus eius extenta est ad puniendos eos. Et iuxta Danielis sententiam vsque in finem perseuerabit desolatio. *Dan. 9.*
Et dominus per Oseam, Nō addam inquit vt diligam eos. *Osee. 9.*
Et apostolus in prima ad Thessalonicenses, peruenit, inquit, ira dei in illis vsque in finem. *1. Thes. 2.*

Et eleuabit signum in nationibus.] Describit exercitum Romanorū, quem prædicit aduersus Iudæos venturū esse, Est igitur sensus: Erecto vexillo vocabit Deus Romanos, vt populo Iudaico bellum inferant: qui velociter venient, & Iudæã deuastabunt, Iudæi hunc locū referunt ad exercitū Babylo nicū. Sed quoniã propheta inquit, leuandum esse signum in nationibus procul, & vocādas esse gētes ad bellū de finibus terræ, nō existimo intelligi de Babylo niis, quoniã parū distabant à Iudæa, sed de gentibus longius remotis, & in finibus terræ habitantibus, quales sunt Itali, Hispani, Galli, & alii populi, ex quibus cōstat fuit exercitus Romanorū, à quo euersa fuit Hierosolyma. Nam hi eo tēpore erant imperio Romano subiecti. Sibilare hoc in loco vox est ad bellum prouocantis.

Non est deficiens nec laborans in eo.] Id est, Nemo in exercitu Romanorum erit lassus, Nemo deficiet, sed omnes læti & alacres venient instructi & expediti.

Neque soluetur cingulum.] Hoc est, omnes erunt accincti, & tam diligentes, vt ne vnus quidem balteum soluat.

Neque rumpetur corrigia calceamenti.] Hoc est, non exuent calceos. Vritur hac dicendi exornatione, quod sæpe calceos rumpamus, cum eos exuimus. Significat sumnam exercitus diligentiam & expeditionem.

Rota eius quasi impetus tempestatis.] vtebantur antiqui curribus ad præliādū. Ideo ait fore eorū rotas fortissimas, & cōcitatisimo cursu, magnū horribilemq; sonū esse effecturas.

Rugitus eius vt leonis.] Vt leo solet rugire visa præda, sic Romanus exercitus visis Iudæis. Significat Romanorū fauorem, eorumque præliandi cupiditatem.

Aspiciemus in terram.] Sensus est: cū venerit Romanus exercitus, & nulla humanitate impulsus, sed immanissimo furore exagitatus urbē deleuerit, prædā tenuerit & non fuerit qui eripiat, tunc aspiciemus in terram, vt videamus sitne a li-

quis, ad quē possimus confugere, & nemo erit. Quin potius videbimus patriam nostram incredibili crudelitate lacerari, multisque supplicis impositis tandē extingui. Omnia nobis obscura, tenebrisq; circumfusa ob incredibiles ætūnarū angustias videbuntur. Omnis lux nobis obtenebrabitur, & in caliginē vertetur: gaudiū nostrum mutabitur in luctū, & in lachrymis & gemitibus versabimur. Ostendit propheta suū erga nationē suā affectū, seque cū illis coniungit, ac si ille in eandem incideret calamitatem. vel ira. Aspiciemus in terrā velut homines stupidi summaq; mœstitia correpti. Habētes oculos fixos terræ, cælum intueri non audebimus, cuius habitatorem offendimus. Ideo nullam lucem nec consolationē sentiemus, sed in affixionum caligine versabimur. Aduerte. Qui terram aspiciunt, nulla luce illustrantur, sed in affixionum tenebris iacent. Nos verò cælum intueamur, à longe illud aspicientes & salutātes, & cōfidentes esse nos hospites & peregrinos super terram: Id quod non solū viri sancti post Christi mortem, sed etiā antiqui patres veteris testamenti fecerūt, vt diuus Paulus in epistola ad Hebræos testatur.

Hebr. 11.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT V.

Canticum patruelis mei.] Pro patruale meo est in hebraico dodhi. Dicitio Dod quæ significat patruum: &, vt diuus Hieronymus ait, significat etiā patruelem: quā significationem sequitur nostra communis versio, quā editionem vulgata appellat: Et Aquila etiam, qui vertit $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\delta\epsilon\lambda\phi\omicron\nu$ quod nomē propriè significat patruū, & iuxta D. Hieronymi sententiā, patruelem. Significat Dod etiam dilectū, vt Canticorū 2. Dilectus meus mihi, & ego illi, in quā significationē capitur hic a Septuaginta ita conuertentibus: Cantabo dilectio canticū dilecti mei. Iuxta hanc significationē transtulit Pagninus: Cātabo nūc propter dilectū meum canticum dilecti mei. Significat quoq; amatorem: quā significationē sequēs poteris ira verba hebræa latinè reddere: Cantabo dilectio meo canticum, amatori inquam meo. Significat præterea amorem & charitatem. Vnde id quod est Cāticorū. 1. Quia meliores sunt vbera tua vino, potest verti ex hebraico: quia meliores sunt amatores tui quā vinū. Quamuis enim hoc nomen vbera significet, tamen potest illic charitatem significare. Colligitur ex his, Christū esse dilectum à viris iustis, & ipsorum amatorem, & ipsum amorē & charitatem, iuxta id quod

id quod ait diuus Ioannes : Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

1. Ioan. 4.

In cornu filio olei.] Pro oleo est in hebraico xamen: quod nomen significat oleū, vt Exodi 27. Oleū de arboribus oliuarum. Et pinguedinem, vt Ge. 27. Et de pinguedine terræ. Septuaginta verterunt: In loco pingui Thargum: In mōte excelso, & in tera pingui. Pagninus: In colle, in loco pingui. Nonnulli existimant appellari Iudæam filium olei ob oliuarum, quibus abundat, multitudinem, R. Ioseph scriptor apud hebræos magni nominis Hierosolyma inquit ita appellari ob regem & sacerdotem, qui erant in ea, qui oleo vnguebantur. Huic expositioni fauere videtur id, q̄ est apud Zach. c. 4. Isti sunt duo filij olei, qui assisūt dominatori vni versæ terre. Vbi per filios olei intelliguntur rex & sacerdos: Hoc est Zorobabel & Iesus filius Iosedec. Ego existimo ob eā causam præcipuè Hierosolymā appellari montē pinguē, quia ibi Christus docuit, & inde exiuit euangeliū, quo impinguat us est mundus, qui antea aridus & macilētus erat.

Plantauit vineā electam.] Pro vinea electa est in Hebraico forek, quæ vox significat vitē optimam, cuius vuc nō habet acinos. Thargum vertit, Plantā vitis electe, Septuaginta habent vineā forek. Pagninus: Plantauit eam plantis vitis optimæ. Quæ omnia eandem habent intelligentiam.

Fecit labruscas.] Pro labruscas vertit Aquila fructus pessimos. Septuaginta spinas. Quibus Iudæi Dominum corona uerunt. O fructū acerbissimū, Ad hoc spectaculū considerādū inuitātur in Canticis piorū animæ, vbi scriptū est. Egre dimini filiæ Siō, & videte regē Salomonē in diademate, quo coronauit eū mater sua in die desponsationis suæ. O regē, o diadema, o matrē synagogā, imō hac in re immanissimā no uercā, quæ regē nostrū tā dura & aspera corona coronasti. Quid ego in tā impio facinore deplorē? aut quibus verbis cōquerar tā nefariū scelus? Verū et si Iudæi Christū spinis coronarunt, illius tamē coronæ mysteriū non cognouerūt. Significabat enim corona illa fore, vt Christus ecclesiam de gētibus antea impiis cōgregaret. Populus enim in orbe circūstantis corona appellatur: Nos autē qui ante cognitionē Christi eramus spīne, collecti ex sentibus & dumis circūdamus Christi preciosissimum caput, regemq; illum altissimū summa cæli tēpla diuina maiestate complentē coronamus.

Cant. 3.

Pascetur agni iuxta ordinem suum.] Chaldeus paraphrastes pro agnis interpretatur sanctos pauperes. Quæ interpretatio nostrā versionē mirabiliter explicat. Verū. n. Christi ani,

Matth. 3.

ani, quos propheta agnos appellauit, sancti pauperes sunt, de quibus apud Matth. Christus ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Septuaginta habent: Pascentur direpti quasi tauri. Hoc est, hi quos Christus eripuit à dæmonis potestate, pascentur ut tauri. Ex quibus colliges veros Christianos esse agnos, & sanctos pauperes, & tauros. Hi qui sunt innocentia agni, sunt animi fortitudine tauri. Fortasse ideo sancti martyres tauri vocantur, quoniã in mundo, tanquam in ludorum atrio & circo, ab immanissimis tyrannis exagitabantur, donec inauditis suppliciis & acerbissimis vulneribus cõfossi sanguinem pro Christo fuderent: cuius sanctissimi numinis sua morte clarissimum testimonium tribuebant. Nos verò excellentes illos viros, qui in fide, spe, & charitate conseruanda varios cruciatus corporis, mortem, & exilium æquo & alacri animo tulerunt, nobis semper proponamus, ut eos contemplantes mentes nostras ipsa cogitatione conformemus.

Aduena comedens.] In Hebraico est garim iochelu. Deriuatur hoc nomen garim à verbo gur, quod significat aduenam esse & peregrinari. Ideo Pagninus vertit: Qui peregrinantur. Et rectè quidem. Sunt enim iusti in hoc mundo peregrini, nullam hic habentes permanentem ciuitatem, sed futuram inquirentes. Id intelligentes sancti patres Abraham, Isaac, & Iacob cõfitebantur, ut diuinæ literæ asserunt, se esse peregrinos & hospites super terram. Ad eos alludebat regius vates dicens: Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. Qui verò sunt habitatores terræ, & hoc mundo tanquã ciuitate, nõ tanquã hospitio vtuntur, euertentur, & in æternas tenebras relegabuntur. Id minatur illis D. Ioan. Apost. ita in Apocal. dicens: Væ væ væ habitantibus in terra. Improbis Cain, qui cæco inuidiæ impetu innocentem fratrem occidit, condidit urbem in terra ut in ea habitaret, quemadmodum diuinæ literæ testantur. At iustus Abel tanquã peregrinus nullam condidit ciuitatem. Superna est enim Sanctorum ciuitas, ad quam viri iusti aspirant, & tendunt, ubi Deo in æternum transacto itinere fruuntur. Peregrinandi enim Deus in hac vita nobis diuersorium dedit, non habitandi. Et quoniam hoc verbum gur significat etiam timere & congregare, seu colligere. poterat verti ex Hebræo: Timetes seu congregantes. Iusti enim Deum venerantur, & filiali amore timent, & seipfos congregant & colligunt, nõ terram sed cælum quærentes. Et ut vniones etiam in mari orientur, plus tamen

Hebr. 13.
Psal. 38.Apo. 8.
Gen. 4.

Simile.

tamen cognationis habent cum cælo, cuius colorem & pulchritudinem suo modo repræsentant: sic viri, qui excelsis animis in terra diuina colunt studia, magis è cælo pendunt, quàm à terra, in qua peregrinantur. At homines improbi, turbulentis cogitationibus exagitati & impediti, tantùm abest, vt seipsos colligant & congregent, vt etiam se dispergât, & in varia ac turbulenta negocia distrahant. Sunt, vt ait *Seneca*, veluti lacus quidam nunquam quiescens, ad quem multi concurrunt, eum exhaurientes & conturbantes.

Seneca.

Argumentum capituli sexti.

Scribit Esaias se vidisse Deum in folio excelsio & sublimi sedentem, quo viso seipsum abiicit & extenuauit Nulla conscientię mortifera vulnera in animo habebat diuinus vates, nullas funestas laves, quin potius vir erat sanctitate eximia & omni sapientia & nobilitate præstanti. Verùm cum cogitasset non esse se omnino extra culpam, suum peccatum deplorauit, à quo fuit statim purgatus. Mittitur à Deo annunciatum Iudæorum cæcitatem & contumaciam. Quam ob causam prædicat eos esse perdendos, & Hierosolimam euerendam, eorum autem reliquias recepturas esse Christi fidem, & salutem consecuturas. Voluit propheta hanc admirabilem visionem mandare monimētis, vt auctoritatem se mittentis ostenderet, & suam concionem, & vaticinationem confirmaret.

CAPVT VI.



LN anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Deum *1. Reg. 22.*
 sedentem super solium excelsum & *2. Par. 18.*
 eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius, & ea que sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex ala vni, & sex ala alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus velabant. Et clamabāt *Apo. 9.*
 alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo. Et dixi, Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regens dominum exercituum vidi oculis meis.

EXPLA

In anno quo mortuus est rex Ozias.] Sublimis est hæc visio, & admirabile spectaculum. Sed priusquã ad eius explanationem accedamus, conducere arbitror narrare quis fuerit Ozias, & quot annos regnauerit. Hic rex Ozias, qui, vt capite 1. monuitus, appellatur etiam Azarias, fuit aliquando iustus, & hostes suos superauit, quemadmodum 4. Reg. & 2. Paralipomenõ sacra asserit historia. Sed postea extulit inaniter seipsum, Deumq; quẽ summa obseruantia & religione colere deberet, contempsit, & sacerdotalem ordinem non tã pie quã audacter vsurpauit. Et cum non parussset sacerdotibus ne sacerdotale munus sumeret reclamãtib; fuit percussus lepra in fronte, vbi sacerdotes auri laminã portabãt. Regnauit annos duos & quinquaginta, & fuit quãdiu vixit lepra contaminatus. Eo mortuo obtinuit regnũ Ioathan, quo rege vidit Esaias ea quæ hic narrantur.

Ioan. 32.

Vidi Dominum.] Hic, quem Esaias vidit, Christus est, vt ex diui Ioannis testimonio cognoscimus. Cum enim dixisset Euãgelista, Popterea nõ potuerũt credere Iudæi, quia iterũ dixit Esaias, Obcæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum (quæ verba sunt ex hoc capite deprompta) statim subiunxit. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, nempe Christi, de quo ibi loquebatur.

Sedentem super solium] Significat latã esse & definitã cõtra Iudæos sententiã, solent enim Iudices, quando sententiam ferunt, in excelsõ throno sedere. Dicit autẽ solium Dei nõ solum esse excelsum sed eleuatum, vt illud incõprehensibile nobis esse ostendat. Neque enim possumus diuinam maiestatem verbis consequi, nec cogitatione ipsa cõprehendere. Hanc visionem dicunt nõnulli fuisse imaginariã, alijs intellectualem, alijs aliter. Vt cunq; sit, ipse Deũ vidit, quo modo Deus se illi voluit ostẽdere. Et quãuis cum hoc loco videatur pugnare id, quod ait D. Ioãnes, Deũ nemo vidit vnquã & id quod ait D. Paulus in 1. ad Timoth. Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, nulla tamen est repugnantia. Nam hæc duæ auctoritates asserunt diuinã essentiam à nemine in hac vita videri, oculis enim carnis diuinitatẽ videre non potest, non autem negant Deum viris sanctis in hac vita aliquo modo se ostẽdere in qua specie ille vult apparere, quemadmodũ Abraham, Isaac, Moyse, Esaiã, alijsq; multis apparuit, vt diuinã libertatẽ multis in locis testantur.

Ioan. 3.

1. Tim. 6.

Et ea quæ sub ipso erant replebant tēplum.] Hoc est, fimbriæ vestiū, quibus Deus indutus cernebatur, Significat minimū diuinæ maiestatis maius esse tota hominum gloria.

Seraphim stabant.] Seraphim sonant incendia seu incensos, Spiritus sunt charitate inflammati, qui stabāt super solium, qui & propter velocitatem, & propter sublimē & excellentem contemplationē alas habere dicuntur. Loquitur more humano; nā perspicuū est angelos esse spiritus, nec alas nec corpora habentes. Sed voluit Deus vt in hac specie appare rēt, ad mysteria, de quibus statim dicemus, significāda. Illud est aduertendū, Deū visum fuisse sedentē, angelos verō stātes, non sedentes: imō quia vnus sedere voluit, quia dixit, Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in monte testamēti in latribus aquilonis, ruit præceps in æternum sup- *Infra. 2.* plicium. Stemus coram Deo illi seruiētes, ne superbia elati in profundum præcipitemur.

Duabus velabant.] Significabant tam admirabilē esse Dei splendorem, vt ab oculis carnis cerni non posset.

Et duabus volabant.] Ostendebant se esse promptos, & ad parendum diuinæ voluntati paratos. Animaduerte. Non vna ala volabant, sed duabus. Ruit cito auis, quæ sola vna ala volare contendit, Anima quæ volare cōcupierit, duabus indiget alis, cognitione & charitate, Cognoscere pertinet ad intellectum, amare verō ad voluntatem.

Et clamabant alter ad alterum.] Se inuicem ad Dei laudes inuitabant. Ita nos non solum Deū laudibus efferamus, sed alios etiam ad easdem laudes inuitemus.

Sauctus.] Deum ter sanctum appellantes, & vnum dominum exercituum, significant Deū esse in personis trinū, in essentia vnū. Per hæc duo seraphim duo testamēta possumus intelligere. Vbi enim est salutare incendium nisi in sacra scriptura? Fieri non potest, cum tota mens nostra in diuinis literis versatur, quin aliquē diuinū ignem sentiamus, qui nos incendat, & studio immortalitatis inflammet. Duo testamēta idē Dei caput & pedes velare dicuntur, quia nec quid ante mundi constitutionē fuerit, nec quid post finem eius futurū sit, explicant. Per caput, principium, per pedes finis intelligitur. Duabus alis volabant, & media tantum ostendebant, quoniam inter media solum nobis scriptura referat, creatio nē mundi, diluuiū, legem datam, filium Dei pro nobis carnē sumpsisse, eius mortem acerbissimam, reditū ad vitam, ascēsum ad cælum, & multa alia: quanquam non omnia. nam

duabus

duabus alis quibus volabant, aliquid referebant, aliquid ve-
ro tegebant. Sunt enim multa mysteria, quæ plenius filèdo,
quàm loquendo laudamus. Ideo seraphim caput & pedes
tegebant, significantes sublimia esse diuina mysteria, no-
strumq; intellectum transcendentia. In psalmo 64. vbi com-
munis versio habet: Te decet hymnus Deus in Sion, habet
versio D. Hieronymi ex Hebræo: Tibi silentiù laus Deus in
Sion. Quasi dicat: Tã excelsa & tràscendentia sunt mysteria
tua summe Deus, vt melius filèrio quàm pleno ore laudètur.
Hac ratione ductus dicebat Esaias: Generationem eius quis
enarrabit? Cũ aliquid laudibus efferimus, significamus nos
illud mente comprehendere. At cum diuina mysteria exce-
dant nostrũ intellectũ, plus ea aliquando silentio quàm ver-
bis extollimus, ostèdentes nos ea nequaquàm posse verbis ex-
plicare. Eam ob causam Apost. in 2. ad Corinth. cum dixit:
set se audisse arcana verba, subiunxit nõ licere ea homini lo-
qui. Et in 1. ad eosdem, Quod oculus, inquit, non vidit, neq;
auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ præpa-
rauit Deus diligentibus se. Et ad Romanos scribens ait: O
altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incom-
prehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Et
hoc existimo significatum fuisse velo illo, quo arca testamè-
ti tegebatur. Timantes egregius pictor, nisi nos fallunt vete-
res historiæ, cum luctuosissimam cædem Iphigeniæ pinget,
lachrymas & mærorè cæterorum expresit, vultũ autè
Agamemnonis patris eius velo cooperuit. Intellexit insignis
artifex nulla re posse melius summum patris dolorè &
luctum exprimere, quàm illum nõ exprimendo. Hinc pos-
sumus intelligere quare nobis euangelium non explicauerit
beatæ Dei genitricis natiuitatem nec assumptionem: quo-
niã hæc & similia mysteria plus euangelistæ laudat silentes
& admirantes, quàm loquentes. Ideo in eius assumptione
euangelium Marthæ ac Magdalenæ canitur, in quo de sanctis-
sima Dei genitrice nullam omnino inuenies mentionem.
Sunt igitur duo seraphim duo testamta, quæ ideo clamât
alterum ad alterum, quia quicquid in veteri legimus testa-
mento, hoc idem in euangelio reperimus: & quicquid in Eu-
uangelio legimus, fuit in veteri testamento prædictũ aut ad-
umbratum. Nihil est in eis dissonũ, nihil contrariũ, sed om-
nia consona & cohærentia. Potest etiam dici ob eam cau-
sam Deũ testũ esse, cum sit summè bonus, & omnium bono-
rum largitor, vt nos doceat, vt benè faciamus, sed ne videri
velimus.

2. Cor. 12.

1. Cor. 13.

Rom. 11.

Exod. 40.

Luc. 10.

velimus. Eam ob causam cherubim de quibus agitur Exo. 37. alas suas extēdebant propitiatorium tegentes. *Quamuis* enim exigat aliquando tēpus vt nostra benefacta in lucem prodamus, est tamen interdū tempus ea tegendi Nullū theatrū conscientia maius est. Terra cooperit venas auri, & mare vniones, & arbores in hyeme virtutem suam intus tegūt, quam tamē tēpore oportuno ostendunt. Oportet tempora spectare. Omnia enim, vt ait Ecclesiastes, tempus habent. *Eccle. 3.*

Plena est omnis terra.] Tanta erat eius gloria, vt totum orbem terrarum impleret. Vel ita: Cunctæ creaturæ terram implentes suppeditabant materiam amplissimam laudandi diuinam potentiam & pietatem.

Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis] Hoc est à voce clamante Hebraismus est. Et est sensus: Tanta erat clamoris vis & magnitudo, vt moueret postes cū superliminariis. Si superliminaria voce angelorum mouentur, quātō magis debent homines moueri voce ipsius Dei, nos ad pœnitentiam cotidie vocantis? Fortasse hac motione portarum templi significata fuit eius euersio & cæremonialium, quæ in eo fiebant, cessatio.

Et domus repleta est fumo.] Accipitur hic fumus in bonam partē, pro flamma ignis, quæ est fumus accēsus: & significat splendore, vt in fine quarti capituli annotauimus: Potest etiā accipi pro odore suauis ab aromatibus in igne positis producto: quemadmodum in canticis, vbi ait sponsus: *Quæ est* *Cant. 3.* ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Ego existimo fumum re vera hoc in loco capi ab Esaia pro vero fumo oculos lædente & obcæcante, quo cæcitas tetrūq; Iudæorum scelus significatur. *Quasi* dicat: Omnes gētes, quæ terræ nomine intelliguntur, erunt splendore fidei & gratiæ illuminatæ, & sublatis errorū tenebris, in quibus versabantur, ad agnitionem veritatis peruenient. At domus Dei, hoc est sinagoga, manebit repleta fumo & caligine, quoniā Iudæi non solum non recipient Messiam, sed etiā cō eo furore, & incredibili perueritate exagitati tam tetrū & inauditum facinus admittēt, vt Christum seruatore, & verū Messiam falsis criminibus ad capitis periculū vocent. *Quæ* *Exod. 26.* do Deus dedit legē Moysi, audiebantur tonitrua, fumabat mons Sinai, & erat nube dēfissima coopertus. Quæ omnia significabant legē illam esse timoris, & fore vt Iudæi fumo & nube obcæcentur. At Christi euangelium ortum habuit *Luc. 2.*

H

à suauis

ad suauū angelorum cantu, & diuino atq; cælesti luminis splendore. Illud est hoc loco aduertendū, non vidisse prophetā visionē hanc viuente rege leproso. Sed eo mortuo leuauit oculos ad cælum, & mentis acie purgata vidit dominū exercituum Christum Deum nostrū in folio sublimi sedentē: & diuina mytheria sole ipso splendidiōra fuit mirabiliter contemplatus, quibus animū suū veluti diuino nectare recreabat, & ad æternitatem alebat. Nam viuente in nobis rege leproso, regnante in nobis peccato, Deū videre, eiusq; diuina mytheria, vt par est, contemplari nequaquam possumus. Non regnet, inquit Apost. Peccatum in corpore vestro mortali, vt obediatis cōcupiscentiis eius. Huic testimonio si

Rom. 6.

Exod. 2.

mile est id, quod in Exodo est literis mandatū. Viuēte Pharaone impio rege, pop. Israeliticus lateris & palarū opere pressus, & vehementer afflictus, nō dicitur ad dominū aspirasse. Cū verō decessit ē vita in infernum precipitatus, suspirauerēt filij Israelis, vt ait scriptura, & ascendit clamor eorū ad dominum. Cū videatur eos tunc magis lætari debere, & antea suspirare cū viueret tyrannus, qui eos acerbissimis cruciatibus vexabat. Regnante peccato dæmoni parum, & mūdi edificia cōdentes pro frumēto quærimus paleas, & in operibus terrę vitā consumimus, ad cælorū autē altissima edificia nequaquā aspiramus. Veniamus ad euāgeliū. Obtinente regnū inmanissimō Herode tota ciuitas tur-

Matt. 2.

barur. Ait. n. Euangelista: Turbarus est rex Herodes, & tota Hierosolyma cū illo. Fugit sanctissima Dei genitrix virgo cū puero Iesu & iusto Ioseph, & innocentes infantes inmanissimē trucidātur. Nec mirum est: Nā vbi regnat Herodes, ibi Christus nō est: Vbi autē non est Christus, ibi nocētes impunitatē consequuntur, innocētes verō dānantur. Defuncto autem Herode, ecce angelus domini apparet in somnis Ioseph in Aegypto dicens: Surge accipe puerū, & matrē eius, & vade in terrā Israel. Anima nostra ciuitas est, in qua regnante Herode, hoc est peccato, nulla est securitas, nulla quies, sed turbatio & confusio. Si in ea nascitur aliqua innocēs cogitatio, statim interficitur. At defuncto Herode, mortuo peccato, apparet oblectatio diuina, reuertimur Hierosolymā, ad visionē pacis, vbi in tranquillitate vitam degimus.

Matt. 2.

Et dixi, *Ve mihi quia tui.* J. Videns propheta duos illos angelos canētes, deūq; mutuo laudantes, cōferens sermones suos cū laudibus seraphicis doluit quidem, & grauius tulit: quoniā Seraphim nihil aliud quā Dei laudes loquebātur,

ipse

ipse verò aliquando de rebus humanis cū hominibus sermo-
nes cōferebat. Eam ob causam inquit: Væ mihi quia tacui à
diuinis laudibus, quia Deum nō laudauī, quia angelos non
imitatus sum. Fortasse voluit propheta se cum angelis con-
iungere, Deūq; laudare, sed non audēs ob conscientiam dixit:
Væ mihi, quia tacui. Ego existimo ideò Esaiam dixisse hoc,
quia meminit se aliquando tacuisse cū loqui oporteret. Et
quoniā aliquando locutus fuerat cum tacere oporteret, sub-
iungit: quia vir pollutus labiis ego sum. Vtrumque enim
peccatum est loqui & tacere extra tempus. Nam vt ait Salo-
mon, tempus loquendi, & tempus est tacendi. Vel ideo dix-
it se tacuisse & esse pollutum labiis, quia intellexit ex ea visi-
one se ad cōcionandum inuitari, & volebat se ob linguā im-
pedimentum excusare: quod & Moyse accidisse scriptum
legimus. Aequum enim est vt qui se peccatorem cognoscit,
tantam dignitatem refugiat ne audiat id, quod dicitur in
psalmo: Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testa-
mentum meum per os tuum? Et id quod dicitur in ecclesi-
astico: Non est speciosa laus in ore peccatoris: Et in psal-
mo: Rectos decet collaudatio. Ideo in canticis: Benedicite
omnia opera domini domino, & laudate dominum de
cælis, non dicitur Benedicite vel laudate peccatores domi-
num, Inuitantur ad diuinas laudes concinendas bestię &
vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatę, dracones &
omnes abyssi, & multa alia: At peccatores sub nomine pe-
natotum non inuitantur, quod sint multo peiores serpenti-
bus, & ea scelera & maleficia concipiant, vt belluas imma-
nes etiam immanitate superent. Et quamuis aliquando cla-
ment, dominumque laudent, animo tamen silent, iuxta id
quod dictum est in psalmo: Quoniam tacui, inueterauerūt
ossa mea, dū clamarem tota die. Clamabat tota die, & cla-
mans tacebat, quia non ex intimo cordis clamabat. Qui
flagitiis pascuntur, & de sua conuersione nequaquā curant,
loquentes silent, & clamantes nō exaudiuntur. Ideo debent
munus concionandi refugere. Et aduerte. Vidit Esaias do-
minum, & statim seipsum exinanīuit & abiecit. Visus Dei
homines reddit humiliores, visus verò principum tertę su-
perbiores. Conspecto Deo illico Abrahamus se terram &
cinerem esse dixit: & Rebecca viso Isaac descendit de came-
lo, seque operuit pallio: Hoc est viso domino, descendit ani-
ma de camelo superbie, seque tegit pallio pœnitentię.

In medio populi.] Hinc colligitur culpam esse habitare

M 2 inter

Eccle. 30

Exod. 48

Psal. 40b

Eccle. 5

Psal. 32.

Dan. 3.

Psal. 109a

Psal. 31.

Gen. 18.

Gen. 24.

1. Cor. 15.

Eccle. 13.

Simile.

Simile.

inter impios si possis commodè inter pios habitare. Nam, vt ait diuus Paulus, Corruptunt bonos mores colloquia praua. Et Ecclesiasticus: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Vt enim subducia materia extinguitur ignis, sic ablata occasione peccatum. Auferes autem occasionem, si impiorum consortium & consuetudinem fugias. Vt nummum aureum explorare solemus, sit nec ne adulterinus, priusquàm eum accipiamus: sic probare homines debemus, sint ne pii an impij, priusquàm earum familiaritate vtamur. Et vt in mèsa principū est vnus, qui dapes pręgustat, ne princeps lethali veneno ruat in interitū, sic pręgustandi sunt illi, cū quibus est cōiunctissimè viuendū, si autem postea se erasse quis intellexerit in eligendis amicis, faciēda est vitę mutatio. Abrahā mū separauit deus ab impijs Chaldæis eiq; separato sæpenu mero apparuit. Quādiu D. Petrus cū discipulis fuit, paratus erat ad obiciēdū se hostiū telis potius quā Christū negaret: sed cōiunctus iniquis sacerdotū ministris in atrio principis ad vocē puellæ Christū negauit. Vide quid secū afferat detrimētū impiorum cōsuetudo. Ideo dicebat Moyse filijs Israël: Recedite à tabernaculis hominum impiorū, & nolite tange re quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.

Et volauit ad me vnus de seraphim, & in manu eius calen: lus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meū, & dixit. Ecce tetigit hoc labia tua: & auferetur iniquitas tua: & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte vifionē, & nolite cognoscere, Ex cæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Et dixi: Vsq; quo Domine? Et dixit: Donec desolentur ciuitates absq; habitatore: & domus sine homine. Et terra relinquetur deserta, & longe facies Domini homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terra. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.

Et volauit ad me. Cum Esaias suam calamitatem & imbecillitatem deplorauit, & confessus est, statim fuit diuina consolatione delectatus. Missus est ad eum vnus de seraphim, qui ei impedimēta auferret, eumque consolaretur, & à sorde laborum expiaret. Eodem modo cum diuus Palus exclamaret:

exclamaret : infelix homo , quis me liberabit de corpore mortis huius / illico subiunxit? Gratia Dei per Iesum Christum, Plora, & confitere de peccatis tuis, & eris diuino præsidio adiutus & recreatus. Est præterea aduertendum hunc seraph esse nouum testamentum, quod calculum ignitum comprehendit: hoc est, sermonem Dei, quo tacta labia immunda purificantur. Ideo ait Dauid, Ignitum eloquium tuum uehementer. Et Christus apud Ioannem. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Hic calculus ignitus, hic sermo Dei debet sumi ex altari quod est in templo: hoc est, ex sacra scriptura, quæ est in ecclesia catholica ab ipsa ecclesia intellecta et explicata. Lutherani citant scripturæ autoritates, sed cum sint extra templum ab ecclesia separati, non sumunt calculum ab altari, quod est in templo. Ex quo efficitur ut ipsam scripturam deprauent, quæ ab illis deprauata & perperam intellecta nihil potest contra nos efficere. Non sat est citare calculum, hoc est sacræ scripturæ locum, sed necesse est ut talis locus sit in altari templi in sacra scriptura ab ecclesia explanata, non ab hæreticis exposita. Quorumque diabolus locum ex media scriptura depròptum citauit & exposuit tentans Christum, illique ex eo loco scripturæ suadens ut se ex templi pinnaculo præcipitaret. Sed nihil illi profuit. Eodem modo hæretici uolentes homines ex fidei pinnaculo præcipitare, locos ex scriptura ab illis iniquè & falso expositos allegant, diabolique imitari gloriantur. Sed nihil illis proderit, stabit enim semper ecclesia catholica erecta: neque poterunt aduersus eam portæ inferi, hoc est, hæreticorum dogmata præualere. Hanc enim ueritatem ipsa incarnata ueritas affirmauit. Hoc non considerantes cæci Lutherani existimant sat esse scripturam citare, qui eam non intelligentes, sed peruertentes falsa & impia dogmata, & incredibilia monstrata excogitarunt & pepererunt. Unde effectum est ut ipsi inter se pugnent, & nullus sit qui cum alio penitus concordet, nisi in eo quod est, se ab ecclesia & uera fide separare. Unusquisque habet suas particulares & proprias hæreses, pater non conuenit cum filiis, nec filii cum patre, & quemadmodum Deus eos, qui turrem Babylonis aduersus ipsum Deum construere uolebant, in diuisione linguarum confinguit, & tanta fuit inter eos confusio, ut seipsum non intelligentes turrem relinquerent, sic Lutheranos impiam sectam aduersus Christum ædificare conantes puniuit Deus in linguarum & opinionum uarietate & confusione, ita ut possit Lutheranismus rectè appellari Babel, ob incredibilem confusione. Sed

permetit Deus, ut suam confusionem videntes, relinquunt inceptam turrē lateritiā, & ad ecclesiam, lapideū ac firmissimum Dei templum aliquando confugiant. Ex hoc loco Esaiæ colligunt nonnulli Lutherani, nihil à Christianis allegari debere nisi sacram scripturam, quoniam angelus labia Esaiæ ignito calculo, hoc est, verbo Dei perpurgavit. Sed vnde sequitur hoc? Est quidem hic calculus ignitus verbū Dei: sed quæ conclusio est hæc? Angelus expurgavit Esaiā verbo Dei, ergo nihil aliud debet citari? Imo sequitur sensus quos Lutherani citant ad sua impia dogmata fulcienda ex sacra scriptura frigidus esse, non ignitos calculos, imò falsos & impios, quoniam cū ipsi sint extra ecclesiā, non eos sumunt ex altari. quod in templo, hoc est in ecclesia ab eos explanatos sed à petulantibus hominibus perperam expositos. Vides igitur quā frigide, ineptē, & falso velint ex hoc loco colligere, nihil debere alligare præter sacram scripturā. Confirmat etiā hoc Lutherus, & probat hoc, quia Christus eiusque Apostoli sacrā scripturam allegarunt, Videte consequentiā. Christus & Apostoli diuinas literas citarunt, ergo nos nihil aliud citare debemus. Quæ est hæc ratiocinatio? quæ conclusio? O ridiculum dialecticū. O hominē insipientē. Nonne vides tuā confusionem? Imò D. Paulus illa tuba euangelica, illud vas electionis, illud sapientiæ pelagus, gentilium poëtarum testimonia, Menādri, Arati, Epimenides, in mediū attulit. Si sanctissimus Apostolus citabat gentiles, quare nos non citabimus sanctos patres fide & charitate, ceterisque virtutibus præstites, qui excellentibus ingenii, & eximia sanctimonia diuinarum literarum studia coluerunt, & sacrā scripturā diuinitus explanarunt? Quare non citabimus consilia? Quare non citabimus ipsam ecclesiam, quam Apostolus appellat columnā & firmamentum veritatis? Imò ipsa veritas, ipse Christus Deus noster multa attulit moralia, multa exēpla, multas parabolas, quæ non erant in veteri testamento: Quod & eius Apostoli fecerunt. Vnde hæc est validissima cōsequentiā: Multa in medium prodidit Christus eiusque Apostoli, quæ non erant literis diuinis mandata, ergo nobis idem facere licebit. Sed de his hæc tenus. Possumus per calculum ignium Spiritus sancti gratiam intelligere. Ego existimo altare illud figuram fuisse altaris nostri, & calculū illum ignitū peccata purgantem Christum adumbrare in sancto sacramento eucharistiæ, qui peccata nostra dimittit. Ioannes enim Damascenus in libro 4. orthodoxæ fidei capite 14. hæc verba scripta reliquit:

1. Tim. 3.

reliquit: Apponentes oculos, & labia, & frontē, diuinū carbonem concipiamus. Vt ignis in nobis desiderij assumēs ex eo carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonē vidit Esaias, Carbo autē simplex non est, sed vnitus igni: sic panis cōmunionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Et corpus vniti diuinitati nō vna atq; eadē illi natura est, sed vna corporis, & vnitæ diuinitatis. Hęc Damascenus. Vbi pro calculo legit, carbonē vel prunā, quemadmodum etiam nonnulli vertunt, vt postea videbimus. Cum igitur per calculum ignitum siue prunam viuā Christus intelligatur, per seraph existimo intelligēdum esse sacerdotem sacramentum sanctum fidelibus ministrantem. Tu nunc considera altaris amplitudinem & maiestatem, si quidem ipse seraph cum sit spiritus charitate incensus, non illud ausus est manu attingere, sed calculū forcipe accepit, vt magnam altari reuerentiā exhibere. Hinc colliges quā impia sit eorum temeritas, qui cum sint mortiferis sceleribus coinquinati, ad altare accedunt, & verum Christi corpus & sanguinem accipiunt, non obseruantes id quod ait Apostolus: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignē, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. D. Dionysius Areopagita cap. 15. caelestis Hierarchy hunc spiritum, qui labia tetigit Esaiæ, inquit non esse ex illis altissimis primisq; spiritibus, quos proprio nomine vocamus seraphim: sed aliquem ex iis angelis, qui nobis precepti sunt, qui ob incendiū ministerium seraphim quoque appellantur: vel quia iussu seraphim hoc munus suscepit. Ideo vnus ex seraphim nuncupatur. Ibi multa de hac visione dicit scitu dignissima, quæ hic nō subscribo, satis esse existimans locum indicasse.

1. Cor. 14.

Auferetur iniquitas tua.] Purgatur Esaias ad munus concionandi subeundum. Ex quo colliges oportere concionatorem esse ab omni peccato purgatum.

Quem mittam.] Proponit hoc Deus, vt voluntas præmiū consequatur. Illud est aduertendum, Dixisse Deum: quē mittā? in singulari: & statim plurali numero dixisset: Quis ibi nobis? Vbi significatur Trinitatis mysterium, Est enim Dei trinus & vnus Numerus singularis ostendit vnitatē substantiæ, pluralis verò trinitatem personarum.

Et dixi ecce ego, mitte me.] Nō temeritate & arrogantia se

vltrò obtulit, sed quia purgatus fuerat ab angelo. Nō enim se obtulit, priusquam eum angelus tetigisset. Vide igitur ne munus concionandi pollutus accipias. Esaias nō se obtulit, nisi quia eū angelus purgauerat, & quia legationis necessitate videbat. Et ira charitate inflammatus non timuit futura predicere, & veritatē proferre. Quibus rebus deuenit in rerū omnium certamen & discrimen, & vitā propter Deū periculis obtulit. Eodē modo concionatores pro Christi gloria cum opus fuerit, ne veritatem tegant, quanquam videāt, magnas sibi inde procellas esse subeundas.

Vade] Conciliat Esaias auctoritatem suæ legationis, asserens se esse à Deo missum.

Audite audientes & nolite intelligere.] Videtur hæc verba a p̄pera prima specie. Sed Hebraismus hanc habet asperitatē, cum tamen sensus sit lenior. D. Palus Acto. vlt. huius loci mentionē faciens eius asperitatē tollit ita dicens: Benē Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres nostros dicens. Vade ad populum istum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. In crassatum est enim cor populi huius: & auribus grauius audierūt, oculos suos compresserunt. Hæc in Actis. Vbi vides imperatiua per futura indicatiua à D. Paulo exponi. Sensus est: Dic populo huic duro seipsos non esse Melsiam recepturos. Audient enim eius doctrinā, eiusq; opera videbūt, & non intelligent ob eorum malitiam & cæcitatē. Igitur tu o Esaias ex cæca, hoc est, denuncia esse cor populi huius ob impia scelera obcæcandum. Hic locus citatur ab Euangelistis ad ostendendam Iudæorum cæcitatē. Non tamen intelligas Deum obcæcauisse Iudæos, auferendo ab eis oculos aut rationem, sed non dando gratiam. Et Ideo nō dedit, quia ipsi eam noluerunt. Propterea dicebat Christus: Quoti ens volui congregare filios tuos, & nolulistis. Et vt nemo potest medico litem intendere, qui ægrotum curari nolentem deserit, sic nemo potest Deo culpam tribuere, qui Iudæos obstinatos & peruersos obcæcari permisit. Ex hoc loco colliges duo. primam est hanc Esaiæ vaticinationē ad Christi tempus referri, quoniā pro eo tempore eam citant Apostoli, secundum est, malitiam esse causam obcæcationis: nam Deus non immittit cæcitatē aut duritiem, sed propter hominū iniquitates & obicem non suppeditat gratiā, qua desitutus homo in grauissima incidit peccata: & suo vitio obcæcatur & induratur. Vt enim sol dicitur nobis cæcitatē inferre,

Matt. 23.

Luc. 13.

Simile.

Simile.

ferre, quando ab eo oculos claudimus, eumq; videre nolumus: sic Deus dicitur cor hominis obcæcare, quando ab eo gratiam subtrahit, quia homo eam acceptare renuit.

Et dixi: vsque quo domine?] Sollicitus propheta de populo suo quærit à Deo, quousquæ hæc sententia permanfura sit.

Et terra relinquetur deserta.] His verbis prædicta fuit euerfio Hierosolymæ duce Tito.

Et longè faciet dominus homines.] Hoc est, disperget Deus Iudæos à patria sua, eosque longè adducet & separabit.

Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.] Id est, gens Iudæorum, quæ fuerit relicta, quæ in obsidione & prælio non occubuerit, dispergetur, & multiplicabitur, non in Iudæa, vt antea, sed in medio terræ, id est, per vniuersum orbem terrarū. Quod impletum esse apertissimè videmus,

Et adhuc in ea decimatio & conuertetur.] Sensus est: Ex Iudæis decimæ ad Christum conuertentur, significat ex Iudæorum multitudine paucos esse salutem consecuturos. Hic aliis verbis appellantur semen & reliquiæ, vt fuit primo capite satis explicatum.

Et erit in ostensionem sicut terebinthus.] Sensus est: ea pars quæ fuerit ad fidem Christi conuersa, extendetur & propagabitur instar terebinthi & quercus, quæ sunt arbores ramos suos admodum extendentes. Et semen sanctum erit id quod stererit in ea. Id est, illi qui in fide permanserint, etsi in principio sint pauci, erunt tamen velut semen sanctum ex quo multi fructus generabūt. Quasi dicat: De apostolorū germine plurimi fideles pullulabunt. Comparat propheta apostolos, & eos qui ex Iudæis in principio crediderunt, arboribus ramos suos paulatim extendentibus. Nā vt arbores tēpore hyemali, nec sunt fructibus nec frōdibus ornatae, sed intus habēt quendā vigorē, qui tēpore veris eas florētes reddat, & auget, sic fideles in principio etsi nullum vigorem habere videntur, postea tamen ramos suos per totum orbem terrarum dilatarūt, & pulcherrimos flores, vberrimosque fructus tulerunt. Comparat etiam eos semini, quoniam ex illis fuit fidelium multitudo per euangelium generata. Hæc est spiritalis illa generatio, de qua dicebat in prima ad Corinthios Diuus Paulus: Per euangelium ego vos genui.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT VI.

Et plena erat domus à maiestate eius. Hæc verba non sunt

H 5 in

in textu hebraico: nec in eo Latino cui diuus Hieronymus adiecit commentaria. Existimo ea fortasse sumpta fuisse ex versione Septuaginta, & hic inserta.

Et ea que sub ipso erant.] Pro toto hoc est in hebraico, Vexulau: Dicitio Schul significat sūmbriam, partem inferiorem vestis. Ideo potest verti: Et sūmbriæ eius replebant templum, Et ita vertit Pagninus. Voluit propheta iis verbis Dei gloriam significare. Hoc intelligens Thargum transfudit: Et splendore gloriæ eius repletum est templum.

Duabus velabant faciem eius.] In hebraico pro facie eius est: panau. hoc est faciem suam. Et ita manet ambiguum referaturne ad faciem Dei, an ad faciem ipsorum seraphim. Noster interpres reddidit ex hebreo facie eius, nempe Dei. Quod quid significet explanauimus. Simili modo vertit Origenes dicēs in homilia in hoc caput: Duabus alis velabæ faciem non propriã, sed Dei. Chrysofomus tamen in homi-
liis in hæc Esaiæ visionē legit, seraphim facies suas velare. Et ita hūc locū intelligit Pagninus ita vertens: Duabus velabat vnusquisque faciem suam. Et ita est sensus: Tanta reuerentia Deo seruiebant, vt facies suas tegerent, ne ipsum Deum aspicerēt Non enim se dignos esse existimabāt, qui altissimā illam Dei maiestatem intuerentur. Ideo excludebant splendidissimum radiū ē throno prodeuntē, quod summū splendore & immensam gloriam aspicere non auderent, & suam erga Deum reuerentiam & religionem demonstrarent. Ita ferē Chrysofomus hūc locū interpretatur. Hinc discamus nos, qua obseruantia, veneratione, & reuerentia ad Deum eius que laudes concinendas accedere debeamus.

In manu eius calculus.] Pro calculo est in hebraico ritspah que dicitio significat calculum: & ita vertit Aquila & Theodorion, quos secutus est noster interpres. significat etiam prunam viam, seu carbonem incensum. Pagninus vertit carbonem. Poteris clarius vertere, carbonem incensum. Fortasse alludit propheta ad altare holocausti, vbi erat perpetuus ignis: vt Leuitici sexto literæ diuinæ testantur. Septuaginta verterunt: *ἄσβεστος* nomen equiuocū. Significat enim *ἄσβεστος* prunã, & carbunculū gemmã pretiosam, quæ & nomine & colore carbonē incensum imitatur Non erat hic calculus quicūq; lapillus, sed splēdidissima gēma ab altaris igne ablata & in medio igne cōstituta. Esaias ad munus cōcionandi subeūdū purificatus est igne charitatis à seraph, hoc est ab incēdio seu incēso, vt esset diuino amore inflāmatu. Moyses
priusquam

priusquam ad Pharaonē mitteretur, ad flammam ignis tibi ardentis accedere iubetur. Apostoli inflāmati linguis igneis cœperunt ardentē conçonari. Vnde colliges eise sum inē necessarium concionatoribus diuinum ignem animos il luminantem, purificantē, & accendentem, Id intelligēs Dauid, priusquam diceret in psalmo. Docebo iniquos vias tuas, petiit spiritum rectum, spiritum sanctum, spiritum principalem, vt in eodem psalmo licet videre. Non tibi cito hominem quēcunq; diuinum vatem, sapientia, sanctitate, & a-n-ni-amplitudine excellentē, nobilitatēq; præstantem.

Exod. 3.

Ait. 2.

Psal. 50.

Et adhuc in ea decimatio, & conuerietur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ excidit ramos suos. Textus cui D. Hieronymus adiecit cōmentaria, ita habet: Et adhuc in ea erit decimatio, & rursus erit in deprædationem sicut terebinthus & sicut quercus, quæ proiecit fructus suos. Quæ verba D. Hieronymus in hunc modum interpretatur: Vix decima pars Iudæorum relinquetur à Tito & Vespasiano. Sed postea Iudæi qui euaserint ex bello, multiplicabuntur. At veniet Adrianus imperator, & tunc ipsæ reliquæ Iudæorum iam multiplicatæ erunt rursus in direptionē. Capientur enim ab Adriano & asigentur: & erunt veluti terebinthus & quercus, quæ glandes amiserunt. Quod accidit anno quinquagesimo à captiuitate sub Tito & Vespasiano Hæc D. Hieronymus. Vbi communis versio habet: ad ostensionem, est in Hebræo leuaer, à verbo Baar quod significat præter alia comburere, ardere, & excidere. Vnde Pagninus vertit: in excisionem. Potest verti: ad excidendū, vel ad comburendum, vel ad ardendum, sicut quercus sterilis & inutilis. Vbi vides Iudæos comparari quercui sine fructu, quæ nihil valet nisi ad ardendum, & comburendum, & secandum.

Argumentum capitis Septimi.

Narrat diuinus vates immanem duorum regum Syriæ & Samariæ contra Hierosolymam coniurationem. Ostendit Dei misericordiam & potentiam, qui Iudæorum statum occidentem afflicto, erexit, eorumque ciuitatem obsefam ab hostibus seruauit. Et inde sumpta occasione à Iudæorum liberatione vaticinatur de diuino virginis Mariæ partu, & Christi saluatoris nostri admirabili aduentu. Qui diuina pietate motus humanam naturam inexplicabili ratione sibi deo copulauit, vt in humana forma delitescens, nos à dæmonis

dæmonis crudelissimi tyranni captiuitate liberaret, ad æternamque beatitudinem tandem perduceret.

CAPVT VII.

4. Reg. 16.



I factum est in diebus Achaz filii Ioathã, filii Ozie regis Iuda, ascendit Rasin rex Syria, & Phacee filius Romelie rex Israël in Ierusalem ad præliandũ contra eam: & nõ potuerunt debellare eam. Et nunciauerunt domui Dauid dicentes: Requeuit Syria super Ephraim, & commotũ est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna siluarũ ad facie viti. Et dixit Dominus ad Esaiã: Egredere in occursum Achaz in, & qui derelictus est iacob filius tuus ad extremum aqueductus piscinæ superioris in via agri fullonis. Et dices ad eũ: Vide vi sileas: Noli timere, & cor tuum non formidet à duabus caudis titionũ sumigantium istorũ in ira furoris Rasim regis Syriae, & filii Romelie eo quod consilium inieris cõtra te Syria in malũ, Ephraim, & filius Romelia dicente: Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eũ & euellamus eum ad nos: & ponamus regem in medio eius filium Tabeel.

EXPLANATIO.

Et factum est.] Rege Ozia vidit Esaias ea, quæ primis quinque capitibus scripta reliquit: quo mortuo regnauit Ioathan filius eius, sub quo vidit propheta ea quæ sexto capiti mandauit. Cum verò Ioathan migrasset ex vita, obtinuit regnũ filius eius Achan homo impius & flagitiosus, qui relictõ vero Deo, contempto diuino cultu, ad prophanos gẽtũ ritus animum transtulit, fictos cõmentitiosque deos turpiter coluit, & in religione violanda impias fraudes concepit. Ideo cõ Deus meritõ oppressit, & affixit. Nã, vt diuina asserit historia, fuit à regibus Syriae & Samariæ, & à Palæstinis victus & immaniter vexatus. Hostes eius nõ tam suis viribus, quã eius sceleribus pugnantes eũ vicerunt, eiusq; gentibus magnam cladẽ intulerũt, de quibus magnas victorias reportarunt. Equum enim fuit, vt qui deũ dereliquerãt, suæ impietatis penas luerẽt. Sed omnia hæc bella voluit propheta silentio transire. Illud tantũ modo refert in quo Rasin rex Syriae & Phacee rex Samariæ memores superioris victoriæ prædæq; magnitudine excitati de euertẽda Hierosolyma cõspirarunt. At liberauit tunc Deus regem Achaz cum populo Iuda, quoniam sepẽ vbi deest præsidium humanum, ostẽditur diuinum. Habes hanc historiam 4. lib. Reg. capite 16.

Illud

Illud est animaduertendū, Rasin sonare voluntatē: Phasce ve
rō aperientē. Qui voluntatē aperit, eiq; finē proponit, intel
lectus est: nā voluntas ex se cæca est. Hę igitur duę potētię,
deprauatę voluntas & intellectus vrbē Hierosolymam, hoc
est, pacis visionem, animiq; trāquillitatem conturbare & ex
pugnare contendunt: sed diuino præsidio vicuntur.

Et nuntiauerunt domni David.] Hoc est, duabus tribubus Iu
dę & Benjamin sequentibus domum Dauidis. Rex Iuda est
rex duarum tribuum. Rex Israël, rex Ephraim, rex Sama
rię, rex decem tribuum, idem est.

Requieuit Syria supra Ephraim.] Id est, exercitus Syrię con
iunctus est cum exercitu decem tribuum. Similis Hebrais
mus est lib. 1. Regum cap. 7. Requieuit omnis domus Isra
ël post dominum. Id est, adhęsit illi.

Et commotum est cor eius.] Timuerunt tam rex Iuda quā
populus, & veluti arborum folia ventorum statibus agitata
contremuerunt.

Egredere in occursum Achaz.] Iraminebant hostes, & in il
lud discrimen ventum erat, vt ex eorū manibus euadere ne
mo crederet. Debilitatis ergo Iudęis & animo cadentibus
voluit Deus suā ostendere potentiam. Hinc colligimus nun
quam esse de diuino præsidio desperandum, Quin potius
cum fuerimus in afflictionibus ærumnisq; versati, & in peri
culis constituti, debemus animum erigere, in Deoq; sp̄m om
nem & fiduciam collocare. Ipse enim qui eripuit Abraham
mum à Chaldeis, Lot à Sodomitis, Ioseph ab inuidis fratri
bus, Susannā à falso testimonio, Danielē à lacu leonum, tres
pueros à camino ignis ardentis, Beatum Petrum à carcere,
beatum Paulum à naufragio, qui deniq; eum firmo atq; ere
cto animo inuocantibus opem tulit, quomodo nos in peri
culis & calamitatibus derelinquet, si eius præsidio cōfiden
tes, ad ipsum tanquā ad arcem munitissimā confugerimus?

Ait enim diuinus ille vates & clarissimus rex David: Iacta
super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: & non da
bit in æternum fluctuationem iusto. Vbi pro cura tua est in
hebraico iehauecha: quę dictio præter alia onus siue pōdus
significat. Omnes qui tali pondere premuntur vocat Chri
stus apud Matthæum inquiring: venite ad me omnes qui la
boratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Ne igitur ob aissi
ctonum ponderā desperemus, cum subleuatorem Deū ha
beamus, qui nos clamātes ærumnarū aquis agitato, earūq;
pondere submersos abiq; dubio eripiet. Hoc sentiebat Da
uid

Gen. 11.

Gen. 19.

Gen. 27.

Dan. 13.

Dan. 14.

Dan. 1.

Act. 12.

Act. 17.

2. Cor. 15.

Psal. 54.

Matt. 11.

Psal. 17.

uid cū ita canebat : assumsit me de aquis multis : eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderūt me, quoniam cōfortati sunt super me. Pręuenit me in die afflictionis meę, & factus est dominus protector meus. Et alio in loco, inducit Deum in hunc modum dicentē : Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Psal. 90.

Is sub filius tuus.] Hinc colligunt nonnulli alium filium habuisse Esaiam, qui se ad hostes contulerat, quę dicunt esse Rabfacem, de quo postea agetur capite 36.

Ad extermum aqueductus piscina superioris.] Duę erant piscine siue cisterne Hierosolymę propter fontem inopiam. Ex vna quę erat in parte superiore extra ciuitatē, quę ob eam causam superior appellabatur, veniebat per aquę ductum aqua ad alterā, quę erat in ciuitate, & appellabatur inferior. In extremo huius piscine superioris erat Achaz, fortasse prouidēs ne eā hostes euerterent, cūm Esaias ad eum accessit.

Vide vi fleas.] Id est, noli timorem tuum verbis ostendere. Vel noli Deum tuum blasphemis latessere.

Cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium.] Id est, ne timeas legem Syrię & Samarię, qui propter iram, superbiam, & fuorem titionibus incensis atq; fumigantibus cōparātur. Caudas apellat propheta extremitates, vbi ignis est in torribus. Et fortasse hos reges caudis comparauit, quia in illis finitum fuit regnum Syrię & Samarię. Tu verò considera, eos qui republicam gubernant, si sint sceleribus cōtaminati & obstricti, titiones esse nō lucentes, sed cōburentes & fumigantes. Contrā verò principes illi atque præsules, qui vitam ad certam rationis normam dirigunt, iustitiamq; humanis opibus anteponūt, virtute, vita & exemplo mundū illuminant : & eam ob causam lux mundi rectē appellantur. Ita Christus Deus noster Apostolis dicebat :

Matt. 5.

Vos estis lux mūdi. Aspicias igitur & animo percipis, quę sit inter bonum & malum principem & præsulem differentia. Bonus lux est splendens, ardens illuminās : iniquus verò torris est siue titio, vt hic à Deo appellatur, nullū splendorē emittens, sed comburens, exulcerans, fumigans, oculos aggrauans, & ad lachrymas prouocans, & totam deniq; domum, hoc est, totam congregationē cōtaminans & nigredine afficiens. Et aduerte. Non comparatur iniquus gubernator titiōni ex vna tantū cauda fumiganti, sed ex vtraq; quoniam nulla parte eum poteris accipere quin cōburaris. Si eū mox exulcerat te, vehemētēq; opprimit. Si eū laudas adulationibusq;

tionibusq; fallis, tu teipsum perdis, & animo tuo perniciem moliris. Sed melius est vt in afflictione incidas, & corpore crucieris, dumodò nò discedas à virtute, neq; deiciaris à gradu constantiæ, quàm vt per flagitia perpetuū principis fauorem consequaris. Est enim talis fauor veluti hedera arborē amplectens caducā, corruptis defixam radicibus, ruinā quo tidie manentem. Nam etsi princeps dum vixerit, te amore & fauore prosequatur, tamē fluxus est, infinitis periculis expositus: & velis nolis est è vita excessurus, & tu corrues fauore destitutus, ex illius gloriæ, quam perpetuam putabas, gradu præcipitatus. Tu verò qui subditus es, mundi fauorē non curans, ne timeas iniquos principes & præfules, si ad Deum aspiraueris, in eoque spem tuam posueris, Nò formidet cor tuum à duabus caudis titionū fumigantium. Nā si

Similitudo.

Deus pro nobis, vt ait Apostolus, quis contra nos? Sed dic cum Dauid: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepida ho? & alio in psal. Quoniā in te eripiar à tentatione. Et quāuis te hostiū furor inuadet, tranquilla ramē mente consistes. Nam si iustitiā colueris & pietatē, quis te poterit veri honoris ornamentis spoliare? Lustus, vt ait diuinus Psaltes, vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Habes pro te Deū de quo canit idē vates: Liberabit pauperē à potētē & pauperē cui nò erat adiutor. Non est in mūdo qui valeat virum iustum virtutūque mōnibus munitū lædere & à gloriæ altissimo gradu præcipitare. vide quid Deus dicat Ieremix: ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam. & in columnam ferream, & in murum æreum super omnē terrā. Vbi vides virū sanctū cum ciuitate munita, columna ferrea & muro æreo cōparari. Amos propheta capite septimo ait se vidisse dominum super murum litum: vbi diuus Hieronymus per hunc murum Apostolos intelligit, cæterosq; viros sapientia atq; virtute præstantes. Ibi enim septuaginta interpretes pro muro lito murum adamantinum ob sanctorum firmitudinem & constantiam interpretantur.

*Rom. 2.
Psal. 28.
Psal. 74.*

*Psal. 97.
Psal. 71.*

Ierem. 6.

Hec dicit Dominus Deus: non stabit, & non erit istud. Sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rafim. Et adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus: & caput Ephraim Samaria: & caput Samaria filius Romelia. Si non credideritis non permanebitis, & adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Peccati tibi signum à Domino Deo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David. Nunquid paruum vobis est

*Matt. 3.
uolentes*

Luc. 1.

molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signū: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, ut fiat reprobare malum, & eligere bonum.

Non stabit. Id est eorum consilium non habebit effectum. Sed uterque horū regnum in suis terminis cōtinebitur, neq; lōgius propagabitur. Nā Damascus erit metropolis Syriæ, & Rafin erit princeps Damasci. Et Ita Hierosolyma non capiatur, neque possidebitur à rege Rafin.

Et adhuc sexaginta quinque anni. Id est regnum Israël finietur post sexaginta quinque annos. Sed interim Samaria ciuitas erit metropolis totius regni Samariæ, non autē Hierosolyma. Hi verō sexaginta quinque anni sunt cōputandi à prophetia Amos: qui vaticinatus fuerat delendum esse regnum Samariæ. Nam à vaticinio hoc Esaiæ vsque ad decem tribuum euersionem & captiuitatem solum viginti tres aut viginti quatuor anni interfluxerunt. Sin autē ab Amos vaticinio numeraueris, hos sexaginta quinque annos, quorum hic meminit Esaias, inuenies. Id autem, quod Esaias hoc in loco ait, est repetitio & confirmatio eius, quod ab alio propheta fuerat prædictum. Et vide quemadmodum Deus voluerit consolari Iudam interitu suorum inimicorum.

Si non credideritis non permanebitis. Hortatur eos Deus vt credant, si volunt in suo regno consistere & permanere. Quasi dicat: Nisi fidē habueritis asportabimini captiui, eorum calamitates pœnasque ferentes, quorum imitati fueritis infidelitatē. At illi nō crediderūt Deo, ideo non permanerūt, sed fuerūt à Babyloniis capti & in Chaldeā asportati.

Adiecit dominus ad Achaz dicens: Petē tibi signum. Cum Achaz rex impius verbis Esaiæ non crederet, dixit ei Dominus per eundem prophetam, vt peteret signū, nō ab idolis quæ colebat, sed à Domino Deo suo. Nā ipse Deus faceret miraculū, quo Achaz intelligeret esse se à duobus regibus liberandū, ipsorū vero regna euertenda: siue illud miraculū vellet rex de inferno, siue de cælo. Poterat enim Deus terrā scindere, vt ob magnū hiatum inferi paterent, & porerat in cælo solem sistere, vt tēpore Iosue, aut ipsum cælū aperire.

Iosue 10.

Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo dominum. Id

Deut. 6.

Deuteronomio scriptum legimus: Non tentabis dominum deū tuū. Quo testimonio Christus vsus est aduersus diabolum, vt est apud Matt. ca. 4. Non igitur licet petere à Deo miraculum

faculū absq̄ necessitate. Oportebat tamē regē Achaz signū petere, quoniā Deus illud præcipiebat. Est enim necessariū Deo parere. Sed impius rex nō hoc ex humilitate & religio ne faciebat sed ex impietate & pertinacia. Existimabat enim Deum miraculū facturum, & cum ipse esset idolorum cultor, nolebat vt Dei potētia appareret, ob eamq̄ causam Deus laudibus efferretur. Aspice Dei clementiā erga homines hominūq̄; malitiam erga Deū. Volebat Deus miraculū facere, & homo volebat Dei gloriā celare. Et quod peius erat hanc impietate operiebat flagitiosus rex virtutis tegumento. Vide impiā hominis hypocrisim, Aliud erat in facie, aliud in pectore: Aliud in verbis, aliud in factis. Vt argentū cum sit candidum, nigras tamen ducit lineas, sic rex impius, cum religionis candorem foris ostenderet, intus tamen ater erat, sordidasq̄; factorum suorū lineas ducebat: Tales sunt omnes, qui foris speciem virtutis ostendunt, cum animū, in quo est nobilitatis virtutisq̄; domicilium: illis flagitiis deformant, vt in perpetuo scelere & ignominia volutentur.

Similitudo.
Iud. 3.

Et dixit. Audite ergo domus Dauid. Verba sunt prophetæ dicentis: Non satis vobis est o Iudæi prophetas contemneri, sed Deum ipsum aspernamini: Cur diuinæ voluntati resistitis? Obserua eos esse Deo molestos, qui in afflictionibus ad Deum non confugiunt, sed in præsidio humano spem ponunt rerum suarum.

Dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, &c. Iubebat Deus regi Achaz vt signum peteret, siue ex cælo, siue ex inferno, quod certo sciret esse Hierosolymā ab hostibus liberandā. Sed eo tale signū petere nolēte, promittit Deus signū humanæ redemptionis, quæ per illā Hierosolymæ liberationem significabatur. Ac si dicat propheta. Propter hoc, quia tu rex credere nō vis, non tibi, sed vobis o Iudæi venturi dabit Deus signum magnū & admirabile, non liberationis solius Hierosolymæ, sed totius mundi. Nam ecce virgo Maria concipiet de spiritu sancto, parietq̄; filium, cuius nomen erit Emanuel, quod sonat, nobiscum Deus. Hic vos liberabit. Mittet vobis Deus pater Saluatorē, nō aliquē Aioth, aut Gedeonem, aut Samsonem, quemadmodū quōdā, quando iudicibus gubernabimini: sed Emanuelem verum Deum & verum hominem, qui vos à dæmonis potestate proteget, & etiā modò priusquam nascatur, vos à duobus regibus eripiet. Qui fuerit in electione sanctorū prophetarum versatus, non mirabitur Esaiā in media mētionē libe-

Iud. 3.
Iud. 6.
Iud. 13.

vaticinationis Hierosolymæ, totius generis humani liberat ionis,
 meminisse. Erat enim mos prophetarum sumpta rerum ma-
 terialium occasione ad diuina Christi arcana, & altissimis
 mysteria transire, inuolucrisq; tegere, ne sancta darentur ca-
 nibus, & ab indignis contemnerentur. Intelligi autem hanc
 Esaiæ vaticinationē de admirabili sacratissimæ virginis Ma-
 riæ partu apertissimè testatur D. Matthæus primo cap. sui
 euangelij, vbi ad literam hæc sunt verba. Pariet autem filiū,
 & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet pop-
 ulum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum
 est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophe-
 tam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiū
 & vocabis nomē eius Emanuel, quod est interpretatum no-
 bis cū Deus. Hæc D. Matthæus. Et aduerte nullā hic patris si-
 eri mentionē, quoniā Christus conceptus est de spiritu san-
 cto. Est enim Christus lapis ille, qui vt apud Danielē, ab-
 scissus est de mōte sine manibus. Hoc est, qui conceptus est
 & natus de virgine sanctissima virtutū mōte, absq; virili se-
 mine. Aduerte etiā nomen pueri esse Emanuel, hoc est, noi-
 bis cū Deus. Quæ omnia ostendūt hanc vaticinationē intelli-
 gi de Christo Deo nostro, qui in terra patrem non habuit, &
 qui nobiscum corporaliter habitauit: & de eius sanctissima
 matre, quæ virgo de spiritu sancto concepit. Idem, licet a-
 liis verbis ait propheta Ezechiel quadragesimo quarto ca-
 pite suarū visionum. Postquam dixit conuersum fuisse ad vi-
 am portæ sanctuarij, quæ respiciebat ad Orientē, & clausa
 erat, subiunxit: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir
 non intrabit per eam, quoniā dominus Deus Israël ingres-
 sus est per eā, eritq; clausa principi. Vel, vt alij interpretan-
 tur, clausa in æternum. Hæc porta in æternum clausa, per
 quam solus Deus introiuit, & egressus est, quæ alia est, nisi
 sanctissima Dei genitrix maria temper virgo. Ita illum locū
 D. Hieronymus, diuulgq; Augustinus interpretantur. Ea est
 hæc virgo, quam prædixit Esaias concepturam, Christumq;
 parituram. O virgo sanctissima templum Domini, sacrariū
 spiritus sancti, parentum reparatrix, posterorum seruatrix,
 tu generi hominū sine lumine errantium veram lucē attuli-
 sti, ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster. Er-
 rāt homines omni virtutum pulchritudine nudati in omni
 dedecore ignominiaq; constituti: obtemperauerat voluntas
 appetitui, corruerat constantia, fuerat vera dignitas ablata,
 splendorq; extinctus, & omnia deniq; virtutis ornamenta
 ceciderant.

Dan. 3.

ceciderant. At tu Christum concipiendo, eumq; mundo in-
 dicando, nos ex tenebris ad lucem, ex morte ad vitā, ex ve-
 ra turpiq; ignominia ad veram illustremq; dignitatē reuo-
 casti. Ex te pendet nostra salus, nostra victoria, & innocētiæ
 restitutio. Quid sine te esset vita mortaliū, nisi nox, nisi cali-
 go, nisi tenebræ & vmbra mortis? Tu es virgo & mater:
 cuius mater? eius cuius Deus est pater. Quid aliud significa-
 bat rubus ille, quē viderat Moyses, flāmas emittēs, sed seip-
 sum non comburens, nisi teipsam concipiētem sine viro, &
 parientem sine dolore? Tu es hæc absq; dubio, quæ nobis
 Emanuelem mirabiliter peperisti. Iudæi nihilominus cæci
 & obstinati dicunt hanc Esaiæ vaticinationem non esse de
 virgine, sed de Esaiæ vxore intelligendā. Quam ob causam
 fingunt, vt solēt, meras nugas intolerabilesq; ineptias, & va-
 nitates. Nonne Deus promissit signū? Perspicuum est. Quod
 igitur signum & miraculum esset concipere Esaię vxorem,
 quæ nulla sterilitate laborabat? O Iudæorum cæcitatem de-
 plorandam. Alij Iudæi hoc intelligi asserunt de vxore regis
 Achaz, quoniā vidēt nullū filium Esaię salutē Hierosolymę
 attulisse: & hunc filiū, quē propheta prædixit fore Iudæorū
 liberatorem, aiunt esse regē Ezechia, quē cōstat fuisse filium
 Achaz, admirabileq; victorias de Iudæorū hostibus repō-
 tasse. Videte cæcorum hominum insaniam. Qui fieri potē-
 rat vt vxor regis Achaz in signū liberationis Hierosolymę
 conciperet & pareret Ezechiam, qui iam natus erat? *Lege*
lib. 4. Regum, & videbis ex annorum computatione nouē
annos natū fuisse Ezechia, quādo pater eius Achaz regnare
cœpit, & hoc vaticiniū fuit eo regnante. Quis nō videt esse
has Iudæorū interpretationes in officina Saranæ confatā?

Vocabitur nomen eius Emanuel. ¶ Iesus & Emanuel idem
sunt, licet diuersa nomina videantur. Iesus sonat saluatorē;
Emanuel nobiscum Deus. Ad hoc fuit nobiscum Deus, vt
nos saluos faceret, Quid aliud est, Deus est nobiscum, quān
Deus est saluator noster? Emanuel appellatur propter diui-
nam humanāmq; naturam in vna hypostasi vnitam. Idem
aliis verbis dixit in hunc modum D. Ioannes, Et verbū ca-
ro factum est. Quid est, verbum caro factum est, quān nō
biscum Deus? Idem est Emanuel ac deus factus homo, cum
hominibus cōuersans. Id prædixerat Baruch propheta cap.
3. vbi loquens de Messia ait, Hic est Deus noster, & non
æstimabitur alius aduersus eum. Et paulo post, Post hæc in
terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Idē præ-

I a dixit

Exod. 7.

4. Reg. 16.
& 18.

Ioan. 1.

Psal. 64.

dixit iis verbis alius vates, veritas de terra orta est. Hoc est, Deus, qui est, ipsa veritas, terrenum corpus accepit, vt terram colentibus viam æternæ salutis aperiret, eosque saluos faceret, atque ad veram cælestemque promissionis patriam perduceret. Bonū, ait D. ille Dionysius Apostoli Pauli discipulus, est sui ipsius diffusiuum & communicatiuum: vnde summū bonum erit summè cōmunicatiuum. Cū autē deus sit summè bonus summè se nobiscū cōmunicauit. Quā in re poterat magis cōmunicare quā humanitatem nostram assumendo & nobiscū habitando? Hæc fuit summa communicatio, & admirabilis erga nos amoris abundantia. Hoc intuens animo Esaias dixit esse Melsiam Emanuellem vocandum, vt eius diuinitatem & humanitatem ostenderet. Obserua. Venit deus vt salui essemus, ergo perdituramus. Venit vt consequeremur salutem, ergo laborabamus ægritudine, Venit vt esset nobiscū, ergo eramus sine eo. Cū Christus sit Emanuel, cū nobiscū sit Deus, quid timemus? Quid amplius cōcupiscimus? Cur mundi opes & voluptates tam ardentè quærimus, nisi quia quamuis ipse venerit, vt sit nobiscū, nos tamen sine eo esse volumus? Ipse est nobiscū, nos verò cum eo non sumus. Ipse nos quærit nos eum fugimus. Ipse vult vt quæramus vitā, nos autem currimus ad mortem, ruinusque ad interitum voluntarium. Aduerte: Non dicit, Vocabitur nomen eius, nos cum eo, sed ipse nobiscū. O immensum Dei erga nos pietatem, & incredibilem nostram erga Deum ingratitude.

Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.] Hoc est, erit verus Deus & verus homo. Ac si dicat, Ne mireris o domus Dauid virginem parientem, & talem filium qui priusquam nascatur, te liberet inuocatus. Nam ipse est Deus, qui assumpta humanitate nobiscū erit factus homo. Ne existimes eum assumpturum esse corpus ærēum aut phantasticū, nam reuera erit verus homo, cibisque vtetur infantium: comedet enim butyrum & mel. Sed hoc eius sapientiam non impedit: nam pannis inuolutus, & infantili pabulo nutritus sciet reprobare malum & eligere bonum. Particula vt non hic finalē causam designat, sed euentum & consecutionem: non enim comedet eo fine, vt sciat reprobare malū & eligere bonū, sed ita butyrum & mel comedet, vt etiam sciet reprobare malum & eligere bonum.

Infra 9.

Voluit his verbis propheta vtramque Christi naturā diuinā humanamque

humanamque significare. Id quod multis aliis in locis fecit, veluti cap. 9 vbi prædixit Christum fore puerum, & vocandum esse Deum. Sed ita hoc attemperauit Esaias, alique diuini vates, vt quamuis suo tempore à ludæis alta mysteria minimè cõtemplantibus non intelligeretur, ne sanctum da retur canibus, posset tamen postea uo tempore intelligi à Christianis. Oportebat enim tam admirabiles res, tanti mysterij maiestatisque repletas, esse his tegumentis coopertas & inuolutas. Erat enim testamentum vetus veluti quædam cortina, in qua diuina mysteria tegebantur, quæ fuerunt in nouo testamento reserata.

Simile.

Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum regnũ suorum. Adducet Dominus super te, & super populum tuum, & super domũ patris tui, dies, qui non venerũt à diebus separationis Ephraim à Iuda, cum rege Assyriorum. Et erit in die illa: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & Api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus fructibus, & in vniuersis foraminibus. In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput, & pilos pedum, & barbã vniuersam. Et erit in die illa: nutriet homo vaccaũ bonũ, & duas oves, & præ vbertate lactis comedet butyrum. Butyrum enim & mel manducabit omnis homo, qui relictus fuerit in medio terræ. Et erit in die illa: omnis locus, vbi fuerint mille vires, mille argenteis, in spinas & vepres erunt. Cum sagittis & arcu ingreditur illuc. Vepres enim vi spina erunt in vniuersa terra. Et omnes montes, qui in sarculo sarriuntur, nõ veniet illuc terror spinarũ & veprium, & erit in pascua bonis, & in cõculcationem pecoris.

4. Reg. 19.
2. Par. 32.

Quia antequam.] Redit propheta ad particularem liberationem, & est sensus: Priusquam Emanuel nascatur, priusquam ad eam etatem veniat in qua sciunt homines reprobare malum & eligere bonum, ipse liberabit terram hanc, quã tu à Achaz ob idolatriã tuam detestaris, quia in ea verus Deus colitur. Et relinquetur terra à duobus regibus qui eã oppugnatũ venerant. Id quod dicit, quam tu detestaris, potest verti. pro qua tu sollicitus es. Potest hic locus ita explanari, melius meo quidem iudicio: priusquam Christus nascatur, terra Syriæ & Samariæ, quam tu detestaris, & odio prosequeris derelinquetur à suis regibus, quoniã eos capiet & vastabit Assyriorũ rex. Pernicies enim, quã hi duo reges Hierosolymæ moliebantur, in eorũ caput redundabit.

Adducet dominus super te.] Sensus est: Tu eripieris modo à regibus Syriæ & Samariæ, sed postea ob impietatem tuam grauiore affigeris. Adducet Dominus super te multo maiora mala quam ea, in quæ inciderunt decem tribus, postquam se à Iuda separauerunt. Suadet propheta populū suū iis minis & terroribus à vitis reuocare, ad Deumque reducere.

Cum rege Assyriorum.] Id est, in has calamitates incurretis, cum venerit rex Assyriorum. Rex Babylonis appellatur hic rex Assyriorum, quoniam Babylonis subiecti fuerunt Assyrii. Lege quartum librum Regum, & secundum Paralipomenon, & videbis regem Babylonis cum magnis copiis Hierosolymam venisse, eamque cepisse, & templum incendisse atque Iudæos captiuos secum in Chaldæam asportasse.

Et erit in die illa: Sibilabit dominus muscæ.] Aegyptios vocat muscas propter idolatriæ fordes, & propter eorū imbecillitatem. vel fortasse quia ibi erat magna muscarum multitudo. Assyrios apes vocat, quia, vt apes stimulum emittit sic Assyrii vsu sagittarum erant instructissimi, & velut apes volantes & sollicitæ, ad prælium velociter & sollicitè veniebant. Sensus est: Vocabit Deus ad prælium non solum Aegyptios imbecillos, sed etiam fortes acresque Assyrios, ad pugnandum instructos atque paratos,

Requiescant omnes in torrentibus vallium.] Permanet in eadem translatione. Significat Aegyptios & Assyrios venturos esse cum magna militum multitudine: terramque Iuda occupaturos & euersuros.

In die illa radet dominus in nouacula conducta.] Per nouaculam conductam, per regem Assyriorum, & per eos qui trans flumen sunt, idem significatur. Prædicit Iudæorum excidium per Babylonios, quos Assyrios vocat, qui respectu Hierosolymæ sunt trans flumen Euphratem. Ideo exercitus Assyriorum appellatur nouacula, quia omnia abrasurus & deleturus erat: & ideo appellatur conducta, quia eo populo tantam quam conducto vsus est Deus, ad Iudæorum euersionem & vastitatem. Per caput intelligitur rex Iuda, per barbā principes & nobiles, quibus rex ornatur, per pedes verò hi qui sunt obscuro ortu parentibus. Est igitur sensus: Regnum Iuda deletur ab exercitu Assyriorum, qui veluti acutissima nouacula omnia radent, regem, nobiles, & infimo loco natos, vt nihil in Iudæa relinquant forte, nihil pulchrum, nihil firmum & stabile,

Et erit in die illa nutritur homo vaccam ynam,] Sensus est: Viciū

Vitis Iudæis in Chaldeamque translatis tanta erit in Iudæa solitudo, tanta vastitas, tanta paupertas, vt paucissimi ibi habitent. Et ex illis nullus armenta bouum, neque greges ouium habebit: Sed raras habitator vix vaccam vnā, paucasque oues habere poterit: & ob frumenti inopiam comedent homines butyrum & mel. Nam terra ob habitantium raritatem erit feracior, & agri abundabunt herbis, & pecora pascuntur liberè quapropter afluēt lacte. Describit vates Iudææ solitudinem & inopiam, post Babylo nicam captiuitatem.

Vbi fuerint mille vites mille argenteis.] Hoc est tanta erit solitudo, vt locus, vbi fuerant mille vites mille argenteis æstimatæ, in spinetum & vepretum conuertatur. Nam vites ob hostium metum nequaquam amputabuntur.

In sagittis & arcu ingredientur illuc.] Scæuientibus vbique armis nemo agrum suum audebit inuisere absque arcu & sagittis propter metum & hostium & ferrarum. Et relictis locis campestribus fugient homines ad montes, vt eorum difficultate muniantur. In montibus illis neque crescent vepres neque spinæ: quoniam sarrientur & fodientur sarculo & ligone à paucis illis colonis, qui ibi miserabiliter habitauerint. Cætera omnia patebunt pascuis, libereque à pecoribus conculcabuntur. Diuus Gregorius in morali bus libro decimonono cap. vigesimo octauo per spinetum intelligit gentilitatem, ad quam Apostoli cum arcu & sagittis ingressi sunt, quia ad ferendam gentium duritiam cum districtis verborum spiculis, introierunt. Appellat verba sanctorum concionatorum sagittas, de quibus dicitur in psalmo: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. *Psal. 43.* Hoc est, Ardentissima Apostolorum verba corda hominum feriebant. Appellantur autem Apostoli paruuli propter eorum sanctam humilitatem & simplicitatem. *Qui* *Matt. 13.* *bus* aiebat Christus, vt est apud Matthæum, Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hæc est causa cur dicat scriptura primo libro Regum filius vnus anni erat Saul cum regnare cœpisset: volens enim significare eum, cum regnum obtinuit fuisse simplicem & probū, ait esse paruulum, ac si vnum annum natus esset. *Qui* si in illa simplicitate & humilitate permaneret, esset absque dubio egregia quadam gloria cumulat. Huiusmodi paruulis aperit Deus sua mysteria, diuinamque sacrarū scripturarum intelligentiam ostendit. Id *1. Reg. 13.* sentiebat

Psal. 118. sentiebat diuinus ille Psaltes, cum ita canebat. Declaratio, seu ut potest verti ex hebræo, ostium sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Id ostendit Christus apud Matthæum ita inquitens: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ex quo poteris facile colligere non superbos hæreticos, sed humiles catholicos esse diuinarum literarum verum sensum consecutos.

Matt. 11.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT VII.

Iaxub.

Et qui derelictus est Iaxub filius tuus.] Pro Iaxub in hebraico est iaschub, à verbo schub, quod significat conuertere. Sonat igitur Iaxub conuertetur. Voluit hoc nomine significare reliquias Iudæorum esse ad Christum cōuertendas. Precepit Deus Esaia, vt filium suum Iaxub assumeret, vt nominis significatione rei euentum significaret.

Et non tentabo Dominum.] Pro tentabo est in hebraico anasseh, à verbo nasah, quod significat tentare, quam significationem secutus est noster interpres. Potest esse à verbo nasas, q̄ significat extollere & exaltare. Ideo poterat verti: Et non exaltabo Dominum.

Ecce virgo concipiet.] Pro virgine est in hebraico almah, quod nomen significat virginem. Et nō solum hoc in loco sed etiā in cap. vigesimoquarto Genesis, vbi in hebraico est hæc dictio almah vertit interpres Latinus virginē inquitens: Virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam. Et lingua Punica, quæ vt ait diuus Hieronymus, de Hebræorum fontibus manare dicitur, almah virginē significat. Et Septuaginta interpretes nationē Hæbræi, & apud Hebræos clari in primis linguaq; Græca peritissimi verterūt hoc in loco παρθένος, quod nomē proprie virginē absque dubio significat. Nihilo minus tamen audent nunc Iudæi asserere hoc nō intelligi de virgine, sed de vxore Esaia, quanquam ex illis non nulli dicant esse de vxore regis Achaz intelligendū, quarū utraque virum cognouerat: neque volunt fateri hoc nomen virginem significare: Imo omnes Septuaginta fuisse hoc in loco deceptos asseuerāter affirmant, suorumque Rabbiorum antiquorum commentarios, in quibus almoth bethuloth interpretantur, omnino reiiciunt. Dictio enim bethuloth sine vlo dubio virgines significat vt ipsi facillē cōstetetur quā falsē & ineptæ sint horū Iudæorū interpretationes,

nes,

nes, in explanatione ostēdimus. deriuatur hęc dictio almah à verbo alā quod significat latere & abscondere: vnde significat nō quacūque virgine, sed eā, quę est abscondita, de cuius integritate dubitare nemo possit: & quę est non vetala, sed adolescentula. Ideo Latinus interpres in primo Canticorū capite vertit: Adolescentulę dilexerūt te. Vbi in hebraico est alamoth, & in cōmentario hebraico exponitur bethuioth. Et in prouerbiis capite trigesimo vbi scriptū est: Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilę in cęlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia, pro adolescentia debet esse in adolescentula, siue in virgine: est enim in hebraico idem vocabulum almah, & ita habent nonnulli codices Latini. Sed vitio Typographorum effectum esse existimo, vt pro adolescentula deprauatē scriberetur adolescentia. Hoc mysterium ait Salomon sibi fuisse occultum & arcanum. Quis est hic homo cuius viam in virgine adolescentula & abscondita ignorabat Salomon, nisi Christus de Spiritu sancto cōceptus, & de virgine sanctissima Maria admirabiliter natus? Hanc vnicā in explicabilemq. generationem non poterat humano intellectu percipere Salomon. Quamuis enim intelligeret concepturam esse virginem Emanuelemque parituram, viam tamē & inenarabilem modum comprehendere nequaquam poterat. De qua dicebat Esaias capite quinquagesimo tertio: generationem eius quis enarrabit?

Si non credideritis, non permanebitis.] Nempe in regno. Pro credere & permanere in hebraico est vnū atque idem verbum, nimirum aman, Sed priori loco est tertię coniugationis vocis actiue, quę appellatur hiphil, & significat credere: Secundō verō loco est primę coniugationis passiue, quam appellant niphāl, & significat esse firmum, certum, stabilem, & permanētem. Ideo rectē vertit interpres noster: Si non credideritis, non permanebitis. Et quoniam qui firmi certique sunt in re aliqua, eam intelligere censentur, ideo adducti hac ratione verterunt Sepruaginta interpretes. Si non credideritis, nō intelligetis. Quasi illis dicat propheta: Nisi Dei verbis fidem adhibueritis vera intelligentia carebitis. Vbi aspicias infideles omnes esse vera intelligentia sapientiaque destitutos. De illis enim ait in hunc modum Diuus Paulus in epistola ad Romanos. Euanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes

Rom. 1.

enim se esse sapientes stulti facti sunt. Diuus Augustinus inquit intellectum esse præmium fidei. Et rectè quidem. Est enim perspicuum, fidem illuminare, admirabilemque intelligentiam tribuere. Pagninus vertit: Si non creditis, quia non estis stabiles. Hoc est. Ideo mihi non creditis est, quia non estis in solido fidei fundamento constituti. Potest verti: Si non crederitis, non eritis stabiles, vel fideles, vel fortes, vel perseuerantes.

Argumentum capitis Octaui.

Describit diuinus vates admirabilem sanctę virginis Marię partum. Id quod fecerat capite superiore. Celebrat victoriam, quam Christus erat de dæmone reportaturus. Vaticinatur venturas esse Assyriorum copias in Iudęam, totamque regionem, excepta Hierosolyma, vastaturas. Prædicat Syrię & Samarię excidium & vastitatem. Horratur populum suum ad Dei timorem, veramque religionē amplectendam. Præcinit Christum fore eum timētibus & colentibus in sanctificationem, in petram autem offensionis impiis Iudæis, ipsius Christi Dei nostri diuina opera damnantibus, eiusque gloriam deformare atque extinguere cupientibus. Piorum enim animos erigit Deus, & ad altissimam dignitatem extollit, & ad vitam tandem æternam perducit. Illi autem qui se vitis dederunt, eorumque se quasi ministros præbuerunt, Christi sanctissimam opcribus offendunt. Quò fit, vt ad æternas miserias præcipites ruant. Tandem docet vanos esse ariolos, tollendamque esse omnem superstitionem, & ad sacram Dei legem confugiendum.

CAPVT VIII.



Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe, citò prædare. Et adhibui mihi testes fideles: Vriam sacerdotē, & Zachariam filium Barachie: & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, Festina prædare. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrē suā, auferetur fortitudo Damasci: & spolia Samarię coram rege Assyriorum. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: Pro eo quod

quod abiecit populus iste aquas Silo, quæ vadant cum silentio, & assumpsit magis Rafin, & filium Romelia, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes riuos eius, & fluet super vniuersas ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terre tuæ à Emanuel.

EXPLANATIO.

Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem.] Vult Proheta iis verbis ostendere, rem hanc quam vult consignare literis, & mādare monumentis, magnam esse dignamque absque dubio quam nulla vnquam debeat obliuio. Cur enim ad tam pauca verba scribenda erat librum magnum sumpturus, nisi vellet mysterij magnitudinē significare? Nā quod maius illustriusque mysterium esse potest, quàm virginitem concipere, eumq; parere, qui est verus Deus & verus homo, hominum generis restaurator, ipsius matris, quæ eū genuit, creator totiusque mundi redemptor? Est etiam altera causa ob quam iussit Deus esse librum magnum, nempe vt posset ab omnibus videri, nec ob eius paruitatē se aliquis excusaret. Et eam ob causam præcepit Esaiæ, vt scriberet stylo hominis hoc est manifesto, & verbis humanis, literisq; notis, vt omnes possent id, quod erat scribendū, intelligere. Et hanc rationem affert Ioatham in Targum. Voluit Deus etiam hac in re suam erga homines clementiam significare. Idem præcepit prophetæ Habacuc hunc modū: Scribe visum: & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit. Ac si diceret: Scribe vaticinationē, eamq; planē explica, vt qui legerit, possit eam facile intelligere.

Habac. 2.

Velociter spolia detrahe, cito prædare.] Hæc est prophetia, quam Esaias in libro magno scribere iubebatur. vide quàm pauca verba, sed considera quàm sublimia mysteria in illis includantur. Capite superiore prædixit sanctus vates nomē & admirabilem Emanuelis natiuitatem: nūc alia eius nomina, verbis quidem differentia, sed re idem significantia, scribit: quibus nostram à dæmone liberationem significat. Est igitur sensus Hactenus diabolus homines oppressit, huiusque mundi principatum obtinens exercuit tyrannidem immansissimam. Sed ipse eiicietur foras. Ideo tu puer à Emanuel detrahe velociter eius spolia aufer homines ab eius potestate & miserima seruitute, ipsi enim sūt spolia, quæ es ab illo ablaturus: ea cito eripe, ipsumque dæmonem prædare:

dare: non ultra eum regnare patiaris. Id fuisse à Christo
 saluatore nostro factum, & hanc vaticinationem impletam
 ipsa euangelia asserunt, & nos planè cognoscimus. Non
 existimes hæc Christi victoriam fuisse tunc primo ab Esaia
 prænuntiata: Nam in mundi principio fuit à Deo prædicta,
 & postea à Moyse literis contestata. Cùm primum nostri
 primi parentes ob diuini præcepti trāsgressionem in grauif-
 simum crimen incidissent, ira Deus serpenti, quæ Etiam le-
 duxit, & in posteritate fuerat crudelissimum excidium
 machinatus, allocutus est: Inimicitias ponam inter te
 & mulierem, & semen tuum & semen illius, & ipsa con-
 teret caput tuum, Vel, vt est in hebraico, & ipsum conteret
 caput tuum. Quæ est hæc mulier, nisi virgo sanctissima Dei
 genitrix Maria? Quid per eius semen, nisi Christus Deus
 noster intelligitur? Hunc dicit esse dæmonis caput contri-
 turum. Cui existimas referuatum, fuisse hanc victoriam, nisi
 Christo Deo nostro quæ spolia detraxit ab hoste antiquo,
 eiusque caput contriuit hominumque genus ad veram dig-
 nitatem & amplitudinē reuocauit? Communis versio attri-
 buit virgini Mariæ hanc victoriam, dicens Et ipsa conteret
 caput tuum. Quoniā ipsa Christum genuit, qui eam victo-
 riam de dæmone reportauit, vt nos ad vitam perduceret
 beatam & immortalem. At litera hebraica ad virginis fru-
 ctum hanc victoriam refert. Non enim dicit: Et ipsa, sed,
 Et ipse, nimirum virginis fructus. Et ira transtulit Pagninus,
 & nonnulli alij.

Ahibui mihi testes fideles.] Scripsi ea, quæ mihi præcepit
 Deus, & assumpsit testes magnæ fidei & integritatis, nempe
 Vriā sacerdotē & Zachariā filiū Barachiæ, viros claros, qui
 magnā celebritatē sermonis hominū fuerant consecuti. Hi
 certò sciūt me sumpsisse librū magnū, cui ea, quæ mihi deus
 preceperat, mandauit. Vrias sonat illustrationē siue illumina-
 tionē Dei. Zacharias verò Dei memorē siue memoriā. Hi
 enim sunt fideles testes, quia à Deo illuminātur, eumq; me-
 moria tenēt. Ex quo colliges nō esse eos integros testes, qui
 in ignorantia peccatorumq; tenebris versantur, Deumque
 obliuiscuntur, neq; veritatē neque iustitiam colentes. Chri-
 stus apud Ioannem in sermone illo amoris plenissimo, quē
 habuit inter Discipulos suos imminente tempore, quo erat
 acceptis grauissimis contumeliis ex hoc mundo ad patrem
 transiturus, hæc verba fecit: Cū venerit paraclerus, quē ego
 mittam vobis à patre, spiritū veritatis, qui à patre procedit
 ille

Gen. 3.

Ioan. 15.

ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Ac si diceret: Testimonium, quod de me tribuetis ô Discipuli mei, fidele erit & incorruptum, quoniam eritis Spiritus sancto incensi, & ea testificabimini, quæ vidistis, quoniam ab initio mearum cõcio num meorumque miraculorum mecum estis, Vbi vides idoneos & approbatos testes eos esse, qui & iusti sunt, & ea, quæ testantur, certo sciunt. Debet iudex considerare sintne testes integri an deprauati, nimiaque affectione corrupti. Vt enim solis radius per vitrum variis depictum coloribus ingrediens, vitri colores non autem suum representat, vt cum sol sit vnus atque idem diuersus tamen pro colorum varietate appareat: sic homo affectu corruptus, non veros atque nativos colores rebus tribuit, sed qualis est eius affectio, tali colore rem ipsam depingit, vt cum vnum atque idem sit factum, in hoc illud laudet, in alio verò vituperet, ingrediens enim iudicium per affectum, ipsius affectus colorem ostendit, ex quo consequitur vt eius testimonium aliorum facta sæpe numero deprauatè representet. Prudenter equidem Agellus, vt est apud Plutarchum quoties audiebat aliquos de aliorum aut laude aut vituperio testimonium dicere existimabat nõ minus esse inquirendos & discendos eorum mores, qui loquebantur, quã eorum, de quibus verba faciebant.

Accessi ad prophetissam. Postquam ex Dei præcepto, inquit, scripsi in libro magno mysterium redemptionis humane per Christum, & adhibui mihi testes fideles, accessi mente ad prophetissam illam virginem Mariam sacratissimam, & diuino lumine illustratus vidi fore, vt ipsa conciperet, & pareret: integra & violata virginitate permanente Et dixit mihi deus. Filius huius virginis est puer ille, qui vocabitur Emanuel. Tu etiã voca nomen eius, accelera spolia detrahe, festina prædari. Accelera spolia detrahe, siue spolia detrahere est vnum nomen. Festina prædari alterum, sed in idem recidens. Voluit Deus his nominibus ostendere esse Christum magna cum festinatione à demone mundum erepturum.

Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam Confirmatio est eius, quod dixerat, esse Christum cum magna festinatione mundum à demonis fauce erepturum. Quasi dicat: Priusquam Emanuel humanitate assumpta ad id perueniat ætati, in qua pueri sciunt vocare patrem & matrem, auferet atque destruet mundi fortitudinem & sapientiam. Nam quid aliud fuit Christi natiuitas eiusque in mundum

Similitudo.

dum aduentus siue humanis armis, siue copiis & hominum
 exercitibus, sine bellico apparatu, quam inanis mundi for-
 titudinis euersio? voluit statim in infantia Christus iudica-
 re nulla arma, nullam mundi fortitudinem, nullas homi-
 num munitiones, tantam habere firmitudinem, vt in illis fidu-
 ciam collocarem: sed in Christi fide charitate formata, in
 vera religione, in mundi contemptu, in perpetua virtutis constan-
 tia esse veram fortitudinem constitutam. Quid aliud fuit
 nasci Christum inter paleas & fenum, & reclinari a virgine
 sanctissima in humili praesepio, quia non erat ei locus in
 diuerforio, vt ait euangelista quam humani fastu, inanis
 gloriae, hominum pompae, & huius mundi sapientiae, aper-
 tissima dānatio? Quid aliud fuit nasci in itinere & in diuer-
 sorio nisi docere vitam hanc viam esse & diuerforium, non
 permanens domiciliam? Quid aliud fuit illa profunda hu-
 militas quam mundi superbiae & iactantiae clarissima impro-
 batio? Quid aliud fuit illa summa paupertas, quam humanae
 prosperitatis, fluxarumque opum inconstantium in casu-
 que fitarum contemptio? In illa inopia voluit delitescere
 summus ille omnium rerum opifex, amplissimusque caeli mo-
 derator & rector, qui naturam vniuersam immensa virtute co-
 ercet & continet, totius vniuersi inuictissimus imperator,
 vt doceret fundamentum Christianae philosophiae veraque re-
 ligionis initium in rerum humanarum contemptione ac despi-
 cencia consistere: nosque ad caelestis patriae desiderium fir-
 missimamque aeternitatis spee & fiduciam excitaret. Cum igitur
 Christus natus est, statim incepit auferre fortitudinem
 Damasci. Stultam enim fecit Deus huius mundi sapientiam.
 Et vt verbis vtar Apostoli, quae stulta sunt mundi elegit De-
 us, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus,
 vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia
 elegit, & ea quae non sunt, vt ea quae sunt destrueret. Vocat
 hoc in loco diuus Paulus ea, quae non sunt, res illas, quae nul-
 lius esse momenti videntur, & pro nihilo putantur. Si atten-
 tius velimus intueri, videbimus apertissimè summam fuisse
 Christi saluatoris nostri in mundi restaturatione celerita-
 tem. Cum primum natus est in mundo, cepit saluum face-
 re mundum. Statim adduxit ad se pastores, qui angelis concin-
 entibus Christumque nunciantibus ad praesepium peruene-
 runt: & Magos orientales ex distantibus prouinciis ad se ve-
 lociter perduxit: vt significaret non solum Iudaeorum reliqui-
 as, quae per pastores Iudaeos significabantur, sed etiam gen-

Luc. 2.

3. Cor. 1.

Luc. 3.

Matt. 2.

tes,

tes, quatum primitiæ erant Magi illi Orientis, esse salutem
 cōsecuturas. Cū rex aliquis vult principem filium suū de-
 signare regem, conuocat vrbium legatos, qui iurent se esse
 principi obtemperaturos. Fiunt conuentus, & designatur
 rex. Cōstitutus est Christus rex à Deo patre, iuxta id quod
 ipse de se ait in psalmo: Ego autem constitutus sum rex ab
 eo super Sion montē sanctum eius. Quod intelligitur qua-
 tenus ille homo est: Nam natura diuina Christus æqualis
 est patri, semperq; regnum obtinuit. Venerunt totius orbis
 legati, pastores ex Iudæis, Magi ex gentibus, vt hunc regē
 recognoscerent & adorarent. O felix Bethleem, ô amplis-
 simum atq; excellentissimum diuersoriū, ô domus panis, id
 enim significas, vbi natus est panis ille viuus, qui de cælo de-
 scendit, vbi facti sunt cōuentus cæli & terrę & verus totius
 vniuersi princeps & rex à Iudæis & gentibus, & angelis, re-
 liquisq; cælitibus recognoscitur & adoratur? In te natus in
 tēpore ille, qui est sempiternus, cœpit velocissimē mundum
 restituere. At sentienda quidem est, omniq; lachrymarū a-
 bundantia se penumero deploranda obliuio nostra, qui Deo
 accelerati & festinanti, vt nos liberet & seruet, non occurri-
 mus sed in nostra ignauia & pernicie torpemus. Considera-
 mus Dei celeritatē & nostrā desidiā, Dei sollicitudinem, no-
 strā inertiam. Cur nō festinamus, si deus festinat? Quid respō-
 debit nostra socordia Christi velocitati? Venit Deus in mū-
 dū & dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt nos eriperet
 à præsentī seculo nequā, vt verbis Paulinis vtar in epist. ad
 Galatas, & nos iterū atq; iterū vinculis nostris astringi-
 mus, & in desidia nostra permanemus. Acceleremus igitur,
 & accinctis renibus nostris, baculos manu tenētes, vt Deus
 in Exodo præcipiebat, comedamus festinātes. Et, vt ait D.
 Paulus in epist. ad Hebræos, festinemus ingredi in illam re-
 quietem, vbi Dei visione in æternum fruamur.

Et spolia Samariae coram rege Assyriorum.] Auferet Emanu-
 el spolia Samariæ: hoc est, homines mundi à diaboli pote-
 state coram ipso diabolo. Idem dicit alio in loco prophe-
 ta iis verbis: Ideo disperiam ei plurimos, & fortiū diuidet
 spolia. Idem etiā Christus apud Lucā significauit ita dicēs.
 Cūm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea
 quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eū,
 vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia e-
 ius distribuet. Hæc spolia sunt homines, quos Christus à de-
 monis potestate ereptos distribuit. Nam ipse, vt ait D. Pau-
 lus

Psal. 2.

Ioh. 4.

Gal. 3.

Exod. 12.

Hebr. 4.

Infrass.

Luc. 11.

Ephes. 4. Ius in epist. ad Ephesios, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Vicit igitur Christus dæmonē, eiusq; captiuitatem, sibi captiuauit, & in cælum adduxit. Id quidē est quod ait Apostolus in eadē epist. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Hoc est homine, qui antea erant spolia Samariæ, ab exilio ad cælestē patriam adduxit. Quod Dauid multo antea cecinerat. Et quāuis hoc ita sit, existimo tamen hoc etiam de materiali Samaria & Damasco ciuitate Syriæ dictū esse. Prædicat enim his verbis propheta victoriam, quā Assyriorum rex de Syria & Samaria reportauit, quod fuit prius, quā puer sciret vocare patrem & matrem, hoc est, priusquā Christus nasceretur. Sed hęc victoria significabat Christi victoriam, qui erat de diabolo, mundo, & morte triumphaturus. Quod factum fuit, quando multi ex Iudæis, pluresq; ex gentibus in Christū crediderunt, & repudiata superstitione, ad verā pietatem & religionē animum applicuerunt, seq; Christo libenter dedicarunt. Iudæi per hanc prophetissam intelligunt, vt dixi, vxorē Esaiæ: Ad quā dicit eum corā fidelibus testibus Vria & Zacharia accelsisse, ex eorū congressu filium genuisse, qui vocatus fuit, Accelera spolia detrahere, festina prædari. Sed quis nō videt Iudæorum imprudentiā, qui Esaiæ prophetæ sanctissimo eam turpitudinē tribuūt, quam ne leones quidem admitterēt. Qui enim fieri posset vt modestissimus sanctissimusque vates coram hominibus veneriū actum exercuisset cum non dicam homines, sed etiam quædā bruta animalia nolint cum fæminis cōgressum habere nisi in locis abstrusis ab hominumque conspectu remotissimus? Id enim de elephantis & camelis Aristoteles libro. 5. de nat. animalium capite. 2. scribit. Præterea: puer natus ex tali congressu natus fuisset decem & nouem annos cū Samaria euerteretur. Illa enim, vt cōstat ex quarto Regum, & 2. Paralipomenō, euet sa fuit anno sexto regis Ezechia, puer autem, si verum est, quod dicunt Iudæi, conceptus fuit secundo anno Achaz regis Iuda, Inter annum autem secūndum Achaz & sextum Ezechia: si rectē cōputes, inuenies viginti annos interfluxisse. Quomodo igitur fieri posset vt puer nesciret vocare patrem & matrem iam natus annos saltem decem & nouem? Ex quo apertissimē colliges falsam commentitiāque esse hanc Iudæorum opinionem, neque posse cum ratione, neque cum scripturarum veritate cohærere. Est igitur hęc propheta

4. Reg. 17.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

tiffa virgo illa sanctiffima Dei genitrix Maria, de qua dixerat superiore capite : Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Ad hanc accersit mente diuinus noster vates, eam fuit animo contemplatus Christū parientem, & in virginitate perseverantem.

Pro eo quod abiicit populus iste aquas Siloe.] Prædicat euerfionem Iudææ per Assyrios : Quasi dicat quoniam populus Iudææ, cuius regnū est veluti fons Siloe leniter fluens, suum negligit statum, & spem non in diuino præsidio, sed in regibus Syriæ & Samaritæ ponit, eisque vult se subicere, qui sunt velut fluuiū magni suo impetu omnia secum rapientes, ego adducam super eum aquas fluminis rapidissimi, qui totam terram se fundant, hoc est, potentem immanemq; Assyriorum regem, qui totam terrā vastet & populetur. Hoc ideo dicit, quia multi ex regno Iuda fauebant regibus Syriæ & Samaritæ, quos videbant potētes, eosque sibi reges constituere volebāt, Siloe est fons lenis & innoxius ad radices montis Sion, cui regnum Iuda, quod fuerat à Deo constitutum, cōparatur. Animaduerte. Iudæi volebant eligere reges Syriæ & Samaritæ, illisque subiici. At Deus eos nō illis sed regi Assyriæ seruire fecit. Colliges hinc eos, qui illis nolunt subiici, quibus Deus vult, sed diuinæ voluntati nequaquā obtemperantes alios eligunt, quibus se subiciant, postea aliis seruire, qui eos opprimāt & affligant. Aequum enim est, vt quoniā illi non vis subiici, cui Deus vult vt subiiciaris, ei sis subiectus, cui subiici nequaquā velles. Quomodo vis vt tibi Deus pareat, si tu illi nō vis parere ? Fac quod vult, & faciet quod vis. Illud est præterea obseruandum Siloe sonare missum: missus autem Christus fuit, ita enim ait D. Paulus in Epist. ad Galatas. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium *Galat. 4.* suum, factum ex muliere, factū sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Est igitur huius loci sensus: Quoniam Iudæorum populus contempsit & abiicit Messiam à patre missum, & voluit potius Scribis & Phariseis adhærere, ideo eum Deus tradet Romanis, qui eum summis calamitatibus premant. Hic est fons ille cuius aqua cæci oculos aperuit, vt est apud Ioan. cap. 9. Volens enim euāgelista significare, per *Ioan. 2.* fontem illum Christum intelligi, adiecit nominis interpretationem, dicens: Siloe missum sonare. Est namque Christus fons ille, de quo aiebat regius vates cū patre loquens: Apud *Psal. 39.* te est fons vitæ. Et Zacharias propheta: In die, inquit, illa *Zach. 12.* erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem in

ablutionē peccatorum. Fons vitæ, qui tollit peccata mundi, inissus à patre fuit, vt cæcorum oculis mederetur. Quis est ille qui mentis oculorū tenebras aufert, nisi Christus saluator noster: Si hunc fontem contēpseris, cæcus permanebis, nullo diuinæ gratiæ splendore illustratus, & regi Assyrio, hoc est, diabolo huius mundi principi subicieris, à quo immaniter vexaberis. Si vis lumen oculorum recipere, cōfuge ad hunc fontem & deterfa cæcitate clarum lumen recipies. Fuit eius aqua leniter absq; strepitu & clamore, quod Christo conuenire indicat locus Esaiæ cap. 42. ita habens. Non cōtendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Quem locum. D. Matthæus 12. cap. sui euangeliū de Christo interpretatur, Illud est hoc loco aduertendum, eos reprehendi, qui clamoribus & contentionibus vtuntur, aqualque Siloe quiete & in silentio fluentes contemnunt. Vt enim in templi Salomonis structura, neque audiebatur malleus, neque securis, vt in primo Regum libro literæ diuinę testantur, sic in ecclesia Christi templo celeberrimo & amplissimo nullæ debent esse iniquæ lites, altercationes, & tempestates, sed modestia, tranquillitas, & charitas.

3. Reg. 6.
Simile.

Vsq; ad collum veniet. Id est vsque ad Hierosolymam, vsque ad quā venit rex Assyrius, sed eam non cuertit, quoniam voluit eam Deus tunc seruare. Appellatur autem Hierosolyma collum Iudææ, quod sit in loco alto sita. Et voluit diuinus vates in assumpta translatione permanere. Comparauit immanem Assyriorum regem aquis inundantibus, omnia secum rapientibus: nūc autem volens earum altitudinem significare, ait totum corpus Iudææ præter caput esse aquis cooperiendum, easque vsque ad collum accessuras, pro caput cum collo Hierosolyma intelligitur.

Eteris extensio alarum eius. Copia & castra regis Assyriorum alas extensas vocat, eiusque potentiam, innumerabilemque militum multitudinem prædicat. A postrophe est ad puerum Iesum, quem indicat in terra Iudææ nasciturum esse, cum Iudæam eius terram appellet.

Congregamini populi, & vicinini, & audite vniuersæ pœcul terræ: confortamini & vicinini: accingite vos & vicinini, inite consilium & dissipabitur. Loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus. Hæc enim ait Dominus ad me: sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens: Non dicatis: coniuratio. Omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est. Et timorem eius ne timeatis, neque paucaatis. Dominum exercituum

exercituum ipsum sanctificate ipse paor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensio-
 nis & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in
 ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi & ca-
 dent, conerentur, & irretientur, & capientur. Liga testimonium,
 signa legem in discipulis meis. Et expectabo dominum, qui abscondit
 faciem suam à domo Iacob, & praestolabor eum. Ecce ego & pueri
 mei, quos de dit mibi Dominus in signum, & in portentum Israel à
 Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Et cum dixerint
 ad vos: quare à pythonibus, & à diuinis, qui strident in incan-
 tationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requirit visio-
 nem pro viuus à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium.
 Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit matutina lux.
 Et transibit per eam, & corruet, & esuriet, & cum esurierit, ira-
 sectur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum. Et
 ad terram intuebitur. Et ecce tribulatio & tenebra, & dissolutio,
 & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de an-
 gustia sua.

Congregamini populi, & vincimini.] Alloquitur populos
 Syriae & Samarie predicans non esse eos Hierosolymam ex-
 pugnaturos. Est Iarcafimus, quæ figura à Rhetoribus appel-
 latur virulenta irrifio. Iubet eos congregari ad pugnandum
 negans eos esse victoriam adepturos. Imò eorum irridet
 conatus. Ac si dicat: Congregate vos ipsos, & conspirate de
 evertenda Hierosolyma. Sed multò aliter eueniet quam pu-
 tatis. Nam Deus ciuitatè suam seruabit, vos autè vincemi-
 ni ab Assyriis, & quamuis magnas copias congregetis, su-
 perabimini tamen, vestrumq; consiliū dissipabitur: quia no-
 biscū Deus est. Docet hic locus nihil cōtra nos efficere posse
 sceleratorū cōsilia, si Deū propitiū habeamus. Nihil nocuit
 Dauidi consiliū Achitophelis, neque Iosepho consiliū
 Scribarum & Phariſeorum. Vnde eni mexistimabant eius
 splendorem maculare, nomenque extinguere, inde venit, vt
 eius gloria clarius innotesceret, & in omni orbe terrarum
 illustrissima laude celebraretur. Et ipsi Iudei ceciderunt in
 miseras acerbissimas, & abiectissimi ab omnibus irridentur
 omni gloria & decore spoliati. Et quamuis te homines nefa-
 rij oppugnent, nequaquam tamen vincet si fueris virtuti-
 bus veluti muro septus, diuinoque praesidio munitus. Ita
 enim ait Deus apud Ieremiam: Bellabunt aduersum te, &
 non praeualebunt quia ego tecum sum, vt liberem te. Deus

Luc. 2.

Rom. 9.

1. Petr. 2.

Hebr. 2.

2. Reg. 17.

Gen. 38.

Ioan. 21.

Ierem. 1.

Iob. 3.

Prou. 21.

Psal. 32.

1. Reg. 5.

Similitudo.

Psal. 91.
Simile.

vt ait Iob, comprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat. in Prouerbis ait Salomon. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et pater eius Dauid, Dominus, inquit, dissipat consilia gentium. Etsi viri iusti videantur aliquando ab iniquis superari, ipsi tamen de iniquis triumphant. Cdm palæstini Hæbreos propter eorum scelera superarent, Deique arcam secum asportarent, in templumque idoli sui Dagonis inferrent, euenit, sacra referente historia, vt surgētes diluculo altero die Azotij inuenirent Deum suum Dagonem in terra ante arcam iacentem, & alio die scissum & fractū. Quando existimabant esse arcam Dei abiectam & victam, suoque idolo subiectam, ipsam inuenere superantem, idolumque ante se fractum & prostratum habentem, de quo mirabiliter triumphabat. Aspicias hic apertissimè gloriā Dei iminere, etiam cū victa esse creditur, virtutemque victoriam obtinere, etiam cū victa esse existimatur. voluit Syria cum Samaria Hierosolymā euertere, at Hierosolyma euasit superior, & ipsæ fuerunt euersæ & in summis calamitatibus constitutæ. Vt enim fluctus in maris fortem ingentemque rupem ferientes, ibi illiduntur, nihil aliud efficientes quam seipso frangere & in spumas inanes conuertere, manente rupe immobili & stabili, sic qui infum atque pium virtum volunt impugnare, spumas suæ iracundiæ & inuidiæ ostendunt, sed nihil aliud efficiunt, quàm se ipsos frangere & atterere, perseverante viro iusto in virtute & constantia nullam gloriam, virtutis atq; constantiæ premium amittente. Quid enim amittere potest, qui in perpetua honestatis firmitudine etiam percussus & afflictus perseverat? Et ob eam causam palma perpetua viriditate florenti, seq; aduersus pondus mirabiliter eleuanti, à diuino vate comparatur. Iustus inquit ille, vt palma florebit. Et diuus Chrysostomus omni sapientia & eloquentia præstanti eum indomito & inuicto adamanti merito comparauit. Etsi enim corpore vulnereretur, non tamen animi magnitudo vulneratur: non cruciatur grauitas, non fides, non virtus, non denique animus ipse charitatis præsidio munitus expugnatur.

Hæc enim ait Dominus ad me sicut in manu forti erudiuit me.] Manus fortis capitur hoc in loco quemadmodum in multis aliis, pro auxilio diuino. Satis perspectū est & cognitū in sacra scriptura accipi manū pro præsidio. Est igitur sensus: Vt Dominus suo peculiari auxilio me docuit, ne populi hu-
ius

ius sequeretur deprauatos mores, ne cum eo in eodem errore & iniustitia versarer, sic me gratia sua allocutus est, ut vobis dicerem, ne aduersus regem vestrum verba cōiurationis loqueremini. Hoc ideo ait, quia erant multi in Iudæa, qui de rege suo relinquendo cōiurauerant, Volebant se regibus Syriæ & Samariæ subiicere, existimantes non posse ab horū regum impetu euadere. Suadet igitur illis propheta ne hoc faciant neque nomen coniuurationē. Nam illi regum potentiam timentes se inuicē ad coniuurationē cohortabantur.

Timorē eius ne timeatis.] Vos qui nobiliores estis, nolite ea timere, quæ populus timet desperatione debilitatus. Ideo cōiurat cōtra regē suū, quia se vult regibus Syriæ & Samariæ subiicere. Hoc est horū hominū propositum, eō tendūt omnes suæ cogitationes & verba. Sed timete Dominum ipsumque sanctificate. Sanctificabitur autem, si eius pietatem & potentiam confessi fueritis, vestramque ostenderitis virtutem & cōstantiā. Ita aiebat Christus apud Matthæum *Matt. 5.* Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animā autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest animam & corpus in gehennam perdere. Petrus Apostolus in *1. Petr. 3.* prima epistola sua, Timorem autem, inquit, eorum ne timeritis, & non conturbemini. Dominum Christum sanctificate: te in cordibus vestris. Pro eo, quod Esaias inquit, Dominum exercituum ipsum sanctificate, ait Apostolus, Dominum Christum sanctificate, hunc Esaiæ locum interpretans: Vbi vides Christum esse Dominum illum exercituum, qui toties in diuinis literis nominatur.

Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis.] Sensus est, Timere Deum, colite, & inuocate illum, & ipse, priusquam nascatur ex virgine, vos eripiet: ipse veniet in mundum, & inter homines versabitur, quorū multos saluos faciet. Illi verò qui in eum credere noluerint damnabuntur. Vobis illi adherentibus erit in sanctificationem, hoc est, vos saluos faciet, omnibus autem eum contemnentibus erit in lapidem offensionis, & in petram, in quam impingent. *Similitudo.* Ve enim id quod apes sumit ex flore, conuertitur in mel, id autē quod araneus carpit ex eodem flore, cōuertitur in venenum cum flos sit vnus & idem: sic Christus flos campi excellentissimus aliis fuit in sanctificationem, aliis in ruinam. Hoc est, quod dixit Simeon senex ille iustus & timoratus apud Lucam puerum Iesum brachiis tenens: Ecce hic positus est *Luc. 2.* in ruinam & resurrectionem multorum. Illi in lapidem im-

pingunt, qui velut cæci & amentes non attendunt qua vadunt, neque lapidem vident. Ideo Iudæi pedes in hoc lapide, hoc est, in Christo læserunt, quia cæci & insani nesciebant, qua ibant, neque lapidem considerabant, quia ob sua ipsorum scelera Christum intelligere nolebant. Vocatur hoc in loco Christus lapis & petra, propter soliditatē & firmitudinem, quemadmodum multis aliis in locis diuinarū literarū. Hic est lapis ille, de quo ait idem propheta capite 28. imò Deus pater per prophetam: Ecce ego mittam in fundamentis Siō lapidē, lapidē probatū angularē, &c. Vbi versio Chaldaica pro lapide probato habet regem Mesiā. Sed vide Iudeorū prauitatē. Illum, quem Deus à se approbatum ait, ipsi reprobauerunt. Id quod fuerat à regio vate in hunc modū prædictū. Lapidē quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quem locū Christus apud Matth. cap. 21. de se ipso interpretatur. Et D. ille Petrus Apostolorū princeps in prima epistola sua cap. 2. de Christo Deo nostro loquēs, hæc verba scripta reliquit: Ad quē accedentes lapidē viuum ab hominibus quidē reprobatū, à Deo autē electum & honorificatū. Quapropter idē Apostolus, vt est apud Lucam in Actis capite 4. Phariseos sacerdotumque principes allocutus dixit: Hic est lapis qui reprobatus est: à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Vbi de Christo citatū à nobis psalmum apertē interpretatur. Hic est lapis ille à quo virga percussio exiuit aqua, vt Moses in libro Exodi literis cōsignauit, ex qua biberunt filij Israël. Tanta fuit aquæ copia & abūdantia vt caneret in hūc modū diuinus Psalter: Qui cōuertit petram in stagna aquarū & rupem in fontes aquarum. Essē hanc petram Christi figuram apertē indicat Diuus Paulus ita in epistola prima ad Corinthios dicens: Bibebāt autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus: hic est lapis ille, in quo eximius patriarcha Iacob reclinauit caput, quando in somnis vidit gloriosam illam scalam sublimem & stantem, cuius altera pars erat super terram, altera cœlos tangebāt. His, qui in Christo requiescunt illi adhærentes, suamque mentem & cogitationē in eo collocantes, ostenduntur arcana cœlestia sole ipso splendidiora. Vbi vides quanti Deus faciat virum iustum & piū cum illi etiam dormienti sublimia mysteria reuelet. Ex quo colliges plus valere somnium viri iusti, quā vigiliam impij peccatoris. Sed oportet super hunc lapidem caput statuere

Psal. 117.

Exod. 17.

Psal. 113.

1. Cor. 10.

Gen. 28.

tuere. Hic est lapis ille, quem ait Daniel excisum esse de mō
te absque manibus, vniuersumque orbē impleuisse, hoc est
de virgine sanctissima natū absque viri opera sed spiritu san
cto operāte. Huius lapidis meminit Zacharias dicēs. Ecce
lapis quē dedi vobis, & super eū septem oculi sunt: hoc est,
septem illa dona Spiritus sancti quæ Esaias explicat cap. II.

Hunc lapidem cōtemplabatur propheta ita canens: Prote
xit in me abscondito tabernaculi sui, in petra exaltauit me.
Et alio in psalmo: Statuit super petram pedes meos. Hinc
processit illa Apostoli Pauli doctrina in epistola ad Ephe
sios. Super ædificati estis supra fundamentum Apostolorum
& Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.
Vide quomodo Apostoli sententia cum Esaiæ & Dauidis
yaticinio cohæreat. Dauid vocat Christum, vt ostendimus,
lapidem factum in caput anguli: Esaias lapidem pro
batum angularem: Paulus verò summum lapidem angu
larem, quod vtrumque populū & Iudæorum & gen
tium in ecclesia sua contineat. Quid plura? Ipse Christus
Deus noster, Ipse cælestis doctor, ipsa patris Sapientia in
fermone illo de monte quem D. Matthæus literis manda

uit, se ipsum petrae comparauit. Ita enim inquit: Qui au
dit verba mea, & facit ea similis est viro ædificanti domum
suam supra petram. Est igitur Christus petra. Sed quia in
eo impij Iudæi pedes offenderūt appellatur hic petra scan
dali, quoniam in eo scandalizati sunt. Appellatur hoc scā
dalum à doctoribus pasciuū siue pharisaicū, quoniā ipsi pro
pter suam eorū peruersitatē scandalizabantur & Christi ope
ra sanctissima & admiranda reprobant, volentes eius no
mini illustriissimo tetram maculam inurere omnisque memo
riæ clarissimū lumē extinguere. Ob eā causam aiebat Chri
stus apud Matthæum: Beatus qui non fuerit scandalizatus

in me. Aspicias hic nullam esse tam insignem virtutem, tam
illustrem, tot tantisque laudibus decorandam, quā impij
vicio non tribuant. Vt enim lignum arenæ fixum in medio
fluminis altera parte in aqua existente, altera in aëre extra a
quam videtur obliquum & fractum, cum sit rectum & inte
grū non ob ligni defectū, sed quia illud oculi per aquam re
spiciunt: quo fit vt videntes longè opinione fallantur: sic
virtutis actio recta omnibusque numeris absoluta cen
setur ab improbis obliqua & nefaria, non ipsius actio
nis, sed iudicij deprauati corruptela: fallit enim iudicium
eos, qui per aquā inuidiæ & malitiæ res gestas inimicorū cer

Dan. 2.

Zach. 9.

Infra. 11.

Psal. 116.

Psal. 139.

Ephe. 2.

Matt. 7.

Matt. 11.

Luc. 7.

Apta simi
litudo.

Secunda si-
militudo.

1. Cor. 1.
Rom. 9.

Deut. 32.

nunt cupientes eam gloriā labefactare & infringere, quam magni viri fuerunt rectē factis & virtute cōsecuti. Vt enim febris atque phrenesi laborantes per exigua quadā linearū re-ctarum similitudine in pariete descriptarū decepti, animalia quēdā deformia videre existimāt, & testātur, vt asserit Aristoteles, sic improbi homines animi aegritudine deprauati lineas rectas, hoc est, aliorum facta illustra, digna quæ publicis munimentis mandentur ad memorā posteritatis sempiternā non solū spoliant ornamentis sed etiā vitio vertunt & ad calumniā rapiūt. Ex hoc loco Esaiæ sumit. D. Paulus ad Corinthios scribens fuisse Christū factū Iudæis scandalū gentibus autē stultitiā. Et in epistola ad Rom. scripta sic ait. Offenderūt in lapidē offensionis sicut scriptū est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali: & omnis qui crediderit in eum non confundetur. Vbi aspicias diuum Paulum ea, quæ Esaias ait de Deo, de Christo interpretari: & hunc Deum esse verum Emanuelem natum ex Maria virgine, de quo hoc caput Esaiæ intelligitur.

Duabus domibus Israël.] Hoc est domui Iuda & domui Ephraim. per domum Iuda intellige duas tribus Iudam & Beniamin, per domum Ephraim alias decem tribus, quæ erant in Samaria. Sed hoc nō est de omnibus dicendum, sed de improbis & contumacibus, qui in Christum credere noluerunt. Intuens animo Moyses fore, vt Iudæi Christum non recipere, gentes vero ad eum conuerterentur, composuit quoddam canticum sublime & gloriosum, cum iam ad exitum vitæ vocaretur, quod est in Deuteronomio scriptum: in quo cælum & terram testes inuocauit: quoniā homines, qui tunc aderant, post paucos dies erant excessuri ex vita, hæc autē m vsque ad Messia tempus duratura. In hoc cantico inducit Deū ita loquentem: Generatio peruersa est & infideles filij. Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Vbi vides apertē prædictum Iudæos esse Christum contempturos, gentes verō eum recepturas. Sed quoniam hoc futurum erat tēpore Messia, subdidit in eodem cantico Moyses, imo per Moysen Dominus ipse: Nōne hæc cōdita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. Aspice quā planē dicat hic Deus se sumpturum esse de Iudæis infidelibus vltionem, quod hoc in loco Esaias contestatur.

Et irre-

Et irretientur & capientur.] Nempè vinculis peccatorum de quibus nonnulla 5. capiti mandauimus . Poreff etiam de Iudæorū captiuitate explanari , quando post Chrifti mortem fuerunt à Romanis capti summiſque doloribus affecti.

Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis.] Verba ſunt Chrifti prophetam alloquentis. Acſi diceret : Liga tu propheta teſtimoniū hoc , tege inuolucris vaticiniū tuū , clau- de hanc legem vſque ad diſcipulos meos , quouſque Apoſto- li eam aperiant : ipſi enim eam ſunt interpretaturi : ſit clauſa donec veniat ſuum tempus , quando eā Chriſtiani intelligēt & explanabunt . Ita apud Danielem : Claude ſermones , & *Dan. 12.* ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum . Aspicias hic præ- dictā fuiſſe interpretationem & explanationem ſcripturæ per Apoſtolos , & Chriſti diſcipulos . Id quod impletum aſpici- mus . Ipſi arcana , quæ clauſa & obſignata erant , reſerarunt , & Chriſti diuina myſteria & ſacramenta in lege Prophetiſ- que adumbrata & prædicta diuinitus expoſuerunt . Neque eſt mirandum Iudæos tam turpiter & inneptè vetus teſta- mentum explanare , cūm careāt lumine fidei , & tenebris ver- ſati veram Apoſtolorum expoſitionem à Prophetis præ- dictam reiiciant . Fuiſſe autem vetus teſtamentum clauſum & ſignatū vſque ad Chriſti aduentum , explicat Eſaias capite 29. iis verbis : Erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſig- nati , quem cūm dederint ſcienti literas , dicent : Lege iſtum : & reſpondebit : Non poſſum ſignatus eſt enim . Hic eſt liber ille de quo ait Ezechiel . Et vidi : & ecce manus miſſa ad me , *Ezec. 2.* in qua erat inuolutus liber & expandit illum coram me , & erat ſcriptus intus & foris . Hæc verba explanans Diuus Hi- eronymus hunc librum ait eſſe ſacram ſcripturam , ſcriptam foris in historia literæ , intus verò in ſpirituāli intelligētia . Quam explanationem ſecutus eſt poſtea ſummus ille pon- tifex ſanctus Gregorius in homiliis in Ezechielem . Hunc eundem librum ait Diuus Ioannes Apoſtolus in Apocalyp- ſi ſe vidiffe ſcriptum intus & foris , quem ait vidiffe ſeptem *Apoc. 5.* ſigillis ſignatum , & à nemine poſſe aperiri , niſi ab agno , qui occiſus fuerat , noſque ſuo ſanguine redemerat , qui eum aper- ruit . Vbi etiam Apoſtolus vult duas intelligētiās literalem & ſpiritualem ſignificare , quæ vt ait Nazianzenus ille , ob ingenij acumen ſcientiæque præſtātiā theologus ab anti- quis appellatus in legis tabulis ex vtraque parte conſcrip- tis ſignificabantur . Sed ille hos ſenſus aperuit & reſerauit , qui vt eſt apud Diuum Ioannem in Apocalypſi clauē habet

- Apo. 5.* David : qui aperit & nemo claudit : claudit, & nemo aperit. Hic est liber ille quem vt refert in actis Diuus Lucas, eunuchus legens minimè intelligebat. Interrogatus autem à Philippo Apostolo : Putasne intelligis quæ legis ? respondit: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi ? Tunc ei Philippus scripturam referauit, Christum autem in litera clausum ostendit. O admirabilè magistri sapientiam ! Eadè hora credit eunuchus, baprisimo abluitur & doctus efficitur. Plus sapientiæ & virtutis in ecclesiæ deserto, quàm in celebri synagoga tèmple fuit cõsecurus. Christus aperuit scripturà Philippo qui eam aliis referauit. Hoc senserunt duo illi discipuli, qui in castellum Emaus proficiscebantur, qui vt refert Diuus Lucas, postquam Christum cognouerunt, ipseque ex oculis eorum euauit, dicebant ad inuicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas ? Lex vt ait D. Paulus in epistola ad Romanos scripta, spiritalis est, ideo indiget reuelatione. Eà Christus discipulis reuelauit, ipsi autem à Deo docti eã mundo reuelarunt Christumq; in ipsa latentè & absconditū aperuerunt. Et quoniam Christus erat in lege absconditus, ideo eū apostolus Paulus sapientiam in mysterio absconditam in epistola prima ad Corinthios appellat. De iis rebus Christi absconditis intelligitur ille noni psalmi titulus & in scriptio: Pro oculis filij. Erant enim filij Dei sublimia mysteria in veteri testamento occulta, quæ modo per ipsum, cuiusque discipulos sanctosque doctores Hieronymū, Augustinum, Chryostomum, ceterosque alios catholicos sapientia & sanctitate præstantes sunt nobis aperta & referata. Possunt hæc Esaia verba: Liga testimonium, & signa legem in discipulis meis: habere hunc sensum: Liga hoc vaticinium tuum in memoria meorum discipulorum. Quasi dicat: Etsi Iudæi infideles contemnunt tuam prophetiam, discipuli tamen mei eam ad eò obseruabunt, vt eam ex eorum memoria nulla vnquã debeat obliuio. Hæc tua vaticinatio erit in mente meorum discipulorum ligata, consignata & firmiter fixa: In hunc sensum accipitur id, quod in Deuteronomio præcepit Deus quãdo Israëlitico populo sua verba commendabat. Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos. Quibus verbis præcipiebat Deus Iudæis vt legem suam ante oculos semper haberent, vt nunquam ex eorū animo illius excideret memoria. Et in Prouerbiis. Liga, inquit, legem meã in corde tuo iugiter, & circunda gutturi

tutti tuo. Quanquã hæc explanatio videtur huic loco satis
cõuenire, priorẽ tamen existimo esse potius amplexandam,
quoniã ostendit Christianorũ lucẽ, Iudæorũ verò cæcitatẽ
& ruinam, quod est diuini vatis proposito conuenientius,
literæ accommodatius, & ad multos diuinaram literarum
locos explicandos præstantius.

Expectabo Dominum.] Verba sunt Esaiæ, quorum sensus
est, Præcipitur mihi vt ligem testimonium, claudam vati-
cinationem & legem vsque ad Christi discipulos. Id quod
ego faciam. Nam quamuis Christus statim non veniat,
ego tamen expectabo eum, qui absconder faciam suam à
domo Iacob, quoniam cum venerit, à maxima Hæreticorũ
parte non cognoscetur.

Ece ego & pueri mei.] Christus qui modò dicebat Liga
testimonium, & signa legem discipulis meis: nunc eos quos
discipulos vocauerat, pueros suos appellat. Intelligi autem
hunc locum de Christo indicat Apostolus in epistola ad He-
bræos capite 2. volens probare Christum secundum huma-
nitatem & nos vnus esse naturæ. Hoc indicat pronomen,
mei. Suos enim vocat eiusdem cum ipso naturæ. Sensus est:
Ego sum nasciturus ex virgine & verus homo habeo disci-
pulos veros homines, quos mihi pater dabit, qui inter Isra-
ëlitas magna efficiunt signa & miracula. Ipse Christus apud
D. Ioannem cum patre de discipulis suis loquẽs, Tui, inquit,
erant & mihi eos dedisti.

Ioan. 17.

Qui habitat in Sion.] Quis mons sit hic Sion indicat Apo-
stolus Paulus ad Hebræos ita scribens: Accessistis ad mon-
tem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem.
Intelligitur ergo per Sion ecclesia militans & etiam trium-
phans. Viri namque iusti veri catholicæ ecclesiæ ciues iam
quodammodo habitant in ciuitate illa cœlesti & triumphãte.

Hebr. 12.

Quorũ quidã dicebat: Nostra autẽ conseruatio in cœlis est.
Quærite à pythonibus, qui strident incantationibus.] Hoc
est, qui submissa voce proferunt verba ad incantationes
suas perinentia.

Philip. 2.

*Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis &
mortuis.*] Cum populus quærat visionem ab idolis, ariolos
que perquirat, qui inuocent mortuos, vt eos pro viuis in-
terrogent, quare vos non idem facitis? Cum igitur o discipu-
li mei hæc vobis locuti fuerint, respondebitis, non esse fal-
sos commentitiosque Deos interrogandos, neque mortuos
pro viuis, sed esse diuinam legem inquirendam & quicquid

ipsa

ipsa docuerit faciendum. Lex & testimonium pro eodem accipiuntur. Eam ob causam, lex appellatur testimonium quia in ea testatur Deus quid vult. In Deuteronomio sunt hæc verba literis mandata. Non sit in te qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, neque sit maleficus, neque incantator, neque qui pythones consulat, neque diuinos, & quaerat à mortuis veritatem.

Quod si non dixerint iuxta verbum hoc. Sensus est, Si nō dixerint confugiendū esse ad legem, sed ad ariolos & mortuos, in caligine versabuntur. Habebunt in profundo veritatē demersam. Transibit lux per eam gentem diuinæ legis contemtricem, eamque deferet lumine destitutam, quæ ob sua flagitia corruet esuriet, irascetur, & Deo atque regi suo malum imprecabitur. Aspiciens sursum & deorsum expectabit auxilium, sed nullum videbit, neque à Deo neque ab hominibus, immò omnia illi tristitia atque infelicia apparebunt. Erit illi ob magnum metum membrorū dissolutio, calamitas, & caligo. À quibus afflictionibus eripi nō poterit. Nihil denique erit tam miserum quod in eius calamitatem cadere non videatur. Aspicias hic in afflictionibus & calamitatibus recurrendum nobis esse ad sacram scripturā: quam si contemserimus, in varias atque miseras incidemus calamitates. Confugiamus igitur ad verbū Dei, ad scripturā sanctā, vbi inueniemus doctrinā salutarem, virtutis indagatricē, vitiorum expultricem, animis medentem, eosq; in suam dignitatem reuocantem. Hæc est fons vberimus & plenissimus, cuius haustu atque potu conceptam visceribus sitim sedamus, ardoremq; restinguimus. Hæc est flamma illa, quā vidit Moyses ardentem rubumque non comburentem, vbi Deus est animos nostros incendens æternæque beatitudinis desiderio inflammas. Hæc est scala illa quam vidit Iacob, quæ summitate cælos tangebatur, per quam à terra ad cælū patet accensus. Hæc est cellarium Ioseph in Aegypto huius mundi constitutum, ad quod vndiq; recurrere debemus, vt famem expellamus. Hæc est manna illud cæleste, minutū, sed candidum & dulce, omnes ad verā promissionis patriam euntes reficiens. Hæc est turris Dauidis munitionissima, quæ est, vt est Canticorū libro mādatur, edificata est eū propugnaculis, ex qua pendent mille clypei omnisque fortium armatura. Hæc est mentis speculum. Hæc est thesaurus sapientia. Hæc est quæ vitæ tranquillitatem largitur, quæ est lucerna pedibus nostris. Hæc est deniq; , qua aduersus dæmonem,

Exod. 3.

Gen. 28.

Gen. 41.

Exod. 16.

Cant. 4.

Psal. 118.

nem mundum, & carnem contendimus. Est enim verbū Deī gladius spiritus, vt ait Apostolus, quo inimicos percutimus & prosternimus, & de quibus quotidie victoriā reportamus. *Ephē. 6.*
 Hęc est probatica illa piscina, de qua loquitur D. Ioannes, *Ioan. 5.*
 quę a Dei angelo mota cuiunque ægritudini medebatur. Hæretici ad sacram scripturam descendunt tanquam ad piscinam sanitatis recuperatricem. At sanitatē non consequuntur, quia illis Dei angelus non reuoluit scripturam, sed ipsi eam aduersus Deum mouere & reuoluere conantur. Et cum eam non explanent, sed deprauent, voluit vt non catholicis, sed illis duntaxat in eius interpretatione autoritatem tribuamus, Gloriantur se solos verum scripturę sensum inuenisse, esseque hanc vnā iudicem ad eamq; solam tanquā ad normam rectissimam esse omnem ecclesiasticā causam exigendam. At vbi scriptura ob eius obscuritatē est explicatu difficillima quemadmodū multis in locis, & de Paulinis epistolis Apostolorū princeps vltimo suę posterioris epistolę capite affirmat, quē in eiusdē scripturę explanatione sequemur: Nam non solum catholici ab hæreticis differunt, sed etiā ipsi hæretici multis in locis tantū a se distant quantū a nobis. Aliter Lutherus, aliter Oecolapadius & Bucerus verba illa Christi. (Hoc est, corpus meū) interpretantur. In locis igitur quę in varias trahuntur interpretationes, quem sequemur? cuius iudiciū imitabimur. Nonne vident necessariū esse iudicē, qui scripturas interpretetur? Quis igitur erit hic iudex nisi ecclesia catholica, quā Paulus Apostolus, tuba illa euangelica, appellat columnā & firmamentū veritatis? Cui *1. Tim. 3.*
 Christus eius sponfus ab ea corporaliter discessurus promissit se Spiritum sanctū missurū, qui eam doceret omnem veritatem? Capite quartodecimo apud Ioannē in hunc modū loquitur Christus: Ego rogabo patrē, & aliū paracletū dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternū, spiritum veritatis. Et paulō post. Paracletus autē Spiritus sanctus, quē mittit pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcunque dixero vobis. Et cap. 16. *Ioan. 16.*
 Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatē. Hęc Christus ecclesię suę. Vnū ē duobus fateri coguntur hæretici, aut Christū ecclesiam suā sefellisse, illiq; fidem non seruauisse, aut veram esse scripturę interpretationē ab ecclesia per mille & quingentos annos doctā approbatam & confirmatam. Hic hærent heretici nec habent quid respondeāt. Si dicant ecclesiam mille & tercentis ab hinc annis fuisse esseq; deceptam

deceptā, falso scripturas explanasse, neq; veram fidē, neque verum cultum habuisse, fuisse in erroribus versatam, Christi lumine doctrinaq; destitutā, ipsum Christū mendacē & deceptorē efficiunt. Nā vbi est eius promissio? Quorū igitur illa verba Christi ad ecclesiam: Sponsa mea, columba mea, dilecta mea, pulchra amica mea, vna est colūba mea, & alia huiusmodi, quę in Canticis scriptura cōmemorat? Vbi in diuidua illa familiaritas & cōiunctio: Vbi spōnsi erga spōsā pro qua sanguinem fudit, admirabilis amor? Vbi fides harū promissionum? Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos, Mittam vobis spiritum veritatis. Porta inferi non preualebunt aduersus ecclesiam meam. Ego Petre rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi? Quę omnia Christum ecclesię promississe euangelicę cōtestantur. Quomodo est credibile amantissimum illū sponsum sponiam suam dilectissimam tanto tempore reliquisse, eamque in adulteri amplexibus mille & trecentos annos perseuerasse, & tot patres, tam humiles, tam pios, tam iustos, tanta sanctitate & miraculis coruscantes fuisse à Deo, pro quo multi sanguinem fuderunt penitus destitutos, & immenso propē tēporis spatio in tenebris & erroribus versatos? Sin autē heretici fateantur Christum fidem suā seruasse, necessariō debent fateri ecclesiam semper veritatem tenuisse & docuisse. Cum autem constet verum esse promissorem, aperte concluditur veram esse, piā, & salutarem, ecclesię doctrinā. Cum verō Lutheri eiusque sequacium doctrina ex diametro ecclesię repugnet, & contradicat, quis non videt esse falsam, impiam, & pestilentem? Perspicuū est enim ex philosophorum doctrina, nullum esse medium inter aientia & negantia. Colligitur ex his eam solam diuinę scripturę explanationē esse amplectendam, quam tenet ecclesia, semperq; docuit & confirmauit, quam summus pontifex successor D. Petri, ecclesię pastor & magister, aut consiliū rectē congregatū approbat, & eam, quam viri catholici & docti, ecclesię membra pacis, vnitatq; amantes, verborum Dei trementes, ad ipsius ecclesię fideique regulam & doctrinā ex scripturis diuinis depromunt. Hos omnes contemnit Lutherus, atque, se nulli hominum sententię submitti quamuis docto & sancto, sed vult vt omnes suę ipsius sententię subiiciantur. Sunt homines, inquit ille & errarūt. Et tu quis es Luthere? Nōne es homo? Esne Deus? Nōne perspecta sunt tua flagitia?

Cant. 2.

Cant. 1.

Cant. 5.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Matt. 16.

Luc. 22.

Matt. 22.

tia? Si neminem recipis, quomodo vis vt te solum recipiamus? Contemnis Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Basilium, Bernardum, ceterosque catholicos scriptores, & vis vt te vnum suscipiamus & admiremur. Quomodo audes te ipsum tot patribus, tot religionis luminibus, tot viris, ingenio claris, pietate insignibus, sanctitate illustribus, sapientia excellentibus, charitate præstantibus, antepone? O arrogantiam intolerabilem, ô superbiam inauditam, ô cæcitate lugendam omnique lachrymarum abundantia deplorandam. Si omnia catholicorum scripta sunt reiicienda, si nihil credere debemus, vt ait, nisi id solum, quod est literis diuinis mandatum, quare mundum scriptis tuis repleuisti? Vbi quæso inuenisti non esse credendum, nisi id, quod est in sacra scriptura? Lege totam eam à principio Genesis vsque ad finem Apocalypsis, nusquam talem inuenies propositionem. Non est igitur credenda hæc tua præpositio, si verum est quod dicis, id solum credendum quod est in sacris Bibliis scriptum diuinisque literis consignatum. Tu tibi ipsi repugnas. Sed velis nolis multa credere debemus, quæ non sunt in sacra scriptura. Ita enim ait Dominus Ioannes in ultimo capite sui euangelij: Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbor mundum capere possent eos, qui scribendi sunt, libros. Ergo multa alia credere debemus, non tua dogmata & portenta, non tuas impietates & hæreses, sed ea, quæ Apostoli docuerunt & prædicarunt, quæ ab illis ad nos manarunt, quæ ecclesia semper tenuit & approbavit, quæ est vera sacræ scripture explanatrix, vt ex ipsa ostendimus. Ad hanc igitur scripturam ita expositam non ad te, sed ad legem potius & testimonium, vt hic ait Esaias, est nobis confugiendum.

Et non poteris auolare de angustia tua.] Translatio est sumpta à passeribus. Contrà verò de iustis dicitur: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Et alibi: Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. *Psal. 123. Prov. 11.*

Annotationes ex hebræo in CAPVT VIII.

Accessi ad prophetissam.] Pro prophetissa est in hebraico hanneuiab, cum articulo. Quapropter poteris vertere: Accessi ad insignem illam prophetissam.

In 174116

In manu forti.] In hebraico est cechez kath ha'adh.

Quod significat, in fortitudine prophetiæ, vel in forti propheta. Appellatur autem propheta fortis, quod sit infallibilis. Ita hic locum vertit Pagninus, Dicitio, iadh, quæ est in hebraico vaticinium significat. Eam ob causam id quod habet editio vulgata cap. 1. Ezechielis, Et facta est super eum ibi manus Domini, poterat verti, Et facta est super eum ibi Domini propheta. Significat etiam consilium. Ideo poterat verti: In forti consilio. Vnde in libro 2. Regum ubi editio vulgata habet: Nunquid manus Ioab tecum est? poterat verti: Nunquid consilium Ioab tecum est? Ac si diceret: Nunquid dedit tibi Ioab hoc consilium? Si attentè legeris caput illud, non reiicies hanc interpretationem. Significat præterea virtutem, potentiam, præceptum, quæ omnia possunt huic loco accommodari. Sed quoniam præcipua significatio huius nominis est, manus, vertit interpretes noster: In manu forti, & rectè quidè, vt per manum intelligeremus auxilium Dei, aut eius potentiam, aut consilium, aut præceptum, aut virtutem, aut prophetiam.

2. Reg. 14.

Erit vobis in sanctificationem.] In Hebraico est: Erit vobis le mikdax, à verbo cadhax quod significat sanctificare: in quâ significatione accipitur, & rectè, ab interprete nostro: ac si dicat: Si Deum timueritis, & colueritis, ipse vos sanctos efficiet: Significat etiam hoc nomen domum sanctitatis. Vnde potest verti: Erit vobis in sanctuarium, hoc est, in domum tutam & munitam, in asylum, & locum refugij. Pagninus trāstulit: Erit vobis in palatium, quod ferè in idem recidit. Et ita R. Abraham vir doctus inter Hebræos hunc locum interpretatur. Eadem ratione in septimo capite Amos prophetæ ubi scriptum est: In Bethel non adicietis vltra vt Prophetes, quia sanctificatio regis est, & domus regni est: potest verti: quia aula regis est, & domus regni. Est igitur huius loci Esaiæ sensus, Si Deum timueritis, & in eo spem vestram & fiduciam posueritis, ne hostes timeatis, ipse enim vos recipiet, & abscedet, eritq; vobis turris inexpugnabilis, atq; domus refugij tutissima. Quibus verbis vult propheta significare, quanta cura Deus protegat & tueatur piorum hominum salutem, qui se diuinæ misericordiæ commiserunt. Nihil enim diuina tutela & defensione firmius excogitari potest, nihil securius, & præstantius. Quibus mœnibus, quibus arcibus, tutius munimur & protegimur, quam diuina pietate, si in ea spem nostrâ collocamus? Hanc tutam aulam petebat ve.

bat vehementer, ad eamque ardentem aspirabat Diuinus ille vates in acerbissimis calamitatibus & periculis constitutus, cum dicebat in Psalmo: Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias. Et paulò post, de iustis loquens: Abcondes, inquit eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Auferetur fortitudo Damasci.] Potest verti: Auferet fortitudinem Damasci, nimirum puer Emanuel. Id intelligentes Septuaginta verterunt: Accipiet fortitudinem siue virtutè Damasci in conspectu regis Assyriorum. Et ita legit Chrysostomus in homilia secunda in Matthæu in opere imperfecto, aut quisquis ille est, qui opus illud composuit. Vbi per virtutè siue fortitudinè Damasci intelligit Magos, sapientes illos Orientales, quos Deus à manu dæmonis eripuit, & accepit. Qui, vt idem author ait, ideo à propheta appellantur fortitudo siue virtus hoc in loco, quia absq; dubio fortitudo siue virtus vnicuiusque prouinciæ sapientes sunt. Per regem autem Assyriorum diabolum intelligit principè dæmoniorum. Quidam vertit: Tollet copias Damasci. Pagninus: Tollet opes Damasci: quod ferè in idem recidit. Quod de nullo puro homine dici potest. Quis enim priusquàm sciat vocare patrem aut matrem, imò priusquam nascatur, posset Damascum euertere, eiusque fortitudinem, copias, & diuitias auferre? Est igitur perspicuum non posse hanc vaticinationem nisi de Christo explanari.

Argumentum Capitis Noni.

Dixerat Propheta in fine superioris capitis fore, vt ij qui diuinā legem contemnerent, & Christum in ea promissum abiicerent, inciderent in erumnas grauissimas, à quibus se eripere nequaquā possent. Quibus verbis significauit acerbissimas calamitates & misérias, in quibus erant Iudei propter eorū in Christum impietate versaturi, cū obsiderentur à Romanorum exercitu, à quibus ad extremum fuerūt capti, cæsi, & in miserrimam seruitutē adducti. Sed quoniam multi ex Iudæis fuerunt mentis oculis illuminati, & à dæmonis vinculis erepti, nonnulli ob Christi doctrinā, plures verò ob Apostolorum conciones, præcinit modo victoriā hanc sub nomine quorum victoriarū, quarū alterā Theglath-Phalasar rex Assyriorum de Samaria reportauit, quando regnante in ea Phasee cepit duas tribus, Zabulon & Nephthim, vt est in li.

4. Reg. 15.

4. Reg. 17.

4. Regum memoriæ proditū. Alteram obtinuit Salmanasar quando nono anno Osee, vt in eodem libro narratur, populus latus est Samariam, & Israëlitas transfudit in Assyrios. Fuit quidem illud imago rerum futurarum. Nam vt rex Assyrius primo paucos ex Galilæa secum asportauit, sed postea infinita Israëlitarum multitudo fuit in Assyriā adducta, sic Christus velox spoliator primum prædicans in Galilæa, Capharnaum, Bethsaida, cepit nonnullos paucos, nimirum discipulos suos, qui fuerunt seminarium quoddam nascētis ecclesiæ: deinde per ipsos nomen suum sanctissimum per vniuersas regiones fama celebravit, & immanissimam dæmonis tyrannidem deleuit, & ingentem hominum multitudinem ad se traxit, vt eos non ad Assyriam adduceret, sed ad beatissimas illas & splendidissimas oras, vbi placida quiete, summo gaudio perfusi Deo ipso in æternam fruerentur. Prædicat diuinus vates Christi regnum euāgelicam pacem, & ipsius Christi admirabilia nomina. Repræhendit Iudæorum superbiam, hypocrisim, cæteraque vitia, ob quæ vaticinatur esse eorum gloriam obscurandam & penitus extinguentiam.

CAPVT IX.

Matt. 4.



Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Neptalim, & nouissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilæe gētium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti letitiam.

Laetabimur coram te, sicut qui letantur in messe, sicut exultant viatores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius saperasti, sicut in Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.

Iud. 7.

EXPLANATIO.

Primo tempore alleuiata est.] Illud tempus appellat primum cum Theglath Phalasar cepit duas tribus, Zabulon & Neptalim, tunc enim terra alleuiata fuit, iniquis habitatoribus, quibus

quibus abundabat, euacuata. Sed nouissimo, hoc est, tempore, secundæ captiuitatis aggrauata est terra, quando à Salmanaïar fuit capta Samaria & euerfa, & populus Israelis in Assyrios translatus. Sed quoniam hæc Assyriorum victoriæ Christi victoriam adumbrabant, adiecit propheta: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, hoc est, homines qui in peccatorū caligine versabantur, & mentis oculorum cæcitate laborabant, viderunt Christum saluatorem nostrum, qui est lux vera, omnes homines illuminans. Appellatur autem lux magna, non parua, qualis fuerat Prophetarum Christi comparatione. Verba quæ sequitur habet eandem sententiā: idē enim est: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, ac, Habitantibus in regione vmbre mortis lux orta est eis. Verūm per lucem quæ orta est eis, poteris Christi doctrinam intelligere, lucem admirabilem, quæ ideo illis orta est, vt possent ab errorum tenebris liberari, & virtutis ac veritatis splendorem intueri. Vitur propheta præteritis pro futuris, vt multis aliis in locis, vt vaticiniū certitudinem significet more prophetarum. Sensus igitur horum verborum, quem propheta in primis intendebat hic est: Primo tempore quando Christus cœperit prædicare, terra Zabulō & terra Nephtalim alleuiabitur, hoc est, illuminabitur, quia ibi credēt multi, quos Christus ad se trahet, & nouissimo aggrauabitur terra & expugnabitur, quando etiam per Apostolos victus fuerit diabolus, qui ei dominatus fuerat, & multo plures crediderint. Est autem hæc dictio, aggrauata, sumpta à re bellica, qua significatur magnus Apostolorum triumphus & illustis victoria, quam de dæmone reportarunt, & hominum multitudinem Christi imperio subiecerunt, vt eos ad cœlestem Hierosolymam adducerent, vbi summa securitate & oblectatione incredibili quiescentes, Deum viderent, etusque numinis, aliarumque rerum pulcherrimam & excellentissimam scientiam consequerentur. In quam ciuitatem sempiternam & splendidissimam non ingrediuntur illi, qui Christi fidē non receperūt, sed seclusi à cōcilio cœlestiū, separati à gaudio illo inexplicabili mētium beatarū in cæcas inferorum latebras adibunt, vbi in gternis cruciatibus & miseris versabūtur. Explicans autē propheta sitū terræ Zabulō & Nephtalim, ait: Via maris trans Iordanem Galilææ gentium. ac si diceret: Quæ terra Zabulon & Nephtalim adiacet mari secus stagnum Genezareth, vbi sunt vrbes sitę vltra Iordanem, quæ sunt in Galilæa

gentium, hoc est, in illa parte Galilææ, quam olim Salomon dedit Hiram regi Tyri. Quam ob causam plaga illa Galilææ gentium vocatur, cum sit altera Galilæa circa Tiberiadem. In hac igitur terra Zabulō & Nephtholim cœpit Christus euangelium prædicare, & ibi populus, qui ambulabat in tenebris, vidit Christū lucem magnam, & habitans in regione mortis fuit diuino splendore illustratus. Ibi erant viculi, à quibus

Psal. 67.

erant Apostoli, de quibus dicitur in psalmo: Principes Zabulon, principes Nephtholim duces eorum, esse autem hoc vaticinium intelligendum de Christo Deo nostro apertissimè indicat Diuus Matthæus, cuius hæc sunt verba: Cū audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit in ciuitate Caparnaū maritima, in finibus Zabulon & Nephtholim, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiā prophetam: terra Zabulon & terra Nephtholim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbrae mortis lux orta est eis. Vbi à piscis peccatum esse vmbrae mortis, de qua

Matt. 4.

apud Lucā Zacharias ait: Visitauit nos oriens ex alto illuminare iis qui in tenebris & in vmbra mortis sedēt. Tenebras vocat nō has sensibiles, sed errores & impietates. Cū autē lucē non quererent, ipsa eos quesituit, ipsa illis orta est. Quia in re infinita Dei nostri erga homines pietas ostenditur: nō enim passus est Deus eos in caligine diutius sedere, & in tenebris inextricabilibus versari, aperuit eorum oculos

Luce. 1.

aliquandō, vt ipsam lucem Christum Deum nostrum & mentis, & corporis oculis aspicerent. Et quoniam hæc duæ tribus Zabulon & Nephtholim prius fuerant captæ, & asportatæ in Assyriam, & earum terra deuastata & oppressa, ideo in illis Christus prius Euangelium prædicauit, vt qui prius ducti fuerant in captiuitatem corporis, ipsi prius de mentis captiuitate essent reducti, & de regione vmbrae mortis ad regionem vmbrae vitæ, hoc est, à peccatis ad gratiam essent reuocati. Duæ enim sunt in hac vita regiones altera est vmbrae vitæ, quæ est spiritualis Ierusalem à Dei amore condita, altera vmbrae mortis, quæ est spiritualis Babylon ab amore sui constituta. Quamuis enim viri iusti charitate muniti, Hierosolymam colentes vitam animæ habeant, dicuntur tamen esse in regione vmbrae vitæ, quia adhuc nō fruuntur diuina visione in vita sempiterna, sed per fidem ambulant, non per speciem, per speculum, vt

ait

ait Apostolus, videntes in enigmate, non facie ad faciem. 1. Cor. 13.
 Quamdiu enim animi nostri in corporum carcere detinentur, à perfecta cognitione diuini numinis, & aliarum etiam rerum longissimè absumunt. Qui verò vitii contaminati, mortiferisque criminibus astricti Deum contemnunt, in regione vmbre mortis esse dicuntur, quia etiam si peccatum sit mors, quamdiu tamen in hoc seculo sunt Babylonis cultores, nondum in illa vera ac sempiterna morte, cuius peccatum vmbra est, cruciantur.

Multiplicasti gentem.] Alloquitur Propheta lucem illam magnam Christum Deum nostrum, qui etiam si hominum multitudinem congregauit, quos sui nominis notitia, fide, spe, & charitate illustrauit, non tamen magnificauit lætitiã: fideles enim licet lætarentur, cum se tenebris liberatos agnoscerent, dolebant tamen, & grauiter angebantur, videntes manere multos in cæcitate & contumacia, euangelium improbantes. Hoc sentiens Diuus Paulus in epistola ad Romanos. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Vel sic: Multiplicasti gentem, quoniam multi in principio audierunt euangelium: sed non multiplicasti lætitiã, quia multi ex credentibus à fide defecerunt. Vel non multi plicasti lætitiã huius mundi, sed fideles tuos, hic voluisti in afflictionibus versari, vt rebus aduersis, capere, & opibus vndique oppugnati ad te solum aspirarent, omnesque suas voluptates & oblectationes in te vno constituerent.

Lætabuntur coram te.) Cum fideles fuerint de vniuerso orbe congregati, exultabant Apostoli sicut messorum congregata messe, de qua ait Dominus: Messis quidem multa operarij autem pauci. Sed animaduerte. Non dicit: lætabuntur coram mundo, sed coram te, nam hic afflictionibus opprimuntur iusti, & coram mundo abiecti & calamitosi, at coram Domino incredibili voluptatè affecti ipsi etiam calamitatibus gloriantur. Matt. 9.

Sicut exultant victores capta præda.] Prædam appellat homines, quos Apostoli à dæmonis potestate eripuerunt: prædicit vates Apostolorum gloriam & gaudium ob admirabilem victoriam de dæmone reportatam.

Iugum enim oneris eius.] Sensus est: Tu domine Iesu eripuisti

puisti homines à graui iugo , quo diabolus hominum colla deprimebat , & à virga qua percutiebat , & à scepro quo imperabat: Et fuit hæc victoria sine humanis armis, sed tua potenti manu diuinitus adepta , quemadmodum illa, quam Gedeon de Madianitis mirabiliter reportauit: vbi pauci nullis armis muniti superarunt copias armis instructas, multitudine propè infinitas, omnique munitionum bellicarum genere abundantes: Habes hanc historiã libro Iudicum septimo. Docet hic locus homines impios comprimi diaboli grauissimo iugo , à quo eos eripit Deus, cum illos ad seipsum conuertit. Habet Christus iugum, habet & diabolus iugum, sed iugum Christi est suauitate delinitum: ipse enim ait: Iugum meum suauis est : iugum verò diaboli onerosum & durum est. Quod volēs hic propheta significare dixit: Iugum enim oneris eius. Iugum Diaboli est iugum oneris : Iugum verò Christi, lenitatis & dulcedinis. Christus nos ad suum suauis iugum inuitat, illudque gratis offert: nos verò illud contemnimus, & ad diaboli iugum grauissimum & asperissimum acurrimus, quod multo labore emimus. O cecitatem deplorandam. Eminus graue iugum diaboli, cum Deus ad suum suauitate plenissimum, gratis oblatum nos vocet. Inuitatus quidam ad magnam cænam, ad epulas diuinas, ad Christi suauis iugum, ob eam causam se excusauit, quia emerat quinque iuga bouum, & ibat probatum illa. Lege euangelium Lucæ capite quartodecimo, & inuenies hoc. Quid fecisti homo insane? Cur emisisti iuga asperissima, si ad Christi suauissimum iugum gratis inuitabar? O amentiam inauditam. Emunt homines iuga diaboli, emunt labores mundi, emunt magistratus, & honores quos vocant, emunt calamitates, & peccandi occasiones, imò ipsa peccata, & ipsam vanitatem, cum Christus clamet: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Adestote obsecro animis filij hominum, & attendite. Christi iugum offertur nobis gratis, & cum eo ad mirabilis & æterna remuneratio: iugum verò diaboli multo labore emptum offert secum æternam damnationem. Cur igitur volumus incidere in miserias horribiles, & perpetuos cruciatus, iugum dæmonis ementes, si iugo Christi subiecti possumus adipisci vitã beatã & immortalẽ? In hac vita sine iugo esse nõ possumus. Homo enim, vt in libro Iob scriptum

Iud. 7.

Matt. II.

Luc. 14.

Matt. II.

scriptū legimus, nascitur ad laborem. Nōne igitur prestanti-
us est iugo Dei quā diaboli submitti? Quis non vider hoc? *Iob. 7.*
Præterea nōne melius est vnū eligere quā quinque? Quis
poterit quinque tyrannis seruire? Iugum Christi vnū est, dia-
boli verò quinque sunt iuga. Nullus est senius, quem sibi dia-
bolus subiicere non desideret. Quid dicebat ille, qui ad cēnā
inuitatus noluit venire? Emi quinque iuga bouū, & eo pro-
bare ea. Quo te confers homo deplorande? Quid vis pro-
bare? ea volo probare. Nōne scis iuga diaboli esse intole-
rabilia, mortifera, asperrima? Quorum ea probare deside-
ras? Define iuga bouum, & accede ad cēnam magnam, ad
quam es à Domino inuitatus. Non est cēna parua, magna
est. Ea enim quæ Deus tribuit, & ad quæ vos inuitat magna
sunt. Contrā verò ea ad quæ mundus nos vocat sunt exi-
gua, & inania, falsa, incerta, caduca, quæ nullis defixa radi-
cibus quacūq; varietate labefactantur, & penitus euelluntur.

Et *virgam humeri illius.*] Aspicias hic diabolum virgam ha-
bere, qua suos percutit. Nemo enim est qui maiores labo-
res & calamitates sustineat, quā qui dēmoni subiicit. Quod
volens significare sacra scriptura in libro Sapientiæ facit dam-
natos hoc modo loquentes: Ambulauius vias difficiles, *Sapient. 3.*
lassarī sumus in via iniquitatis. Quamuis Christus iugum,
& virgam, & sceptrum dæmonis superauit, multos ab eius
potestate eripiens: tamen dominatur ad huc dæmon omnibus
impis, quoniam ipsi eius potestati se volunt subiicere.

Et *sceptrum exactoris eius.*] Exactor est qui pecunias, &
tributa exigit. Vocatur autem diabolus exactor, quia ab
hominibus peccata veluti tributa exigit. Appellatur etiam
tyrannus, & princeps huius mundi, qui enim sceptrum te-
net, princeps est. Ostendit hic locus esse diabolum princi-
pem impiorum. Nunc ait Christus apud Ioannem, princeps *Ioan. 12.*
huius mundi eicietur foras: & alio in loco apud eundem:
Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quic- *Ioan. 14.*
quam: Considera quale sit regnum mundi cum talem prin-
cipem habeat. Tres ob causas ait Plato debere homines ci-
uitatem quam incolunt, relinquere, vel quia plura sunt detri-
mēta quā incommoda, vel quia plures sunt mali quā bo-
ni, vel quia princeps aut gubernator est iniustus & impius.
Cum autem hæc omnia in mundo videamus, quid facis in
mundo, qui maior es mundo? Fuge diaboli sceptrum, à quo
te liberauit Christus, ad quem confuge, vt vitam æternam
consequaris. Diuus Gregorius tractans hunc locum libro,

trigesimo moralium, capite trigesimo primo ita ait: Superavit Dominus gentium iugū cum illas à dæmoniacæ tyrannidis seruitute liberauit. Virgam humeri, cum percussione pro opere malo perpeſſam compulſit, ſceptrum autem exactoris, cum regnum diaboli peccatorum tributa exigentis à fidelium corde destruxit.

Quia omnis violenta prædatio.] Omnis humana victoria & prædatio solet fieri cum magno tumultu, & sanguine vestes ac arma occisorum contaminante. At hoc prælium quo tu Christe sancte homines à dæmonis potestate eripuiſti, est sine tumultu, sine humanis armis: sed in combustionem & cibum ignis, hoc est, spiritu tuo, & igne charitatis mentes fidelium purgante: & omne vitium comburente. Poterit clarius ita verti: Omnis violenta prædatio cum tumultu est, & vestimentum est mistum sanguine: at hæc victoria erit in combustionem & cibum ignis.

Paruulus enim natus est nobis.] Reddit rationem, cur iugum diaboli sit à nostris ceruicibus ablatum, & diabolus victus, & hæc victoria sine tumultu, quippè quia paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, hoc est, ad nostram redemptionem, quia natus est nobis de sanctissima virgine Maria puer. Iesus filius Dei. Paruulus natus est, quia verus est homo filius datus est, quia est verus Dei filius. Natus est paruulus, ne timore terremur, & quia puer statim commissa cōdonat, & facillè placatur: & datus est filius, vt nos possit à dæmone liberare. Quid nobis pater negabit, quibus filiū suum dedit? Nobis & natus & datus est. Audi Angelum pastoribus dicentem: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudiū magnū, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Nomine pueri significatur humanitas, nomine verò filij diuinitas.

Et factus est principatus super humerū eius.] Principatus Christi nos sumus, quos super humeros suos posuit, vt nos ad gloriā asportaret. Genus hominū hic per principatū intellectū alio in loco ouis quæ perierat appellatur, quam Christus inuenit, & super humeros adduxit. Eramus perditū, in vitiōsū erroribus & saltibus errantes, nō poteramus viribus nostris à tantis malis liberari, venit pastor ille clementissimus Deus noster, posuit nos super humeros suos, vt è valle miserię ad montem visionis diuinę perduceret, vbi ipso in placidissima tranquillitate fruermur. At nos ab eius humeris discedimus,

cum

Luc. 2.

Luc. 19.

cū fugimur, & iterū scelerū syluas peragrantes terrena quærimus, mūdi voluptates cōcupiscimus, & ea quæ celestia sunt & immortalia, non curamus. Vel per principatū, sceptrū regale intelligitur, quod super humeros suos Christus tulit: Quod sceptrū fuit crux illa sacratissima quam ad Caluarie montem baiulauit. Eā secum ducens, manibus ac brachiis amplectebatur, vt ostenderet quāto eam amore prosequeretur. Intuere obsecro, & attenta atq; alta mēte cōsidera, natum fuisse Christum ad ferendum suis humeris suum principatum, hoc est crucem, in qua acerbissimos cruciatus tulit, ex qua transit de hoc mundo ad patrem, quam post mortem suam erectam in monte Caluarie reliquit, tanquam trophæum, excellentissimique triumphī celeberrimum monumentum, & vt nos eam tanquam clarissimum signum nostrarū victoriarum supplices coleremus. At nos obliti nostri existimamus natos hic fuisse ad delicias, ad opes, & voluptates, cūm potius editi simus in lucem ad crucem amplectendam, vt nec laborem, neque dolorem, neque denique quicquā aliud quod molestum nobis possit accidere, intolerandum putemus: Fortasse crucem ob eam causam principatum appellat, quia in ea eleuatus Christus omnia ad se traxit, iuxta id quod ipse apud D. Ioannem dicebat: Si exaltatus fuero à terra *Ioan. 12.* omnia traham ad me ipsum. Hæc crux quæ hic nomine principatus significatur, appellatur alio in loco ab hoc eodem propheta clauis Dauid: dabo, inquit, clauem domus Dauid *Infra 22.* super humerum eius, Quæ propterea clauis appellatur, quia ea cœli ianuæ, quæ antea clausæ erant, fuerunt apertæ & refferatę. Poterit præterea hoc sic explanari: factus est principatus super humerū eius. Hoc est, posuit in suis humeris omne pondus eorum, quibus dominatur. Est autem hoc pondus peccatū generis humani, quod super se Christus posuit, vt pro eo innocentissimus agnus pœnas lueret. Id quod Esaias ait alio in loco: Posuit dominus in eo iniquitatē omnium nostrum. De quo dicitur in psalmo: Supra dorsum meū fabricauerunt peccatores. Voluit enim ille luere nostra crimina, vt excidiū à nostris capitibus auerteret. Considerent reges, ac principes terrę hūc diuinum regem Christū Deū nostrū, qui in suis humeris posuit pondus sui regni. Nec existimēt se principatum ad voluptates, sed ad labores obtinuisse. Eam ob causam voluit Christus titulū suæ dignitatis regię variis literis scriptum fuisse affixum cruci, vt intelligerent omnes principes Christi regiam dignitatem esse cum cruce *coniu-*

*Ioan. 12.**Infra 22.**Infra. 57.
Psal. 118.*

coniunctam, & cum laboribus & afflictionibus copulatam.

Et vocabitur nomen eius, admirabilis.] Qui vocatur Emanuel, & accelera spolia derrahere, festina prædari, idè vocatur admirabilis, cõsiliarius, Deus. &c. Quid admirabilis quàm Deum nasci ex virgine, & duas esse naturas in vna personæ
Consiliarius.] Vide dei inauditam clementiam. Misit filium suum, vt nos consiliis instrueret, & viam veritatis ostenderet.

Deus.] Hic puer Deus est. Aspice quàm apertè dicat Christum esse Deum. Id quod apud Ieremiã cap. 33. & aliis in locis poteris videre. De quo ait Diuus Paulus in epistola ad Romanos cap. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Quidam Iudæus ante aduentum Christi, ita hunc locum interpretatus est.

Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen eius Emanuel, hoc est, nobiscum Deus: nempe in corpore, & carne nostra, quemadmodum testatur Iob cap. 19. Ex carne mea videbo Deum. Item quia Deus est, mirabilis consiliarius dicitur: excogitauit enim mirabile consilium animas à dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant. Nec possunt vllò modo esse saluæ, nisi rex Mefsias mortem acerbissimam, multaque subeat tormenta. Ob eam causam dictus est vir. Et quia ipseus est omnis fortitudo, Deus, fortis vocatur. Et quia est æternus, pater sempiternus dicitur. Item quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps pacis appellatur. Et quia ipse festinabit vt auferat animarum spolia, vocatur expeditus spoliator, festinus prædator. Quia autem eos saluos faciet, & ad paradysum adducet, vocatur Iesus, hoc est saluator. Hec ille. Ego nõ possum credere quin animus, ex quo hæc prodierunt, esset diuinitus illustratus, est enim admirabilis hæc expositio.

Princeps pacis.] Non dicit. Princeps militum, princeps belli, sed princeps pacis. Christianus princeps pacis studiosus Christum imitatur. Septuaginta interpretes exterriti hac nominum maiestate non ausi sunt ea scribere, ne gentibus incredibilia viderentur.

Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modo & vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël. Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes: La

terres ceciderunt, sed quadris lapidibus edificabimus: Sycomoros succiderunt, cedros immutabimus. Et eleuabit Dominus hostes Rasin super eam, & inimicos eius in tumultum veriet: Syriam ab Oriente, Philistinim ab occidente: & deuorabunt Israël toto ore. In omnibus iis non est auersus furor eius, ad huc manus eius extenta: & populus non est reuersus ad percutientem se, & dominum exercituum non inquisierunt. Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, inturnanem & deprauantem die vna. Longaeus & honorabilis ipse est caput: & propheta docens mendacium ipse est cauda. Et erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur, præcipitati.

Multiplicabitur eius imperium ¶ Non poterit de multiplicato Christo imperio dubitare qui legerit in psalmo: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius: Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Qui locus in Actis Apostolorum, & in epistola ad Hebræos de Christo explanatur. Et de eius pace dicitur in psalmo: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis donec auferatur luna. Id est, in æternum. Quod vaticinium ad regnum Salomonis accommodari nullo modo potest, sed ad regnum Christi, cuius iustitia & pax sunt semper duraturæ, & ob eam causam ipsum diuinæ literæ iustitiam & pacem appellare solent. Animaduerte. Tunc imperium multiplicatur cum in eo pax viget. Hoc considerare debent, qui volunt bellis tegnum multiplicare, cum nihil sit, quod regna & imperia potius labefactet, & penitus euertat quam bellum. Contra verò vigente pace crescit regnum & propagatur. Verum id quod hic dicitur, est præcipue de spiritali pace intelligendum. Chrysostomus tractans hunc locum in primo tomo explicans illud Esaiæ: Potestatis & pacis non erit finis, inquit hoc intelligi de pace inter Deum & hominem, inter corpus & spiritum, ac inter Iudæos & Gentiles.

Super solium Dauid ¶ Sensus est: Hic puer Emanuel, qui est Deus, consiliarius, admirabilis, &c. regnabit iustissime super sedem Dauid in æternum. Id est, quod dixit Angelus Mariæ virgini sacratissimæ: Et dabit illi, Nempè Christo, Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius, non erit finis. Et de eo Daniel propheta scriptum reliquit: Potestas eius potestas æterna,

Psal. 2.

Act. 13.

Hebr. 1.

et 5.

Psal. 71.

Luc. 1.

Dan. 7.

Psal. 144.

Psal. 2.

Psal. 86.

Psal. 2.

Psal. 131.

æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Et in psalmo scriptum legimus: Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Sed hæc occurrit dubitatio: Qui fieri potest vt hæc de Christo intelligantur, qui super solium Dauid non videtur sedisse, non enim regnavit in Iudæa. Quin potius cum eum turbæ regem constituere voluissent, vt est apud Ioannem cap. 6. & coram Pilato confessus est regnum suum non esse de hoc mundo. Præterea quæ gloria esset sedere super solium Dauid eum, quem Esaias vidit sedentem super solium excelsum & eleuatum? Sed cum sit altera Hierosolyma multo melior & præstantior quàm ea, in qua regnavit Dauid, quæ est ecclesia catholica, eam existimo hic esse significatam, De qua dicitur in psalmo: Constitutus sum ab eo rex super Sion in montem sanctum eius, & in alio psalmo. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Non existimo hoc dictum fuisse de portis illius terrenæ Hierosolymæ, quas scimus esse consumptas, & in puluerem redactas: sed de portis ecclesiæ, quam illa Hierosolyma adumbrabat. Regnat igitur Christus in ecclesia, quæ est Hierosolyma, non vmbatica, sed vera, cuius illa terrena gerebat imaginem: & regnabit in æternum, quoniam ecclesia nunquam peribit: nam etsi in mundi consummatione desinat esse militans, ecclesia tamen triumphans sine fine in æternū permanebit: & sic semper futura est ecclesia, in qua Christus in æternū regnabit, facta enim separatione in littore maris, congregatiq; in vase bonis piscibus, malis autem foris abiectis, accipiet Christus ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam sed sanctā & immaculatam. Et volens significare scriptura hanc spiritualem Hierosolymam esse multo sublimiorem & illustriorem terrestri illa, in qua regnavit Dauid, dicit: Constitutus sum rex ab eo super Sion. Non dicit: In Sion, sed super Sion. Et in alio psalmo: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Non dixit. In sede, sed, super sedem. Et in hoc loco Esaiæ: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit. Poteris etiam per solium Dauid eius labores & dolores intelligere: fuit enim vir ille sanctus, vt sacræ literæ memoriæ prodiderunt, vehemēter afflictus, & in acerbissimis periculis & laboribus cōstitutus, atq; capite & opibus vndiq; oppugnatus. Sedit igitur

igitur Christus super solium Dauid, super eius dolores, labores, & angustias, in multo pluribus & acerbioribus cruciatibus verfarus. Et ob eam causam dixit: Super solium, & non in solio, vt superlationem & abundantiam dolorum significaret.

In iudicio & iustitia.] Per hec duo nomina intelligitur pulcherrima gubernandi forma & ratio, vt alio in loco annotauimus: sic apud Ieremiam: Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. *Ierem. 2.*

zelus domini exercituum.] Hoc est, amor Dei erga homines efficiet, vt filius Dei nascatur, ex virgine, hominumque genus a demonis potestate eripiat, & sedeat super regnum Dauid, illudque iustitia & iudicio confirmet. Sic Deus dilexit mundum, ait D. Ioannes, vt filium suum vnigenitum daret. *Ioan. 3.*
Vbi vides, non ex hominum meritis, sed ex Dei amore & charitate processisse generis humani salutem. Caritas Deum traxit e celo, nos autem e terra ad celum vehit. Hec vulnerauit impasibilem, alligauit insuperabilem, traxit incommutabilem, fecit mortalem eternum.

Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.] Prædixerat propheta cladem & euersionem Syriæ & Samariæ: & capta inde occasione multa Christi mysteria interposuit. Nunc vero ad id vnde egressa fuerat oratio, reuertitur, & vaticinatur Samariæ dicens: Verbum misit Deus in Iacob, & cecidit in Israel. Id est. Misit Deus sæpe prophetas suos ad Iacob, hoc est, ad decem tribus, qui illis veritatem nuntiarent, viamque salutis aperirent. At Israelitæ verbum Dei contempserunt, & pro nihilo putarunt. Per Iacob & Israel intellige decem tribus, & quoniam verbum Dei fuit ab illis neglectum, dicit propheta illud cecidisse, tunc enim verbum Dei cadere dicitur, quando ab auditoribus contemnitur.

Et sciet omnis populus Ephraim.] Sensus est: Quamuis Deus locutus fuerit per prophetas suos populo Israelitico, ipse tamen sciet superbe, existimabit se aliquid sapere, & deridebit Dei verba, & comminationes dicens: Lateres ceciderunt, sed quadras lapidibus edificabimus, hoc est quauis incidimus in nonnullas calamitates, sequentur tamen postea temporales felicitia: & pro domibus lateritiis que ceciderunt edificabimus lapidibus quadratis magnifica ædificia: & pro sycomoris arboribus abiectis habebimus nobiles & preciosas cedros. Potest esse sensus: Hucusque perierunt in bello nonnulli ex nostris, erant veluti lateres fragiles & imbecilli: at nos edificabimus rem publicam nostram ex lapidibus quadratis, hoc est, ex
viris

viris fortitudine & constantia munitis. Lapidēs quadrati sunt ad edificandum apti, rotundi verò & globosi nequaquā, quoniā non nisi in puncto se tangunt, homines quadrati facile conueniunt inter sese, at rotundi nullam inter se habent concordiam: sunt autem quadrati illi, qui ex quacumque parte ceciderint, firmi manēt & stabiles: rotundi autem sunt

Simile.

mobiles & inconstantes: Aristoteles libro primo moralium Nicomachiorum hominem sapientem quadratum vocat, quia in quamcunque partem voluatur, sui similis est, & firmus perseverat, & acerbissima calamitatum procella oppressus, placida tamen & tranquilla mente consistit. Ut enim bonus fictor & artifex simulachrum fingit ex auro, si autem aurum deest, ex argento: eo verò non existente, ex plumbo, aut denique ex quavis alia materia, sic vir sapientia excultus & virtute præditus, in omni statu, virtutis & constantiæ imaginem & simulachrum efficit. Si in honoribus & magistratibus fuerit constitutus, in media prosperitate, rebusque ad voluntatem fluentibus virtutem exercebit, si in ærumnis & laboribus fuerit versatus, in media aduersitate, in infimo illo statu ostendet animi sui magnitudinem & celsitatem. Aspicias hic impiorum ædificia esse ex lateribus constructa: Qui etsi promittant se esse quadratis lapidibus mœnia condituros, ad id tamen nunquam peruenient: Iudæi in Aegypto sub Pharaone commorantes, vrbes lateritias condebant. Talia sunt eorum opera qui in mundo diabolo seruiunt, lutea, & terra. Huiusmodi erat turris Babylonis, quam illi aduersus Deum condiderunt, qui nomen suum immortalitati commendare volebant. At cecidit turris, & ipsi confusi sunt, & in tartara præcipites ruerunt. Potesi hæc litera sic ordinari: Omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam dicentes in superbia & magnitudine cordis: lateres ceciderunt, & ea quæ sequuntur, scient Dominum eleuaturum esse hostes Rasin, &c.

Simile.

Et eleuabit Dominus hostes Rasin super eum, & inimicos in tumultum vertet.] Hoc est, Excitabit dominus contra Rasin regem Syriæ Assyrios eius hostes, qui contra ipsum concitabuntur. Prædicat Prophetâ prælium illud, in quo rex Assyrius occidit Rasin regem Syriæ, quam historiam habes libro quarto Regum capite sextodecimo.

Exod. i.

Gene. ii.

Syriam ab Oriente.] Hoc est, excitabit Dominus contra Samariam Syros & Palæstinos. Ac si dicat. Et Syria quæ pepigerat fœdus cum Samaria, ipsam Samariam oppugnet, nabit,

nabit, ita vt contra Israellem Syri ab Oriente & Palæstini ab Occidente moueantur, & simul toto ore, hoc est auidissimè, deuorent Israellem. Et adhuc extenta est manus Domini super Israelitas, eosque ferire non cessat: At illi nec sic cæsi volunt se ad Dominum conuertere. Quid sit extendere manum, diximus alio in loco.

Et disperdet Dominus ab Israele caput & caudam, incuruantem & deprauantem die vna.] Quid significetur per caput & caudam, explicat fratim Propheia. Per incuruantem & deprauantem eum intelligit, qui recta peruertit.

Es erunt qui beatum dicunt populum istum seducentes.] Iuxta id quod dixit capite tercio: Popule meus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt. Et qui beatificantur, præcipitati, hoc est, in extremam perniciem adducuntur.

Propter hoc super adolescentulis eius non letabitur Dominus: & papillarum eius & viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Succensa est enim quasi ignis impietas: reprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur in superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcat, & declinabit ad dexteram & esuriet: & comedet ad sinistram, & non saturabitur: vnusquisque carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem: & simul ipsi contra tudam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Quia omnis hypocrita est, & nequam, &c.] Tres causas assergnat, ob quas Deus populi Israelitici non misereatur: prima est hypocrisis, secunda nequitia, tertia amentia. Non solum erant vitis contaminati, sed volebant fallaci virtutis imagine nefaria scelera cooperire: & quod deterius est, volebant hæc verbis confirmare, & alios pestilentibus institutionibus corrumpere. Hypocrisis est capitalior & perniciosior aperta iniquitate, quoniam in virtutis imagine delitescit. Nam vt in magno mari perniciosiores sunt scopuli, qui breui operi aqua tristem & cæcum & miserabilem non obseruantibus inferunt interitum, quam rupes eminentes, quas nauæ facile vitare possunt, sic hypocrite qui in animi recessibus & lateribus malitiâ retinentes specie pietatis foris ostendunt, tetriores sunt, & capitaliores improbis illis, qui sunt ab omni virtutis simulatione alieni, quoniâ horum pestem poteris facile fugere, illos autem virtutis personâ induentes, nec citò cognosces, nec
eorum

eorū dolū, & perniciē quam moliuntur, facile declinabis, est autē hypocrisis, vt definit Chrylogus subtile malum, secretum virus, venenum latēs, virtutum fucus, tinea sanctitatis,

Succensa est enim quasi impietas.] Sensus est, Impietas hostium Israelis accensa est, & non populum aliquem pium, & Deo deuotum, sed vepres, & spinas, hoc est Israelitas sceleratos, Deoque suo inobediētes deuorabit. Comparat propheta Israelē vepribus, & spinis, & syluæ à feris habitatę.

Et conuoluetur in superbia fumi.] Effert se Assyriū, spoliabunt Israelitas tam nobiles quàm obscuros, sed eleuati veluti fumus dissipabuntur, & euanescent. Nam Assyrii euertent Samariam: sed ipsi postea perierunt. Aspicias hic impiorum gloriam & superbiam fumo comparari.

In ira Domini exercituum.] Sumentē Domino pœnas de Israele magnus erit mœror in ea terra, magna conturbatio, & ardebit populus velut fomentum ignis. Nemo cuiquam parceret, frater irruet in fratrem. Vnusquisque declinabit ad dextram querens victum, & comedet ad sinistram, hoc est, occulte, ne aliquis eum videat comedentem id quod rapuit.

Vnusquisque carnem brachii sui vorabit.] Fratres & consanguineos brachia appellat. Sensus est. Vnusquisque irruet in consanguineos suos, Manasses spoliabit Ephraim, & Ephraim Manassem. Lege libros Regum, & Paralipomenon, & inuenies Israelitas bellis ciuilibus inter se dissidere, & postea in Iudæ oppugnationem concordare.

Annotationes ex hebreo in CAPVT IX.

Novissimo aggravata est.] In hebraico est. Nouissimo hichbidh, à verbo chabadh, quod significat graue esse, in quâ significationem sumptum est ab interprete nostro volente Christo victoriam de mundo significare: est enim verbum sumptum à re bellica. Significat etiam verbum hoc glorificari, nam infra vbi in capite 66. scriptum legimus: Glorificetur Dominus, in hebraico est verbum hoc: & multis aliis in locis diuinarum literarū capitur pro glorificari. Eam ob causam potest hic locus ita Latine reddi. Nouissimo glorificata est. Quæ interpretatio instituto prophete magnope re videtur accommodari, & conuenire. Voluit enim hoc vaticinio ostendere victoriam, quam Christus erat per discipulos suos de mundo reportaturus, & ita erit sensus: Prima victoria

victoria, quæ erit Christi doctrina adepta, alleuiabitur terra, quoniam nonnulli reprobato idolorum cultu in Christum credent, & veram religionem amplexabuntur. At obsecundam victoriam, quam Apostoli de dæmone consequentur, erit tota terra gloriosa, quando Christi discipuli omnes mundi regiones peragrantes. Christumque prædicantes, trophæa vbique constituerint. Quid enim gloriosius, quid illustrius quàm relictijs vitijs, contempta ac repudiata superstitione, mundum ad Christum conuerti, totoque animo aspirare? Poteris vertere pro aggrauata, illustratam, & rectè quidem meo iudicio, nam verbum hoc significat esse magnum, illustre, honoratum, & gloriosum.

Multiplicabitur eius imperium.] Quemadmodum hoc de ecclesia intelligatur explicauimus suo loco. Sed est magis aduertendum in hebraico ita scriptum esse: lemarbeh hammisrah. Hebræi habent duplex, m, alterum scribitur in principio dictionis, & in medio, & est apertum, quod ita scribitur, Δ alterum nunquam ponitur nisi in fine dictionis, & ob eam causam terminale siue finale vocatur: & scribitur hoc modo, Δ , & est vbique clausum nullum habens exitum. Hoc est perpetuò verum, neque inuenies in tota sacra scriptura literam Δ nisi in fine dictionis, excepto hoc versiculo Esaiæ, vbi litera Δ est in principio dictionis: nam illud le est præpositio, ad, quod certè non caret mysterio. Vir erat Esaias doctissimus, satisque habebat perspectum & exploratù, hanc literam non posse collocari nisi in fine dictionis: sed cum hoc in loco eam in principio collocarit, non est dubiù, quin hic lateat mysterium. Ex hebræo potest verti: Ad multiplicationem imperij, vel ad multiplicandum imperium. Sed quia Esaias diuino lumine illustratus præuidebat, hoc Christi imperium in ecclesia non esse à Iudæis intelligendum, voluit hoc scribere litera clausa, vt significaret fore hoc mysterium Iudæis clausum & absconditum, quod vsque hodie Iudæi ipsi non intelligunt. Et quoniam hoc Christi imperium nunquam esse desinet, voluit propheta illud scribere litera clausa, nullum exitum habente, vt ostenderet fore Christi regnum perpetuum, nullumque finem esse habiturum. Et hæc imperi multiplicatio ideo facta est, quia Deus factus est homo, nam antea notus erat Deus in Iudæa: vt dicitur in psalmo, & in solo Israële *Psal. 73* nomen eius celebrabatur, sed postquam filius Dei à cælis

in terras missus humanam naturam admirabili modo sibi copulauit, vt à nobis inferorum pœnas, graues illas quidem, sed iustas & debitas auerteret, hominumque genus à faucibus ipsius mortis, sua morte liberaret, cognitio ipsius nominis, ac omnes gentium regiones peragrauit, vt vana superstitione repudiata homines etiam immanitate barbari & inculti ipsum Christum intelligerent verum esse totius mundi machinæ effectiorem, & moderatorem: cuius numine & imperio omnia supera, media, ac infera continerentur. Eam ob causam in hoc admirabili versiculo, vbi Diuinus vates imperiū Christi multiplicationē prædicat, litera finali ad principium reuersa annotauit. Reuersa est igitur hæc litera retrorsum, vt etiam hac in re innuere Propheta filium Dei æqualem patri, sumpturum esse humanam naturam, secundum quam esset minor patre. Exinaniuit enim semetipsum, vt ait Apostolus, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huius figuram & imaginem gessit sol, quem reuersum fuisse retrorsum in horologio Achaz, ad signum & confirmationem salutis regis Ezechia: litera: diuinæ contestantur.

Phil. 2.
4. Reg. 20.
2. Par. 32.

Incuruantem & deprauantem.] In hebraïco est, cippah veagmon. Primum nomen à verbo caphat, quod significat incuruare: in quam significationem sumitur à nostro interprete. Significat etiam ramum, sic à curuitate appellatum, agmon, significat paludem & stagnum, & iuncum, quoniam iuncus iuxta paludes nascitur. Apud hunc eundem prophetam capit. 35. capitur pro iunco. Sic enim vertit interpret noster. Viror calami & iunci. Fortasse quia loca palustris infabulosa sunt, & valetudinem deprauant, & accipitur hoc in loco pro deprauante, quod quid significet suo loco explanauimus. Codices correcti habent ad marginē pro deprauante refranantem. Diuus tamen Hieronymus in commentariis legit deprauantem, & interpretatur recta peruertentem, quam ego interpretationem sum secutus. Potest hic locus rectè verti ex hebraïco: Ramum & iuncum, hoc est fortem & debilem, & ita vertit Pagninus. Septuaginta interpretes habent Magnum & paruum, magis sensum quam verba transferentes.

Argumentum Capitis Decimi.

Cum lex sit ratio prudentis iubens ea quæ facienda sunt, prohibi:

prohibensque contraria, iuris ac iniurię regula, ab illis solum debet ferri, & stabiliri, qui fuerint iustitia præditi, qui que solum ruerint opibus sapientiæ, & in maximarum virtutum studia incubuerint. Videns autem propheta leges condi ab hominibus indoctis, & nefariis, viduas & pupillos spoliantibus, & omnia ad sua propria commoda referentibus, inuehitur in le gumlatores, minans illis miseras sempiternas. Variacinatur luctuosissimas strages Israël ab Assyriis inferendas, eorumque Assyriorum admirabilem cladē. Et capta occasione præcinit mysterium humanæ redemptionis, & ex innumerabili Iudæorum multitudine reliquias solum esse salutem consecuturas. Tandem facit Deum loquentem, & Iudæos, quos erar de manu Sennacheribi erepturus, coniolantem.

CAPVT X.



Verbi gratia qui condunt leges iniquas: & scribentes, iustitiam scripserunt: ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cause humilium populi mei, ut essent viduę præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longē venientis? Ad cuius confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incur nemini sub vinculo, & cum interfecit cadatis? Super omnibus his nõ est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. *Vae Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicit enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt? Nunquid non ut Charcaris, sic Calaso: & ut Arphad, sic Emath? Nunquid non ut Damascus, sic Samaria? Quomodo inuenit manus mea regna idoli, sic & simulachra eorum de Ierusalem, & de Samaria. Nunquid non sicut feci Samaria, & idolis eius, sic faciam Ierusalem, & simulachris eius? Et erit: cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.*

EXPLANATIO.

Vae qui condunt leges iniquas.] Non appellat leges simpliciter,

ter, sed cum addito leges iniquas. Vt enim medicorum præcepta dici verè non possunt, si quæ impij, aut amentes pro salutaribus mortifera conscribant, sic nec leges appellari debent, quæ populo inferant perniciem, aut detrimentum. At nullæ res capitalius inferunt exitium reipublicæ, quàm leges iniquæ & iniustæ. Cum enim illæ sint ciuitatis fundamenta, necesse erit, nullam ibi consistere iustitiam, nullam pietatem, sed omnem populi impetum ad interitum spectare, & totam urbem tandem euertere. Esse autem leges ciuitatum fundamenta indicat sapientissimus, ac illustrissimus ille rex Dauid. Nam in eo psalmo, vbi nostra versio habet: Quoniam quem perfecisti destruxerunt, potest verti ex litera hebraica Quoniã fundamenta dissipata sunt. Vbi per fundamenta leges significauit. Ita enim illum locum vertit Symmachus: Quia leges dissipatæ sunt: Et eodẽ modo transtulit diuus Hieronymus ex hebræo, quem postea multi secuti sunt. Sunt enim leges bases, in quibus nititur ciuitatis salus. Quod intelligens elegans quidam poëta cecinit: Agnosco crines, incanaque mæta Regis Romani, primus qui legibus urbem Fundauit. Et apud Platonem dialogo 4. de legibus ait. Socrates, difficile esse ciuitatem bonis legibus fundari, indicans leges esse ciuitatis fundamenta. Alloquitur Esaias omnes iniquos legulatores, præsertim Scribas & Pharisæos, quorum impias traditiones Christus illis obiiciebat, vt est apud Matthæum capite quintodecimo, & apud Marcum cap. 7.

Psal. 10.

Sopho. 1.

Psal. 31.

Simile.

Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longinquo venientis. Hoc est, in die iudicij, quem propheta Sophonias appellat diem iræ, tribulationis, & angustiae, calamitatis & miseriae. Vel per diem visitationis, & calamitatis de longinquo venientis, intelligit captiuitatem per Assyrios, vel per Romanos. Visitat nos Deus aliquando prospera tribuendo, vt nos ad sui amorem alliciat: aliquando inferendo aduersa, vt in ærumnis ad eum conuertamur, iuxta id quod dicitur in psalmo: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Eodem modo Ieremias cap. 6. tempus afflictionis, tempus visitationis iis verbis appellat: In tẽpore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. Et cap. 23. Afferam super eos mala, annum visitationis eorum. Obserua, calamitatem magnam vocat Esaias eam, quæ venit de longinquo. Vt enim fluuius magnus ortum habet in locis remotis, longeque distantibus, & paulatim vires auget, & longius latinf

que

que propagatur, donec impetu & rapidissima inundatione omnia secum rapiat, & in immensum mare trudat, sic acerba & luctuosa calamitas veniens de longinquo, paulatim crescit, donec omnes oblectationes absorbeat, & in vastum ærumnarum gurgitem profundat.

Vbi relinquetis gloriam vestram.] Eorum vanitatem redarguit, qui celebritatem sermonis hominum vitiorum plerumque laudatricem, humanamque gloriam fragilem, & inanem ardentem appetunt. Quasi dicat: Cum gloria vestra non descensura sit vobiscum, vbi manebit? vbi eam relinquetis? Quid vobis proderit in illa die? Sic propheta in eo psalmo vbi eius miseriam ostendit, qui humanæ laudis, rerumque caducarum cupiditati seruit, hæc verba scripta reliquit: Cum interit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. In lib. Sapientiæ ita inducuntur damnati loquentes: Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nutus præcurrens. Non est igitur ea mundi gloria quærenda, quæ est incerta, & populi amentis opinione sita, quæ exiguis regionibus continetur, & tempore breuissimo obscuratur, quæ nos deserit, & obruit interitu hominum, posteritatisque oblivione tandem extinguitur. Illud remanet, quod firmum rectè factis, & virtute consecuti. Quid fingi potest leuius, & commutabilius quam mundi gloria? cum mundus ipse eos qui antea laudibus amplissimis extulerat, sæpenu-mero deprimat, eorumque nomini antea celebrato perpetuæ infamiæ & dedecoris notam inurat, eos autem qui antea in obscuritate latebant, nulla laude celebrati, in oculis omnium constituantur, & ad cælum extollat, vt inde eos præcipitet, in eosque maiore perniciæ machinetur. Vt enim arenæ horologii fin-

Psal. 48.

Sapient. 9.

Similitudo.

gulis horis reuoluitur, sic mundus singulis horis mutatur: & vt superior pars horologii, quæ plena erat, euacuatur, eiusque arenam impletur ea pars, quæ inferius vacua iacebat, & statim inferior fit superior, & ea quæ altiorem locum occupabat, descendit deorsum, nec potest vna impleri, quin euacuetur altera, sic ij qui antea in honore & gloria erant constituti, opibus abundantes, atque oblectationibus affluentes, omnia amittunt, & in labem ignominiaque usque adeo incurrunt, vt nullum vestigium pristinae dignitatis aliquando appareat: eorum autem opes & gloriam illi consequuntur, qui antea in imo vacui iacebant.

Ad cuius fugietis auxilium?] Deo derelicto, & vobis ira-

M 3 to, quis

fo, quis vobis opem feret? Ostendit omnia humana præfidia & adiumenta sine Deo inania esse, & pro nihilo ducenda. Iam dixit hæc referri ad tempus captiuitatis, aut ad diem extremi iudicii.

Ve Assur virga furoris mei.] Volens Deus Israeliticum populum punire, vltus est ministerio Sennacheribi Assyriorum regis, qui Iraelem deleuit, & grauius afflixit. Sed postea ipsum Sennacheribum percussit Deus, sumens de illo iustas pœnas. Nam cum ipse post cladem illatam Samariæ voluisset occupare Hierosolymam, & suo exercitu viam ad tyrānidem munire, fuit iuxta Hierosolymam duriter afflictus, Cum ei angelus Domini nocte vna interfecisset centū octoginta quinque millia hominum, ipse turpiter fugit in regnū suum, vbi fuit à propriis filiis interfectus. Est igitur sensus: *Væ tibi ô Sennacheribe Assyriorum rex, qui futurus es virga furoris mei, tuo enim ministerio sum Iraeli stragem illaturus, sed postea dabis pœnas tuæ tyrannidis, & superbiæ.* Particula *hoi*, quæ est in hebræo, potest esse aduerbium vocandi, & tunc erit sensus: *Heus tu Sennacheribe, eris virga furoris mei, &c.* Discimus ex hoc loco, & aliis huiusmodi, debere nos æquo animo ferre tyrannorum iniurias, & afflictiones, existimareque nos in eas propter scelera nostra meritisimè incidisse: esseque tyrannos flagellum, quo nos Deus punit, & castigat. At ipsi tyranni ne glorientur, non enim iustitia, neque ratione, nec viribus, sed nostris sceleribus vincunt: nos enim illis arma porrigimus, quibus nobis inserunt immanem vastitatem. Sed vt pater filium flagellat virga, quam finitis flagellis proicit in ignem, sic Deus punit multos medio hominum impiorum, quibus vtitur tanquam virga, at postea eos igne & temporalium, & æternarum afflictionum comburit. Voluit hoc in loco propheta significare id quod est apud Ezechielem. *Mucro euagina te ad occidendum. Lima te, vt interficias, & fulgeas. Et statim paulo post: Reuertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ: iudicabo te, & effundam super te indignationē meam: in igne furoris mei sufflabo in te.*

Similitudo.

Ezech. 11.

Ad gentem fallacem mittam eum.] Id est ad Israēlitas. Dicebant enim, vt in capite decimonono Exodi scriptum legimus, *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Sed fidem fregerunt, & relicto Deo inanes ac falsos deos turpiter adorarunt.

Contra populum furoris mei] Id est, Cui sum iratus.

Quasi

Quasi lutum platearum.] Sic dicitur in Psalmo: Commi-
nuā eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum
delebo eos. Iniquos comparat cum luto, qui omnium pedi-
bus conculcatur.

Et cor eius non ita existimabit.] Sensus est: Ego ait Deus,
præcipiam ei, vt populum direptioni committat, sed nõ in-
terficiat: vulneret, sed non vitam auferat: ipse autem manda-
tum non considerabit, nec ita perpenderit, sed excedet: existi-
mabit enim se interfecturum esse gentes multas, attribuens
suis viribus victoriam: & dicet: Nonne quemadmodum expug-
nauit Charcamas, Calanõ, Arphad, Hemath, Damasci,
& Samariam, sic expugnabo Hierosolymam? Quemadmo-
dum cepi multas regiones, sic capiam cæteras alias. Vide ho-
minis arrogantiam & insolentiam. Vide quam sibi felicitatem
pollicebatur impius homo. At multo aliter illi accidit,
nam eius exercitum cædes teterrimas spirantem, & Iudæos
ad immanem vastitatem & luctuosum excidium vocantem,
occidit vna nocte diuinus quidam angelus. Non enim passus
est Deus ciuitatem suam sanctam diutius in tot calamitati-
bus iacere, & immanissimum tyrannum imperare. Aspice
quã fallax sit hominum spes, quæ non in Deo, sed in mun-
do est constituta. Duabus in rebus errabat rex Assur, crude-
litate, & arrogantia; nam potentia ad perniciem miserorum
abutebatur, seque insolenter efferebat. Sed felellit eum spes
eius, iuxta id quod dicitur in libro Iob: Ecce spes eius frustra
bitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur

Iob. 40.

Cum compleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion.]
Hoc est, post euerfionem Samarixæ, & obsidionem atque
afflictionem Hierosolymæ perdet Dominus Sennacheribum
Assyriorum regẽ, propter eius superbiam, & immanitatem.

*Dixi enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia
mea intellexi: & absuli terminos populorum, & principes eorum
deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes.
Et inuenit quasi nidum manus mea, fortitudinem populorum.
Et sicut colliguntur oua, quæ derelicta sum, sic vniuersam ter-
ram ego congregaui: & non fuit, qui moueret pennam, & ape-
raret os, & ganniret. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui
secat in ea? aut exaltabitur serra, contra eum à quo trahitur? Quomodo
si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui
vniuersum lignum est. Propter hoc mittet dominator dominus exerci-
tuum in pinguibus eius tenuitatem: & subtus gloria eius succensa
ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israël in igne, & sarr-*

Etus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna. Et gloria saltus eius, & Carmeli eius ab anima vsque ad carnem consumetur, & erit terrore profugus. Et reliquia ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.

Et inuenit quasi nidum. Verba sunt Sennacheribi Assyriorum regis. Quasi dicat: Ego manu mea apprehendi totum orbem quasi nidum passeruli, & omnes homines cepi, ac si essent oua relicta in nido à matre. Et quia translatione sumpsit ab auibus, eam seruat dicens: Et non fuit qui moueret pennam: Ac si diceret: Tantus fuit timor ac terror mee fortitudinis & potentie, vt nemo auderet mihi resistere, ne sterum quidem prodere.

Propter hoc mittet dominator dominus. Quoniam tam insolenter se extulit Sennacheribus, vt superbas minitationes arroganter iactaret, mittet Deus angelum suum, qui eius exercitui mirabiles inferat strages. Mittet in pinguibus eius tenuitatem, hoc est fortissimos eius vita priuabit: vt in illud exitium incurrant, quod aliis intentabant.

Et subius gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis. Magnum Sennacheribi exercitum appellat gloriam eius qui nocte vna, ac si igne flagraret, fuit in fanillam redactus. Ferunt Hebræi fuisse Assyriorum corpora intrus occulto ardore cõbusta remanentibus vestibus illeßis. Ideo dicitur, Et subius, id est, sub vestibus, gloria eius, id est, exercitus eius, ardebit.

Et erit lumen Israël in igne, & sanctus eius in flamma. Hoc est, Deus qui est lumen Israël, & sanctificator eius, qui Israelem illuminat, & sanctificat, erit tãquam ignis & flamma ad spinas & vepres, hoc est, ad Assyrios cõburẽdũ. Sunt qui per lumen Israël, angelũ qui Assyrios interfecit, intelligant. Comparat Propheta milites Assyrios spinis & vepribus quod soleant milites esse molestissimi. Vel sic & Hierosolyma, quæ est lumẽ Israël illustrabitur, & viri iusti laude celebrabuntur.

In die vna. Intellige diem naturale, qui noctem etiam complectitur. Fuit enim hæc Assyriorum clades nocte quadam illata. Habes hanc historiam lib. 4. Regum cap. 19.

Et gloria saltus eius. Hoc est, Duces & nobiles exercitus Assyriorum peribunt. Vel per saltum & Carmelum variis arboribus confitum intelligitur totus exercitus, quod esset ex omni hominum varietate congregatus.

Ab anima vsque ad carnem. Hoc ideò dicit, quia non solum eorum corpora occisa sunt, sed etiam eorum animæ ad cæ-

ad cęcas inferorū latebras & ęternas miserias detruse fuerunt.

Et erit in terrore profugus.] Hoc est, Sennacheribus perdit
to exercitu suo dabit se fugę timore perterritus : & de tam
innumerabili multitudine , quę saltui & Carmelo compa-
ratur, tam pauci euadent , & cum rege fugient , vt puer par-
uulus eos possit numerare . Tradunt Hebręi decem tantum
remanisse , qui cum Sennacheribo se in fugam coniecerunt.

Et erit in die illa : Non adiciet residuum Israēl, & hi qui su-
gerint de domo Iacob , innisi super eo , qui percussit eos sed imiteur Rom. 9.
super dominum sanctum Israēl, in veritate . Reliquię conuertentur, Infra 28.
reliquię, inquam , Iacob ad Deum fortem . Si enim fuerit populus
suis Israēl quasi arena maris , reliquię conuertentur ex eo: consum-
matio abbreviata inundabit iustitiam . Consummationem enim &
abbreviacionem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis ter-
rę . Propter hoc hæc dicit Dominus Deus exercituum : Noli timere
populus meus habitator Sion ab Assur : in virga enim percussit te,
& baculum suum leuabit super te in via Aegypti . Adhuc enim Iudic. 2.
paululum modicumque & consummabitur indignatio mea , & su-
ror meus super scelus eorum . Et suscitabit super eum Dominus ex-
ercituum flagellum , iuxta plagam Madian in petra Oreb , & vir-
gam suam super mare , & leuauit eam in via Aegypti . Et erit in
die illa : Auferetur onus eius de humero tuo , & iugum eius de collo
tuo , & computrescet ingū à facie olei . Veniet in Aiath , transibit in
Magrō , apud Machmas comedabit vasa sua . Transierūt cursum Ga-
baa sedes nostra . Obsupuit Rama , Gabaath Saulis fugit . Hinni voce
tua filia Gallim , attende Laifa , paupercula Anathoth . Migrauit Me-
demena : habitatores Gabin cōfortamini . Adhuc dies est , vt in Nobe
stetur : agitabit manū suā super montē silę Sion , & collem Ierusalē.
Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in ter-
rore , & excelsi statura succidentur , & sublimes humiliabuntur . Et
subuertentur condensa salus eius ferro : & Libanus cum excelsis
cadet .

Non adiciet residuum Israel.] Sensus est, Euerfis Assyriis,
qui Hierosolymę cum rege Ezechia habitauerint , non fidēt
hominibus , à quibus percussentur . Sed omnem suam spem
in Deo collocabunt . Hoc ideo vates sanctus dicit , quia tunc
regnante Achaz multi ex Iudęis fidebant Assyriis , ab eisq;
præsidium spectabant . Lege quartum librum Regum : ibi 4. Reg. 16.
hoc inuenies . Id autem quod hic dicitur : Et hi qui fugerint
de domo Iacob , intelligitur de nonnullis Israelitis , qui vasta
Samaría , ductisq; ab Assyriis decē tribubus , dederunt se
fugę,

fugæ, & non audentes ad Samariam reuerti, ad Ezechiâ regem Iudæ confugerunt. Et omnes tã ex duabus, quàm ex decem tribubus, quos Deus seruauit, relictis idolis, repudiatisq; vana superstitione. Deum verè coluerunt, qui impiorũ vitæ speique confregerat in eoq; spem omnẽ suam collocarunt.

Reliquiæ conuertentur.] Reliquias appellat Hebræos illos qui ex infinita multitudine euaserunt. Sed mente intuebatur Propheta fore, vt pauci ex Iudæis in Christum crederet. Erat enim illud vmbra quædam, & imago earum rerum quæ erant venturæ. Has reliquias appellauit Iemen. capite 1. D. Paulus in epistola ad Romanos volens ostendere non esse mirũ tam paucos Iudæos in Christũ credere, citat hũc locum. Et quemadmodum solũ illi qui Hierosolymæ habitabant, & ad eam confugerunt, consecuti sunt salutem & honorem, sic illi tantũ qui in ecclesia sunt, diuinas laudes in celeberrimo conuentu prædicantes, veram salutem & honorem adipiscuntur. Omnibus autem aliis seclusum est iter à concilio cælitum, & in æternos cruciatus relegantur.

Consummatio abbreviata inundabit iustitiam.] Hoc est, Ex compendiosa fidei prædicatione magna iustitiæ copia, quæ nomine inundationis intelligitur, proficietur. Compendium est enim nouum testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum. Ita hunc locum explanat Tertulianus aduersus Marcionem. Pro cunctis legis ceremoniis puritas euangelica successit. Vide quàm abbreviatus sit sermo euangelicus, Apud Matt. ait Christus: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mète tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autẽ simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Sunt qui ita hunc locum interpretentur. Consummatio abbreviata, hoc est illorum paucitas, qui ex Iudæis salutem consequentur inundabit iustitiam, hoc est, erit iustitia prædita. Quasi dicat: Solũ in Christianis inuenietur vera iustitia. Potest sic explanari, & rectè meo iudicio, vt sit sensus: Ideo pauci salui erunt quoniam consumptio Iudæorũ erit decisa & abbreviata in iustificatione. hoc est, quoniam consummet Deus, & perdet maiorem partem Israelis, & pauci iustificabuntur & hoc iusto iudicio. Ideo ne mireris esse tant paucos salutem consecuturos, nam consummationem & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ, hoc est, Nam statuit Dominus decurtare & breuẽ facere populum

Rom. 9.

Matt. 22.

populum Iudæorum illorum, qui salui futuri sunt, & omnes infideles perdere & hanc decurtationem faciet in medio terræ, hoc est in Iudæa, quæ est in medio terræ sita tibi enim conuertentur nonnulli, & euangelium recipient; ceteri verò qui in infidelitate, & contumacia permanserint à Romanis partim occidentur, partim capientur, & misera seruitute oppressi in varias mundi plagas relegabuntur.

Noli timere.] Sensus est: Quamquam tibi videtur difficile ô popule Iudæ esse te ab Assyriis liberandum, cum ipsi superauerint gentes innumerabiles, diuitiarum abundantia affluentes, nec sit vlla tanta vis, tanta copia, quæ illis resistere posse videatur, tu tamen noli timere, nam de manibus eorû sine dubio eriperis: neque te gladio, sed virga percutiet. Pergens rex Assyrius contra Taracham regem Aethiopiæ, & Aegyptios versus mare Rubrum per viâ Aegypti, baculum suum leuabit contra te, sed ferire non poterit. Et paulò post reuersus ab Aegypto cum innumerabili exercitu, atque expugnare te cupiens, statim mea indignatione punietur, & in eam perniciem incurret, quam tibi fuerat machinatus: feriam enim illum eo flagello, quod quondam aduersus Madianitas sub Gedeone suscitauit, quando Oreb & Zeb principes Madianitarû occisi sunt super petram. Leuabit igitur virgâ suam super mare Rubrû, pergens aduersus Aethiopes, & reuertens ad te per viam Aegypti. Sed cû primû venerit ab Aegypto, iuet suorum scelerû pœnas: auferetur onus ab humeris tuis, & iugum imperij eius à facie olei, hoc est, diuina misericordia computrescet. Habes hanc historiam Madianitarum libro Iudicum capite septimo. Id verò quod dicitur, Virgam suam super mare, & leuabit eam in via Aegypti: potest habere hunc sensum: Quemadmodum Deus olim aquis maris Rubri Aegyptios subuertit, & obruit eleuatione virgæ per Moysen, sic modò exercitum Sennacheribâ vnâ nocte percutiet eleuata virga, hoc est, acriter & duriter, solè enim qui asperè cedere & percutere volût, virgâ eleuare.

Veniet in Aiath.] Describit iter & pompam exercitus Sennacheribi. Veniens ex Aegypto, inquit, Hierosolymam petens primò conferet se in Aiath, inde in Magron. Et ob fiduciam eâ expugnandi reponet apud Machmas sarcinas suas, quasi statim euerfa vrbe reuersurus. Transibit cursim nullo obstaculo impeditus.

Gaba sedes nostra.] Verba sunt exercitus requiescētis in Gaba.

Obstupuit Rama.] Hoc est, Rama vrbs vicina terrebitur, & ciues

ciues Gabaath, quæ fuit Saulis quondam ciuitas, fugient. Tunc tu filia Gallim clama veluti equus hinniens, vt te audientes fugiant.

Agitabit manum suam.] Hoc est, ostendet Sennacheribus agitatione brachiæ suam fortitudinem, & audaciam, contemnens Hierosolymam, & admirans ciuitatem illam sibi ausam fuisse repugnare, eamq; concussu manu sua minabitur.

Confringet lagunculam.] Describit sanctus vates Sennacheribi, eiusque exercitus admirabile exitium. Et appellat ipsum Sennacheribum lagunculam siue hydriam fictilem. vide cui comparatur rex ille potentia ac fortitudine insignis, arrogantia ac incredibili superbia elatus, qui existimabat nullam esse tantam vim ac potentiam, quæ eum de florenti rerum suarum statu posset vnquam deicere. Quid fragilius hydria fictili? Et tamen cum ea comparatur rex ille, qui sibi perpetuam felicitatem pollicebatur. Salomon ille sapientia præstanti duodecimo capite eius libri qui inscribitur Ecclesiastes, hominum vitam cum hydria conferebat.

Excelsi statura occidentur] Hoc est, duces & magnates exercitus Assyriorum peribunt. Non enim permisit summus ille omnium rerum moderator & Dominus, impios ac arrogantibus homines diutius viuere. Extulit aliquando vltimè manum suam, vt eos sublimi gladio mirabiliter occideret.

Subuertentur conuersa salus eius ferro] Hoc est totus exercitus interficietur. Ideo exercitum cum saltu & sylua comparat, quia vt in sylua sunt varia arborum genera, quedam humiles & abiectæ, quedam verò proceritate præstantes, sic exercitus est ex omni hominum varietate collectus. Comparat præterea duces & viros nobiles cum excelsis arboribus Libani facile cadentibus.

Annotationes ex hebræo in CAPVT X.

Vbi derelinquetis gloriam vestram ne incuruemini sub vinculo & cum interfectis cadatis?] Pagninus vertit, Vbi derelinquetis gloriam vestram? Non euadet quispiam, nisi qui incuruauerit se inter vincos, & interfectos se prostrauerit. Ita hunc locum interpretati sunt nonnulli, vt refert in commentariis R. David. Poteris vertere. Vbi derelinquetis gloriam vestram? Quia non estis mei, corruetis inter vincos, & cum interfectis cadetis. Huic versioni fauet interpretatio R. Abraham. Ita

Ita enim hunc locum enarrat: Quia populus hic absque me non est populus meus, neque mihi obtemperat, propterea incuruabit se sub victo. Vbi vides eos gloria priuari, & in dedecus & ignominiam incurrere, qui ad id furoris & amentiae perducuntur, vt Deo contempto, impetu insatiabilium cupiditatum ad omne flagitiorum genus incitentur. Vera gloria est in maximarum virtutum laude constituta, & hæc nec naufragio amittitur, neque direptioni committitur, neque vlla temporum varietate mutatur. Illa verò quæ non oritur à virtute inanis est & fallax, dignitatis cupida, sed omni dignitate priuata: quæ quoniam non est gloria, sed gloria ficta imitatrix, facile ruit, & penitus euanescit.

Et Principes eorum deprædatus sum.] In hebraico est vaath idhothehem, verbum est athadh, quod significat parare, & preparare. Vnde potest verti ex hebraico: Et parata siue præparata ipsorum deprædatus sum. Et quoniam thesauri parantur, vertit Pagninus: Et thesauros eorum deprædatus sum. Hinc hirci maiores qui præcedunt capras, & viam præparant attudhim appellantur: Et per translationem principes & magnates qui populum præcedunt: quam significationem secutus est noster interpret. Vnde apud Zachariam capite decimo, vbi editio vulgata habet, super hircos visitabo, poterat Latine reddi ex Hebræo: super principes visitabo. Aspicis igitur principes ac præfules ob eam causam hircos appellari, quia præcedere debent, & viam subiectis aperire, esseque in principio, tanquam clypeos totum exercitum protegètes. Eam ob causam clypei vocantur. Et in psalmo quadragesimo sexto vbi editio vulgata habet: Quoniam domini fortes terræ vehementer eleuati sunt, potest rectissime verti ex hebræo: Quoniam Deo adhæserunt clypei terræ, vehementer eleuatus est. Quos in principio carminis principes populorum vocat, eos nunc clypeos terræ appellat, propterea quod eorum virtute ac tutela populi muniantur. Et apud Oseam cap. 4. vbi communis versio habet: Dilixerunt asferre ignominiam protectores eius, potest verti: clypei eius, pro quo Pagninus vertit: principes eius: est enim in hebraico maginnih: quod proprie significat scuta eius siue clypeos eius.

Baculum tuum leuabis super te in via Aegypti.] Pro in via in hebraico est bedheræc. Nomen, daræc, significat viam, morem, consuetudinem, & modum. Vnde poterat verti more Aegypti. Et in primo psalmo vbi in editione vulgata est: Et in via peccatorum non stetit; poterat verti: Et in consuetudine peccato-

peccatorum non stetit: Ac si diceret: Et turpem ac vitiosam viuendi rationem, improborumque consuetudinē, & mores, non est consecratus. Et Prouerborū cap. 28. vbi nostra versio habet: Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quā diues in prauis itineribus, poterat verti: quā diues prauus in viis suis, vel in moribus suis. Est igitur horū verborum Elaiæ sensus: Assyrius te percutiet more Aegypti, quemadmodū te percussit Aegyptus. At Dominus cum percutiet, quemadmodū percussit Aegyptios, qui te percusserāt.

Computrescet iugum à facie olei.] In hebræo est: computrescet iugum mippene xamen, quod potest verti: Propter pinguedinem: *Ve sit iensus:* Propter pinguedinem Ezechiae corrumpetur iugū Sennacheribi, vt captiatur pinguedo pro fortitudine, quemadmodū pinguis pro forti & robusto, vt hoc eodem capite: Mittet dominator dominus exercituum in pinguis eius tenuitatē. Sed hoc est sine dubio de Christo intelligendū: quod & Thargum aperit ostendit: ita enim habet: Et conterentur populi à facie Christi. Poterat igitur verti: *Cōputrescet iugū à facie vncti,* hoc est, Christi. Quod non solum de iugo quo Sennacheribus Iudæos oppresserat, intelligitur, sed etiam de iugo illo asperrimo, quo diabolus mundū subiugauerat. Et nunc qui mortifera labe fuerit contaminatus, & diaboli iugo oppressus, à facie Christi liberatur. Si enim Christus ad peccatorem faciem suam conuertat, eumque oculis diuinæ pietatis aspiciat, statim iugū dæmonis confringitur, & penitus computrescit. Transiens Iesus, vidensque hominem sedentem in telonio homine Matthæum, ait illi: Sequere me, qui surgens eum secutus est. Vide quid fecerit Christi visus, statim solutum est iugum diaboli, & Matthæus ab asperrima seruitute liberatus. Christū secutus est. Vt enim si in cera dura sint sigillo aliquo impressa alta mænia, vrbes, montes, terra & maria, omnia hæc soluuntur, & pereunt, si sol ceram aspiciat, & radiorū suorū feruore eam feriat, & liquefaciat: sic si animum illū, in quo velut in dura cera sint impressæ & sculptæ omnes mundi vanitates, opes, imperia, magistratus, sol ille iustitæ summus & æternus Christus Deus noster oculis suæ misericordiæ respiciat, statim omnia illa delentur, & animus radiis ac calore diuini amoris faucibus fluit, & rerum fastus ac vanitates illæ evanescent. Id considerās & intelligens illustratissimus vates dicebat in psalmo: Respice in me Domine, & miserere mei. Vnde dicitur Deus videre id quod diligit, quemadmodum

Matth. 9.

Simile.

Psal. 105.

modum in Leuitico. Respiciam vos, inquit, & crescere faci- *Leuit. 16.*
ciam. Et in psalmo: Aequitatem vidit vultus eius, quod po- *Psal. 10.*
test verti: Aequum siue rectum aspicit vultus eius, hoc est
iustitiæ colentem Deus placidis oculis intuerur. Contra ab
iis quos odit dicitur oculos auertere. Quod sentiens Dauid, *Psal. 26.*
Ne auertas, inquit faciem tuam à me. Hoc voluit significa- *Gene. 4.*
re scriptura in libro Genesis ita dicens: Respexit Dominus
ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera
illius non respexit.

Confringet lagunculam in terrore.] Pro laguncula in hebrai-
co est plurali, quæ dictio significat lagunculam, hydriam, ol-
lam, gloriam, pulchritudinem, ramum, quod ramus sit ar-
boris pulchritudo Hac ratione ductus Pagninus vertit pro
laguncula ramum.

Libanus cum excelsis cadet.] Potest verti: Libanus per for-
tem cadet: vt per fortem intelligat Dei angelum, qui exer-
cituum Assyriorum Libano comparatum mirabiliter oc-
cidit.

Argumentum Capitis XI.

Dixerat superiore capite diuinus vates reliquias Israël's cõ-
uertendas esse ad Christum, nunc vaticinatur fore, vt ipse
Christus nasceretur ex beatissima virgine, quæ esset ex fami-
lia Iesse, qui fuit pater Dauidis regis illustrissimi. Describit
regnum Mesiæ, & spirituales Israël's liberationem. Præ-
dicit gloriosum seruatoris nostri sepulchrum, esseque longè
lateque propagandam eius fidem atque gentes vocandas ad
pietatem, & puram religionem sanctitatis plenissimam am-
plectendam, quæ veritatis oblitæ falsisque opinionibus de-
prauatæ, vanam superstitionem pro vera religione, & res
creatas pro mundi creatore colebant. Intelligi totum hoc
caput de Mesiâ regni Israël's reparatore, etiam Iudæi ipsi
testantur. Sed illi hanc reparationem terrenam fore existi-
mant, nos vero spirituales fuisse verè ac constanter asseri-
mus. Illi Mesiâ sperant venturum, nos venisse, ho-
minibusque aditum ad cœlestia regna aperuisse non dubi-
tamus.

CAPVT

Act. 13.



2. The. 2.

Infra 65.

Supra 7.

Num. 27.

Cantic. 2.

Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet. Sed iudicabis ini-

stia pauperes, & arguet in equitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu laborum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.

EXPLANATIO.

Virga de radice Iesse.] Hæc virga est illa clarissima virgo Maria, de qua supra dixerat: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Huius gerebat imaginē admiranda illa Aaronis virga, quæ mirabiliter fronduit, floruit, & fructū tulit. Sed mirandum videtur cum hæc sanctissima virgo genus duxerit ab amplissimo rege Dauide, cur eā ortā esse dicat à Iesse, homine suo tempore non admodum celebrato. Ego existimo ob eā causam potius factā esse mentionem Iesse, quàm Davidis vt intelligeremus nō esse contemnenda ea, quæ mundus despicit, & pro nihilo putat, cum fieri possit, vt ex illis egregiū quippiam, & excellens oriatur, ex Iesse homine non admodū illustri ortus est Dauid, qui suis maioribus excellenti sua sapientia & sanctitate præluxit, fuitque posteris suis quasi quoddam nobilitatis initium, & virtutis exēplum. Ex pastore ouium, ex illo humili officio & abiecto in regiam dignitatem euectus, fuit summa ac illustrissima laude celebratus. Sed temporis progressu ex eius ampla & celebri familia natus est Ioseph sponsus virginis Mariæ, vir pauper, faber, & humilis, sine vlla pompa & apparatu. Considera obsecro, & animaduerte huius mundi vicissitudines & varietates.

Et flos de radice eius ascendet.] Hic flos, qui de radice Iesse per virgam illam omnibus virtutis ac sapientia opibus florentissimam ascēdit. Christus est filius Dei vnigenitus verus Mariæ virginis filius: qui flos est, vt ipse in Canticis testatur his verbis: Ego flos campi, & lilium conuallium. Diuus

Ambro-

Ambrosius in libro 2. de Spiritu sancto hunc locū enarrans, Radix inquit Iesse patriarchæ, familia est Iudeorum. Virga Maria: ô flos Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe virginali ex utero germinauit & Hæcenus ille. Sed non vacat mysterio, appellari Christum florem campi, non horti. Nam flos horti arte humana excolitur, campus verò ex semetipso, absque hominum industria producit flores. Campus hic nec sulcatus vomere, neque defossus farculo, nec manu hominis seminatus, virgo est gloriosa Maria, quæ diuina operante virtute Christum florem campi protulit mundo. Vocatur etiam flos campi non horti, quia vt in horto flos clauditur, nec omnibus exponitur, flos autem campi omnibus patet: sic Christus natus est, non vt vni homini tantum prodesset, sed vt omnibus ostenderet veram & constantem virtutis rationem, doceret que quibus ornamentis deberent homines decorare animū, quibusque gradibus possent ad beatitudinem ascendere, & tandem vt omnes ad sedes illas sempiternas, summi gaudiū plenissimas vocaret. Vult enim Deus, vt ait Apostolus in epistola 1. ad Timotheū 1. Tim. 2. omnes homines saluos fieri, & ad agnitiōē veritatis accedere. Potest alia ratio assignari, quare flos campi & non horti appellatur, quia vt flos in campo pedibus brutorum conculcatur & teritur: sic ipse à Iudæis bruta ipsa immanitate superantibus despectus est, & conculcatus, crucique grauissimis cruciatibus affixus. Qui hic appellatur flos, appellatur suprâ germen, capite quarto, & Ieremiæ capite trigesimo tertio.

Et requiescet super eum Spiritus Domini.] Super Christum inquit, qui de trunco Iesse per Mariam virginem confurget, requiescet Spiritus Domini. In ipso enim, vt ait Apostolus in epistola ad Colossenses, complacuit omnem plenitudinem Colos. 1. diuinitatis inhabitare. Requieuit igitur in filio Spiritus Domini, hoc est æterna habitatione permansit: non vt auolaret, & rursus ad eū descenderet, sed iuxta Ioannis Baptistæ testimonium iugiter permaneret, qui ait: Vidi Spiritum descendē tem quasi columbam de cælo, & mansit super eum, vt refert D. Ioannes cap. 1. Tu verò cōsidera ea, quæ Dei sunt, permānētia esse & stabilia, ea verò, quæ mūdi sunt, fluxa & incerta.

Spiritus Sapientiæ & intellectus.] Vnus est Spiritus sanctus, nec virtutū omnium fons atq; principium. Vnde absque eo nec sapiens quis esse potest, neq; intelligens, neq; consiliarius, neq; fortis, neq; eruditus, neq; pius, neq; plenus timoris

N
Dei,

Zach. 3.

Dei. Hic numerus septenarius in illo lapide significatur, de quo ait Zacharias: Super lapidē vnum septē oculi sunt. Hic lapis Christus est, super quem sunt septem charismata Spiritus sancti, quibus cœlestibus ac diuinis muneribus ille fuit cumulatus secundū excellentissimos vsus ipsorū, secundum quos habentur in patria. Quod autē dicitur de Spiritu timoris, intelligitur hic de timore casto, qui est reuerentiæ, de quo ait Apostolus in epistola ad Hebræos: Exauditus est pro sua reuerentia.

Hebr. 4.

Non secundum visionem oculorum iudicabit.] Hoc est, non iudicabit iuxta id, quod prima specie apparet, sed rem intra penetrabit, & mentis oculis intuebitur. In Psalmo octogesimo primo vbi propheta inducit Deum acriter reprehendentem iniquos populi sui iudices, sic eum loquentem facit: *Vsq̄ quō iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Quasi dicat: Cur d̄ iniqui iudices primam faciem solūm scelerum respicitis, ipsam autem scelerum substantiam non consideratis?* Quanquam potest esse sensus illius psalmi: *Cur improborum gratiā & fauorem aucupamini?* Sed quoniam hæc verba Esaiæ intelliguntur absq̄ dubio de Christo, possunt habere hunc sensum: Non illi opus erit rem oculis corporis aspicere quoniam Deus est, omnia intelligens, cui omnia sunt nuda & aperta.

Neque secundum auditum aurium arguet.] Aspicias hic non debere iudices statim vnus relatione aduersus alterum sententiā ferre, sed rē prius accuratē perpendere, & examinare.

Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in equitate pro manūneis terræ.] Hoc est, fauebit afflictis, inopibus, & calamitosi, propter quos iniquos homines obiurgabit. Non enim patietur pios viros impiorum hominum calumniis vexari, & torqueri. Simile est huic testimonio id, quod de Christo dicitur in psalmo: *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Intelligi autem locum illum de Christo, indicat id, quod sequitur: *Et permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem.* Ac si diceret: *Hic rex, de quo loquor, æternus est, & quādiu sol & luna luce sua mundum lustrauerint, permanebit. Et paulō post. Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor. Per potentem quem calumniatorem vocat, non solūm impius homo, sed etiam diabolus intelligitur, a quo nos Christus vindex nostræ libertatis eripuit. Hæc considerent principes & iudices, qui Christum*

Psal. 21.

stum imitari cupiunt. Qui calumniatoribus fauēt, Christū non imitatur. Qui amore aut odio, aut quauis animi passione iudicant, veri iudicis sectatores non sunt.

Percutiet terram virga oris sui.] Hoc est, iniquos reprehendet & puniet. Per terram homines terræ deditos intelligit, qui cœlestia non intuentur, sed ea, quæ sunt terræ, opes, honores & voluptates, ardentè appetunt, & quærunt. Vide peccati miseriam & infelicitatem. Efficit vt homo cælum, ad quod fuit creatus, non aspiciat: sed solum terram à brutis etiam possessam intueatur. Nam cum omnia alia animantia natura prona ad pastum finxisset, solum hominem erexit, & ad cœli quasi suæ patriæ & domicilij conspectum excitauit. Ad peccatum hominem deprimat: quo fit vt non homo, sed terra infimum elementum appelletur.

Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.] Faciet suo verbo Dominus, vt impius non iam impius nominetur & sit. Hoc est Christus conuertet ad se impios. In psalmo nono scriptum legimus: Incepisti gentes, & perit impius, nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.

Quasi dicat: Tu Domine tuorum Apostolorum concionibus obiurgabis gentes, earumque intemperantiã, & in omnium vitiorum genere insatiabilem cupiditatem increpabis: & impius quo ad impietatem peribit: non enim patieris homines in tot tenebris diutius versari: & nomen idololatrarum delebis vt non iam infideles, sed fideles nominentur. Considera periphrasim verbi Dei, spiritus labiorum suorum dicitur: Verbum Dei est validus ille & acutus gladius, quo superbū Goliath caput amputatur, hoc est, quo diabolus vincitur, quo impietas interficitur, & peccator ad Christum conuertitur. Diuo Petro, vt est apud Diuum Lucam in Actis Apostolorum, ostensum fuit vas quoddam velut linteum magnū quatuor initiis subnixum, de cœlo in terram descendens, in quo erant omnia quadrupedia, & serpētia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Quid per hanc serpentium, & animalium varietatem, nisi hominum diuersitas significatur? In vno enim linteo, in vna ecclesia, quatuor initiis, hoc est, quatuor euangelij subnixa, nobiles & obscuri, diuites & pauperes continentur. Dixit igitur Dominus Petro, Occide, & manduca, hoc est, interfice eorū peccata, aufer eorū sanguinem, vt iam desinant se esse impij, eosque manduca, hoc est, tibi iunge, eos tibi incorporando. Vbi vides interfici impiū verbo Dei,

M 2 relinquere

Act. 10.

relinquere impietatem suam, & ad Dominum conuerti.

Habitabit lupus cum agno.] Gentium uocatio per Christum ex Iesse ortum facia infinuatur, qui variis moribus homines fecit in vna eadēq; ecclesia habitare. His propè verbis enarrat D. Gregorius hūc locum in homilia sextadecima in Ezechielem, & rectè quidem. Nam Christi doctrina, & Apostolorum prædicatione, reges & priuati, diuites & pauperes, Iudæi & gentiles, in vno ouili ecclesiæ congregati sunt. Et qui antea tyrāni erāt infideles, superbi, & elati, recepto euangelio in ecclesia cū humilibus & pauperibus cōmorantur. Et hoc est, lupos cum agnis, & leones cum ouibus habitare. Id fuit figuratum in illa animalium varietate, quæ fuit D. Petro in linteo ostensa, de qua paulò antè tractabam. quod multo antè fuerat adumbratum in animalium multitudine, quæ fuerunt in Noe arca congregata, fuit enim arca illa ecclesiæ imago, & figura apertissima. Non igitur loquitur propheta de lupis & agnis, sed de his, qui per lupos & agnos intelliguntur. Mitto vos, inquit Christus, sicut agnos inter lupos,

Et puer paruulus minabit eos.] Sensus est, Mutabunt homines feritatem, & immanitatem in temperantiam, & mansuetudinem: & pueris, hoc est, Apostolis, præsulibus, cæterisque viris Apostolicis propter Deum obtemperabunt. Hæc sunt opera & fructus euangelij. Quid mirabilius excogitari potest, quàm totum mundum hominibus rudibus parere, eosque simplices, puerisque similes Christi nomen per omnes mundi regiones celebrare, & diaboli tyrannidem euertere?

Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. *Et delebitur infans ab habere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris orientis. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur: & erit sepulchrum eius gloriosum. Et erit in die illa: Adiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui quod relinquetur ab Assyriis, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Semaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.

Leo quasi bos comedet paleas.] Prosequitur opera euangelij, vaticinans fore, vt tyranni immanitate seuientes mores mansuetorum bouum induerent. Potest hoc de cibus intelli-

ROM. 15.

gi: Ac

gī : Ac si diceret : Tam principes & nobiles, quam obscuri & plebei cibos viles manducabunt. Quod hodie in religionibus approbatis impletum videmus.

Delectabitur infans ab habere super foramina aspidis.] Hoc est, homines simplices similes infantibus familiariter viuēt cum iis, qui antea cum aspidibus & regulis venenatis animalibus comparabantur: nec ab illis leduntur. Satis perspectum est homines in diuinis literis animalibus rationis expertibus comparari.

Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo.] Hoc est, Qui ante pestiferis animalibus similes erant, recepta fide non nocebunt habitantibus in monte sancto, hoc est, in ecclesia catholica: quia plena erit scientia Domini, perinde vt aquę maris omnia regunt. Per extensionem maris suam perficiam voluit propheta significare magnam euangelij propagationem, & Christi doctrinam, eiusque nominis cognitionem, quę omnes gentium oras peragrauit.

Ecce erit in die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum, &c. Sensus est. Eueniet in tempore illo, vt gentes quę rant Mesiam, qui egredietur de radice Iesse. Qui stabit vt vexillum, ad quod populi congregabuntur, & sub quo Christiani pugnabunt, vt de dæmone mundo & carne, victoriam reportent. Ad hunc Mesiam conuolabunt gentes, ad eum preces fundent, & vora facient, vana idolorum superstitione repudiata. Aspicias quã aperte prædicta fuerit gentium ad fidem Christi, veramque religionem veritatis ac pietatis plenissimam vocatio. Intelligi ita hunc locum aperi. D. Paulus in epistola ad Romanos, Et animaduerte. Non dicit: videbitur aut apparebit: sed Erit: vt ostendat Christum non phantastica imaginatione apparuisse, sed veram carnem realiter assumpsisse à Iesse vero homine propagatam. Est enim Christus verus Deus & verus homo.

Erit sepulchrum eius gloriosum.] Vaticinatus est Propheta de Christi admirabili natiuitate, & multis in medium interiectis mysteriis, nunc de eius sepulchro vaticinatur Lege ca. 19. Euangelij Diui Iohannis, & inuenies sepultum fuisse Christum à viris inuistris Iosepho ab Arimathæa, & Nicodemo afferente mixturam myrrhę & aloes quasi libras centum. Qui acceperunt corpus Iesu, & ligatum linteis cum aromatibus in nouo monumento honorificè sepelierunt. Voluit Christus gloriosam habere sepulturam, vt intelligeremus à morte incipere iustorum gloriam, vbi superborum & poten-

tium gloria finitur. In sepulchro extinguitur & euanescit potentia, in qua vani homines studio inanis laudis concitati gloriam constituunt, qui hominū cæcam, & falsam opinionem splendori virtutis anteponunt: & in sepulchro incipit piorum gloria, qui iustitiam & pietatem colentes ab hominibus improbis pro nihilo putabantur. Est enim legitime certantibus reposita in cælo corona victoriæ & præmium illud amplissimum, quod nulla potest explicari oratione: de quo dicebat Diuus Paulus in epistola 2. ad Timotheum: Bonum certamen certavi, cursum cōsummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Potest hic locus Esaiæ sic explanari. Omnes sepulchrum Christi venerabūtur. Quod etiam nunc impletum cognoscimus. Cum enim sepulchrum Christi sit in medio hostium sui nominis sitū, ab ipsīs Turcis excolitur; & gentes illę immanitate barbaræ, superbæ, & truculentæ ad illud supplices ac venerantes accedunt: ibique cænobium Christianorum esse permittunt, vbi viri religiosi diuina officia celebrantes, debitasq; laudes Deo die ac nocte persoluentes, inter Christi hostes gloriam nominis Christiani amplificant. Potest præterea sumi sepulchrum pro ipsa morte Christi que fuit absq; dubio gloriosa. De qua dicebat idem Christus apud Ioannem. Pater venit hora, clarifica filium tuū: Et paulo post: Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciā: & nunc clarifica me tu pater apud semetipsum claritate quam habui, priusquam mundus fieret apud te.

e. Tim. 4.

Ioan. 17.

Adiiciet Dominus secundo manum suam.] Sensus est, Primo conuertet Christus ad se nonnullos sua doctrina: secundo per Apostolos suos adiiciet manum suam, vtetur potentia sua ad conuertendas eas reliquias Iudæorum, quæ a dæmonis potestate ereptæ salutem consequentur. Non inquit omnes Iudæos esse seruandos, sed eorum reliquias. Qui enim ex illis crediderunt, comparatione infidelium merito reliquiæ appellantur: qua de re alibi locuti sumus. Locutus est propheta paulo ante degentium vocatione, nunc vaucinatur vocandas esse Iudæorum reliquias, quæ captiua detinebantur ab Assyriis, Aegyptiis, cæterisque nationibus. Et quāuis hoc ad literam possit intelligi de Hebræis, quos Deus post captiuitatem Babylonicam reduxit à Iudæā, per eos tamen intuebatur propheta eos qui diuino præsidio adiuti, erāt de captiuitate peccati ad cœlestē libertatem reducendi.

Petros,] Sonat petram, per quam Arabia Petræa intelligitur.

ligitur. Alij dicunt esse, Parthiã. Per Aelã Sennaar, Hemath, intelligunt Medos, Sogdianos, Baſtrianos, Babylonios, Chaldæos, Antiochiam, Ciliciam, Tauros, Armeniam Per insulas maris intelligunt Græciam & occidentalem mundi plagam. Forſaſſe ex omnibus his regionibus venerit nõnulli cum Nabuchodonofor ad Hieroſolymam euerſenda & in omnes has oras ducti fuerunt nõnulli Iudæi captiui: quanquã maxima eorũ pars fuerit in Chaldæã adducta. Poſtea verò iuſſu Cyri fuerunt Iudæi ex omnibus iis regionibus liberi demifſi, & Hieroſolymã reducti. Ideo ſequitur: Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael & diſperſos Iudæ colliget à quatuor plagis terræ. Ac ſi diceret: per Cyrum eriget Deus vexillum, conſtituet edictum, vt dimittãtur Iudæi: quo audito congregabũtur, & Hieroſolymam reducentur. Sed hoc vexillum eſt crux Chriſti, cui adherentes qui diſperſi erant, in vna fide & eccleſia congregantur. Aſpicis hic officium Dei ecce congregare, quemadmodum demonis officium eſt diſpergere & diuidere. Vnde regius vates canebat: Dicant qui redempti ſunt à domino, quos redemit de manu inimici & de regionibus congregauit eos. Et in alio pſalmo. Diſperſiones Iſraelis congregabit. Et Eſaias: Et in brachio ſuo, inquit congregabit eos. Et in alio pſalmo, Congrega nos de nationibus, vt conſiteamur nomini tuo. Et apud Ezechielem Deus, Tollam, inquit, vos de gentibus. Et apud Matthæum: Quoties volui congregare vos, quẽadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis & noluiſtis. Et D. Ioannes: Vt congregaret, inquit, in vnũ filios Dei: qui erant diſperſi. Congregat autem Chriſtus in vna eccleſia in vno corpore ſpiritali, in vna fide eos, qui & variis regionibus, & variis ritibus, & cultibus, diſperſi erãt. Ita enim ait Paulus: Vnum corpus, vnus ſpiritus, vna fides. Vnde iuſti viri quãuis inter ſe longiſſimo locorũ interuallo diſtent, ſemper tamen ſunt in Domino congregati. Cum Hebræi eſſent quondam in Aegypto Pharaoni ſeruientes voluit Deus eos cõgregare, & ad terrã promiſſionis adducere. Quod audiens Pharaõ exarſit, & grauiter tulit, præcepitque præfectis operum, ne darent paleas Hebræis vt antea ad cõficiendos lateres. Volebat vt Hebræi diſpergerentur ad colligendas paleas, & tamẽ eandem facerẽt laterum menſurã, quã faciebant quo tempore illis paleæ dabantur. Et diſperſus eſt populus, vt ait ſcriptura, in omnẽ terram Aegypti ad paleas colligendas. Quo tempore Deus eos volebat cõgregare, eos tunc Pharaõ

N * diſpergere

Pſal. 10.

Pſal. 146.

Pſal. 105.

Ezec. 36.

Mat. 23.

Ioan. 11.

Eph. 4.

Exod. 5.

Figura.

dispergere faciebat. Quando nos Deus vult vnire, tūc diabolus nos diuidere conatur. Et vide quorsum nos diuidat, nimirū ad colligendas paleas. Quid sunt res mundi, opes, & dignitates, nisi paleæ? Dat diabolus operam vt dispergamur ad paleas quærendas, ad opera lutea & lateritia conficienda. Talia sunt peccatorū & diffidia, ex paleis, terra, & lateribus constituta. Cū autem officiū Dei sit cōgregare, diaboli verò dispergere, illi Deū hac in re imitantur, qui inimicos inter se odio dissidentes reconciliant, & congregant, cōtra verò, illi diabolus sequuntur, qui inter fratres discordiā seminant. Non est enim ne exiguum quidē dissidiū excitandū. Vt enim ex parua nubecula magna aliquando oritur procella, sic minima discordia grauissimæ aliquādo rerum perturbationes, & turbulētissimæ tēpestates concitantur: quemadmodū ex parua scintilla oritur aliquando ingens incendium quo ampla ædificia flagrant, & penitus cōsumuntur.

Simile.

Simile.

Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt. Ephraim non amulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis: Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Ammō obedientes erunt. Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui: & percutiet eum in septem riuus, ita vt transeat per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israeli in die illa qua ascendit de terra Ægypti.

Exod. 14.

Auferetur, &c.] Quo tempore Esaias hæc mandauit literis, hostili odio inter se Iudas & Ephraim dissidebant. Sed sensus est: Tempore euangelicæ & spiritalis pacis illi, qui antea erant diuisi, & odio ac inuidia separati, in vna ecclesia congregabuntur: quemadmodum Hebræi congregati sunt Hierosolymæ tempore Cyri, vbi nulla erat altercatio inter Iudam & Israellem.

Volabunt in humeros Philistiim per mare.] Qui congregati fuerint ex Iuda & Ephraim, hoc est Apostoli, & viri apostolici in Christum credentes, in vna ecclesia congregati, volabunt in humeros Palestiiorum præ desiderio prædicandi euangelii. Primū annuntiabūt Christū Palestinis maritimis, deinde veloci cursu pergent ad reliquas nationes ad Syriam, Idumæā, Moabitidem, & Amonitidem, ad prædicandā Christi fidem, eiusque nomen celebrandum. Et doctrina sua prædabūtur filios Orientis, hoc est, homines orientales à dæmonis potestate eripient. Quidam per orientem intelligunt Syriam.

riam. Tu verò aduerte. Non dicit, ibunt, sed volabunt, sic infra ait noster propheta capite 60. Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Debent enim concionatores esse à terra eleuati, & ab amore humanarum rerum adstracti, & suspensi.

Idumæa & Moab præceptum manus eorum.] Hoc est, in Idumæam & Moab extendent manus suas. Vel sic: Idumæa & Moab eorum præcepta recipient. Vel ideo dicit, Præceptum manus eorum, quia Apostoli & voce & manibus præcepta dabant, hoc est, ore & opere, verbo & exemplo: per manus intelliguntur opera. verba enim sine operibus, vt ait Nazianzenus, somnia quidem sunt.

Desolabit Dominus linguam maris Aegypti.] Sensus est: Veniet tempus, quo Dominus eueret Aegyptum, vt Iudæi, qui ibi detenti fuerint, possint liberè redire Hierosolymâ. Per linguam maris Aegypti intelligit Nilum, què ita Deus diuisit, vt possent Iudæi transire. Ira nonnulli cortici literæ adherentes hunc locum interpretantur. Existimo per linguam maris Aegypti intelligi scientiam doctrinæ secularis, quæ ob peccatorum tenebras in variis ac intolerabilibus erroribus versabatur. Ita hunc locum explanat D. Gregorius lib. 33. moralium. Est igitur sensus. Cum Idumæa, & Moab & Ammon tradiderint manus suas Apostolis, atque euangelicæ prædicationi obedierint, eueretur inanis illa ac falsa philosophia, quæ deorum multitudinem colebat, & summum bonum in rebus creatis cõtempso creatore collocabat. Eueretur impiorum lingua, qui similes mari Aegypti incerta, amarulenta, instabilia, superstitiosa, & sacrilega verba loquebantur. Potest hic locus habere hunc sensum. Quemadmodum in exitu Hebræorum de Aegypto ad terram promissionis diuisum fuit mare, vt Hebræi possent liberè transire, sic Deus in exitu eorum qui mundum relinquunt, & ab spiritali Pharaone, hoc est à dæmonis potestate eripiuntur, vt ad veram illam ac sempiternam Terram promissionis perdeferunt, hoc est per varios casus, rerumque pericula, & afflictionum ac laborum genera tendunt, diuidet spiritualiter huius mundi mare, hoc est ea auferet impedimenta quæ eos possunt à beatitudinis ingressu remouere, & abstrahere. Aperiet illis viam, ducet eos ad cœlestem patriam, ita vt nihil sit, quod possit eis viam impedire. si ipsi Deum sequentes ea ambulare voluerint. Potest ita etiam explanari: Christi Apostoli prædicabant euangelium in toto terrarum orbe, & ne ipsum quidem mare poterit euangelicam prædicationem impedire,

Psal. 18.

Rom. 20.

Iosue. 3.

Apoc. 7.

Num. 12.
Iosue. 12.

pedire, nec Apostolis obistere, quin peneirent vniuersas mundi regiones, iuxta id quod dicitur in psalmo: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quæ verba diuus Paulus ad Romanos scribens, ad Apostolorum prædicationem refert.

Et leuabit manum suam super flumen.] Eadem est sententia cum præcedenti. Quasi dicat. Discurret euangelicus sermo & ad populos vltimos perueniet: neque erit vllus fluuius qui hoc possit impedire. Id fuerat figuratum in Iordane, vbi ad transitum arcæ testamenti diuisus est mirabiliter fluuius, vt in libro Iosue est memoriæ proditum. Significauit illud, nullas mundi afflictiones posse euangelij prædicationi obistere, neque transitum electorum ad cœlestem patriam impedire. Imò ipsæ aquæ, hoc est ipsæ calamitates præbent iter ad veram promissionis beatitudinem. Quamuis enim videamus viros omnibus sapientiæ opibus abundantes, & in omni virtutum genere præcellentes, expulsos patria vitam inopem & abiectam degere, & in maximis calamitatum angustiis & periculis versari: non tamen existimare debemus, esse illis seclusum iter ad conciliū cœlitum: imò ipsa calamitas est apertissima via ad cœlestem gloriam. Id volens diuus Ioannes in Apocalypsi significare, inādauit monimentis voces illas semper cogitandas, & memoria repetendas. Isti sunt, qui uenerunt de tribulatione magna. Quibus vnus ex senioribus significauit, afflictionem magnā, viam esse ad splendidissimas ilias & æternas sedes mentium beatarum. Per hunc fluuium existimo intelligi Iordanem, vt alludat ad pristina maris Rubri & Iordanis miracula. Scio tamen esse nonnullos, qui per hunc fluuium intelligunt Euphratem, alios autem Nilum,

Annotationes ex hebræo in CAPVT XI.

Egredietur virga de radice Iesse.] Pro radice est in hebraico, gezaa, quæ dictio significat radicem, truncum, & semen. Ideo vertit Pagninus. De semine Isai. Thargum habet. Egredietur rex de filiis Isai, & Christus de filiis filiorum eius creset. Tam per virgam quàm per florem Christum intelligit. Huic interpretationi fauet Ieremias primo capite, vbi Deum virgam vigilantem appellat. Huius imaginem gerebat virga illa Moyfi in serpentem versa. Hic est serpens ille in deserto suspensus, ad quem Hebræi sauci respiciebant, vt sanitatem recuperare

recuperarent. Aegyptij volentes Deum significare, pingebat virgam rectam, siue sceptrum cum oculo in summitate, inuoluentem Deum esse iustum & rectum atque omnia videntem. Ergo hic per virgam Christus intelligitur.

Non secundum visionem oculorum iudicabit.] Septuaginta habent: Non secundum gloriam iudicabit. Hoc est, non arroganter & superbe, sed mansuete & humiliter.

Erit sepulchrum eius gloriosum.] In hebraico est: Erit menu chatho gloriosum. Significat hoc nomen requiem: & derivatur à verbo nuuha, quod significat quiescere, vt in eodem capite: Et requiescet super eum spiritus domini. Hac ratio: ne ductus vertit Pagninus: Erit requies eius in gloria. Septuaginta transferunt: Erit requies eius honor. Et quoniam in morte incipit requies iustorum, sumitur pro morte & pro sepulchro: quam significationem secutus est noster interpres. Potest hic locus ita explanari: Requies Christi, hoc est regnum eius quietum & tranquillum erit gloriosum.

Idumæa & Moab præceptum manus eorum.] Pagninus conuertit: Edon & Moab missio manus eorum. Pro præcepto vertit missionem. Nomen hebraicum est mischeloch à verbo xalach, quod significat mittere, dimittere, extendere, præcipere. Est igitur sensus: Apostoli mittent vel extendent manus suas ad Moabitas & Idumæos, illis verbum Dei annuntiantes: Potest verti: Edom & Moab manus suas illis submittent. Quasi dicat: Idumæi & Moabitæ Apostolis parebunt.

Desolabit Dominus linguam maris Aegypti.] Pro lingua in hebraico est lexon: quod nomen significat linguam, vt in psalmo. Libera me Domine à labiis iniquis, & à lingua dolosa: significat etiam petram, aut saxum instar linguæ. Significat præterea limitatem lapidem, quem appellant, terminum agros diuidentem. Vnde c. 15. Iosue, vbi nostra versio habet, Initium eius à summitate maris salisissimi, & à lingua eius, quæ respicit meridiem: capitur ibi lingua pro termino, siue petra limitari, siue pro rupe, aut promontorio. Chaldaeus Paraphrastes vertit promontorium. Et quoniam rupem & scopulum significat, vertit hic Pagninus: Excidit Dominus scopulum maris Aegypti. Ac si diceret: Abstulit omnino impedimentum, vt possent mare transire. Significat etiam virgam siue laminam. Vnde cap. 7. Iosue, vbi editio vulgata habet, Acham versus, passè de anathemate Iericho regulam auream, poterat verti, laminam auream, vel virgam auream. Quidam vertunt linguam auream: & ita legit Origenes. Iericho significat lu-

nam, per quam mundus intelligitur, qui instabilis est, & mutabilis vt luna, modò plena, modò vacua. Ille capit linguam Iericho, qui adhæret falsæ doctrinæ, quæ quamuis sit aurea, quamuis sit omnibus oratoris ornamentis munita, tamen si falsa est, relinquenda est. Ita illum locum explanat Origines homilia 7. Quæ alia est lingua aurea Iericho, nisi Lutheri doctrina? quam si acceperis, & in tabernaculo tuo, hoc est in animo tuo posueris, peribis in æternum, nec poteris veram terram promissionis vnquam ingredi. Iubet enim Iosue verus ille seruator noster, anathemæ esse omne aurum, quod in Iericho fuerit inuentum. Et quemadmodum apud Iosue significatur hæreticorum dogma per linguam Iericho, ita hoc in loco Esaia per linguam maris Aegypti. Prædixit ergo Esaia fore, vt omnes hæreses ruerent, & tandem deleerentur, veritas autem staret, & fixa ac stabilis in ecclesia catholica permaneret, quæ est, Apostolo teste, columna & firmamentum veritatis. Multos annos durauit Arrii hæresis, Manichæi, Pelagii, cæterorumque hæreticorum: at euauerunt eorum dogmata, fueruntque ab ecclesia damnata & penitus extincta: quemadmodum erunt ea quæ Lutherus, Bucerus, Caluinus, cæterique nostri temporis hæretici impiè confluauerunt & excitarunt.

2. Tim. 3.

Argumentum Capitis XII.

Solebant Hebræi cum insigne aliquod bonum essent consecuti, erumpere in canticum laudis & gratulationis, illudque mandare monimentis, quemadmodum eos fecisse in exitu de Aegypto, quando mare Rubrum mirabiliter transierunt diuinæ literæ in libro Exodi testantur. Et quoniam diuinus vates superiore capite prædixerat liberationem Iudæorum à captiuitate Babylonica, quæ erat imago quædam & umbra liberationis à peccato per Christum, qui voluit suo sanguine luere nostra crimina, inducit hoc capite ciuitatem Dei gaudio exultantem, Deoque gratias agentem. Sed quæ hic continentur, non tam Hierosolymæ, quam ecclesiæ catholice, cuius Hierosolyma imaginem gerit, conueniunt.

Exod. 15.

CAPVT

CAPVT XII.



T dices in die illa : Confitebor tibi Domine,
 quoniam iratus es mihi: Conuersus est furor
 tuus, & cōsolatus es me. Ecce Deus saluator
 meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia
 fortitudo mea, & laus mea Dominus, & sa-
 lus est mihi in salutem. Haurietis aquas in
 gaudio de fontibus saluatoris. Et dicetis in die
 illa: Confitemini domino, & inuocate nomen

Exod. 15.

Psal. 70.

101.

eius, notas facite in populis adinventiones eius. Memento te quoniam
 excelsum nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, an-
 nuntiate hoc in vniuersa terra. Exultate & lauda habitatio Sion, quia
 magnus in medio tui sanctus Israël.

EXPLANATIO.

Et dicit in die illa.] Nimirum tempore gratiæ: Verba sunt
 prophetæ. Ea autem quæ sequuntur, sunt ecclesiæ, quam ip-
 se ita facit loquentem. Gratias tibi ago Domine, quoniam
 cum meritò me affligeres, mutato vultu me consolatus es.
 Misisti enim filium tuum, vt suo sanguine pro me fuso, mea
 peccata deleteret. Merebar iram, sed sum misericordiam con-
 secuta. Et quoniam Deus seruator meus est, in eo, non autem
 in idolis, spem meam collocabo. Aduerte Non solum gratias
 agit pro liberatione, sed etiam pro calamitate. Vnde ait Iob. *Iob. 5.*
 Beatus homo qui corripitur à Domino. Et Apostolus: Libè- *2. Cor. 12.*
 ter gloriabor in infirmitatibus meis. Et in psalmo dicitur:
 Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis qui- *Psal. 39.*
 bus vidimus mala. Et meritò quidem, nam nihil est ad ve-
 ram laudem illustrius, quàm calamitas ipsa.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus aquarum.] Verba
 sunt ecclesiæ suos alloquentis. Possunt tamen esse ipsius pro-
 phetæ omnes exhortantis, vt tempore Messis haurirent gra-
 tiam de fontibus ipsius. Hæc est aqua illa de qua ipse dice-
 bat Samaritanæ, vt est apud diuum Ioannem: Qui biberit
 ex aqua, quæ ego dabo ei, non sitiet in æternū. Sed aqua quæ
 ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
 Et eodem capite eam aquam viam appellat. Appellatur gratia
 aqua, primo quia abluit & purificat, iuxta id quod est apud
 Ezechiel: Effundam super vos aquam mundam, & munda- *Ezec. 36.*
 bimini. Secundo quia germinare facit. Vnde, vir iustus ligno *Psal. 1.*
 iuxta aquas plantato tempestiuorum fructuum copia exor-
 nato, à propheta regio comparatur. Tertiò quia filium fatis-

rum

- Ioan. 4.* rum voluptatum extinguet, iuxta illud: Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Quartò quia ignem concupiscentiæ restinguit, quæ, vt est apud Ecclesiasticum, quasi ignis exardescit. Dicitur autem aqua viua, quia hominem viuificat. Hæc est aqua quam Christus dat. Hic est fons ille paradisi in quatuor capita diuisus, ex eo enim habemus aquam puritatis, aquam sapientiæ, aquam gratiæ, aquam gloriæ. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in psalmo: Fluminus impetus lætificat ciuitatem Dei. Impetus huius fluminis est influxus donorum cœlestium. Hæ sunt aquæ, quæ, vt dicitur in Canticis, impetu currunt de Libano. Ex illis hauserunt Apostoli veram erga Deum & homines dilectionem, martyres constantiam, virgines castitatem, & omnes denique viri sancti admirabilem mundi cõtemptionem. Qui biberit ex hac aqua, non ardentem cupiet huius mundi potentiam, non gloriam, non honores, non principatus, sed dicet cum Paulo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et licet modò sitiatur ad patriam aspirando, non tamen sitiet in æternum: satiabitur enim, vt dicitur in psalmo, cum apparuerit gloria Dei. Cum enim è vinculis corporis liberatus in splendidissimam illam ac sempiternam patriam euolauerit, incredibili gaudio cumulatus erit. Hanc aquam nobis apud diuum Ioannem promittit iis verbis Deus noster: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Vnde colliges dari gratiã venientibus ad Christum, & seipsos disponentibus: facienti enim quod in se est, Deus non denegat gratiam. Et Esaias, Omnes inquit, sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Et D. Ioannes in Apocalypsi: Qui sitit, inquit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Vbi aspicias gratiam gratis ac liberaliter dari. At nos hanc salutare aquam, qua nobis Christus inuitat, & quam nobis gratis daturũ se esse promittit, contemnimus, & omni studio ac labore ad mudi cisternas recurrimus. Aquam pestiferam letalemque labore emptam quærimus, ad eamq; inflammati auiditate traducimur: fontem autẽ illum gratiæ & vitæ, summũ & æternum, gratis oblatum, derelinquimus & contemnimus. De mundi aqua scriptum legitur in Ieremiæ Lamentis: Aquam nostram pecunia bibimus, hoc est, labore emimus. Aquam turbidam & pestilentem, pecunia emptam concupiscimus, fontem verò vitæ pro nihilo putamus. Hanc nostram calamitatem & amentiam sentiebat pius ille ac sanctus vates Ieremias secundo capite suarum

suarum visionum ita dicens : Quid vis in via Aegypti, vt bi-
 bas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt
 bibas aquam fluminis? Vide quia malum & amarum est, de-
 reliquisse te dominum Deum tuum. Et in eodem capite con-
 queritur Deus nostram amentiam & ingratitude in iis ver-
 bis : Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt tibi
 cisternas, cisternas dissipatas, quæ aquas continere non va-
 lent. Properemus ergo ad fontem viuum, hauriamus aquas
 de fontibus saluatoris, vt ardore cupiditatum restincto in
 animi tranquillitate viuamus, & ad immortalitatem, &
 gloriam sempiternam aspiremus : inueniemus in hoc fonte
 aquam salutarem, quæ vulneratis animis medeatur, ab erro-
 ribus abducatur, & illud cum labore ad veram gloriam dire-
 ctum iter ostendet. Animaduerte. Non dixit propheta: Hauri-
 etis aquam de fonte saluatoris, sed aquas de fontibus, vt
 significaret magnitudinem gratiæ & donorum multitudi-
 nem, vt nos ad admirabilem Dei magnificentiam, & incre-
 dibilem munerum largitatem excitaret. Nec dicit, Haurie-
 tis aquas de fluminibus Babylonis, aut Aegypti, sed de fon-
 tibus saluatoris. Neque est silentio prætereundum verbum
 hoc cum gaudio, nam de mundi cisternis sunt qui aquam
 hauriant, sed cum labore & afflictione. Rota enim haustro-
 rum siue modiolorum quibus ex cisterna siue puteo exhau-
 ritur aqua, cum labore mouetur, & cum illa in orbem mo-
 ueatur, fieri non potest, vt modioli rotæ semper pleni sint:
 cum enim quidam implentur, alij euacuuntur : nec possunt
 hi impleri nisi euacuatis ille, & qui modò pleni erant, circum-
 uoluta rota euacuuntur: qui nunc sursum ascendebant, nunc
 deorsum descendunt. Talis est huius seculi vita. Id significa-
 bat sapientissimus ille Salomon, quando duodecimo capi-
 te ecclesiastes hominum vitam cum rota super cisternam
 comparabat. Nam qui heri opibus circumfuebant, hodie
 omnium suarum diuitiarum naufragium faciunt. Et qui nu-
 per in hominum cœtu celebrabantur, in quos oculi omnium
 coniciebantur, qui erant in honoris culmine collocati, ver-
 sa rota vnus diei calamitate omnia illa ex lætitia & volup-
 tate in luctum atque lachrymas reciderunt. Et ea quæ hi a-
 miserant, alij adepti sunt : nam sine damno vnus diues alter
 effici non potest : quemadmodum nec in rota hi modioli
 impleri possunt, nisi alij euacuentur. Et ob eam causam qui
 in hac rota sunt constituti nec quiescere, nec lætari vnquam
 possunt. Nam qui in misero statu versantur, dolore conficiuntur,

simile.

tur, qui verò opibus & honoribus abundant, ea maximè desiderant, quibus circumfluunt, & non solum augendi cupiditate, sed etiam amittendi metu cruciantur. Constat igitur eos qui de mundi cisterna aquas exhauriunt, vehementer esse sollicitos, summiſque laboribus & doloribus angī & premi, tam inopia laborantes, quàm diuitiis affluentes. At viri p̄i & iusti ex perennibus, inexhaustis, iugiterque manantibus Iesu fontibus aquas libenter lætique exhauriunt. Nam non solum rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus exultant, sed etiam in medio ærurnarum versantes, rerum humanarum tolerantia, cæterarumque virtutum præsidio muniti, oblectatione perfunduntur. Hoc intuens animo Esaias aiebat: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Et dicetis in die illa, confitemini Domino.] In tempore illo omnes se inuicem incitabunt, vt repudiata idolorum superstitione, Deum laudent, & inuocent, ad eumq; vota faciant. Aspicias hic Christianorum esse alios ad virtutem cohortari: capitur hic confiteri pro laudare.

Notas facite in populis adinventiones eius.] Hoc est Annuntiate & prædicate in vniuerso orbe terrarum Christi opera & consilia, & quemadmodum hominum genus ab hoste defenderit, & viam aperuerit ad vitam beatam & immortalē. Ideo subiungit: Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, Annuntiate hoc in vniuersa terra.

Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Iesus Iſrael.] Verba sunt prophetæ ecclesiæ alloquentis, Exurge in vocem plenam laudis, & lætare ecclesia catholica, quæ Sion, hoc est, specula in sublimi constituta nuncuparis. Quoniam in medio tui est, te ipsam regit, & gubernat magnus ille Christus, qui est sanctificator Iſraelis. Illud est aduertendum non dixisse vatem: Quoniam magnus in te sanctus Iſrael, sed quoniam magnus in medio tui. Ac si diceret: Ille qui paruulus nascetur, in obscura patria nutrietur obscuris ad multitudinis imperitæ opinionem ortus natalibus, qui repudiato humano fastu formam serui accipiet, vitamq; inopem ab omni seculi apparatu remotissimā sectabitur, magnus est, verus cælorum terrarumque effectus & moderator, Sed versabitur in medio tui factus homo, vt omnem errorem depellat, & cælesti doctrina, virtutis & sanctitatis exemplo, omnem caliginem hominum animis obfusam discutiat, & ad beatissimas ac sempiternas sedes viam ostendat. Aspicias igitur

igitur Christū in medio inueniri. Nam quemadmodum sol est in medio planetarum constitutus, medianque regionem obtinet tanquam dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, tam admirabili & magnitudine & splendore, vt cuncta luce sua lustret & cōpleat: sic sol ille iustitiæ Christus Deus noster voluit in medio hominum apparere, vt omnium mentes erroribus implicatas tenebrisque circumfusis illustraret. Et vt esset, quemadmodum in libro Ecclesiastici scriptum legimus, quasi stella matutina in medio nebulae. Secundo stetit in medio quasi mediator ad reconciliandum. Et ob eam causam eum diuus Paulus reconciliatorem Dei & hominum appellat. Quod, volens significare diuus Ioannes, Venit, inquit, Iesus, & stetit in medio, & dicit discipulis suis: Pax vobis. Tertio stetit in medio, vt omnes eū viderent, & vt ostenderet se omnibus æquē adesse, non minus pauperibus quā diuitibus, gentibus quā Iudæis, nō enim exceptor est personarum Deus, vt in decimo capite Actuum, & multis aliis in locis diuinæ literæ cōmemorant. Tu verò si Christum imitari voles, extrema fuge, media sectare: quoniā in medio consistit virtus. Et quamuis hoc omnibus conueniat, ad eos tamen maximè pertinere existimo, quibus esse in medio collocatum, vt possit ab omnibus audiri. Nam si in extremo sit vrbis, illis solum proderit, quos iuxta se habuerit. Cū autem princeps sit horologium, quo populus gubernatur, debet esse in medio positus, vt ab omnibus cōmunicetur? Vt enim fons ille est magnopere laudabilis, qui non in angulo, sed in medio plateæ collocatus ab omnibus circumquaq; participatur, sic princeps ille, qui in medio steterit, qui æquitatem, iustitiæ fundamentum, pacisque conferuatricem coluerit, celebritatem sermonis hominum merito consequetur, nomen suum eternitati commendabit, & quod præstantius est, ad cœlestem æternamque beatitudinem tandem perueniet. Centrum nisi in medio spheræ esse non potest: ab eo enim ad circumferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales. Quid est respublica nisi spheræ? Quid est populus nisi circumferentia? Quid est princeps nisi centrum in spheræ medio constitutum, à quo omnes iustitiæ actiones debent erga populi circumferentiam in mediocritate & æqualitate consistere? Nihil est quod magis violet ius humanæ societatis, regnumq; labefactet & scindat, quā principis aut præsulis inæqualitas, & nimius affectus.

○ untur

Simila.

Eccle. 50.

2. Cor. 5.

Ioan. 20.

Similitudo.

Altera similitudo.

Tertia similitudo.

untur discordiæ, seditiones, & tempestates. Quare oportet attendere principem, ne dum suis affectibus obtæperat, perniciem reipublicæ molitur. Socrates, vt refert Xenophô in libro de eius dictis & factis, ait debere principem magnopere vitare reipublicæ disensionem. Non enim, vt ipse ibi ait, eligitur vt sibi ipsi morem gerat, suisque pareat affectibus, sed vt per ipsum, qui eum elegerit, in felicitate degat. Viuent autem feliciter, si princeps æquabilitatem seruaerit, fueritque instar centri in medio constitutus.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XII.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.] Pro Saluatore est in hebraico haixuah. Particula, ha, est articulus habens hoc in loco suam emphasim: Dicitio iexuah significat saluatorem & salutem. Et ob eam causam Pagninus verit: De fontibus salutis. Et cap. 49. huius prophetæ, vbi est in hebraico idem vocabulum, vertit interpres noster: In die salutis. Vocat enim Esaias tẽpus Christi diẽ salutis. Quamquam poterat locus ille ita rectẽ verti: In tempore Saluatoris. Christus enim in litteris diuinis appellatur Saluator, salus & salutare. Appellari Saluatorem indicat, eius nomen iexua. Dixit enim angelus Ioseph viro Mariæ sanctissimæ, vt est apud Matthæum capite 1. Vocabis nomen eius Iexua, pro quo interpres Græcus posuit hoc nomen ΙΗΣΟΥΣ: Latinus verò, Iesus, Afferunt enim graues authores Diuum Matthæum literis hebraicis euangelium suum scripsisse: & Diuus Hieronymus se illud ab euangelista hebraice scriptũ oculis suis atpexisse testatur, & hoc idem nomen Iexua est in titulo crucis scriptũ, qui Hierosolyma Romam adductus, fuit positus in templo sanctæ crucis in Ierusalẽ, vbi hodie custoditur, & ostenditur, & ibi ego etiã vidi, & manibus tenui. Quanquã ob temporis vetustatem eum nõ integre legere potuerim. Volens autẽ angelus ostẽdere hoc nomẽ significare Saluatorẽ, subdit statim: Ipse enim saluũ faciet populum suũ à peccatis corũ. Dauid alloquens Christum dicebat in psalmo: Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus. Et in alio vocat eum salutem ita dicens: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo. Et Esaias in hoc nostro capite eũ saluatorẽ & salutem vocat. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam. Et paulò post:

Psal. 24.

Psal. 26.

Et fa-

Et factus est mihi in salutem. Appellari autem salutare indicat propheta dicens: Quis dabit ex Syon salutare Israël? Hinc illa ardentis desiderij precatio: Ostēde nobis Domine misericordiā tuā, & salutare tuum da nobis. Hoc est salutare illud de quo dicebat alio in loco noster Esaias: Et videbit omnis caro salutare Dei. Ita enim iuxta Septuaginta interpretum sententiā locum illum citat D. Lucas, pro quo cōmunis versio habet: Et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutū est: Hoc intelligens iustus Simeon pias illas charitatisque plenas voces emisit: Nunc dimittis seruū tuū Domine secundū verbū tuū in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuū, quod parasti ante faciē omnium populorum. Est quidem Christus saluator, qui nos saluos fecit: est salutare, quia sese obtulit pro nobis seipsum in cruce immolans, vt facinora impia nostra suo purissimo sanguine deleteret. Est igitur medicus & medicina & ipsa salus nostra animarū nostrarū fœlicitas, & summū atque sempiternū bonū. Hoc fuerat in Ioseph quondā adumbratū, qui cūm terrā ab immanitate famis excidio liberaret, fuit saluator mūdi appellatus, vt ca. 41. Genesis scriptura cōmemorat. Est enim dicūt nōnulli verba hęc, quę ibi scripta sunt, taphnath paaneha, arcanorū repertorē significare, tamen nō rectē meo quidē iudicio iudicāt. Nam hęc verba nō sunt hebraica, sed Aegyptia, & vt au thor est D. Hieronymus in quęstionibus hebraicis, mūdi saluatorē significant. Cūm Ioseph fratres suos quęreret, fuit ab eis venditus, & postea mundi saluator vocatus. Quę potest esse apertior Christi figura? Quis est hic, qui nos quęrēs fuit venditus, & crudelissimis cōtumeliis affectus, nosq; suo sanguine redemit, nisi Christus, noster verus saluator & redēptor qui nos à morsu antiqui serpētis, eripuit? Hūc post Adam peccatū promisit Deus esse dēmonis caput contriturū vt in 3. cap. Genesis litterę diuinę significant. Nec audiendi sunt Iudæi, qui verba illa ad Christū referri impudenter negant. Nā Hierosolymirana paraphrasis, quā ipsi magnopere venerant, hunc locū de Christo interpretatur. Vbi enim nostrę versio habet: Et Ipsa conteret caput tuū. & tu insidiaberis calcaneo eius; habet illa in hunc modū. Et erit, quando filiū mulieris operā dabunt legi & fecerint pręcepta, tunc studebūt contere tibi caput & occidēt te. Cum verō pręcepta legis derelinquerint, nec pręcepta seruauerint, tu operā dabis vt mordeas eos in calcancis eorū, & ita noceas eis. At filij mulieris habebunt remediū, tibi verō serpenti nullū remediū

Psal. 52.

Psal. 84.

Infra 40.

Luc. 3.

Luc. 2.

Gen. 37.

erit: futurum enim est, vt amoueant morsum, qui factus est in calcaneo, in fine dierū, in die⁹ regis Mesiæ. Hęc in Thar go Hierosolymitano. Vbi vides salutem & redemptionem fuisse ad Christi tempus expectandā, qui est salutare, & saluator noster. Hunc desiderabat egregius ille patriarcha Iacob, quando ad exitiū vitæ vocatus dicebat. Salutare tuum

Gen. 49.

expectabo Domine. Vbi Thargum Hierosolymitanū ita habet: Dixit pater noster Iacob: Nō expecto redemptionē Ge deonis filiū Ioas, quæ est salus tēporalis, neq; redēptionē Sāsonis quæ est salus trāsitoria. Sed expecto redēptionē Christi siue Mesiæ filiū Dauid. Haftenus Thargū. Hic saluator quē Deus statim post primorum parētum nostrorum peccatum promisit, cuius Ioseph imaginem gessit, quem patriarcha Iacob vĕtutum in no uissimis diebus expectabat, est Christus deus noster, quem Habacuc propheta cap. 3. Iesum hoc est, Saluatorem Dominum atque Deum appellat dicens: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. De eo ait in hunc modum Zacharias: Exulta satis filia Sio,

Zach. 9.

Matt. 12.

iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator ipse pauper. Quem locum Matthæus & Ioannes de Christo interpretantur. Eodē modo Esaias, Rorate, inquit, cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Lege diuinam scripturam, reuolue sanctorum vatum oracula & vaticinia, & inuenies Mesiā Saluatorem appellatum. D. Augustinus lib. 18. ciuitatis Dei cap. 31. asserit se vidisse librum Græcè conscriptum antiquæ cuiusdam Sibyllæ tali ordine & artificio, vt literæ, quæ erant in carminum capitibus, hæc verba continerent: Iesus Christus Dei filius Saluator. Colliges ex his omnibus, Christum esse salutare, salutem, & saluatorē, de quo hic ait Esaias: Hau rietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Poteris per has aquas baptismum intelligere, iuxta quas famulus Abra ham inuenit Rebeccam sponsam Isaac ecclesiæ imaginem gerentem: quæ, vt verbis vtat Augustini, nisi ad aquam baptismatis venisset, Christo sociata non esset.

Ioan. 12.

Infra 45.

Gene. 24.

Argumentum Capitis XIII.

Vaticinatus fuerat Propheta multis in locis esse luctuosissimas atque acerbissimas strages Iudæorum populo à Chaldæis inferendas. Nunc prædicit calamitatem & eersionem Babylonis imminentem, quos Cyrus Persarum rex bello supera-

superauit, & in seruitutem miserrimā adduxit. Voluit Deus vt non solum Esaias, sed alij etiam vates Babyloniorum excidium, eorumque imperij florentissimi vastitatem prædicarent, vt viri iusti lætarentur. Afficiuntur enim gaudio viri virtute præditi, videntes homines flagitiosos pœnas suorum facinorum persolvere: non quod insultent eorum ærumnis, sed quod aspiciant gloriam Dei laudibus celebrari, impiosque homines à sceleribus deterreri. Et vt ostenderet rerum humanarum varietatem, imbecillitatem, & inconstantiam, ne illis vnquam fidamus, sed animum virtutum ornamenti excolentes, diuini que opibus locupletantes, omnem nostram fiduciam in diuino præsidio collocemus.

CAPVT XIII.



Nus Babylonis, quod vidit Esaias filius Amos. Super montem caliginosum leuate signum, exaltate voem, leuate manum, & ingrediantur portas duces. Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium. Vox sonitus regum, gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul, à summitate cæli dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram. Ululate, quia prope est dies domini, quia vastitas à domino veniet. Propter hoc. Omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturienti dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies conturbæ vultus eorum. Ecce dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & ira, furorisque, ad pouendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea: quoniam stella cæli, & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortiam humiliabo. Preciosior eris vir auro: & homo mundo obrizo.

Nahum. 2.

Ezech. 32.

Ioel. 2.

Matt. 24.

Mar. 13.

Luc. 21.

EXPLANATIO.

Onus Babylonis quod vidit Esaias filius Amos.] Hoc est, sequitur vaticinium Esaiæ annuncians calamit. tē Babylonis.

O 3

Prophe.

Gen. 10.

Prophetia quæ afflictionem prædicit, onus appellatur: hic autè prædicitur imperij Babyloniorū excidiū. Babylon fuit principium regni Nemrod, vt in libro Genesis scriptū legimus. Cū enim Babylon fit idem quod confusio, non poterat non esse primi regni caput & principiu: regnādi namq̄ appetitus omnia cōfundit. Satis est enim perspectum & exploratum, eō adduci plerosque, vt eos ordinis atque iustitiæ capiat obliuio, cū in regnorū, honorum, atq; potentiaē cupiditatem inciderint. Appellata est hæc vrbs primò Babel ob linguarum confusione. Sermo nanque eorū, qui turrim edificabant, confusus est, & in varia linguarū genera distractus. Postea fuit ciuitas illa celeberrima, caput totius Chaldaæ, & opibus, rerumq; gestarum gloria florentissima. Huius rex Nabuchodonosor obsedit Hierosolymā, & tādē vicit. Cū autè Sedechias iniquus Iudæorū rex se in fugam comiceret, cōprehensus est ab exercitu Chaldaeorū, & adductus ad Babylonis regē, qui ei oculos abstulit, eumq; catenis astrictum adduxit Babylonē: vbi habitabat, sed eā nō videbat: Omnes enim qui scelere & maleficio pascuntur, à diabolo obeccantur, & peccatorum catenis vincti relicta Hierosolyma Babylonem transferuntur, à visione pacis ad mundi confusionem traducti. Cū autem sint in medio mundi, ipsum mūdum nequaquā vidēt. Si enim homines flagitiosi, scelerumq; maculis cōtaminati mundi vanitates, dolos, labores, & ærūnas aspicerent, fieri non posset, quin ab eo discederēt, & in pacis ac tranquillitatis visione se conferrerēt, vt illustrē nominis claritatem, gloriamq; sempiternā cōsequerentur. Euertit ergo Babylon Hierosolymam. Sed postea ipsa Babylon fuit à Perfis & Medis euersa, eiusq; imperiū labefactatum, & penitus conuulsum. Hanc Babyloniorū afflictionem ait Esaias se oculis aspexisse. Sed intelligamus hoc. Nōne tu sancte vates eras Hierosolymæ, cū hæc intueri asserebas, literisque consignata mandabas monumentis? Qui igitur fieri poterat, vt videres pondus Babylonis, tā ingenti spatio à Hierosolyma distantis? Si diceres Babylonios suæ ciuitatis pondus aspice re, nulla videretur esse dubitatio. Sed tu asseuerāter asfirmas te, qui Hierosolymæ habitabas, onus Babylonis aspexisse. Sed si velimus alta mente perpendere, & ad veritatē reuocare rationem, videbimus apertissimè non solū Esaiā, sed omnes Hierosolymā colentes pondus Babylonis intueri. Quid admiramur? Imò Babylonij ipsius Babylonis pōdus nequaquā vident, sed solum illi qui Hierosolymę morantur. Quid per

per Babylonem nisi mundus, quid per Hierosolymā nisi ani-
mi securitas & quies significatur? Solum illi qui mentis tran-
quillitate gaudent, qui sunt in visione pacis, hoc enim sonat
Ierusalē, qui in Sione, hoc est, in sublimi contēplationis spe-
cula sunt constituti, qui humana contemnunt, & ad cœlestia
ardenter aspirant, vidēt mundi pōdus, laborē, & calamitatē.
Ut enim oculus corporis videre non potest, nisi sit interiecta
aliqua distantia inter ipsum & obiectū, ita illi qui in mundo
sunt ipsum mundum non vidēt, quoniā nullū est inter eos &
mundū interuallū. At qui extra mundū sunt, ipsum ipsiusq;
labores, & calamitates faciliē contemplantur. Qui aquam ex
alto quodam puteo haurit, eius pondus non sentit, quandiu
hydria siue lebes ex imo putei per aquā eleuatur, cū autem
est extra aquā, eius onus sentit, qui plenū leberē vsq; ad sum-
mitatem pertrahit. Itaque nō sentietur pondus aquæ, dum
est intra aquam. Sic non perspicitur pondus mundi intra
mundū. Exi à mundo, & eius graues & intolerabiles labores
perspicias. Qui Hierosolymæ habitabant, Babylonis mis-
erias intuebātur: ipsi verò Babylonij nō miserias, sed mundi
gloriā respiciebāt. Nabuc hodonosor vidit in somniis statuā
sublimem, quæ mūdi gloriā significabat, ut est apud Daniēl
prophetā *Perpēde obsecro. Qui Babylonē colāt, nō eius la-*
borē, sed eius gloriā considerant. Sed ea gloria inanis est, &
fallax, neq; gloriæ quidquā habet, præter nomē, & imaginē.
Et ob eam causam non dicitur rex Babylonis gloriā, sed
gloriæ statuam, aut simulachrum, siue figuram vidisse.
Id significare volens Diuus Paulus: Præterit, inquit, figura
huius mundi, Non dicit: Præterit substantiā huius mundi.
Sed figura. Mundi enim opes gloria, potentia, & cetera alia
huiusmodi res, sed rerum figuræ appellanda sunt. Illud est
præterea considerandum, regem Babylonis, dum vigilaret,
eam statuam non vidisse, sed somniantem. At Esaias somno
solutus & acriter vigilans, onus Babylonis aspexit. Ex quo
colliges eos qui mundi gloriā vident, & appetunt esse ar-
ētissimo somno sepultos: deberēq; talem visionem somniū
potius appellari, quā visionē. eos verò qui mundi vanita-
tes, dolos, miserias, labores, & ærumnas contemplantur,
promptē vigilare, & claris atque apertis oculis intueri.

*simile.**simile.**Dan. 2.**1. Cor. 7.**Ierem. 51.*

Super montem caliginosum leuate signum.] Per montem ca-
liginosum intelligit Babylonem. Ieremias ait: Leuate signū
super muros Babylonis. Vbi hanc eius euerfionem vaticina-
tur. Appellatur Babylon mons, non quòd in monte sita sit,

fed ob eius superbiam & elationem . Erat enim hæc vrbs in ingenti planitie sita, vt ait Strabo libro 16. & Herodotus libro primo, forma quadrata, magnitudine incredibili multorum crassitudine & celsitudine admirabili, vsque adeo celebris, vt sit appellata miraculum mundi, vt multi referunt aucthores, & inter ea, quæ veteres scriptores mundi mirabilia appellauerunt, primum locum obrinuerit. Fuisse autem conditam à Semiramide asserit Strabo, & Diodorus Siculus, & Solinus, cuius ad literã hæc sunt verba: Chaldææ gêtis caput Babylon est, à Semiramide condita, tam nobilis, vt propter eam & Assyrii & Mesopotamii in Babylonie nomen transferint. Esaias appellat eam hoc in loco montem caliginosum & tenebris circumfusum, propter eius nefaria facinora. Vel ob eam causam caliginosa dicitur, quia cum esset in loco campestri sita, & Euphratis magni fluii aquis rigata & circumdata, nebulis plerumque, & nubibus obscurabatur. Vel fortasse alludit ad summum incendiũ quo aliquibus in partibus flagrauit. Est ergo sensus. Leuate vexillum vos ò Perfæ & Medi. Congregate exercitum contra Babylonem. Extollite vocem ad milites congregandos. Leuate manum, eos hoc signo vocantes. Fieri enim solet militum vocatio vexillo, & voce & eleuatione manuum. Vel leuate signum, hoc est, figite vexillum vestrum in pinnis murorũ Babylonis, quemadmodum solent facere victores expugnatis vrbibus. Potest hoc spiritualiter ita explanari: vos ò apostoli mei & viri apostolici, conspirate contra Babylonem, pugnete contra mundũ, eum vincite, & expugnete: est enim mundus mōs caliginosus, vbi nulla est humilitas, nulla lux, sed omnia superbia, & tenebris cooperta. Extollite signum, hoc est, erigite vexillum crucis, extollite vocem, prædicate euangelium, leuate manum, hoc est opus, non solum verbis, sed etiam operibus docentes. Hoc signum crucis dixerat propheta cap. ii. leuandum esse in nationes à Christo ad Israelis profugos congregandos.

Sap. ii.

Ierem. 25.

Et ingrediantur portas duces.] Hoc est principes & optimates Medorũ intrent Babylonis portas. De iis dicitur paulo post: Ecce ego suscitabo super eos Medos. Vocat eos Dominus sanctificatos, qui à illis tanquã suæ iustitię ministri Babylonios euertebat, Chaldæus Paraphrastes pro sanctificatis habet præparatos. Ita per Ieremiã ipsum Nabuchodonosorem appellat Deus seruum suum, quia eo tanquã seruo præuaricatricem Hierosolymam debebat. Dicens autem, Fortes meos,

meos, & exultantes in gloria mea, ostendit eos non suis viribus, sed Dei potentia tam munitum regnum deleuisse. Spiritu-
 litaliter per duces intelligit Apostolos, per euersionē Baby *Iosue 6.*
 lonis euersionē peccati. Fuit enim mūdus Apostolorū prædi-
 cationē labefactatus & victus, hoc est infidelitas deleta & cō-
 uulsa. Id fuerat antea in Iericho adumbratum, cuius muri ad
 sonitum tubarum corruerunt. Iericho, quæ sonat lunam,
 mundus est, modò crescens, modò decreffens, modò plenus,
 modò vacuus, vbi nulla est firmitas, nulla securitas, nulla
 constantia: sed qui modo eclipsim patiebatur, statim fulget
 splendore: & qui nunc splendebat, radiisq; micabat subito ob-
 scuratur, & in caligine prosternitur. Quid est ad tubarum
 sonum euerti ciuitatem Iericho, & ruere eius muros, & al-
 tissima mœnia, nisi apostolorum prædicatione huius mun-
 di elationem, & superbiam labefactari, & funditus euelli?

Vox multitudinis in montibus.] Verba sunt Prophetæ quasi
 dicentis: Videor mihi audire strepitum, & clamorē exerci-
 tus in montibus. Venient Persæ & Medi magnas copias fe-
 rentes ad excidium Babylonis interendum. Et quia Deus
 propter Babyloniorum scelera sic volebat, vt ait Prophetæ,
 præcepisse dominum exercituum militiæ belli, hoc est, mili-
 tibus vt euerterent Babylonem, militibus, inquit, venientibus
 de terra procul, à summitate cœli, hoc est, à regionibus
 vsque adeò remotis, vt videantur cœlum attingere. Vel per
 summitatem cœli polos intelligit, arcticum & antarcticum.
 Ac si dicat, venient gentes à finibus mundi, ab illis vltimis
 terrarum oris, quæ sub cœli verticibus vitam degunt.

Dominus & vasa furoris eius.] Hoc est, veniet ad vastan-
 dam Chaldæam dominus efferens milites, qui sunt instru-
 menta indignationis eius, quibus ipse impios punit. Aspicias
 hic iniquos homines esse aliquādo diuinę iustitię ministros.

Vt disperdat omnem terram.] Subaudi Babylonis. Quid-
 si hoc existimant posse ad diem iudicij referri.

Plorate quia prope est dies Domini.] Alloquitur Chaldæos,
 vt clament, & vim fundant lachrymarum suam calamitatē
 deplorantes, neq; de ea dubitent, cum Deus eos vastaturus
 adueniat. Potest etiam hoc ad vltimum iudicium referri.

Propter hoc omnes manus dissoluentur.] Tantus erit Baby-
 loniorum metus, & pavor, vt eorum manus reddantur flac-
 cidæ & trementes, & animus languescat, & debilitetur, &
 penitus frangatur. Prementur dolore instar parturientium,
 tenebitque eos pavor stupidos & trepidantes.

Facies combustæ vultus eorum.] Hoc est præ pudore erunt vsque adeo rubentes, vt comburi videantur. Vel fortasse tali morte sunt interfecti. Potest verti: *Facies rubentes vt Sama vultus eorum.* Quod priori fauet expositioni.

Ecce dies Domini crudelis.] Crudele vocatur tempus excidij Babyloniorum, quia eo voluit Deus iram suam in Chaldaeos significare.

Quoniam stella celi, & splendor earum non expandent lumen suum.] Id est, Erit tempus illud tristissimum. Nam tanta erit Babyloniorum clades, & calamitas, vt præ doloris & timoris magnitudine omnia illis obscura vsque adeo videantur, vt sol fenseatur occultare suum fulgorem, & luna suam negare claritatem. Solet sacra scriptura tempus magnæ afflictionis tenebrosam appellare, vt apud Ioslem videre licet cap. 3. & apud Matthæum 24. & aliis in locis per stellas principes & magnates Babylonis intelligit, & per solē obtenebratū ortu suo regē Babylonis significat, qui in ortu suo, hoc est, dū celebraret diē natalē suū, præ nimio dolore obstupuit, videns manū in pariete scribētē, vt est apud Daniēl cap. 5.

Preciosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.] Sentus est: In prælio illo & euerfione Babylonis, nulli Chaldaeo parent milites Medorum & Persarum, quanquam pro eius redemptione aurum & multum & preciosum offeratur. Vel sic: In illa Chaldaeorum vastitate tanta erit occisorum multitudo, vt qui remanserint rari videantur. Preciosum enim dicitur quod rarum est. sic in libro primo Regum capite tertio scriptum legimus: Sermo Domini erat preciosus in diebus illis: hoc est, rarus. Obrizo est aurum purgatum & optimum.

Super hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius. Et erit quasi damula fugiens, & quasi ovis, & non erit qui congreget. Vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient. Omnis qui inuentus fuerit occidetur. & omnis qui superuenerit cadet in gladio. Infantes eorū allidentur in oculis eorū: diripientur domus eorū, & vxores eorū violabuntur. Ecce, ego suscitabo super eos Medos, qui argentū non querant, neque aurū veinti, sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus vteris nō mīserentur, & super filios non parceat oculus illorum. Et erit Babylon illa ciuitas gloriosa in regnis: incluta in superbia Chaldaeorū: sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrhā. Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem & generationem.

Psal. 13.

Gen. 19.
Ierem. 50.

nem: nec ponet tibi tentoria Arabes nec pastores requiescent ibi. Sed Exec. 16.
 requiescent ibi bestiae: & replebuntur domus eorum draconibus. Et Osee. 11.
 habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt Amos. 4.
 ibi vlule in adibus eius, & sirenes in delabris voluptatis. Prope
 est vt veniat tempus eius, & dies non elongabuntur.

Super hoc caelum turbabo, & mouebitur terra de loco suo.]
 Tantus erit Babyloniorum terror, & dolor, vt caelum illis
 turbari videatur, terraq; è suo loco dimoueri. Vt vates
 hac verborum exornatione ad vim ac impetum iræ diuinæ
 amplificandum, quemadmodum capite quinto dixerat fuisse
 amplificationem, quemadmodum capite quinto dixerat fuisse
 se montes conturbatos. Hac superlacione significauit Da-
 uid psalmo 17. furorem vehementem, quo Deus impios vl-
 ciscitur, bonos verò tuetur. Commota est, inquiens, & con-
 tremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & cõ-
 mota sunt, quoniam iratus est eis. Vel intellige reuera hæc
 ita euenisse in Babylonis euerfione. Fieri enim potuit, vt
 caelum tonitruis & fulminibus moueretur, & imbris dẽ-
 sissimis, procellis, & fulguribus omnia concuterentur, &
 terrarum sola essent horribili terræmotu vehementer con-
 quassata: vt qui creatorem suum offenderat, res crea-
 tas aduersus seipfos sentirent. Aequum enim est, vt crea-
 turæ iram sui creatoris suo modo cognoscere testentur, in
 eiusque contemptores irruant, & impetum faciant. Insa-
 nus est & insipiens, qui offendens creatorem fidit creaturis.
 Armata enim eas Deus ad vltionem inimicorum, vt in libro
 Sapientia diuinæ literæ testantur. Et pugnabit cum illo or-
 bis terrarum contra insensatos. Id significare voluit Moy-
 ses, dicens: In principio creauit Deus caelum & terram. Ibi
 enim hoc nomen Elohim apposuit, quod significat Deum
 vt iudicem & vltorem, ac si diceret: Ipse qui res creatas pro-
 duxit, iudex est & vindex, qui si illis fueritis intemperanter
 abusi, ipsis creaturis vos puniet & vlciscetur. Quod erit sine
 dubio in tempore extremi iudicij, quando elementa, quæ vt
 homini seruirent, creata fuerunt, videntia hominum scelera
 & facinora, eorumque aduersus Deum nefarias iniurias in-
 feret ipsis hominibus terribilissimum ac crudelissimum bel-
 lum: insurgent aduersus eos, iniurias, quibus suum creato-
 rem lacefferant, vindicantes. Hoc declarauit apertissimè
 Christus apud Lucam dicēs: Erunt signa in sole, & luna, &
 stellis, & in terris pressura gentium. Quod etiam Mattheus
 & Marcus literis mandarunt.

Et erit quasi damula fugiens.] Milites externi, quos Baby-
 lonij

Supra 4.

Luc. 12.

Matt. 24.

Mar. 13.

Psal. 136.

lonij congregauerant & conduxerant, & negotiatores & peregrini qui tempore euerfionis fuerint apud Babylonios inuenti, fugient à conſpectu Medorum & Perſarum, veluti fugere ſolet damula aut caprea agitata à venatoribus & tanquam ouis à facie lupi. Non habebunt duceſ, quem ſequantur, qui eos colligat, & inſtruat, ſed vnusquiſque mandabit ſe fugæ, & ad patriam ſuam tendere conabitur. Qui non fuerit, occidetur: & qui voluerit reuerti ex fuga, aut reſiſtere, telis ſe hoſtium obiciet, & vita priuabitur.

Infantes eorum allidentur.] Id fuerat iam Dauid vaticinatus dicēs in pſalmo: Filia Babylonis miſera, Beatus qui retribuet tibi retributionē tuā, quā retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petrā. Prædicit enim in eo pſalmo diuinus vates hanc Babylonis euerfionē per Cyrū.

Ecce ego inſiſtabo ſuper eos Medos.] Hi ſunt de quibus dixerat in principio capitis: Inſredientur portas duces: qui tanta fuerunt ſequitū incenſi, vt aurum ac argentum contēnere viderentur, dummodò ſe ſanguine hoſtium ſatiarent.

Et non fundabitur vſque ad generationem & generationem.] Babylon fuit euerſa: & nunquam reædificabitur, nam ea ciuitas quæ poſtea ædificata eſt, non in eodem ſolo, neque iſſdem limitibus ſita eſt. Et pro Babylone conditæ ſunt inſignes ciuitates Cteſiphon & Seleucia, vt reſert Strabo libro 15. geographiæ. Loquimur hic de ea Babylone, quæ eſt in Chaldæa, non de ea quæ eſt in Aegypto ſita, cuius meminit Strabo, & Ptolemæus. Quamuis Strabo eam magis Arabiæ contribuit. Vnde Arabum lingua vocatur Chairus, quo nomine eam noſtri homines hodie appellant.

Nec ponet tibi tentoria Arabs.] Tanta erit Babylonis euerſæ ſolitudo, vt ne Arabes qui in deſertis locis habitare ſolēt ibi domiciliū conſtituant. Arabia deſerta eſt Chaldææ vicina. Et ſunt Arabes homines agreſtes, & paſtores, qui cauſa pecorum non habent munitas aliquas ciuitates, ſed in ſolitudinibus habitant, ſua tentoria ſecum ferentes, & deſerta prægrates. At neq; illi neq; vlli alij paſtores in loco vbi fuit Babylon requieſcent præ horrore ruinarū, & metu horrendorum animalium ibi habitantium. Erunt enim omnia plena draconibus, & feris. Iuxta tropologiā poſſumus hoc ſic explanare. Nullus bonus paſtor habitabit Babyloniæ, hoc eſt, in mundi cōfuſione. Qui enim ibi morantur & quieſcunt, qui mundo delectantur, eiufq; cōfuſionem ſequuntur, non paſtores, ſed beluæ dicēdi ſunt. Hæ ſunt beſtiæ illæ, quas Deus ad mon

tē Sina occidere prohibebat, vt Moyses in Exodo memoria prodidit. Est enim sacra scriptura altissimus mōs, quō si quis accedat in hominis figurā vitā beluinā degens, lapidibus in terficitur. & pro vitā quā ibi poterat inuenire, perniciem sibi machinatur. De iis dicitur in psal. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Bonus pastor habitat Hierosolymæ, in visione pacis, & in Sione, hoc est, in sublimi diuinæ contemplationis specula. Domus verō Babylonis bestiis & draconibus replebuntur. Septuaginta interpretes pro draconibus verterunt sonum, siue clamorem, & meritō quidem: nam mundus plenus est clamoribus. Nulla ibi est quies, nulla tranquillitas, sed qui locus securitatis plenissimus esse deberet, ibi turbulentissimæ tempestates existunt.

Habitabunt ibi struthiones.] Struthio est auis corpore magno & graui voracissima, admirabilisq; naturæ, nam omnia quæcunque deuorat, sine delectu concoquit, vt refert Plinius libro 10. cap. 1. Appellatur à Lusitanis Ema. Per struthiones intelligūtur homines ventri dediti & crapulæ, quorum, vt ait Apostolus, Deus venter est.

Et pilosi saltabunt ibi.] Id est, animalia pilosa, vt lupi, & vulpes, & cætera huiusmodi animantia.

Et Sirenes in delubris voluptatis.] Id est, in locis, vbi fuerant aulæ voluptuosæ, habitabunt sirenes.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XIII.

Super montem caliginosum.] In hebraico est: Super montem nixpæh. Pro quo Pagninus vertit: Super montem eleuatam. Huius varietatis causa est, quia hæc dictio nixpæh, potest deriuari à verbo xaphah, quod significat eleuare, quæ rationem secutus est Pagninus & nonnulli alij. Et potest esse à verbo naxaph, quod significat impellere. Vnde naxaph, significat noctis initium, quod tunc tenebræ impellant diem. Ex quo efficitur, vt hæc dictio nostra nixpæh rem obscurā, tenebrisque coopertam significet. Quam significationem secutus est noster interpres. Paraphrasis caldaica, quæ Ionathæ tribuitur, habet: Super munitionem, quæ habitat pacificè. Hoc est, Super Babylonem ciuitatem munitam, sicut que fortitudinis fidem.

Et pilosi saltabunt ibi.] In hebræo est vscirim saltabunt ibi. Septuaginta habent; & demonia saltabunt ibi. Eodem modo

modo vertit Pagninus Et rectè quidem. Nam dictio hæc habetur capite decimo septimo Leuitici, ubi Latinus interpret vertit: Nequaquam vltra immolabunt hostias suas demoniis. Quidam existimant esse Saryros. R. Dauid existimat esse genus quoddam animalis in deserto commorantis. D. Hieronymus putat esse demonia, quæ mihi sententia magis placet. Existimo tamen eos demones significare, qui cultoribus suis pilosi & hirsuti instar hircorū apparēt. Nam scarpilum significat, scarpilum verò hircum, vt Leuitici quarto: Hirci de capris immaculatum.

Et respondelunt tibi vlule.] Pro vlulis est in hebraico iim, quam dictionem aiunt nonnulli catum syluestrum significare, quamuis etiam vlulam significet. Est autem vlula auis à fletu denominata, quod semper vlulet & fleat, quæ noctu tantum videt. Et cum semper vlulet, non vult tamen ab vlularum causa discedere. Hæ sunt aues Babylonis cultrices. Tales sunt mundi habitatores & amatores, qui cum eius labores conquerantur, ab illis tamen seungi nequaquam voluit. Hi non solum lucem non vident, sed eam detestantur, in rebusque spiritus, atque in ipso virtutis splendore tenebris circumfunduntur. At nocte, in media caligine, in negotiis labyrintho inextricabilioribus ipsisque tenebris obscurioribus lynceos oculos habentes perspicuè videns, & minutissima quæque intuentur, imò ipsis tenebris oblectantur. Hæ aues vlulæ & struthiones à Domino in Deuteronomio prohibentur propter ea, vt ait contra Iulianū D. Cyrillus, quæ significant. Spirituales enim lex non solum in aperto verborum sensu, sed in mystico etiam consistit.

Deut. 14.

Et Sirenes.] In hebraico est, vethanim, Sunt qui interpretentur dracones. Doctiores tamen sirenes siue sirenas interpretantur, quæ sunt monstra quædam marina imaginem quandam mulierum, vt aiunt, gerentia. Hæ sirenæ, vt Homerus fictis fabulis memoriæ prodidit, cantus dulcedine nauigantes sopiebant, donec in mediis fluctibus obruti perirēt. At Vlysses aures suorum sociorum clausit, ne earum cantum audirent, seque ad nauis malum alligari fecit, & ita omnes euaserunt. Sirenæ illæ sunt voluptates blandissimæ dominæ, quæ animum à virtute detorquent, homines sua falsa dulcedine decipientes, illisque miserabilem interitum machinantes. Nos verò, ne earum fallaci suauitate delinīti naufragium faciamus, claudamus aures, nauisque arborem, hoc est, Christi crucem amplectentes, demus vela, donec ad æternæ

æternæ summęque beatitudinis portum accedamus. Has sirenas ait diuinus noster vates in delubris voluptatis, hoc est in aulis principum habitare. Poteris harum pestilentium sirenarum nomine blandas lasciuasq; poetarum voces intelligere. Sed omnium pestilentissimæ sirenæ sunt hereticorum dogmata carnis libertatem asserentia. Pro sirenis verterunt Septuaginta hereticos. Est autem hereticus animal setis horridum, cutem habens foris asperam, intus verò lenem. Tales sunt nonnulli principes & præfules, in alios austeri & truculenti, in seipos verò lenes & mites. At præsul verè Christianus ait cum Paulo Apostolo. Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo, ne forè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

*Similitudo
1. Cor. 9.*

Argumentum Capitis XIII.

Consolatur diuinus vates gentem Hebræam, quam prævidebat apud Babylonios exultantem. Vaticinatur reditum suum ab exilio & misera captiuitate. Prædicat Babylonis afflictionem, eiusque superbissimi regis interitum, atque pœnas sempiternas, & Palestinorum excidium, luctuosamque calamitarem.

CAPVT XIII.



Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suā: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum: & possidebit eos domus Israel super terram Domini in seruos & ancillas: & erunt capientes eos, qui se ceperant, & subiciient ex ætate suos. Et erit in die illa, cum requiē dederit tibi Dominus à labore tuo, & à conuulsione tua, & à seruitute dura, qua ante seruisti, fumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contruit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione plaga insanabili subiciientem in furore gentes, & persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit. Abscites quoque letate sumi super te, & cedri Libani ex quo dormisti non ascendit qui succidat nos. Infernus super te conturbatus est in occursum

sum aduentus tui, suscitauit gigantes: Omnes principes terræ surrexerunt de solis suis, omnes principes nationū. Vniuersi respōdebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.

EXPLANATIO.

Miserebitur enim.] Cyrus rex Persarum capta Babylone Iudæos ad patriam suam liberos emittere. Sed hæc liberatio est attribuenda Deo, qui pro sua misericordia populum suū magnis iacturam tempestatibus ad Iudæam reuocabit. Lege Esdræ librum, & videbis historiam hanc. Lege etiam Aggæum, & Zachariam prophetas, vt radicitus totam intelligas historiam. Quod autem Esaias dicit, Miserebitur dominus Iacob. Intelligitur de Iuda & Benjamin, quarum tribuum Deus misertus est, eas ad Iudæam reducens. Per Ierusalem autem cuius reliquias inquit esse à Deo eligendas, intelligit eos, qui ex decem tribubus euaserunt, scilicet ad Ezechiam contulerunt, qui postea cum duabus tribubus fuerunt simul Babylonem transfati. De hac Hebræorum reductione dicebat Deus apud Ezechielem: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnā in terra, in montibus Israël.

Adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.] Veniēt cum Iudæis Hierosolymam multi ex diuersis gentibus, qui eorum religionem amplectentur, & relicta idolorum superstitione vero Deo adhærebunt.

Et tenebunt eos populi.] Varij populi honoris gratia reduecent Iudæos in patriam suam. Lege sacram scripturam: & inuenies fuisse Hebræos à Cyro honorificè tractatos, & muneribus pro reparando templo & vrbe adiutos. Considera terum vicissitudines & varietates, Deiq; immensam pietatē.

Et possidebit eos domus Israël.] Hebræi qui à Babylonijs captiui detinebantur, postea nonnullos ex illis secū captiuos asportabunt: iisque dominabūtur, qui antea ab illis tributa exigebant, eosque grauitè vexabant. Hoc fieri potuit, quia euersa Babylone fuerunt Babylonijs, qui euaserunt captiui, quorum nonnullos Hebræi à Persis emerunt, & secū Hierosolymam asportarunt. Sed quamuis hæc omnia ita in aperto orationis argumēto intelligātur, possunt tamen sic spiritua-liter explanari. Euersa Babylone Apostolorum prædicatione, mundi confusione & idololatria vastata, miserebitur Deus

Agg. 1.
Zach. 1.

Ezec. 37.

Deus Iacob, & eliget Israël, hoc est saluas faciet reliquias Hebræorum in Christo credentium. A diungentur adueniæ ad Iudeos, introibit gentium multitudo & veram fidem repudiata superstitione recipient, & cum Iudæis habitabunt Hierosolymæ, hoc est in ecclesia à Iudæis & gentibus congregata, quæ eos possidebit. Et viri Apostolici capient eos, à quibus ante vexabantur, eos tyrannos ad fidem conuertentes, sibi que subiectos efficientes, qui prius ipsos Christianos grauissimis suppliciis afficiebant. Et vt nullo alio in loco nisi Hierosolymæ licebat templum ædificare, aut facere sacrificium, sic solum in Ecclesia catholica Deus verè colitur, extra quam nullum est nec votum, neque sacrificium Deo gratum, & acceptum. Nos verò qui in ecclesia sumus, ad Deum ardentè precationes ac lachrymas fundamus pro iis, vota facientes, qui impias ac Lutheranas fraudes, & pestilentes hæreses amplexantes in Babylonica captiuitate detinentur, vt Deus illis oculos aperiat, & ad veram Hierosolymam, ad visionem pacis, ad fidem, ad religionem pietatis plenissimam reducat, vbi notus est Deus & sanctum nomen eius, ad eosque, pro quibus etiam sanguinem suum fudit, oculos suæ immensæ pietatis aliquando conuertat.

Et erit in die illa.] Alloquitur propheta populū Hebræorum ita dicens: Cum reuersus fueris in patriam tuam à iugo Babylonicæ seruitutis ereptus, & tibi Dominus pristinam tranquillitatem restituerit, recordaberis potentie quondam Nabuchodonosoris, & postea eius miseriæ, & in quas ærinas tandem inciderit. Cogitabis tecum, & memoria repetes magnitudinem ac superbiam Babylonis & quemadmodum omnis illa gloria & potentia transferit, & veluti fumus euauerit. Et cantabis parabolam hanc in regem Babylonis. Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? hoc est, Quis fieri potuit vt Babylon ciuitas auara & inexplicabilis desierit extorquere tributum ab Israëlitis, aliisque nationibus? Perit tyrannus, & ciuitas euerfa est. Possumus nihilominus per regem Babylonis diabolum intelligere, quem Christus *Ioan. 14. 30. 14.* mundi principem appellat, qui Christi morte mansit victus, & foris eiectus, & mundi confusio euerfa & idolorum cultus deletus, & vastatus. Hic rex Babylonis erat ille, cui omnes erant tributarij. At eo deuicto cecinerunt Christiani: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? exactor est qui tributum exigit.

Construit Dominus baculum impiorum.] Hoc est, perdidit

P Deus

Deus Nabuchodonosorem, qui erat baculus & virga, quo cædebantur impij. De quo supra dictum fuit: Virga furoris mei Affur.

Supra. 10. Cædentem populos in indignatione.] Describit tyrannidem Nabuchodonosoris, eiusque superbiam & immanitatem.

Abietes quoque.] Per abietes intelligit plebem, per cedros Libani duces & principes, quibus ipse Nabuchodonosor dominabitur. Qui eo mortuo elati gaudio dicebant: Ex quo dormisti, non est qui succidat nos: hoc est, Postquam viraque morte & temporali & æterna mortuus es, nemo est qui nos opprimat, quemadmodum tu immanissime tyranne facere solebas.

Infernus subter se conturbatus est.] Non solum terra, sed etiam infernus, qui sub terra est, insultavit, tuoque interitu lætatus est. Delectati sunt tua pernicie tam vivi quam mortui. Locus ille subterraneus cæcarum tenebrarum, & cruciatu æternorum suscitavit gigantes, hoc est, eos qui quondam opibus & potentia viam ad tyrannidem munierant, ut tibi occurrerent, & insultarent, te ipsum irridentes, tuamque potentiam in æternam miseriam conuersam subsannantes.

Et operimentum tuum erunt vermes.] Poterat verti: Plenus es vermibus. Quasi dicat: Tam terra es tu ô tyranne, tam fluxus & caducus quam alius quicumque. Tã terra est ea, quæ in serico ac precioso cervicali includitur, quam ea quæ in vili ac rudi sacco continetur. Tam vermibus obnoxius est rex quam agricola, diues quam pauper, claro quam obscuro genere ortus. Omnes plorantes ingrediuntur vitam, & omnes gementes obeunt mortem. Communis est omnium eadem miseria, & imbecillitas. Id intueri deberent & secum sæpenumero cogitare principes & potentes, qui sui obliti alios contemnunt, suaque potentia & opum affluentia elati non existimant se esse aliquando morituros. Et ita celeriter his falsis potentia & opum imaginibus spoliatur, & nudi ac egeni in æternos cruciatus detruduntur. Viperam ferunt exustam in cineremque conuersam mederi eiusdem bestia moriui. Mordet vipera, fit tumor, & plaga mortifera & pestilens, adhibe cinerem, & id in quod ipsum animal conuertitur, & sanitatem consequeris. Vulneratus es a superbia, mundi gloria, & potentia vipera venenosa, habes animam tumidam, ac pestifero morfu sauciam, considera cinerem, id est in quod dilabitur & conuertitur vana mundi potentia, & ipse puluis erit promptum & salutare remedium, quo possis ad vitam

Simile.

vitam reuocari. Et quemadmodum Naaman Syrus petebat ab Elisæo onus terræ quam volebat secum asportare, vt in quarto libro Regum diuinæ litteræ testantur, ne postea falsa gērium idola coleret, sed repudiata superstitione ad Deum confugeret, & supplex accederet: sic nos ne in rebus fluxis & inanibus collocemus beatitudinem, & à Deo discedamus, terræ sarcinam in memoria collectam & conseruatam ferre debemus, considerantes, & animo sæpenumero repetentes, esse nos terram, & omnium elementorum infimum & abiectissimum, imo ipsam elementorum faciem. Cùm autem homo sit formatus ex terra, terra autem ex nihilo, aperte concluditur, inter hominem & nihil solam terram esse interiectam. Præterea cùm nos simus ex terra formati, terra autem ex nihil, quis non videt, esse nos filios terræ, nepotes autem ipsius nihil? Hæc est nostra progenies: Hæc est nostræ nobilitatis origo & claritas. Hæc sunt nostra stemmata, & antiquæ familiæ monumenta. Hoc perpendens Ecclesiasticus his verbis exclamat: Quid superbit terra & cinis? Ad hanc salutarem & excellentem contemplationem nos tanquam oblitos nostri inuitat ecclesia, dicens: Memento homo quia cinis es & in cinerem reuerteris. Ac si diceret: Accipe hanc considerationem, quam tibi tribuo, veluti clauem admirabilem, qua poteris ostium tui ipsius aperire, teque ipsum intueri, & penetrare. Refera ianuam, ingredere teipsum qui à te longe abes, & aspicias totam domum cinere ac puluere repletã. Necte decipiat corporis pulchritudo, & insignis ornatus, nam omnia hæc interibunt, & in puluerem tandem conuertentur. Intellige teipsum, quoniam hæc est prauitatis causa, ignoratio sui. Et hæc verba æqualiter dicuntur illustrissimis regibus, & abiectissimis sutoribus, magnatibus, & à media plebe, ac obscura progenie sumptis. Quoniam nulla est hac in re inter magnos & paruos differentia. Imo principes, diuitiarumque copia affluentes in acerbiores miseras sæpenumero incidunt, quod non solum veterum annales, & antiquitatis monumenta loquuntur, sed etiam nostra hæc tempora apertissimè testantur: Et hoc est, quod illi, qui torquebantur in inferno, dicebãt insigni illi tyranno, & Babylonis quondam potentissimo regi. Vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es, & cetera quæ sequuntur. Quæ omnia diuinus vates tragice scripsit, nõ quod sic facta fuerint, sed vt poetica hac & pulcherrima orationis exornatione, miseras in quas incidit insolētissimus ty-

4. Reg. 5.

Eccle. 10.

rannus, describeret, & amplificaret, qui ex amplissimo dignitatis gradu præcipitatus fuit ad regionem illam terribilis horroris & cruciatus, æternarumque tenebrarum detrusus.

Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Vernasamen ad infernum detraheris in profundum lacu. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Nunquid iste est vir quid conturbauit terram, qui concussit regna: qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, vinculis eius non aperuit carcerem? Omnes reges gentium vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stipis inutilis pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta lacu, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura: Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti, non vocabitur in æternum semen pessimorum.

Quomodo cecidisti de cælo. Verba sunt eorum, qui in inferno positi regem Babylonis alloquebantur. Tu ô Nabuchodonosor, qui in mundo viuens vsque adeo potens & gloriosus fuisti, vt esses fulgori Luciferi comparatus, quoniam modò in terram corruisti, qui tantum tibi sumebas & arrogabas, vt auderes dicere, tantam gloriam & potentiam te esse consecutum, vt in cælum ascenderes, & ipsa Dei sydera tuis pedibus subiiceres. Lucifer est stella quædam appellata Venus, quæ discutit tenebras, & ardens ac micans radiis mundum illustrat. Astra Dei appellat magna sydera. Solet enim scriptura ea, quæ magna sunt Dei appellare, vt montes Dei, cedros Dei, Niniuen ciuitatem Dei, hoc est magnam. Et ita interpretantur nonnulli id quod dicitur Genesis primo capite: Spiritus Dei ferebatur super aquas, hoc est ventus magnus: & capite vigesimo tertio Princeps Dei es apud nos, id est magnus. Sed perpède regis superbiâ, Non dicit: Inter astra Dei, sed super astra Dei exaltabo solium meum. Hanc prophetiam scribit Daniel aliis verbis, quæ fuit illi in statua, quam vidit in somniis Nabuchodonosor, ostensa, cuius caput aureum erat ipse Nabuchodonosor, ostensa, cuius pedes fictiles haberet, fuit comminuta, & quasi in fauillam redacta, & ipse rex in infernum præcipitatus. Nec illi profuit mundi celebritas, & gloria, & fal-

Psal. 67.

Psal. 70.

Dan. 2.

& falsa nominis claritas & amplitudo. Est enim omnibus, qui ingenio & ratione ducuntur, satis perspectum & cognitum, veram mundi gloriam, & nominis splendorem & celebritatem, non in diuitiis, nec in potentia, sed in diuini numinis imitatione consistere. Et quemadmodum non est laudabilis aleator, vt Plato grauiter ac sapienter dicebat, cui optimus accidit iactus, sed ille qui quocumque iactu commodissimè vtatur, nam fœliciter accidere non est in lusoris manu, at aptissimè & sapienter ludere est in eius industria constitutum, sic non est vlla laude dignus, qui rerum humanarum affluentia, & prosperitate abundat, sed ille qui in quocumque vitæ statu eam viuendi rationem sequitur, vt actiones suas ad certam rationis normam dirigat, & diligenter momenta officiorum omnium perpendat. Hæc sunt ampla, hæc immortalia, & digna quæ publicis monumentis mandentur ad memoriam posteræ temporis sempiternam. Quemadmodum enim aleator, cui fœlix contigit iactus, ob ignauiam, & inscientiam suam ludum aliquando amisit, qui autem sinistram sortem accepit, ob eximiam solertiam, & prudentiam ludum obtinuit, & fuit victoriam consecutus, sic qui opum & potentiæ abundantiam fortiuntur, aliquando præcipites ruunt, in dedecus & infamiam & æternas misérias incurrentes, qui verò rebus vtuntur aduersis, & ad voluntatem minimè fluentibus, animi tranquillitatem in hoc exilio sæpenumero obtinent, & posteaquam ex vinculis corporum, tanquam ex carcere euolant æternam beatitudinem in patria consequuntur. Cæterum illud est aduertendum, Esaiam hoc in loco alludere ad casum diaboli, qui cum esset angelus splendidissimus, se superbè extulit, & eam ob causam fuit de cælo præcipitatus. Comparat igitur superbiam & arrogantiam Nabuchodonosoris cum superbia Luciferi, qui de dignitate cecidit in tenebras sempiternas, de quo ait Christus apud Lucam: Vide *Luc. 10.* Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ac si diceret: Non nouum est subici dæmonia in nomine meo, nam olim me spectante decidit eorum princeps. Nec vos ò discipuli mei debetis gloriari vestra hac potentia, quod vobis dæmonia subiiciantur, sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo, vt vnde ille cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem. Sed cum angelus ceciderit, priusquam Adam & Eva formarentur, quærendum videtur, cur Moyses mandauerit literis hominis casum, angeli autem ruinam tacuerit. Ra-

tio esse videtur, quia cum hominis peccatum esset delendū, hominumque genus Christi morte restaurandum, peccatū autem angelorum non esset dimittendum: voluit vir sanctus illud solum vulnus recensere, quod erat curandum, ut nobis ostenderet non esse necesse ex professo ea scelera narrare, quæ incurabilia & inexpiable videntur.

Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.] Per montem testamenti intelligit templum Hierosolymæ, ubi testamentum, hoc est, diuina lex erat, & docebatur, & quo populus orationis & sacrificij gratia conueniebat. Per latera Aquilonis intelligit Hierosolimam, de qua dicitur in psalmo: Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Non enim solum cælum desiderabat, sed templum sanctum, ubi vt Deus coleretur. Vide diaboli superbiam incredibilem, & arrogantiam intolerabilem, cogitabat vsurpare diuinum locum, & diuinum cultum. Sed quid feceras ðdæmon impudens? ubi erant tui labores, vt iam sederes? adhuc non laboraueras, & iam sedere volebas. Sraphim stant coram Deo volantes, & seruietes, & non sedent, & tu sedebis? Nonne, vt verbis Paulinis vtar, omnes sunt administratorij spiritus? Cur igitur in tantam superbiam deuenisti, vt velles non solum sedere, sed etiam ascendere in altitudinem nubium, & similitudinē altissimi vsurpare? Ero, inquit similis Altissimo. O superbiam inauditam. Ex eodem veneno propinquit diabolus primæ mulieri, quādo suadēs ei vt comederet fructum prohibitum, dicebat: Eritis sicut dñ scientes bonum & malum.

Ad infernum detraheris ad profundum lacu.] Perpende Dei iudicium. Qui altitudinem & potentiam appetit, ad eamque vult sine meritis ascendere, ad infernum detrahitur, in imam ac cæcam abyssi profunditatem proicitur. Consideret homo elatus, quid mereatur in terra, cum angelus in cælo constitutus prosternatur. Vera est & infallibilis illa Christi Dei nostri sententia: Omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Vnde sanctissima illa Dei genitrix virgo canebat: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Qui te viderint, ad te inclinabuntur.] Nempe vt te attentius intueantur. Non dicit, Ad te accedent, sed inclinabuntur. Ac si dicat: Tantum infra alios eris, vt ad te inclinentur qui te aspicere voluerint. Considera regis Babylonis miseriam, Sic in libro Sapientiæ scriptum legimus: Iudicium durissimum

Psal. 47.

Heb. 1.

Gen. 3.

Luc. 14.

Luc. 1.

Sapient. 6.

rissimū in his qui præsunt, fiet: Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.

Punitis eius non aperuis carcerem.] Tanta erat Nabuchodonosor immanitate insignis, & inquinatus, vt eos quos captiuos detinebat, crudeliter vexaret, & in obscuras latebras ita obtruderet, vt nec cælum nec lucē quidem aspicere possent.

Omnes reges gentium vniuersi dormierunt in gloria.] Sensus est: Omnes alij reges sepulti sunt cum honore in magnificis sepulchris, ex quibus non fuerūt extracti, tu autem ablatus es de sepulchro tuo, & auibis expositus. Et sepultis alijs, quos tu occideras, tu solus insepultus iaceas. Ferunt Hebrei successisse Nabuchodonosori filium eius Enimerodach. Et quoniam nonnulli existimabant non esse Nabuchodonosorem mortuum, & eam ob causam eius filium volebant regē constituere, ipse filius extraxit de sepulchro patris cadauer, vt viderent omnes eum re vera ex vita migrasse: & ne posset ad vitam redire, eius cadauer in ducentas partes diuisit, quas totidem auibis ex diuersis terris congregatis alligauit.

Descenderunt ad fundamenta lacu.] Id est, ad inferni profunditatem.

Tu enim terram tuam disperdidisti.] Hoc est, Regnum Babyloniorum fuit ob tuā superbiam euersum, & ciuitas funditus deleta. Attribuitur regi excidium regni. Ait enim Salomon in Prouerbijs: Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam. Nam non solum principes & præsules obsunt quod corrumpuntur, sed quod alios corrumpunt: plusque exemplo aliquando quā peccato nocent. Qua de re alibi latius disserui.

Profr. 19.

Non vocabitur in eternum semen pessimorum.] Hoc est, Memoria sceleratorū delebitur, & penitus obscurabitur, Euersa Babylone nullus de genere Nabuchodonosoris imperium obtinebit: sed eius potētia irreuocabiliter extinguetur. Ideo subdit: Præparate filios eius occisioni. Quibus verbis prædicit esse filios cum patribus occidendos, quoniam eorum patrum vitia fuerant imitati. Vt enim viri infimis orti natalibus si rerum gestarum gloria floruerint, vt virtutum opibus abundauerint, familiam suam abiectam & obscuram è tenebris in lucem vocant, sic qui in clarissima familia orti fuerint, si se vitis contaminauerint, & in republica violanda fraudes impias conceperint, suorum maiorum splendorem, antiquæ familiaris clarissimum lumen extinguunt.

Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum:

non consurgent, neque hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: Et perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus. Et ponam eam in possessionem hericii, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. Iurauit Dominus exercituum dicens: Si non ut putauit, ita erit: & quomodo mente tractauit, sic eueniet, ut conteram Assyriam in terra mea, & in montibus meis conculclem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extensa super vniuersas gentes. Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta: & quis auertet eam? In anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud. Ne lateris Philisthea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens voluerem. Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducia liter requiescent. Et interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam. Vlula porta, clama ciuitas: Prostrata est Philisthea omnis. Ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiat agmen eius. Et quid respondebitur nauitis gentis? Quia Dominus fundauit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi eius.

Præparate filios eius occisioni.] Id est, præparate vos o Persæ & Medi, ut nepotes Nabuchodonosoris interficiatis. Hoc ita accidit in euersione Babylonis.

Et consurgam super eos.] Minatur Deus Babylonis vastitatem.

Reliquii & germen & progeniem.] Id est, Perdam eas reliquias quæ ex prælio superstitites euaserint, & filios & nepotes & omnem denique Nabuchodonosoris posteritatem extinguam.

Et ponam eam in possessionem hericii.] Tanta erit Babylonis vastitas & solitudo, ut eam hericij & bestiarum aliarum colant. In Actis Apostolorum scriptum à Diuo Luca legimus, in vase illo linteo quatuor iniitiis subnixo, de cælo in terram descendente, omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & cæli volatilia contineri. Explicans autem paulo post D. Petrus visionem hanc, Mihi, inquit, ostendit Deus, neminem immodicum dicere hominem. Cum autem per illa animalia homines significarentur, constat in diuersis animalibus diuersos hominum mores demonstrari. Pharisæi & Sadducæi ob virulentam malitiam genimina viperarum appellantur. Hæc

Act. 10.

Luc. 3.

Luc. 13.

rodes

rodes ob impias fraudes & dolos vulpes vocatur. Alij equi, *Mat. 10.*
 alij lupi, alij aliter. Contra verò pñ & innocētes viri oues & *Mat. 13.*
 columbæ vocantur. Cūm autem Dominus diuitias huius sęculi
 sæculi curas comparat cum spinis, sit autem hericius animal
 spinis plenum, apertè colligitur, per hericium diuites signifi-
 cari, qui iuxta Dñi Pauli sententiam inferuerunt se dolori-
 bus multis. Qui enim vt in eadem epistola ad Timotheum
 dicitur, volūt dñus fieri, incidūt in tentationē, & laqueū dia-
 boli. Hi non muniuntur armatura Dei, sed spinis, ac mundi
 sollicitudinibus & peccatis. Tales habitatores habet Babylō,
 hoc est, mundi confusio. Tales cultores cōtinet mundus vir-
 tutibus desertus & orbatus. Ibi non est ager irriguus, afferēs
 dñerorum seminum fructus, sed limosæ & infertiles palu-
 des, luto & venēno plenissimæ, immunda animalia producē-
 tes. Est ergo diues avarus hericius, disertæ Babylonis habi-
 tator. Superiore capite in fine hebraicarum annotationum
 per hericium dixi significari iniquos præfules, quorum curis
 intus est blanda & suavis, foris autem hirsuta, & setis horri-
 da, qui cūm sint delitiis & volupratibus dediti, in alios hor-
 rent setis, & tyrannicam austeritatem exercent.

Iurauit Dominus exercituum.] Reuertitur propheta ad id,
 quod prælens erat, & vaticinatur excidium Sennacheribi
 qui tunc victa Samaria, & tota ferè Iudæa, obsidebat Hie-
 rosolymam. Sed eius exercitus fuit ab angelo occisus, vt alibi
 narrauimus.

Si non vt putauit ita erit, &c.] Hic est horum verborum
 sensus. Ego sine dubio perdam & euertam Sennacheribum
 regem Assyriæ: & ita eueniet, vt putauit & constitui. Et ita
 particula, si, est affirmantis aut iurantis. Vel sic. Si non eue-
 nerit, vt ego putauit, si Sennacheribum non perdidero, nolite
 amplius mihi credere.

In terra mea.] Hoc est, in Iudæa, quæ ob eam causam
 terra Dei appellatur, quia colebatur in ea, & quia ibi sum-
 pturus erat humanam carnē ex sacratissima virgine Maria,
 & quia ibi futurus erat suę natiuitatis locus, & quia ibi erat
 moriturus, & ad vitam reuocandus. Montes autem sanctos
 appellat terram illam Hierosolymæ, quæ montosa est: Ideo
 dicitur in psalmo: Qui confidit in domino sicut mons Siō, *Psal. 124.*
 non commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.
 Montes in circuitu eius.

Anferetur ab eis iugum eius.] Eueris Assyrii liberabuntur
 Iudæi à iugo, & graui Sennacheribi imperio.

Super omnem terram.] Intelligit Assyriam, & per omnes gentes ipsos Assyrios significat. Videtur alludere ad mundi consummationem.

Factum est onus istud.] Id est, Reuelata est mihi hæc variatio aduersus Babylonem & Assyriam, anno quo Achaz excessit è vita. Mortuo Achaz obtinuit regnum Ezechias, sub quo totus vique ad finem textitur liber.

Ne laeteris Philisthaa.] Mortuo Achaz rege Iudæorum lætabantur Palæstini, eius inimici: quoniam dum rex viueret illis resistebat, existimantes se posse securius in Iudæos perniciem machinari, quoniã rex qui in Iudæa succedebat, nempe Ezechias erat iuuenis, quem existimabant posse facile superari. At multo aliter euenit, fuerunt enim ab eo grauitè afflicti. Hoc intuens Propheta ait Palæstinis, ne gaudio afferantur morte percussoris sui, hoc est, regis Achaz, qui de radice colubri erat regulus egressurus, hoc est à rege Achaz genitus erat Ezechias, qui eos erat vastaturus. Appellat propheta regem Achaz colubrũ, & Ezechiam regulum, siue Basiliscũ, qui grauius nocet quàm coluber: & quoniam in aëre necat ipso afflatu volantes aues, subdit, & semen eius absorbens volucrum. de Basilisco ita scribit. Solinus cap. quadragesimo: Basiliscus serpens est penè ad semipedem longitudinis, alba mitra sã lineatus caput: nec hominis tantum, vel aliorum animantium exitiis datus, sed terræ quoque ipsius, quam polluit & exurit, vbicumque ferale fortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aërem nulla alitum impune trãsuolet, insectum spiritu pestilenti. Hęc Solinus. Eadem ferè scribit Plinius libro octauo capite vigesimoprimo. Qui dam per colubrum intelligunt Oziam qui afflixerat Palæstinos, vt habetur 2. libro Paralipomenon capite 26. per regulum verò Ezechiam eius proauum, qui grauitè Palæstinos vexauit, vt libro quarto Regum cap. 18. licet videt e.

Et pascuntur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescens.] Cum tu Philistea fueris ab Ezechia rege Iudæorum vastata, lætabitur populus meus, pascuntur & quiescent primogeniti pauperum, hoc est, homines admodum inopes successore pauperũ, & egeni securè accubabunt. Fortasse per primogenitos pauperum & pauperes, homines intelligit suæ fragilitatis conscios, nullaque superbia elatos. Sunt qui per primogenitos pauperum Iudeos intelligant, quòd olim fuerint à Deo dilecti.

Et interire faciam in fame radicem tuam.] Radicem Philisthæ appellat ipsos Palæstinos, hostes populi Dei, quos dicit evertendos esse: Poteris per radicem, qua nihil est in arbore fortius & firmius magnates & potentes intelligere.

Vlula portæ.] Solebant Hebræi in portis ciuitatis iudicia exercere, quapropter erant ibi multi congregati, quos propheta nomine portæ, quo ipsi conueniebant, alloquitur, vt Philisthæ vastitatem deplorent.

Ab Aquilone enim fumus veniet.] Hoc est, à Ierusalē, quæ est ex parte Aquilonaris Palæstinæ. Ac si diceret: A ciuitate Hierosolymæ veniet exercitus Ezechia, qui tibi ð Philisthæ tam molestus erit, quàm fumus oculis.

Non est qui effugiat agmen eius.] Id est: Nullus se domi continebit, omnes venient cum Ezechia ad præliū, nemo se excusabit. Vel sic: Nullus Palæstinus poterit euadere ab exercitu Ezechia, eiusque furore declinare. Prior tamē interpretatio melior est, cui fauet versio Pagnini sic habens: Et non erit solitarius in temporibus suis. Hoc est, omnes ad Ezechia exercitum conuenient, vt cum eo bellum inferant Palæstinis.

Quid respondebitur uniuersis gentibus.] Euersa Palæstina quid respondebunt eius habitatores legatis exterarum gentium? Cum Palæstina maritima sit, mittebantur ad eā legati ex diuersis regionibus, quibus percontantibus de insigni illa clade, quæ fuerat illata ab Ezechia, respondebant Palæstini, se ob eam causam fuisse victos, & Hierosolymam seruatā, quoniam illa fuerat fundata à Deo, in quo eius habitatores spem suam collocauerant.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XIII.

Quienit tributum.] In Hebræo est, *Quienit madheuah*. Id est auro plena, vel auri exactrix. Id enim hoc nomen, vt ait quidam Hebræus significat. Estq; epitheton Babylonis, quæ auro affuebat, quod à multis regionibus acciperet tributa. Et ita vertit Pagninus. Reuchlinus tamē ait significare hoc nomen aurum tributarium, pro quo non malè vertit noster interpres tributum.

Sedebo in monte testamenti.] In Hebræo est: *Sedebo in mōte modhe*, quod nomē significat testamētū, conciliū, ecclesiā, congregationem, tempus statutum, sepulchrum, & solennitatem,

tatem, ad quam multi conueniunt. Deriuatur à verbo *iaad*, quod significat congregare, conuenire, constituere, polliceri, despondere, & etiã testificari, vt ait Reuchlinus. Vnde nomen testamentum significat: quam significationem secutus est Latinus interpres. Per montē testamenti intelligi templū Salomonis, in quo erat & docebatur testamentum Dei, hoc est, diuina lex, in explanatione ostēdimus. Poterat nihilominus verti: In monte congregationis, vel consiliij. Ac si diceret: Sedebo in monte Sion, in quem conueniunt omnes Iudæi ter singulis annis, vbi congregati offerant sacrificia. Pagninus vertit. Sedebo in monte ecclesiæ, quod in idem recidit *ἑκκλησία* enim Latine cœtus, seu concilium, seu congregatio appellatur. Poterat etiam verti: Sedebo in monte temporis constituti. Quoniam certo ac statuto tempore illic congregabantur. Poterat præterea verti: In monte solennitatis, In quam significationem sumitur hoc nomen à Latino interprete in prima Ieremiæ lamentatione. Et quod non sint, qui veniant ad solennitatem. Et quoniam in sepulchris omnes congregantur, significat hoc nomen moedh sepulchrum. Vnde in libro Iob capite 20. vbi editio vulgata habet: Scio quia morti trades me, vbi cōstituta est domus omni viuenti: poterat rectē verti. Scio quia morti trades me, & domui congregationis omnis viuentis, quemadmodum vertit Pagninus. vel, Et domui sepulchri omnis viuentis. Est enim sepulchrum domus congregationis omnium mortaliū. Quauis enim in vita dispares videantur, in morte tamen omnes conueniunt.

Et descenderunt ad fundamenta lacu.] Septuaginta interpretes habent: Ad fundamenta terre, hoc est, ad centrum, ac terrę profunditatem. Vbi aspicias infernum esse in medio terrę constitutum.

Argumentum Capitis XV.

Vaticinatur de euersione Moabitaram. Est quidem Moab ab Arabum prouincia, in qua regnauit Balac filius Sephor: qui, vt in Numeris scriptum legimus, conduxit Baalam ariolum, vt malediceret Israeli. Fuisse Moab prouinciam inclytam & potentem asserit Ieremias capite quadagesimo octauo. Et quoniam Moabiter euersione & clade filiorū Israelis illata ab Assyriis & Babyloniis fuerunt magnopere deletati, Ideo merito fuerunt euersi ab iisdem, & eo tempore quo

Tren. 3.

Numer. 22.

quo Sennacheribus captiuus duxit decem tribus, & quando Nabuchodonosor Hierosolymam deleuit. Prædicit autem Diuinus vates eorum excidium ad bonorum consolationē, iuxta id quod dicitur in psalmo: Letabitur iustus cum vide- rit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Psal. 117.*

CAPVT XV.



Nus Moab : Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit : quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit. Ascendit domus & Dibon ad excelsam planctum super Nabo & super Medaba: Moab ululabat. In cunctis capitibus eius caluitiu, & omnis barba radetur. In triniis eius accincti sunt sacco, super lecta eius, & in plateis eius omnis ululatus, descendet in flentum. *Jerem. 48.*

Clamabit Hesebon & Eleale, & que lasa audita est vox eorum. Super hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit sibi. *Exec. 7.*

EXPLANATIO.

Onus Moab.] Hoc est, vaticinium de Moabitarum calamitate.

Quia nocte vastata est Ar.] Ar fuit ciuitas magna, Moabitarum metropolis, quæ nocte euerfa est, cum nemo fortasse esset de tā repentina oppugnatione sollicitus. Moab fuit filius Loth, quē ipse nesciens genuit ex filia sua maiore, vt in libro Genesi narrat scriptura. Et eam ob causam appellatur ita: significat enim Moab à patre, non enim erubuit eius mater nomine filij incestum significare. Et hic fuit pater Moabitarum. Possumus hunc locū sic interpretari, vt per Moab, qui noctu in spelunca de incestu genitus est, eos intelligamus, qui à patre diabolo sunt, quibus Christus apud diuum Ioannem, Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere. Quod non est de natura intelligēdum, quasi dæmon impios creauerit, vnus est enim solum creator visibilium omnium & inuisibilium, nimirum Deus noster summus, & æternus. Sed quemadmodum pñ ac iusti viri filij Dei appellantur, quos ipse genuit suo sanguine, quibus, vt ait diuus Ioannes, dedit potestatem filios Dei fieri: sic impñ, ac mortiferis sceleribus contaminati filij dæmonis dicuntur, *Gen. 10. Ioan. 8.*

- Iod. 1.* dicuntur, quoniam opera ipsius imitantur. Solet enim scriptura ex imitatione filios appellare, quemadmodum apud Ezechielem dictum fuit Iudæis: Mater vestra Cethara, & pater vester Amorrhæus. Vocantur etiam dæmonis filii, quia illi obediunt, & cum eo æternis cruciatibus torquentur. Hi sunt, quos Esaias ait perire nocte: quoniam non solum nocte æterna cæcarum tenebrarum cruciantur, sed etiam in hoc mundo in tenebris ac morte iacent, mentis lumine, spiritali vita priuati. De illis ait Apostolus in epistola 2. ad Corinthios scripta: Deus huius seculi excæcavit mentes eorum. Vbi D. Paulus diabolum appellat huius seculi Deum. Ita D. Cyrillus illum locum explanat, & cum eo D. Ambrosius. Nec est mirandū, cum Christus diaboli, huius mundi principem vocet, vt est apud diuum Ioannem multis in locis. Eam igitur ob causam dictum est, Moabitæ nocte pernisse, quod etiam de Sodomitis scriptum legimus. Illis enim pereuntibus venit Loth in ciuitatem Segor, & sol illi ortus est. His enim qui se à peccatis seiungunt, & sceleratorū familiaritatē relinquunt, moritur sol ille iustitię Christus Deus noster. Egredienti Iacob de terra sancta occidit ei sol, vt diuina scriptura non sine mysterio memorię prodidit. At cum postea reuerteretur, terramque promissionis introiret, ortus solis describitur. Illis oritur sol, eos illuminat Christus Deus noster, qui terram sanctam ingrediuntur, qui nouam vitam incipiunt, qui in corporibus humanis continent cœlestem viuendī rationem imitari: illis verò occidit, ab illis recedit, qui virtutem & honestatem relinquunt, segetris vitis contaminant. Nos verò armati fide, spe & charitate acriter vigilemus, ne in peccatorum nocte cum Moabitæ percamus. Hęc ciuitas Ar appellatur ab aliquibus Ariopolis. Et volēs propheta eius calamitatē exaggerare ait esse nocte vastandā: quoniā ea, quę nocte fiunt, terribiliora sunt.
- Gen. 29.*
- Gen. 32.*
- Nocte vastatus est murus Moab.] Describit excidiū Moab, cuius murus nocte fuit euersus. In sacris litteris murus sumitur pro tutela & defensione, vt in libro primo Regum cap. 15. vbi de Dauide & focis eius dicit Abigail: Pro muro erāt nobis tam in nocte quā in die, & aliis in locis. Ideo possumus in morali sensu hoc in loco impiorum defensionem intelligere. Dormitibus enim ipsis in errorum, & prauitatis nocte, perit eorum tutela, euanescit eorum potentia, præterit eorum læritia, & diuitiarum abundantia. Virtus est vna, quę altissimis defixa radicibus nulla procellarum vi labefactatur

Statu, & murus firmissimus, qui loco dimoueri nequaquam potest.

Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum.] Hoc est, Domus regia & tota vrbs Dibon ascenderunt ad idola, quæ erant in excelsis locis constituta, vt ibi sacrificarent, & pro liberatione preces ac lachrymas funderent. Idolsu Moabitarum appellatur Chamos, vt in 2. libro Regum diuina t. Reg. vii. historia commemorat, & erat in arce Dibon collocatum.

Super Nabo, & super Medaba.] Ciuitates erant nobiles Moabitarum.

In cunctis capitibus eius caluitium.] Apud antiquos erat magnum doloris ac luctus signum barbam radere, & capillos capitis euellere, aut saltem tondere caput.

In iuuuibus eius.] Triuium est locus viarum. Sed ponitur pro loco frequenti & publico, quò homines conuenire solent. Ostendit Propheta luctum non esse priuarum, sed omnibus communem. Super tecta eius dicit, quia habebant eorum domus in tectis solaria, & loca plana, quibus ipsi sedebant & deambulabant.

Clamabit Hesebon.] Hesebon & Eleale sunt Moabitarum vrbes insignes, quarum clamores & fletus dicit vsque adeò magnos esse, vt vsq; ad Iasa peruenirent, quæ est ciuitas immittens mari mortuo, vbi finitur terminus Moabiticæ regionis. Ostendit propheta summa & acerbissima esse Moabitarum lamenta.

Super hoc ex pediti Moab ululabunt.] Non solum homines fragiles & imbecilli, sed etiam bellicosi, & armis accincti dedunt, tunc mulieribus lamætis grunas suas acriter deplorabunt.

Cor meum ad Moab clamabit, vestes eius vsque ad Segor vitulatum consermantem: per ascensum enim Iuith stens ascendet, & in via Oroniam clamorem contritionis leuabunt. Aquæ enim Nerrim deseruæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interit. Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos. Quoniam circuibit clauor terminum Moab: vsque ad Gallim ululatus eius, & vsque ad puseum Elims clamor eius. Quia aquæ Dibon repletae sunt sanguine, ponam enim super Dibon additamenta. His qui sugerint de Moab leonem & reliquis terra.

Cor meum ad Moab clamabit.] Id est, Tanta erit Moabitarum clades, tam acerba calamitas, vt etiam ego, qui illorum penas iustas ac debitas esse intueor, eorû excidiû deplem. *Vestes eius vsque ad Segor.*] Hoc est, Termini Moab extendun-

tenduntur vsque ad Segor, quæ est ciuitas in finibus Moabitum, quæ præcationibus Loth seruata est: vt in libro *Gen. 19.* Genesius refert diuina scriptura. Appellatur autem hic à Propheta vitula consternans, hoc est, trima propter luxuriam, & rerum abundantiam. Codices correcti habent ad marginem pro consternanti cõternantem, hoc est, trium annorum, quæ est florens ætas in vitulis: Sic Ieremias Aegyptum vitulæ cõparat ita dicens: Vitula elegans ac formosa Aegyptus. Vel sumit vates vctes pro fortitudine: & potest litera sic ordinari: Euersa est vsque ad Segor fortitudo, & potentia Moab, quæ regio est ob eius fertilitatem, rerumque affluentiam vitulæ trium annorum comparata.

Aqua enim Nemrim deserta erunt.] Sensus est: Sic erit terra Moab sterilis, quemadmodum locus iuxta oppidum Nemrim, cuius aquæ sunt amaræ & steriles, & adiacet mari mortuo. Nemrim sonat præuaricatores, de quibus dicitur in psalmo. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: Horum enim aqua, horum doctrina, qui alios incitant ad vitia, impia est, & sterilis, ni hil habens viriditatis, nihil virtutis.

Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum.] Hoc est Moabitum poena respondebit magnitudini peccatorum eorum, iuxta id quod habetur capit. 25. Deuteronomij: Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Sumitur hic visitatio pro afflictione, quemadmodum in psalmo. Visitabo in virga peccata eorum. Et capite 10. dixit vates noster. Quid facietis in die visitationis? Et Ieremias: Adducam, inquit, super Moab annum visitationis eorum.

Ad torrentem salicum ducent eos.] Hoc est, ad Euphratem flumen Babylonis, iuxta illud: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra; qui enim à dæmone captiui tenentur, ad flumen Babylonis ducuntur, vbi omnia fluunt, cum in Sione omnia firmiter permanent Nullas arbores flumen Babylonis irrigat, præter salices steriles & amaras. Quære in mundi confusione salutarem fructum, nullum vnquam inuenies.

Quia aqua Dibon repleta sunt sanguine.] Præ occisorum multitudine.

Ponam enim super Dibon additamenta.] Quæ sint hæc additamenta, sequenti versiculo explicat dicens, se immisurum leonem, qui deuoret eos Moabitas, qui effugerint, & reliquias quæ euaserint. Poderis per leonem tyrannum intelligere. De hac visione vide Ieremiam capite 48.

Annota.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XV.

Ascendit domus.] Potest verti: Ascendit domum. Ac si dicat: Ascenderunt Moabitæ ad templum idolo suo dedicatū. Pagninus vertit: Baith, quemadmodum est in Hebræico.

Veſtes eius vsque ad Segor.] Pro veſtibus eius est in Hebræico ita, bericheha: verbum barah significat fugere, vt 2. Regum decimotertio: Porro Abialoni fugiens abiit. Vnde nomen toarberiach significat fugitium & profugum. Ideo potest verti: Fugitui eius vsque ad Segor. Quasi dicat: Qui euaserint ex euerſione Moab, fugient in Segor. Sed quoniã ciriach significat veſtem, vt Iob 38. Et posui veſtem, tranſtulit noster interpres, veſtes eius, & rectè quidem. Ac si dicat: Non solum liberi, sed etiam illi, qui veſtibus ferreis fuerint ligati, metu perterriti, fractis vinculis fugient ad Segor. Vel per veſtes intelligit principes & potentes, propter eorum longum & durum dominium & principatum, vt capite 26. explanauimus.

Argumentum Capitis XVI.

Orat diuinus vates cœlestem patrem, vt mittat è cœlis filium suum, quem præuidebat sumpturum esse carnem ex genere Ruth Moabitidis. Et ipsorum Moabitarum vaticinatur excidium ob earum immanitatem & superbiam.

CAPVT XVI.



Mitte agnum Domine dominatorem terre. de petra deserti ad montem filie Sion. Et erit: Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filie Moab in transsensu Arnon. Ini cōsiliū, coge conciliū, pone quasi noctem v̄bram tuam in meridie. Absconde fugientes, & vagos ne prodas: Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: finitus est enim puluis. consummatuſ est miser. defecit qui conculcabat terram. Et preparabitur in misericordia solium, & sedebit super eum in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudiciū, & velociter reddens quod iustū est. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius,

Q & atro-

& arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Idcirco ululabit Moab ad Moab, uniuersus ululabit. His, qui latantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

EXPLANATIO.

Emitte agnum.] Iudæi interpretantur hoc de agnis, quos Moabitæ regi Israelis tribuere solebant. Sed longè falluntur opinione. Intelligitur enim locus hic de Christo Deo nostro, cuius aduentum Esaias ardentè desiderabat. Ita asserit D. Hieronymus, quem multi postea sunt secuti. Prædixerat vates sanctus capite præcedenti Moabitarum vastitatè: nunc Deum obsecrat, ne omnes illos deleat, quoniam sciebat filiū Dei fore ex genere Dauidis, qui ex Ruth Moabitide genus ducebat. Nam Ruth nupsit Booz, de quo genuit Obed, qui genuit Iesse patrem Dauidis, ex cuius semine Christus natus est. Petra deserti erat ciuitas Moabitarū, vbi dicunt natā fuisse Ruth. Per montem filiæ Sion significatur Hierosolyma, & per eam ecclesia, quæ est visio pacis in Sione, hoc est in specula sublimi constituta: de qua dictum est in Psalmo: Be nignè fac domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Non enim existimo excellentem vatem de mœnibus terrenæ vrbis locutum fuisse, sed de ecclesiæ catholicæ ædificatione per agnum illum immaculatum, cuius aduentus desiderio tenebatur Esaias, vt hominum genus à miserrima captiuitate liberaret, ita dicens: Emitte agnum Domine dominatorem terræ. de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Ac si diceret: ne perdas Domine omnes Moabitas ex quorum progenie nasciturus est Christus. Emitte iam eū qui innocentissimus agnus pro nobis immolatus hominum facinora suo preciosissimo sanguine deleat, qui est dominator terræ. Ipsiū enim est quicquid omnibus terrarum finibus continetur. Emitte inquam, cum de petra deserti, de ciuitate Moabitarum, vbi nata est Ruth Moabitidis ad montem filiæ Sion, hoc est, ad ecclesiam catholicam constituendam & gubernandam, per terrenam Hierosolymam significatam. Appellari Christum agnum asserit D. Ioannes baptista, qui eum ostendens dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ac si diceret: Agnus ille immaculatus, quem iuxta id quod in Exodo Moyses scriptum reliquit, immolatis, cuius sanguis positus super postem, & in superliminibus domorum vestrarū, vos in exitu ab Aegypto eripuit

Psal. 50.

Ioan. 1.

Exod. 12.

ab in-

ab interitu, erat eius agni imago quædam & figura : ille erat umbra, hic est verus Dei agnus innocētissimus, qui pro mundo immolatus, suo purissimo sanguine hominum genus ab æterna damnatione potenter eripiet. Hic est agnus ille absque macula, de quo dixit Esaias: Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suū: sicut ouis ad occisionē ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet. Hic est agnus quem Esaias in hoc capite mitti petebat, cuius videndi desiderio flagrabat. Ostendit hic locus filiū mitti à patre, quod Apostolus testatur, dicens: Misit deus filium suum factum ex muliere. Verum ex Hebræo potest verti. Mittite, in plurali, & ita reddidit Latine verbum Hebraicum Pagninus & non nulli alij, iuxta quorum versionem filius mittitur à patre, & spiritu sancto, id quod sine dubio verum est. Nam ipse Christus dicit per hunc eundem Prophetam cap. 48. Nunc misit me Dominus, & spiritus eius. Quem locum D. Ambrosius in lib. 3. de Spiritu sancto ita interpretatur: Quis est qui dicit, me misit Dominus, & spiritus eius, nisi qui venit à patre ut saluos faceret peccatores, Id est Christus? Ergo & pater filiū misit, & spiritus sanctus. Hęc Ambrosius. Eam ob causam Esaias ait, emittite. Particula, Domine, nō est in Hebraico, nec in versione Septuaginta interpretū, nec in textu D. Hieronymi. Petram deserti, per quam exposuimus ciuitatem regionis Moab, dicunt nonnulli esse periphraſim totius regionis Moab, quæ est in Arabia Petræa. Diuus Hieronymus existimat esse periphraſim ipsius Ruth, quæ erat petra quædam gentilitatis, quæ à vero Dei cultu erat deserta. Alij per petram deserti intelligunt petram illam refugij, ad quam omnis peccator desertus, ac virtute destitutus debet confugere, quæ est sanctissima illa Dei genetrix Maria peccatorum omnium asylum, & turris munitissima, Mons filij Sion periphraſis est Hierosolymę, quæ ex monte Sione nasci videtur, in quo ad latera Aquilonis sita est, iuxta id quod dicitur in Psalmo: Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Et aduerte. Non dicit: Emitte leonem crudelem, sed eum, qui cum sit totius terræ dominator, agnus mitissimus sit. Aspicias hoc de Christo intelligi, qui est totius terræ dominator. Ita cum etiam Malachias appellat, dicens: Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis. Et hoc dominium non fuit coactum, sed voluntarium. Ideo de illo aiebat Iacob: Et ipse erit expectatio gentium: vel, ut potest verti ex Hebraico. Et ipsi gentes adhærebunt.

*Infra 5.**Galat. 4.**Psal. 47.**Mala. 3.**Gen. 49.*

Et erit sicut avis fugiens.] Sensus est, Deprecor te summe Deus, ne perdas omnes Moabitas, video enim tam ingentē fore eorum cladem & vastitatem, vt nemo se audeat defendere. Fugient nonnulli, & præ metu incredibili tanta velocitate current, vt cum auibus comparentur, cum magis volare quàm currere videantur. Moabitas appellat filias Moab, nō filios, vt eorum metum & imbecillitatem significaret. Sunt qui per filias Moab intelligāt oppidula & vicos. Alij mulieres Moabitidis regionis habitatrices quæ se in fugā cōiicientes fluuium Arnō vadabāt. est enim Arnon fluuius in finibus prouincię Moabitidis, vltra quē se Moabite conferebāt.

Ini consilium.] Capta Samaria nonnulli ex decē tribubus fugientes acerbam captiuitatem & tyrannidem Assyriorū, confugiebant ad Moabitas, qui non solum eos nō receperūt benignē, sed eorum calamitatem irridentes Assyriis tradiderunt. Et eam ob causam permisit Deus, vt essent postea Moabite ab iisdem Assyriis occisi, & in captiuitatem asperam abducti. Iubet igitur Deus ne faciāt Iudæis, quod Israelitis fecerāt. Sensus est; Suscipite post hac consiliū vos Moabite, facite cōuentum, congregate prudentes, facite quod suadeo, si vultis salutem adipisci. In meridie, hoc est, in clara & aperta fuga Iudæorum, qui vastata Iudæa, & obsessa Hierosolyma ad vos confugient, estote illis veluti vmbra & nox, vt abscondatis eos, qui se ad vos cōtulerint: suscipite profugos patriaque pulsos, ne eos prodatis: referte gratiam posteris Abrahami, qui patri vestro Loth opem sæpe tulit: miseremini eorum, & ego miserebor vestri. Id autem quod dicitur, Pone quasi noctem vmbra tuam in meridie, potest etiam hunc habere sensum: Pone tu o Moab vmbra tui refugij super afflictos Iudæos, esto illis vmbra refrigerij & subleuationis, & nox hospitalitatis in estu feruentissimo suarum calamitatum. Comparat itaque afflictionem æstui meridiano, & præsidium vmbra æstuantibus dulcissimæ. In eo fortasse quod dicit ponendam esse vmbra vt noctem, significat magnam debere esse vmbra defensionis & tutelę.

Finitus est enim puluis.] Poterant dicere Moabite, se non audere Iudæos ad se confugientes recipere, quoniam timebant Sennacheribum. Huic tacite obiectioni occurrit propheta dicens: Ne vos terreat vastator, quia cito veluti puluis peribit, eiusq; potentia euanesceat, consumetur miser, & miserabiliter interibit, qui modō terram populatur. Quibus verbis interitū Sennacheribi eiusq; exercitus admirabilem cladē prædicit.

prædicat. Tu verò alta mente perpende, quàm vili rei comparatur rex ille illustrissimus qui orbè terrebat: puluis appellatur ille, qui superbia elatus regibus imperabat. Poteris per puluerè exercitū Sennacheribi intelligere, solet enim diuina scriptura ingentem multitudinē pulueri cōparare, quemadmodū cap. 13. Genesis, vbi Deus in hunc modum alloquitur Abrahamū. Faciam semen tuū sicut puluerē terrę: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuū numerare poterit.

Et præparabitur in misericordia solium.] Confractō Sennacheribo permanebit in regno Iudææ Ezechias, cui Deus ob suam misericordiam thronum præparabit, & fedebit super eum in veritate, hoc est sine acceptione personarū, in tabernaculo Davidis. Quæret iudiciū, ipse per se inquireret veritatem, etiam à nemine requisitus, & reddet velociter vnicuique quod suum est. Tres qualitates tribuit iusto regi: prima est, iudicare sine acceptione personarum, secunda etiam non rogatum inquirere iudiciū, tertia est non esse negligentē & tardum, sed velocem & diligentem in exercenda iustitiā.

Conuenire autem bono regi aut iudici primam harum qualitatum, nemo est qui dubitet. Cū enim rex debeat in iudicando Deum imitari, apud Deum autem non sit personarum discriminē, vt ait D. Paulus in epist. ad Romā. & diuina scriptura multis in locis testatur, aperte concluditur, non debere esse apud iudicem personarum discriminē. Esse verò secundā qualitātē iudici necessariā, ostendit sapiētissimus ille ac illustrissimus rex Dauid, qui cum vocaretur ad exitum vitæ filiū suū Salomonem ita allocutus est. Nosti quæ fecerit mihi Ioab fili⁹ Saruię, occidit duos principes exercitus Iſraelis. Quibus verbis ostendebat rex iustus, prius seipsum esse offensum cede duorū virorum, quàm ipsos viros defunctos. Nō enim dicit: scis quid Ioab fecerit duobus viris, quos imperanter occidit, sed nosti quæ fecerit mihi. Cū enim regis sit rempublicā custodire, & iustitiā seruare, plus ipse ab hominibus dæditur quàm ipse interfestus, & eam ob causam debet iustus rex aut iudex etiam non rogatus neque requisitus, veritatem inquirere, & iustitiā exercere. Iam tertiā qualitātē quis non videt esse regi & iudici summè necessariam? Quis est qui nesciat inter laudes iusti regis & iudicis esse diligentiam in exequenda iustitiā connumeratam? Perpende quàm citò Christus Deus nos ter filios Zebedæi, eorumq; matrē fuerit allocutus, quam sine mora sententiā tulerit: Nescitis inquit

Rom. 2.

3. Reg. 2.

Matt. 20.

Q. 3. quid

quid petatis. Non eos ad alios remisit, nō dilatauit tēpus, nō eos passus est in postulatione vitā cōsumere. Et in cruce pendens grauiter cruciatus, & acerbissimis contumeliis affectus, etiam morti propinquus supplicātem audiuit, eiq; statim respondit, Hodie, inquit, mecum eris in paradiso, Quā maior poterat esse in absoluenta petitione diligentia? Omnes has qualitates attingit Iosaphat Iudæorū rex in ea oratione, quam habuit ad eos, quos iudices constituerat, vt in libro 2. Paralipomenon literæ diuinæ testantur. Videte, inquit, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudiciū, sed Domini, & quodcumq; iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite, nō est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Hæc Iosaphat. Cæterum omnes hæc qualitates potius Christo, quā Ezechia conueniunt. Et ob eam causam sensus horum verborum Esaie talis est. Non te pœnitebit ô Moab scipere Iudæos ad te confugientes: nam ex eorum genere nasciturus est Christus in temporis plenitudine, qui regnabit in æternum, sedebit super solium Dauid, verè atque iuste iudicans, quærens iudiciū, & vnicuique quod suum est diligenter reddens.

Audiuimus superbiam Moab.] Hæc fuit vna ex præcipuis causis vastitatis Moabitarum. Erant enim insolentes & superbi. Talibus enim resistit Deus, iuxta id quod cecinit beatissima Dei genitrix: deposuit potētes de sede, & exaltauit humiles.

Vlulate Moab ad Moab.] Hoc est, Moabitæ ad inuicem viu labunt, seque alternis lachrymis respiciēt. Nullus erit extraneus, ad quem possint confugere, sed inter se ipsos suas ærumnas deplorabūt. Vel sic: Moabitæ viui mortuos Moabitas lugebunt.

His qui latantur super muros colli lateris.] Hoc est, explicata ô Moabitæ, excidium ciuitatum iis, qui earum mœnibus gloriabantur. Dicit illis, quā parum eis profint fortissimi muri colli lateris, in quibus spem suam constituerant. Significat tantam fore hostium fortitudinem, vt nulla illis mania possint resistere.

Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama Domini gentium exciderunt. Flagella eius vsque ad Iaser perueniunt, errauerūt in deserto, propagines eius relicte sunt, transferūt mare. Super hoc plorabo in fetu Iaser vineam Sabama: inebriabo te lachryma mea Hesebon & Eleale: quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit. Et auferetur letitia

Luc. 23.

2. Par. 19.

Luc. 1.

Ierem. 43.

lætitiâ & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit nec iubilabit: vinû in torculari non calcabit, qui calcare cõsueuerat: vocem calcantium abstuli. Super hoc venter meus ad Moab quasi eit bara sonabit, & viscera mea ad murum cõstilateris. Et erit: cum apparuerit quod laborauit Moab super excelsis, ingredietur ad sancta sua, vt obsecret, & non valebit. Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc. Et nunc locutus est dicens: in tribus annis, quasi anni mercenarii aufretur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur in eo sicut raemus paruus & modicus nequaquam multus.

Quoniam suburbana Hesebon.] inter Hesebon & Sabama, vt ait D. Hieronym. vix sunt quinquaginta passus: Per vineg translationẽ totius regionis vastitatem significat. Dominos gentiũ appellat Assyrios, qui Moabitas euerterunt: Fortasse eã ob causam Moabitas cõparat eũ vinea, quoniam filij erant ebrietatis. Inebriatus enim Loth genuit ex filia Moab, qui, vt Moyses in Genesi scriptũ reliquit, fuit Moabitarũ pater.

Flagella eius vsque ad Iazer peruenerunt.] Flagella sunt vites, & capita sarmentorũ, vbi nascũtur vuæ, per quẽ ciues & optimates significatur, per propagines verò quæ sunt vites vetulæ & suppressæ, ex quibus alię vites producũtur, homines obsecuti intelliguntur: per vineã verò, totã regionem. Vel per propagines patres, per flagella verò filios intelligit. Est ergo sensus. Excisa & deuastata vinea, hoc est, euerita ab Assyriis regione Moab, quidã ex Moabitis, nimirum ciues & nobiles adolescẽtes fugerunt vsq; ad Iazer, quæ est ciuitas sita in finibus Moab, qui vt mortẽ euaderẽt, se in desertum cõtulerunt: aliũ verò, nimirũ plebei & senes qui non potuerũt fugere, fuerũt capti & in Assyriã adducti, mare transeuntes, hoc est, Euphratẽ, quem in Assyriã migrãtes traiecerũt. Aliũ sic explanãt & fortasse melius: Domini gentium exciderunt vineã, & flagella eius, hoc est totã terram cum ciuibus euerterũt. Et hic finitur periodus, tunc sequitur. Vsque ad Iazer peruenerũt, nõ Moabite, sed Assyriũ, vt eam popularentur, & vastauerunt Moab vsq; ad desertũ inhabitabilem: & propagines relixtæ, hoc est, Moabita, qui superstites euaserunt, fuerunt per Euphratem in Assyriam translati.

Super hoc plorabo in fletu Iazer.] Verba sunt Prophetæ plorantis calamitates Iazer, Sabama, Hesebon, & Eleale, quæ fuerunt vrbes quondam florentissimæ.

Quoniam super vindemiam tuam.] Ideò super te vim lachrymarũ profundã, quia in eo tẽpore tuæ lætitię audies clamorẽ

rem exercitus hostilis in te irruentis. Lege quadragesimū-
ctauū caput Ieremię, & inuenies totā hęc historiā explicatā.

Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo.] Carmelus
est mons feracissimus, vbi Elias flexis genibus pluuiā à Do-
3. Reg. 18. mino impetrauit. Comparat igitur vates fertilitatē Moab,
monti Carmelo, quam prædicit esse auferendam.

In vineis non exultabit:] Subauditur Moabita, nec vinum
in torculari calcabit, quoniā hostilis exercitus equorū pedi-
bus vvas cōprimeret. Vocem calcantium abstuli, hoc est, ego,
ait Deus, abstuli à Moabitīs omnem lætitiā, & vocem cal-
cantium, hoc est, cantiones & verba, quibus illi qui vvas pedi-
bus conculcabant, se ad opus cohortabantur. Hoc expressit
Ieremias his verbis: Super messem tuā & vindemiam tuam
Ierem. 48. prædo irruit: ablata est lætitia & exultatio de Carmelo, &
de terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli. Nequa-
quam calcator vva solitum celeuma cantabit.

Super hoc venter meus.] Id est, ob hanc calamitatē cor meū
& viscera mea lugebūt, & quasi cithara sonabunt. Videtur al-
ludere ad antiquorū consuetudinem, qui in luctibus pulsabant
citharas, & lamentis dediti lugubria carmina canebant.

Et erit cum apparuerit.] Sensus est: Cū se Moabitæ vide-
runt frustra orando laborare in excelsis, vbi eorum idola sunt
constituta, ingredientur templum sui præcipui idoli, vt ibi
fundant preces: sed præ fatigatione non poterūt ingre-
di, nec salutem obtinere. Significat magnam Moabitarum
calamitatem. Solent enim homines cū in acerbis grumnis
versantur, preces fundere, & templa venerari. At
Moabitæ nullum in diis suis inuenerunt præsidium, imò ea-
dem calamitas erat illis cum idolis communis.

Hoc verbum.] Sensus est. Hoc quod dico eueniet sine du-
bio, nam sermo hic de Moabitarum euerfione, quem Deus
olim prædixit, modò iterum dicit. Particula ex tunc, capitur
aliquando pro æternitate, vt in Psalmo, Parata sedes tua ex
tunc. Aliquando pro certo tempore præterito, vt hoc in lo-
co, & infra capite quadragesimo quarto: Et tunc audire te
feci, & annuntiaui: & aliis in locis.

Psal. 92.

Infra. 44.

In tribus annis, quasi anni mercenarii.] Prædixerat Deus
longè antè hanc Moabitarum euerfionem, nūc dicit ventu-
ram esse intra triennium: Ac si diceret: tribus annis durabit
prælium in quibus tota terra Moab vastabitur. Vel prædicit
esse terram illā vastadam tribus annis post euerfionē Hiero-
solymæ. Ideo ait: quasi anni mercenarii, quia mercenarius est
certum

certū tēpus prescriptū & constitutū. Simili phrasi vtitur no. *Infra. 21.*
ster vates c. 21. dicens. Adhuc in vno anno quasi anno merce-
narij, & auferetur omnis gloria Cedar. Et Iob cap. 4. Rece-
de paululum ab eo vt quiescat, & sicut mercenarij dies eius.

Sicut racemus.] Quemadmodum parui atque pauci race-
mi manent in vinea post vindemiam, ita pauci Moabite ma-
nebunt superstites in terra Moab.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XVI.

Emitte agnum Domine dominatorem terræ.] In Hebraico ita
est scriptum: xilchu char moxel ærats. R. Ioseph per domi-
natorem terræ intelligit Ezechiam regem Iuda: & existimat
vertendum esse hunc locum hoc modo: Emitte agnum do-
minatoris terræ, hoc est, Emitte vos Moabite agnos regis
Ezechie, qui est dominator terræ, soluite illi debitum tribu-
tum. Nomē enim moxel, quod significat dominator tem, nō
solum potest verti per accusatiuum, sed etiam per genitiuū,
& per omnes ferē casus. In hanc opinionem adductus est
Rabbinus ille motus, vt ipse ait, hystoria illa quæ est in lib.
4. Regū memorię prodita, capit. 7. vbi narrat scriptura fuisse
regē Moabitarū tributariū regi Israëlitis, cui solitus erat miter-
tere singulis annis centum millia agnorū, & centū millia ari-
etum. Hunc secuti sunt multi alij Iudæi: & quod admirabi-
lius est, nonnulli Christiani, quorum vnus est Pagninus, qui
vertit: Mittite agnum dominatoris terræ. Brixianus vertit:
Emitte agnū dominatori terræ: & in scholiis sequitur ean-
dem Iosephi expositionem. Sed qui fieri poterat, vt diuinus
vates dominatorem terræ appellaret Ezechiam, qui in duas
tribus solum dominabatur, in angulo quodam terræ pro-
missionis? præterea quomodo agnos illos dicit esse regis Eze-
chie, cui nusquam diuinæ literæ commemorant eos fuisse
debitos, nec tributos? Neque possunt per dominatorem ter-
ræ intelligere Oseam regem Israëlitis, qui quando hæc Esaias
mandauit literis, aut iam regnum amiserat, & tota Samaria
erat vastata, & funditus euersa, aut saltem in misero & infæ-
lici statu jacebat. Quādo enim Esaias hanc vaticinationē cō-
signauit monimētis, obtinebat regnum Iudæ Ezechias, quo
tempore decem tribus fuerūt captæ & afflictæ & in Assyriam
translatæ. Non igitur possunt hoc regi Israëlitis tribuere, quia
in reprehensionem debitam incurrant, Nam aut iam Sama-

4. Reg. 7.

ria erat vastata, & regnū deletū, aut non: si iam euersa erat, ridiculum est dicere, appellari dominatorem terræ, eum qui captiuus erat, & nullius dominabatur. Si verò adhuc Oseas regnabat, non est credibile impio regi & idolorum cultori, potulari tributum à vate sanctissimo, eumq; terræ dominatorem appellari, qui in sola Samaria regnum gerebat, & erat regis Assyriorum seruus & tributarius, nam eo regnante incidit regnum Israëlitarum propter eorum incredibilia scelera, & impia facinora in ærumnas acerbissimas, & ita iacuit in illo calamitoso ac abiectissimo situ, donec eū Deus euerit, & ad luctuosum excidium & vastitatem vocauit. Legamus igitur: Emitte agnum domine dominatorem terre, quæ admodum habet versio antiqua ab ecclesia approbata, & per agnum dominatorem terræ, cum D. Hieronymo, D. Thoma, aliisque viris doctissimis Christū Deū nostrum intelligamus, quemadmodum etiā in officio aduentus hinc versus de Christo explanatur. Cum autem ex Hebræo possit verti per accusatiuum, & per accusatiū verterūt Septuaginta interpretes, & hæc nostra versio contineat admirabile redemptionis humanae mysterium, sitq; ab ecclesia approbata, & de Christo exposita, & ita à sanctis ac sapientibus viris explicata, nescio cur Christiani recusarint in huius interpretationis societate tanquā in equum Troianum cum principibus includi, & voouerint potius sequi hoc in loco Iudeorum opinionem, cum etiam multi ex Iudæis hunc locum de Messia intellexerint, quorū vnus est Ionathas, Chaldaicè inter eos magni quidè nominis & celebritatis: alter est Rabbi Dauid Kimhi, qui nō solum Iudæos suæ ætatis, sed etiam multorum antiquorum memoriam ingenij præstantia superauit. Per montem filie Sionis in explanatione interpretati sumus ecclesiā. possum⁹ tamē intelligere simpliciter eundem montē, ad quem agnus ille innocentissimus missus fuit, vt ibi spinis coronatus immolaretur: cuius imaginem gestit agnus ille, quē vidit Abrahamus habetē caput vepribus circumdatum, qui pro Isaac immolatus est. Vt enim non Isaac occisus fuit, sed aries, ita Iesus Christus non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit mortuus, & grauissimis contumelis, acerbissimisque flagris cæsus & vulneratus. Nam quemadmodū si quis ignito ferro aquā superinfundat, extingnitur ignis, qui natus est pati ab aqua, ferrum autem manet incolome. Sic, vt Damasceni similitudine vtar, humanitas passa fuit, quæ pati poterat, sola autem impasibilis diuinitas non admisit passionem. Mons ille

Simile.

ille in quo Abrahamus arietē obtulit in holocaustū, est mōs hic Sion, de quo hoc in loco loquitur diuus vates, ait enim scriptura cap. 22. Gen. fuisse arietē illum immolatum in monte visionis, vbi postea in libro 2. capite 3. Paralipomenon scriptum legimus, fuit templum Salomonis ædificatum: & quamuis in eodem monte nō tamen in eodem montis loco, sed credibile est fuisse agnum illum occisum in summitate montis, in loco Caluarie. Et hæc est Iudæorum sententia, vt refert D. Hieronymus in cōmentariis in Marcum, capite 51. Est igitur Caluarie locus mons ille visionis, vbi Christus fuit vilus, nō solum ab his qui tunc adderant, sed etiam a vatribus antiquis. Ibi eum vidit Esaias, quando dixit: Non est species ei, neque decor: vidimus eum, & nō erat aspectus. Et in libro Genesis cap. 22. vbi editio vulgata habet. In monte Dominus videbit, potest verti ex hebræo: In monte Dominus videbitur, quod intelligētēs 70. interpretes transfulerūt: In monte Dominus vilus est. His rationibus conclusum esse arbitror, montē Sionē quo mittendus erat agnus, cuius desūderio Esa, tenebatur, esse montē Caluarie sitū in vertice Sionis, vbi cœlestis agnus Christus Deus noster seipsum in cruce immolatus, suis vulneribus sanauit nostra vulnera, & sua morte nobis vitam tribuit immortalem.

Infr 53.

Defecit qui conculcabat terram.] In hebraico est tammuromes min ha arets. verbum rames significat conculcare, vt psal. 91. Conculcabis leonē & draconem, quā significationem secutus est noster interpres, significat etiā reperere, vnde remes reptile vt Gen. 1. c. omne reptile terre. Hac ratione adductus Pagninus vertit: Consumpta sunt reptilia de terra. Cōparat regem Sennacheribū eiusq; exercitū reptilibus. Si verba Hebræa reddam⁹ Latina vt iacēt, verēda sunt hoc modo, Defecerūt conculcantes è terra vnde R. Abrahā exponit: Cōsumpta sunt nēpe castra regis Assyriorum, qui terrā cōculcabat.

Vox calcantium irruit.] In hebraico est hedhadh naphal. Vox hæc hedhad significat vocem seu clamorem multitudinis cum vno aliquid iubere omnes vniformiter respōdet: appellatur celeusma: & capitur hic pro barbarico hostium clamore irruente in Moabitas. Sed quoniam verbum naphal significat etiam cadere & perire, vertit Pagninus: Celeusma cecidit, hoc est, vox Moabitarū, eorumq; cantus periit & cessauit, vt vox calcantiū nō referatur ad Assyrios, sed ad Moabitas. Potest verti vox gratulationis periit pro eo quod hoc in loco ait Esaias, Super vindemiam tuam & super messem tuam

tuam vox calcantium irruit: dixit Ieremias capite 58. Super messem tuam, & vindemiam tuam, prædo irruit. Pro voce calcantiū posuit prædonē. vnde videtur vox calcantiū ad ho- fies potius Moabitarū, quā ad ipsos Moabitas esse referēda.

His qui letantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas. Totum hoc potest in hūc modum verti ex hebr̄o: Propter fundamenta ciuitatis fictilis cogirabitis vos claudi, qui soliti euasistis. Vel sit sensus: Vos inermes obscuriq; homines, qui tantū ex prælio remansistis, eritis vehementer solliciti, & in communibus miseris præ interitu principum vestrorum incredibili dolore affecti, meditabimini quemadmodum magnates, qui populi fundamenta dicuntur, interierint, ad eorū que luctuosum occasum animum & cogitationem conuertetis. Vbi vides principes & reges populi fundamenta appellari. Hoc intelligentes Græci regem populi basim appellarūt: βασιλευς enim, quo nomine rex appellatur, dicitur à βᾶσι, quod est basis, ἀλαδι populū, quod sit populi fundamentū, cuius pondus tanquam firma basis sustineat, qui vt Pseusippus philosophus definit, est homo imperans iuxta leges, illis subiectus, iustus, publicique ordinis institutor.

Argumentum Capitis XVII.

Minatur Damasco excidium & vastitatem, & etiam decē tribubus cum Damasco fœderatis, ob earum obliuionem, & in Deum incredibilem impietatem. Postremo Assyriorum interitum imminere vaticinatur. Omnes hi Dei populum affligere conabantur, sed in acerbissimas afflictiones incidunt, æqualemque ærumnarum sortem experti sunt.

CAPVT XVII.



*D*amusci, Ecce Damascus, desinet esse ciuitas, & erit sicut aeruum lapidum in ruina. Deuelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat. Et cessabit adiutorium ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquæ Syriæ sicut gloria fortiorum Israël erunt, dicit Dominus exercituum.

EXPLANATIO.

Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse ciuitas.] Damascus ciuitas

ciuitas est Syriae, & , vt ex capite 7. huius prophæe constat, caput & metropolis totius regni. Hæc solebat decem tribubus contra Iudam auxilium ferre, vt diuinæ literæ in libris Regum & Paralipomenon contestantur. Fuit hæc vrbs ab Assyriis capta & euerfa, sed sub Ptolemæo rege rursus ædificata. Prædicit igitur sanctus vates euertendam esse hanc vrbs, & fore cumulum lapidum, quemadmodum in ruina ædificiorum esse solet, vt pristinæ dignitatis ciuitatis illius, quæ vnâ inter omnes eminebat, eratq; opibus & potentia florentissima, solû vestigia in ruinarû magnitudinẽ demonstratũtur

4. Reg. 10.

2. Par. 18.

Derelicta ciuitatis Aroer gregibus erunt.] Tanta erit vastitas, vt vbi nunc ciuitates sunt sitæ, nulli futuri sint habitatores. Sed requiescēt ibi pecora, & nemo erit qui ea exerceat. Tanta erit solitudo, vt ne infidiator quidem timeatur. Aroer, vt inquit D. Hieronymus in libro de locis hebraicis est oppidũ Moabitaram, quod situm est super ripam torrentis Arnon. Est etiam quedã regio Syriae, pro qua hoc in loco accipitur.

Et cessabit adiutorium ab Ephraim.] Euersis Damascenis cessabit præfidiũ, quod ab ipsis decem tribubus implorare solebant. Appellantur decem tribus Ephraim, quoniam Ieroboam & plerique Israël's fuerunt de tribu Ephraim.

Et regnũ à Damasco.] Subaudi cessabit. Quasi dicat, Amittetur regnum Syriae, cuius Damascus est caput.

Et reliquie Syria sicut gloria filiorum Israël erunt.] Sensus est: Quemadmodum decem tribus fuerunt in miseram captiuitatem adductæ, & omnis earum gloria versa est in ignominiam, sic Syri illi qui superstites euaserint nulla erunt gloria celebrati, sed in tenebris & caligine iacebunt. Fortasse ipsas decem tribus appellat gloriam ironicè, quoniam in omnem ignominiam & dedecus incurrerant. Cũ enim in Deum non respexissent, nullaquẽ præfidia in ope cœlesti diuinæque virtutis imitatione, sed in humanis rebus collocassent, amiserunt regnum, & pulsæ patria in perpetuum exilium fuerunt turpiter & ignominiosè religatæ. His cõparat Damascenos, quibus prædicit omnes suas diuitias esse amittẽdas omnemq; suam gloriam obscurandam. Nos verò eam gloriam, easque opes comparare studeamus, quas nec casus possit eripere, neque inuidia labefactare, neque vetustas vlla consume re. Est hoc loco aduertendum, fuisse Damascum euerfam nõ solum propter eius superbiam, sed etiã quia decem tribubus idolorum cultricibus contra Iudam veri Dei cultorẽ auxilium tulerat. Eos euertit Deus qui impiorum contra pios causam

causam suscipiunt, qui iniustis hominibus fauent aduersus iustos, & peccantibus tribuunt amplius peccandi occasionē.

Et erit in die illa: *Attenuabitur gloria Iacob, & pingues carnes eius emarcescent. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium eius spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excessio oleæ dnrum vel trium oliuarum in summitate rami, siue quatuor aut quinque. In cacuminibus eius fructus eius, dicit dominus deus Israël. In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi eius ad sanctū Israël respiciēt, & nō inclinabitur ad altaria quæ fecerūt manus eius: & quæ operati sunt digiti eius non respicient lucos & delubra.*

Et erit in die illa.] Sensus est: Capta Damasco & funditus euerfa erit Samaria omni auxilio nudata. Solebant enim decem tribus cum erant in discrimē adductæ, & in periculis & calamitatibus versatæ, ad Damascenos confugere, ab eisquē auxilium implorare, sed illis euerfis obscurabitur gloria decem tribuum, quæ hic per Iacob significantur, earumque fortitudo debilitabitur & languescet. Capi pinguedinē pro fortitudine diximus in annotationibus ex Hebræo in ca. 10. Vel in die illa, hoc est, in euerfione & vastitate Samariæ. Predixerat euerfionē Damasci, nūc Samariæ vastitatē prædicat.

Et erit sicut congregans in messe.] Id est. Tam pauci remanebunt in Samaria post eius euerfionem, vt comparentur paucis spicis remanentibus post segetem messam, & racemis peracta vindemia, & oleis, quæ diligentiam excutientium & colligentium in paucis arboribus euaserint. In prima parte dicunt Hebræi capi oleam pro arbore, postea verò oliuam pro fructu. Latinis vtraque dictio vtrumque significat fructum & arborem, Hebræi hoc distinguunt. Messores sunt Assyrîi, qui spicas, hoc est, Israëlitas ad Assyriam adduxerūt. Spicæ remanentes sunt Hebræi illi, qui euaserunt: ille, qui has paucas spicas collegit, est rex Ezechias, vt in lib. 2. Paralipomenon capite; 0 & 31. literæ diuinæ testantur.

In die illa inclinabitur homo ad factorem suum.] Hoc est, vastitatis decem tribubus, & in Assyriam adductis nonnulli Israëlitarum, eorum qui euaserint, ad Deum conuertentur. & repudiata superstitione venient ad templum Hierosolymę, verumque Dei cultum amplectentur. Lege lib. 2. Paralipomenon vbi hanc inuenies historiã. Aspicias hic calamitatis & afflictionis cōmodū, Israëlitię, cum rebus prosperis & ad voluntatē suę tribus vterentur, erāt à Deo auersi: cū verò in acerbis æruminas inciderent, ad Deum conuersi sunt.

Oculi eius ad sanctum Israël respiciunt.] Sanctus Israelis est Dei periphrasis, vt aliis in locis annotauimus: quoniam Israellem sanctificauit, & suam erga Israëllem sanctitatem ostendit. Est igitur sensus: Oculi peccatorum humi defixi ad Deum eleuabuntur. Vnde colliges peccatorum oculos terram solū intueri, & tunc duntaxat Deū respicere, quando peccata relinquant, quod fieri non potest, nisi Deus eos oculis suæ misericordiæ intueatur. Vt enim in speculo imago, quæ oculos habet deflexos in terram, non potest eos à terra sursum erigere, vt in eam faciem, cuius est imago, intendat, nisi facies quæ est illius exemplar, oculos suos prius in illam iniecerit, sic peccatoris spiritus, qui iuxta vocem psalmisticam oculos suos statuit declinare in terram, non potest oculos suos, nempe intellectum & voluntatem, in illam Dei faciem, cuius imago ipse est, intendere, nisi Deus oculis suæ misericordiæ illum prius respiciat, illuminans eius intellectum, vt peccatum suum agnoscat, & affectum inflammans, vt scelera detestetur: Ex quo colligitur neminem posse ad Christum conuerti, nisi eum celestis pater respiciat. Vnde Christus apud Ioannem, *Ioan. 6.* Nemo, inquit, venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, & alibi. Sine me nihil potestis facere. Hoc intelligēs sponsa dicebat in Canticis: Trahe me post te: & Dauid: Deduc me Domine in via tua. Et Ezechiel. Ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos. Et Jeremias. Conuerte nos Domine, & conuertemur. Et Oseas: Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuū. Vnde Apostolus. Gratia Dei, inquit, sum id quod sum. Qui enim fieri potest, vt aliquis possit esse sapiens sine sapientia, iustus sine iustitia, sanctus sine sanctificatione, redemptus sine redemptione? Christus enim, vt verbis vtar Apostolis, factus est pro nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Respexit igitur Deus Israelitas illos, qui eueria Samaria euaserunt, & statim conuersi sunt, & sanctum Israelis respexerunt, & in montes illos oculos leuarunt, de quibus dicitur in psalmo: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, quorum montium nomine significantur cœli, de quibus dicitur in alio psalmo: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Nos verò ad Deum mentis oculos leuemus, vt eum postea in æterna beatitudine facie ad faciem videamus.

In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ, sicut arua & segetes, quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israel, & eris desertus.

Simile.

Psal. 61.

Ioan. 6.

Ioan. 15.

Cant. 1.

Psal. 83.

Ezech. 2.

Thren. 5.

Osee 12.

2. Cor. 15.

2. Cor. 1.

Psal. 120.

Psal. 124.

deserta. Quia oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata. Propterea plantabis plantationem infidelem, & germen alienum feminabis. In die plantationis tuæ labrusca, & mane semen tuum florebit, ablata est messis in die hereditatis, & dolebit grauius. Ve multitudo populorum multorum, & multitudo maris sonantis, & tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & inceperit eum & fugiet procul: & rapietur sicut pulvis montium à facie venti, & sicut turbo coram tempestate. In tempore vespere & ecce turbatio: in matutino & non subsistet. Hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & fors diripientium nos.

In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratra, & cæter.] Quando filij Israël venientis ex Aegypto ingressi sunt terram promissionis, gentes quæ eam colebant, metu & admiratione perculsæ aratra & acervos frugum in agris dimittebant, salutem pedibus quaerentes. Habes hanc historiam Ioue cap. sexto & septimo. Ait ergo Propheta: Quo tempore capra fuerit Samaria ab Assyriis, ita derelinquentur ciuitates fortitudinis eius, hoc est, fortes & munitæ, quemadmodum derelinquebantur aratra & segetes in ingressu filiorum Israël. Quod intelligentes Septuaginta verterunt: Erunt ciuitates tuæ derelictæ, sicut dereliquerunt Amorrhæi & Aeuæi à facie filiorum Israël.

Quia oblita es Dei saluatoris tui.] Aspice ingratitude fructum. Aufert Deus ab ingratis gloriam & dignitatem, ad quam eos extulerat.

Propterea plantabis plantationem infidelem.] Tu ô Samaria, ô popule Israëlitice plantabis vires, quæ etiam si bonæ videantur, bonum tamen fructum nequaquam ferent, & germen alienum feminabis, hoc est, ea feminabis quæ non colliges: tu seminabis, & Assyrii colligent segetem tuam. In die qua plantaueris, erit labrusca, hoc est, plantabis vites, quarum fructus erit tibi acerbus. Manè semen tuum florebit, videbis manè segetes florentes, sed non colliges, nec meres illas, auferentur enim & diripientur ab hostibus tuis in die hereditatis: Id est, eo tempore quo fructus erant in horreo recondendi, & pro fructu colliges dolorem, hoc est, quod inquit, & dolebit grauius, nimirum qui seminauerit. Nonnulli codices habent: Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum feminabis. Quæ verba hunc habent sensum. Plantabis vites optimas & germen alienum, hoc est, vires exquisitas allatas ex regionibus alienis longe-

que distantibus, sed earum fructus tibi in dolorem conuertetur. Potest sensus esse: Tu ð Synagoga in principio obtinebis felicissimum statum, sed postea tamen miserè finireis, licet manè videaris florere, licet in principio rebus vtaris ad voluntatem tibi succedentibus, tamen auferetur à te messis in die hæreditatis, dabis pœnas tuorum flagitiorum, amittes gloriam tuam, & in summam calamitatè tadem verfaberis. Poteris hæc ita intelligere. Quasi Deus dicat: Tu ð Synagoga fuisti à Domino pulcherrimè plantata, sed tu plantasti planationem infidelem, & filios sceleratos, qui cum germem meum, filiique mei esse deberent, me dereliquerunt, & facti sunt germem alienum, & filij inobedientes & flagitiosi. Hoc est, semen illud, hi sunt illi filij, quorum ingratitude & scelera nefaria diuinus vates iis verbis primo capite deplorauit: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israelis, & alienati sunt retrorsum. Eos nunc appellat germem alienum, & vites infideles, hoc est, filios alienos, & in Christum non credentes, de quibus dicitur in psalmo: Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati sunt & claudicauerunt, à semitis suis. Filij appellantur Hebræi, sed mendaces, alieni, inueterati, & claudi. Mentiti enim sunt Christo, quoniam quem venturum spectabant, & summo studio ac ardentissimo desiderio se illum amplexuros ostendebant, eum ipsum postea quam venit acerbissimis ac incredibilibus contumeliis affecterunt, vulneribusque grauissimis circumfossam vitam priuarunt. Iure igitur optimo Christus eos vocat filios alienos, quoniam non iam filij sui, sed potius diaboli appellandi sunt. Ideo apud Ioannem eos alloquens. Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere. Hoc idem querebatur Christus. Hæc verba apud Esaiam emittens. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me? Hi filij se animi præstantia & amplitudine nudauerunt, suamque dignitatem turpi dedecore maculauerunt, atque nefariis flagitijs se vndique implicarunt. Ex eo effectum est, vt captiui ducerentur, & in ærumnas luctuosissimas incidere, in quibus adhuc versantur: quoniã nulla est in mundo natio Iudæis abiectior & calamitosior. Illud est hoc in loco aduertendum, Hæbræos ideò pro fructu collegisse dolorem, quoniam in mundi voluptate seminauerunt. Qui enim seruiunt mundo, diabolo, & carni, quamuis in gaudio seminent,

R

metunt

*Psal. 17.**Ioan. 2.**Supra.*

metunt tamen in dolore: at qui seruiunt Christo, et si sem-
nēt in dolore, metūt tamen in gaudio. Qui pro Christi fide
pro vera religione & charitate, miseram hanc, fluxamque
vitam in summum discrimen adducunt, eam, quæ est beata,
& immortalis, sine dubio consequuntur, vbi summis atque
sempiternis gaudiis oblectatur, iuxta id quod dicitur in psal-
mo: Qui seminant in lachrymis, in exultatione inuent.

Psal. 125.

Ve multitudo populorum multorum.] Calamitatem Assy-
riorum prædicit. Prædixerat hoc capite Damascenos &
Israelitas esse ab Assyriis euertendos, nunc de ipsorum Assy-
riorum euersione yaticinatur. Aspice mūdi varietatem & in-
constantiam. Sensus est: Væ vniuersis gentibus, quæ venturę
sunt cū Sennacheribo Assyriorū rege ad oppugnandā Hier-
osolymam, quæ præ multitudine, strepitu, & clamore pos-
sunt magno ac sonanti mari comparari.

*Increpabit eam, & fugiet procul, & rapietur sicut pulvis
montium &c.*] Sensus est: Deus coercet Sennacheribum
regem Assyrię, qui se in fugam coniciet occiso exercitu suo,
& veluti pulvis stante atque raptante vento dispergetur, &
erit veluti turbo coram tempestate, vel sicut stipula stante
turbine. vel à vento vehementi exagitata. Increpare hoc in
loco significat coercere & compescere, quemadmodum psal-
mo centesimoquinto: Increpuit mare Rubrum, & exciccari
est. & apud Lucam capite octauo: Increpauit ventum, & tē-
pestatem aquæ, & cessauit, & facta est tranquillitas. Vt autē
apertē videas quid sit esse Sennacheribum à Domino incre-
patum, lege, caput 19. libri quarti Regum, vbi Deus expli-
cans quid sit increpare Sennacheribum, ita inquit: Ponam
circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducā
te in viam per quā venisti. Quæ verba inuenies etiam apud
Esaiam cap. 37. Illud est hoc in loco considerandum, com-
parari superbissimū regem pulueri à vento agitato, id quod
etiam superiore capite videre poteris. Tales enim sunt pecca-
tores, quemadmodum dicitur in psalmo: Non sic impij non
sic, sed tanquam puluis, quem proicit ventus à facie terræ.
Puluis ascendit sursum, sed fauore venti, sic impius ad digni-
tates aliquando euehitur, sed per medium vanitatis. Puluis
est terra in aere, sic peccator terra est elata in vano aere cōsti-
tuta. Puluis ascendens obæcat oculos, sic impius lædit iu-
stos. Puluis coinquinat, sic nefarius homo sermonibus suis
impuris, moribusque deprauatis alios contaminat, illisque
terream maculam atque labem inurit.

Psal. 2.

Simile.

In tempore vespere, & ecce turbatio, in matutino, & non subsistit.] Sensus est. Vesperti erit Hierosolymæ turbatio, & timor propter obsidionem & oppugnationem ciuitatis ab Assyriis: manè verò sequentis diei non subsistit, nempe exercitus Sennacheribi. Sed apparebit consumptus, ab angelo Dei occisus. Habes hanc historiam lib. 4. Reg. cap. 19.

Hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos.] Hoc quidem est quod veluti pro sorte & hereditatis portione eueniet Assyriis nos ad vastitatem vocare conantibus. Dabunt operam vt nos euertant, at Deus nos liberabit, eos autem euetet. Pulchro epiphonemate voluit diuinus vates hoc caput concludere, ac si diceret: ita percutiuntur qui bellum inferunt quiescentibus, qui in populum dei perniciem machinantur.

Annotations ex hebræo in

CAPVT XVII.

In die illa inclinabitur homo ad factorem suum.] In Hebræo pro inclinabitur est iixeh à verbo xaaah, quod significat inclinare, aspicere, sperare, fidere, timere, inniti, delectari, narrare, quiescere. Vnde potest verti: In tempore illo aspiciet homo ad creatorē suū, vel sperabit in creatore suo, vel fidet creatori suo, vel timebit creatorē suum, vel innitetur in creatore suo, vel requiescet, vel delectabitur, vel meditabitur, & mente tractabit creatorem suum. Rex Abraham exponit sperabit aut fidet. Rex Selomoh, respiciet: Thargum, innitetur. Alij aliter explanant. Quarto capite Genesis accipitur pro respicere: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius, nō respexit. Vbi poterat verit: Delectatus est Deus Abel & muneribus eius: Cain autem eiusque muneribus non fuit delectatus. In psal. 118. vbi versio nostra habet. Nam & testimonia tua meditatio mea est, potest verti: Nam & testimonia tua delicia meæ sunt. vel vt habet versio D. Hieronymi, sed & testimonia tua voluntas mea. Et in eodem psalmo, Nisi quod lex tua meditatio mea est, pro meditatione vertit D. Hieronymus delectationem, & pro in iustificationibus tuis meditabor, vertit, iustitiis tuis delectabor. Et hanc interpretationem sequitur R. Abraham, quamuis dicit posse etiam verti. Præcepta tua narrabo. Verbum enim xaaah omnia hæc significat. Pagnin⁹ vertit: In die illa aspiciet homo ad factorem suum: Nonnulli ex Iudæorum Rabbinis exponunt verbum hoc iixeh pro

il phiteh, quod significat cōuertere: quōd calamitas in causa sit, vt homo se ad Deum conuertat.

Plantabis plantationem infidelem.] Pro infideli est in Hebraico naamanim. Quidam putant esse nomen substantiuū in plurali, & vertunt hoc modo: Plantabis plantationem pulchritudinum. Quidam verò existimant adiectiuum esse, & vertunt: Plantabis plantationem pulchrarum, nempe plantarum. Est enim nomen hoc tōar à verbo naam, quod significat pulchrum fieri, pulchrum esse, placere, esse dulce, suauē, & amœnum. Secundo libro Regum, vbi editio vulgata habet: Frater mi Ionatha decore nimis, poterat verti: Dulcis fuisti nimis, vel, Placuisi mihi nimis. Et c. i. Ruth, vbi nos habemus: Ne vocetis me Noëmi, id est pulchrā, potest verti: Ne vocetis me dulcē. Quia sequitur: Sed vocate me mara, id est, amaram. In hoc autē nostro loco pro naamanim vertit diuus Hieronymus, fidelem. Vnde nonnulli correcti codices habent ad marginem, fidelem, quanuis in textu habeāt, infidelem. Existimo hoc fuisse à Septuaginta interpretibus desumptum: ita enim habēt: Plantabis plantationem infidelem, magis sensum, quàm nominis significationem sequentes. Quod quē habeat sensum, in explanatione exposuimus. Aquila & Theodotio pro fideli verterunt pulchram, Symmachus bonā, Pagninus pulchras. Ego vt meam etiā sententiam in apertum proferam, eam semper doctioribus subiiciens, existimo posse rectē verti: Plantabis plantas dulces, quia sequitur: In die plantationis tuæ labrusca. Vt sit sensus: Tu in principio plantabis vites dulces, at metes ex illis vvas amaras: Labruscæ sunt vineæ amaræ erraticæ, & agrestes in labris, hoc est, sepibus marginibusque nascentes. Perpende hanc meam interpretationem, & fortasse eam non omnino contemnendam esse iudicabis.

Rapietur sicut puluis montiū à facie venti.] Pro sicut puluis, est in hebræo cemots. Nomen hoc non solum puluerē, sed glumam etiā & quisquilias significat. Ideo poterat verti. Rapietur sicut gluma & ita transtulit Pagninus. Est autem gluma folliculus grani frumentarij, habens aristam quandā. Hæ autem aristæ sunt tela & aculei spicæ. Nam fruges structa ordine spicæ, contra auium minorum morsus, vt Cice, in Senectute vtar verbis, munitur vallo aristarū. Hoc nomen motus, quod hic ponitur, inuenies apud Oseam c. 13, vbi nostra versio puluerem habet, dicēs: Sicut puluis turbine raptus ex area. Et in 1. Psalmo, Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis

uis quem proficit ventus. In quibus locis poterit pro pulvere gluma verti: quemadmodum in alio psalmo. Fiat tanquā puluis ante faciem venti. Aspicis igitur maleuolos impiosq; homines ariftis minuti/simisq; paleis comparari. Vnde sanctificatus ille Baptista aiebat apud Matthæum cap 3 de Deo verba faciens: Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Per triticū iusti significantur, per paleas verò glumas & quisquillas iniqui & flagitiosi. Et quemadmodū ariste, triticiq; tegumenta granum opprimunt, & vndique confringunt, sic impius virum iustum & pium vexat, & vndiq; affligit. Sed vt quò arctius ariftæ granū cingunt & comprimunt, eò maiori custodia illud ab auium morſu tuentur, sic quanto acerbiores calamitates infert viris virtute insignib⁹, sapientiæq; præstantibus, tantò eos clariores reddit, & ad importunas aues, hoc est, ad malas cogitationes arcendas munitioniores. Vbi vides iniquos homines esse iustis adiumento. Non enim Deus homines crearet, quos impios futuros esse præcisset, nisi pariter nosset, eos vir os optimos affligēdo, esse in eos vtilitatē collaturos. Nihil est enim ad laudē illustri⁹ quàm calamitas ipsa: hæc namq; solet virorum iustorum nomē ad immortalē memoriā propagare, atque ita vt D. ait Augustinus lib. ii. de ciuitate Dei, mundi ordinem Deus tanquam pulcherrimum carmen ex quibusdam antithetis honestauit. Est autem antitheton contra positum. Ita appellatur figura ea, quæ contraria contrariis opponuntur, vt apud Ouidium: Frigida pugnabant calidis humentia ficis. Xenophon ille, cuius voce quasi musas locutas ferunt, qui teste Volaterrano dictus est musa Attica ob eloquentiæ dulcedinem & suauitatem in suo Oeconomico inter opes & diuitias cōnumerat inimicos homines sceleratos, & ait eos esse nobis adiumēto, si illis vti sciuerimus. Et Plutarchus librū edidit de vtilitate, quam quis potest ex inimicis comparare.

Similitudo.

Argumentum Capitis XVIII.

Præcedenti capite minatus fuerat diuinus noster vates exitium Damasco, quod decem tribus relicto vero Deo, spreto cœlesti præsidio, in illa omnem suam spem & fiduciā collocauerint. Nunc minatur Ægyptiis eorum vastitatē, quod duæ tribus illis fiderent, ad eosque summo eo contempto cōfugerent, diuinumque auxilium non implorauerunt. Quæ-

R 3 admodum

admodum enim Damasceni iniquo & deprauato animo auxilium ferebant Israëlitis, ita Ægyptii Iudæis. Quam ob causam fuerunt euerſi, & Hebræi in eorum præſidio ipem omnem figentes grauiffimè vexati. Vult enim Deus vt omnes in periculis conſtituti ad eum confugiamus, & hac in re, quem admodum etiam in aliis naturalium rationi optemperemus. Vt enim eſt cæli proprium moueri in orbem, & terræ in ima ſede veluti mundi centro congiobari, ita eſt in hominis natura inſtitum, cum ſe viderit in diſcrimen adductum, & periculorum procella iactatum, ad Deum confugere, & vota facere, eiusque præſidium vehementer implorare. Prædicta igitur in hoc capite Ægyptiorum euerſione, vaticinatur de illorum Iudæorum conuerſione, qui relictæ ſynagoga ad eccleſiam conuenerunt.

CAPVT XVIII.



*V*æ terra cymbalo alarum, quæ eſt tranſ flumen Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite angelus veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam: ad populum terribilem, poſt quem non eſt aliud: ad gentem ſpectantem & conuulſam, cuius diripuerunt flumina terram eius: ad montem nominis domini exercitus, montem Sion. Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis: quia hæc dicit dominus ad me: Ego quieſcam & conſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes toris in die meſiſis.

EXPLANATIO.

Væ terra cymbalo alarum.] Hoc eſt, væ Ægypto habenti alas, hoc eſt, exercitus, inſtar cymbali ſonantes. Eſt igitur terra cymbalum alarum periphraſis Ægypti, quæ magnis ac potentibus exercitibus abundabat. Ala enim præter alias ſignificationes ſignificat equitum turmam, quod pedites tegant vice alarum, nam in equitum ordinibus circum legiones dextra ſiniſtraque tanquam alæ in auium corporibus locantur. Poſſumus per alas vela nauium intelligere, quæ alæ appellantur, iuxta illud poëtæ. Velorum pandimus alas: & tunc erit ſenſus. Veſtram perniciem annuntio ò Ægyptii, qui

qui abundatis nauibus, quorum vela plena vento veluti cymbalum sonant. Quidam per cymbalum alarum intelligunt sonitum Nili, qui fluuius ad illa quæ Catadupa nominantur præcipitat ex altissimis montibus, tãtò impetu, vt ea gens quæ illum locum accolit, vt Cicero in 6. libro de republica scriptum reliquit, propter magnitudinẽ sonitus sensu audiendi careat. Et Herodotus libro. 2. ait, Aegyptum à Catadupis & Elephantina vrbe incipere. Verũ hæc videtur longè petita periphraſis. Prima videtur melior, nam etiã capite 8. hic idem propheta aras posuit pro copiis & exercitiibus Assyriorum, vt ibi annotauimus locũ illum explanantes. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ ò Emanuel.

Quæ est trans flumina Aethiopiæ.] Id est, trans riuos Nili. fluuius enim Nilus de Aethiopia in Aegyptum fluit, vt asserit Solinus capite 45. & Plinius capite 9. Diodorus verò Siculus libro 1. de ortu Nili sic ait: Nilus à Meridie ad Septentrionem fertur, ortus ex fõribus in extremis Aethiopiæ finibus. Et paulò post. Eius decursus ab Aethiopiæ montibus. Hoc videmus in orbis descriptione quæ mappa mundi appellatur. Et nostri Lusitani, qui totum ferè orbem peragrarunt, narrant se in Aethiopia Nili ortum inuenisse.

Quæ mittit in mare legatos.] Quæ nempe terra Aegypti: vel qui, vt nonnulli codices habent, nempe populus Aegypti, mittit per mare nuntios duabus tribubus in vasis papyri, hoc est in cimbis quæ ex papyro fiebant. Scribit Plin. libro 13. capite 1. nauigia construi ex papyro. Est papyrus arbor quædam in Aegypti palustribus locis nascens, decem cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiata, ex qua arbore fiebant chartæ quædam, in quibus veteres scribere solebant. Vnde id, in quo modò scribimus, papyrus appellatur. Et ob eã causam fortasse per vasa papyri intelligit epistolas, quas populus Aegypti mittebat ad Iudæos, quibus illis suum pollicebatur auxilium, quem sensum reddiderunt. Ixx. quorum versio sic habet: *Qui mittit in mari obsides, & epistolas biblinas, super aquam.* Nomine maris possumus Nilum intelligere, more diuinarum literarum, quæ omnem aquarũ congregationem mare appellant. Priori expositioni, vt per vasa papyri naues intelligantur, fauet versio Pagnini sic habens: Et in naui iuncea super faciem aquarum.

Ite angeli velites.] Aegypti verba sunt ad nuntios, quos ad Iudæos mittebat. Nuntii angeli vocantur. Est igitur sensus

sus: Ite velociter vos nuntij ad Iudæorum gentem afflictam & Assyriorum impugnatione laceratam, ad populum quondam terribilem, qui Dei utebatur imperio, qui cum nullus alius fuit vnquam comparandus, ad gentem quæ solebat Dei spectare præsidium, quæ nunc affligitur & conculcatur, cuius terram flumina, hoc est, Assyrii vastauerunt. Capite etiã s. regem Assyriæ eiusque exercitum aquis fluminis comparauit: ita enim ait: Ecce dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas: regem Assyriorum & omnem gloriam eius. Vbi nostra editio habet. Ad gentem spectantem, & conculcatam, habent nonnulli codices ad marginem, spectantem, vt legatur. Ad gentem spectantem & conculcatam. Quæ verba possunt hunc habere sensum: Ite ad gentem quæ nostrum auxilium auide spectat, quoniam ab Assyriis oppugnatur.

Ad montem nominis Domini exercituum montem Sion. Totum hoc non est in hebraicis exemplaribus, neque in Græcis nec in versione D. Hiero. Et in bibliis correctis est notatũ obelo.

Omnes habitatores orbis. Per orbem eam mundi plagam in telligit, de qua loquebatur, nimirũ Aegyptum. Signũ appellat vexillum, quo in exercitu duces vtuntur. Sensus est: Cum Assyrii vexillum erexerint, & Aegypto bellum intulerint, & bellica tuba sonuerit, & milites ad præliũ incitauerint, tunc videbitis & audietis, & aperte cognoscetis, quid Dominus aduersus Aegyptum cogitauerit.

Ego quiescam. Irruentibus Assyriis in Aegyptios, ego, ait Dominus, quiescam, nullum auxilium feram Aegyptiis, sed in loco meo, hoc est in cælo præliũ considerabo, & ero veluti lux meridiana, nubesq; rorida in die mensis. Hoc est, ero placidus & quietus, nullam opem Aegyptiis ferens.

Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidetur ramusculi eius falcibus: & quæ derelicta fuerint, abscinduntur & excutientur. Et relinquentur simul auibus montium & bestiis terræ: & astate perpetua erunt super eũ volucres, & omnes bestie terræ super illũ hyemabunt. In tempore illo deseratur munus Domino exercituum à populo diuiso & dilacerato: à populo terribili, post quẽ non fuit alius, à gente expectante & conculcata, cuius diriperunt flumina terram eius, ad locum nominis domini exercituum montem Sion.

Ante messem. Sensus est: Quemadmodum segetes erumpentes ante maturitatem cito pereunt, & germinantes ante temporis perfectionem inutiles redduntur, sic Aegyptij populi euertentur. & quasi rami inutiles refecabuntur. Et Aegyptij qui

tñ qui post Aegypti vastitatē remāserint, etiā occidētur. Ideō cōparat Aegyptios, segetibus ante tēpas erūpentibus, sed postea prācis, vt ostēdat eos in medio rerum successu, in statu fœlici constitutos, esse gladiis Assyriorum occidendos, & finem non esse fausto principio responsurum.

Et relinquuntur auibus monium, & bestiis terræ.] Per ramos excisos intelligit Aegyptios interfectos, quos dicit esse in cāpo relinquendos, vt essent auium & bestiarum cibus.

Et aestate perpetua erunt super eum volucres.] Significat tam ingentem interfectorum multitudinem, vt nemo ex Aegyptiis euaderet, qui cadauera sepeliret. Aut per auium & bestiarum multitudinem intelligit gentes, quæ Aegyptiis belium, & exitiū intulerunt, quas ob velocitatem & immanitatem auibus & beluis comparauit. Lege cap. 29. Ezechielis, vbi hanc eandem vaticinationem literis mandauit.

In tempore illo deferetur munus Domino exercituum.] Euersa Aegypto reuertentur ad se Iudæi, & nequaquam hominibus fident, sed omnem suam spem in Deo vero collocabunt, eum inuocabūt, cuius solum auxilium firmissimum credēt, & ad montem Sionem, ad Dei templum adibunt, munera Deo & sacrificia offerentes. Videntes Iudæi esse humano refugio destitutos, & calamitatibus oppressos, ad verum Dei presidium confugerunt. Vide quid vtilitatis in hominē conferat calamitas ipsa. Conducit quidem ad Deum querendū, & ad eximæ virtutis gloriam magnificentius illustrandam. Sed hoc intelligitur, si Deus afflictum animum incēdat igne cœlestis cuiusdam desiderij. Vt enim ex duro informique sero nullum elegans opus efficitur, in quo artifex suum exprimat artificium, quanquam illud malleo percutiat, nisi ferrū ipsum ignitum sit: nam secus erit id quod dicitur in proverbio, ferrum frigidum contundere, & operam perdere, sic frigidus & induratus animus nequaquam poterit perpoliri & excoli, licet sit afflictionibus percussus, nisi igne diuini auxiliij fuerit incensus. Quidam dicunt hac Iudæorum ad Deū conuersionem fuisse sub Ezechia, Alij sub Zorobabale, & Eldra, & Nehemia. Quod etsi veritatem contineat, ego tamen existimo, diuinum vatem ad tempus Mesiæ hæc retulisse, quod cum hoc vaticinium mandaret monumentis animo intuebatur, Est igitur meo iudicio huius loci sensus. Vincto per Christum mundo, qui nomine Aegypti intelligitur, euersa idolatria vanaque superstitione, multi ex Iudæis instructi & Christi & Apostolorum doctrina, veram fidem

Simile.

recipient

Psal. 50.

Iacob. 2.
Simile.

Gen. 28.

recipient, in Christum credēt, eiſq; in loco nominis Domini exercituum, in monte Sione, hoc est, in ecclesia catholica munera offerent, vbi diuinum præſidiū implorabunt. Hæc sunt munera & sacrificia illa iustitię, de quibus regius vates dicebat in psalmo: Tunc acceptabis sacrificium iustitię, oblationes & holocausta. Sacrificia iustitię appellat ea, quæ sunt animo scelere expiato, & iustitia prædita, quæ sunt Deo acceptissima, quæ ipse præiudicat esse à Christianis faciendâ. Iudæos appellat hic Esaias populū diuulsum, dilaceratum, sperantem humanum auxilium & direptum, quoniam erāt à fide separati. Tales enim sunt omnes infideles, & ij etiam qui quamuis habeant fidem, sunt tamen omnibus flagitijs contaminati, & sceleribus imbuti, quorum fides mortua est, vt ait D. Iacobus in epistola sua, quoniam est sine operibus, nec est charitate formata. Vt enim qui loca deserta, sed à latronibus habitata, noctu penetrant, non valent hostiles insidias effugere, sic qui per huius mundi deserta nocte suorum scelerum sine lumine diuinæ gratiæ iter faciunt, non possunt quâdiu à Deo sunt seuocati, bonorum direptionē, malorūq; omnium impetum declinare. Talis fuit ille qui, vt est apud I ucam cap. 10. descendens à Hierosolyma in Iericho incidit in latrones, qui cum spoliarunt, & plagis vulneratum seminiuum reliquerunt. Sed fuit à cœlesti medico curatus, & in diuerſoriū, hoc est, in ecclesiam catholicam adductus. Qui est Hierosolymæ colonus, qui requiescit in visione spiritalis pacis, non existimet se esse omnino securum, potest enim descendere in Iericho, & qui descendit, & iacet mortiferis vulneribus traiectus, non adhibeat suis sceleribus desperationem, potest enim Hierosolymam ascendere. Id fuit nobis in illa scala demonstratū, quā vidit in somniis Iacob stantē super terram, & cacumen illius tangebāt cœlum, per quam ascendebant angeli & descendebant. Qui in imo iacent, possunt ascendere: Qui verò summitatem tenent, possunt præcipitari. Fuit tempus illud, quo Iudæi erāt virtutum opibus locupletes, iustitiam & pietatē colentes: at irruentes in eos, diabolus, mundus, & caro, hominum hostes, eos omnibus virtutum ornāmētis spoliauerunt, atque pestilentibus vlceribus faucios deformarūt. Sed adueniēte Christo Deo nostro multi receperunt fidē, & fuerunt æternā beatitudinem consecuti. Hos igitur intuebatur diuinus vates, dicens, esse illos in monte Sione Deo munera oblaturos, qui antea fuerant dilacerati, conculcati, & direptioni commisi.

Anno

Annotationes ex hebræo in
CAPVT XVIII.

Væ terre cymbalo alarum.] Pro cymbalo alarum est in Hebraico tsiltfal cenaphaim . Prima dictio est à verbo tsalal, quod præter alia significat tinnire, vt in lib. 4. Regum cap. 12. vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius, vnde tsiltfalim cymbala significat, vt in psalmo 150. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. Et hanc significattonem secutus est noster interpres. Sed quoniam verbum hoc tsalal significat etiam adumbrare, vertit Pagninus: Væ terræ vmbre alarū. Potest verti: Væ terræ alis vmbra. Quidam Hebræus ita exponit: Væ terræ vmbra vniuerso orbi ob alarum suarū magnitudinē multitudinemq; facienti. Quibus verbis vult trāslaticè significare variarum rerum genera, quæ ex Aegypto ad alias terræ regiones egrediebantur, eiusque negotiatorum infinitatem. Sed hic idem alio in loco nomine vmbre alarū vela nauū intelligit: quam opinionē nos in explanatione attigimus. Huic expositioni fauet Thargum Ionathæ ita habens: Væ terræ, ad quam veniunt cum nauibus è terra longinqua, & vela sua extendunt, vt aquila volans alis suis. Hanc interpretationē secuti Septuaginta ita transtulerunt: Væ terræ nauū alarum, Quæ etiam Aquila fortasse secutus pro cymbalo vmbra posuit. Et quamuis hæc interpretatio sit satis conueniens, magnisque authoribus confirmata: ego tamen existimo per vmbra alarum intelligi præsidium, vt fit sensus: Væ tibi Aegyp̄te, qui aliis auxilium promittis, atq; in vmbra alarum tuarum præsidium polliceris. Hic sensus conuenit argumento capituli, multisque scripturæ locis fulcitur, in quibus vmbra alarum pro præsidio accipitur. In Psal. 16. Sub vmbra alarum tuarum protege me, quis non videt alarū vmbra pro præsidio poni. Eodē modo accipitur Psal. 56. cuius hæc sunt verba: In vmbra alarū tuarū protege me, donec transeat iniquitas. Hoc est, Præbe mihi Domine auxilium tuum, fer opem mihi vndique afflicto, donec Saulis inuidia & scelus finiantur. Vel capitur iniquitas pro tempore afflictionis. Et apud hunc nostrū Prophetam cap. 16. aliisque in locis vmbra pro auxilio & defensione inuenies. In Psal. 90. vbi cōmunis editio habet: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur, habet versio D. Hieronymi ex Hebræo: In vmbra omnipotentis cōmorabitur. Et non solum vmbra, sed etiam ala pro auxilio ponitur,

nitur, vt capite 2. Ruth, & ſepè in diuinis literis. Cum igitur dictio hæc tñfal vmbra ſignificet, & vmbra alarum hebraiſmus ſit, & auxiliũ protectionẽq; ſignificet, apertè exiſtimo eſſe cõcluſum, verã rectamq; eſſe hæc noſtrã interpretationẽ, minimeq; cõtẽnendã, quanquã alias etiã libenter amplector.

Ad gentem expectantem.] In hebraico eſt: Ad gentem kaukau, id eſt expectantem expectantẽ. Pro quo poteris verte-
re, auidẽ expectantem. Sed quoniã hæc dictio kau ſignificat etiam lineam, vertit Pagninus, ad gentẽ lineatim. Et in ſuo theſauro exponit gentem lineatim operantem, ſumpta tranſitione à commentariis. Vt enim illi extenſa linea efficiunt ordinem vnum parietis, & ſuper illum iterum extendunt, vt faciant ordinem alterum, & poſtea alium, donec parietem perficiant, ira qui paulatim aliquid efficit, illud linea & linea ſiue lineatim dicitur efficere. Et quoniam in textu eſt: Ad gẽtem expectantem & cõculcatam, poteſt verti: Ad gentẽ paulatim cõculcatã Et quia nomen hoc kau, quod hic ponitur, ſignificat etiã regulã, normã, directorium, & perpendicularũ, poteſt verti: Ad gentẽ rectẽ ſiue iuſtẽ ſiue meritõ conculcarã. In pſal. 18. vbi nos habemus, In omnem terram exiuit ſonus eorum: pro ſonu eſt in Hebraico hoc noſtrum nomen kau. Quapropter poteſt rectẽ conuerti ex Hebræo. In omnẽ terram exiuit regula eorum, vel norma, vel directoriũ, vel perpendicularum, vel edificatio, vel architectoſia eorum. Omnia enim hæc, quæ hoc nomen ſignificat, Apoſtolorum prædicationi rectẽ accommodantur. Et ex Paulo Apoſtolo in epiſtola ad Romanos conſtat eſſe locum illum Dauidis de Apoſtolorum prædicatione intelligendum Nitatur Chriſtianus concionator, qui Chriſti apoſtolos imitari deſiderat, vt ſit eius concio regula, vitæq; Chriſtiane perpendicularum, atque edificandi ars & ſtructura. Tunc enim concionator ædificabit, cum eius vita verbis reſponderit. Et vt regula, vt rem dirigat, recta eſſe debet, ſic concionator, qui alios ad virtutem hortatur, ſumma ope niti debet, vt ſit virtutis rectitudine conſpicuus.

Rom. 10.

Similitudo.

Argumentum Capitis XIX.

Solent diuini vates, cum mandant literis aliqua obſcura, & explicatu difficilia, ſubnectere verba apertiora, quibus ſe ipſos interpretentur. Et quoniam Eſaias prædixerat capite præcedente Ægypti euerſionem verbis inuſitatis, obſcuris, propeque

propeque inexplicabilibus, nunc se latius atque fufius expli-
cat, prænuntians esse Ægyptios ab Affyriis ad ferrum & flā-
mam vocandos, penitusque euerendos. Sed eos postea vati-
cinator esse ad veram religionem & Christi fidem ventu-
ros Voluit Deus decem plagas Ægypti hac vna medicina fa-
nare affictis, & ægrotis mederi, eosque ad veritatem addu-
cere, vt iam non irent ad mare rubrū obruendi, sed ad aquas
baptismatis viuificandi.

CAPVT XIX.



Nus Ægypti. Ecce Dominus ascendet su-
per nubem leuē, & ingreditur Ægyptū.
Et commouebuntur simulachra Ægypti à
facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in me-
dio eius. Et concurrere faciam Ægyptios
aduerſus Ægyptios, & pugnabit vir con-
tra fratrem ſuū, & vir contra amicum ſuū,
ciuitas aduerſus ciuitatem, regnum aduer-
ſus regnū. Et dirūpetur ſpiritus Ægypti
in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo. Et interrogabunt
ſimulachra ſua, & diuinos ſuos, & pythones & ariolos. Et tradant
Ægyptum in manu Dominorum crudelium, & rex fortis domina-
bitur eorum, ait Dominus exercituum. Et areſcet aqua de mari, &
flūuius deſolabitur atque ſiccabitur. Et deſicient flumina: & attenu-
buntur, & ſiccabuntur riuus aggerum.

EXPLANATIO.

Onus Ægypti.] Hoc eſt, Sequitur vaticinium venturæ ca-
lamitatis Ægyptiorum. Eſt explanatio eius quod dixerat in
principio capitis præcedentis: Vt terre cymbalo alarum, quæ
eſt trans flumē Æthiopiæ. Hanc Ægyptiorum cadem, & af-
ſiſtentionem ſcribit Ieremias capite 46. & Ezechiel capite 30.

Ecce Dominus ascendet ſuper nubem leuem, & ingreditur
Ægyptum.] Euerſa & vaſtata Samaria, & decem tribubus
in miſeram captiuitatem adductis, conſpirauerunt Ægypti-
j & Æthiopes contra Affyrios. Sed pernicies quam aliis mo-
liebantur, in ſuum caput redundauit. Nam Affyrj mouerūt
exercitum aduerſus hoſtes, eiſque bellum crudeliſſimum in-
tulerunt, & Ægyptum penitus vaſtarunt. Hunc Affyriorum
exercitum appellat Propheta nubem leuem. Nubem appel-
lat, vt oſtēdat horribilem tempeſtatem, & vaſtationē, quam
impendentem videbat Ægyptiis. Quemadmodum enim ex
nube

Simila.

nube oritur aliquando turbulenta ac repentina procella, sic ex Assyriorum exercitu prouentura erat subita & inuoluta pernicies. Et hoc fortasse voluit significare Ezechiel cap. 30. ubi tēpus huius excidiū Aegyptiorū diē nubis appellat. Leuē vocat, vt significet Assyriorum velocitatē & expeditionem, qui tam prompto & alacri animo, tamque vehementi & cōcitato impetu ad bellū mouebantur, vt potius volare quam ambulare viderentur. Est igitur sensus: Ecce Dominus in spirabit Assyriis, vt Aegyptiis bellum inferāt, & ascendens ipse super exercitum Assyriorum, ingreditur Aegyptum, vt eum vastet, & repētino p̄glio euertat. Erunt Assyrii instrumentū, quo Deus ad exitium Aegyptiorum, ob eorum flagitia vretur. Chrysostomus in Matthæum cap. 2. explanans hæc verba: Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum: de illo secessu & ingressu Christi in Aegyptum hanc Esaiæ vaticinationem intelligit. Et per nubem leuē Christi corpus sacratissimum sine vilo peccatorū pondere interpretatur. Eleganter ille quidem & piē. Sed existimo germanum huius loci sensum esse eum, quem modō de Assyriorum exercitu explanauī.

Et mouebuntur simulachra Aegypti. Id est, Dēicient Assyrii idola Aegyptiorū de locis & altaribus suis, & ea conculcabunt. Ac si dicat Non solū idola nō eripient cultores suos, nec seipsā poterunt seruare. Vide quibus in rebus stulti spem suam figebant: Ezechiel capite 30. hoc iis verbis scribit. Hęc dicit Dominus Deus: Disperdam simulachra, & cessare faciā idola de Memphis. Est autē Memphis ciuitas magna Aegypti. Possumus hoc in spiritali sensu ita intelligere: Ingresso filio Dei in Aegyptum, hoc est, in mūdum, in nube leui, hoc est, in vtero sacratissimo purissime virginis, nullo virili semine grauato, ceciderunt idola, cōtremuerūt dæmones, Christi præsentiā ferre non valentes. Commoti sunt à facie eius, hoc est, corā eo. Phrasis est in diuinis literis frequēs. Fuit Aegyptus victa: hoc est, mundi idolatria & impietas ablata.

Cor Aegypti tabesceat in medio eius. Subaudi metu Assyriorū. Per cor intellige regem, qui cor populi debet esse, in medio omnium, à quo omnes veluti membra à corde vitā quodāmodo accipiant. Vel per cor intellige præsulem aut sacerdotem. Nam vt cor primo recipit vitam ab anima, & transfundit in corpus, quasi mediū inter animam & corpus, ita sacerdos debet esse medium inter Deum & populum. Qua de re poteris

Simile.

poteris videre ea, quæ capite primo annotauimus. Fortasse huius loci sensus hic est: Metu Afsyriorum frangētur Aegyptiorum corda languescēt & deficient. Sic capite 7. Iosue scriptum est, pertinuisset cor populi, hoc est, totum Israelē animo cecidisse, & apud nostrum Prophetam capite 6. Excæca cor populi huius, id est, totum populum.

Et correre faciam Aegyptios aduersus Aegyptios. ¶ Permittā vt Aegypti in Aegyptios irruant, & nulla inter se cōcordia cōiungantur. Quasi dicat Deus: Ego euertam Aegyptios, & signum euerfionis erit discordia inter eos. Diuidentur, & nullo amicitia & beneuolentia vinculo continebuntur, & ita delebitur eorum regnū. Vbi vides nullam esse regnis aut populis pestilentiorē perniciē, quā discordiam. Fieri enim nō potest, cum populi nauis in alto fluitat, odī atque seditionum tēpestatibus agitata: quin in mediis fluctibus miserē obruatur. Id est, quod dicebat Christus Deus noster. Omne regnum in se diuisum desolabitur. Cōcordia res paruē crescunt, discordia verō maximā dilabuntur. Concordia, vt dicitur in Prouerbio, fulciuntur opes, etiam exiguæ. Si lingua diuisio in turre Babylonis ædificium labefactauit, quāto magis voluntatū diuisio & discordia? Diuide flumē, amittet vim, diuide ignem, extinguetur. Ad generationem rerum naturalium necesse est elementa inter se discrepantia & contraria cōuenire, & sedata discordia inter se amicitia quadam vniri & copulari, & ex tali cōcordia nascitur lapis preciosus, ceteræque res naturales, quarum pulchritudinem & excellentiam admiramur. Quid docet medicina nisi amorem & concordia quatuor humorū in corporibus humanis. Ex humorum temperata concordia redundat pulchra atque recta valetudo, & ex eorū intēperata discrepantia & cōcitate nascitur variæ ægri tudines. Quid aliud docet musica p vocū inter se dissidentīū amicitiam & concordia, ex qua suauis harmonia, admirabilisque concentus oritur? Hoc considerans Orpheus dicebat amatorē habere clauē omnīū rerū, quibus earum aperit conceptum, & in lucem prodit. Vnde Empedocles Pithagoreus mundum dicebat constare concordia, discordia autem dissipari. Hoc voluit nobis natura in lapide Tirrheo ostēdere, qui in aquā coniectus, si est integer, quāuis magnus innatat, diuisus verō & comminutus mergitur: sic nos integri & concordēs sustinemur, diuisi verō & discordēs pessimi imus. Eam ob causam comparat Gregorius Nazianzenus homines cōcordēs cum arca Noē in diluuiō seruata, quia

Matt. 17.

Luc. 11.

Gen. 11.

Similia.

Similia.

quia ibi omnes cōcordia quadam connectebantur. Da mihi
concordiam, dabo tibi reipublicam permanētē, & in omni
diluuio, & afflictionum procellis conseruatā. Cum in mun-
di principio Deus crearet multa animantia, noluit multos,
homines simul creare, creauit vnum de quo multitudo pro-
pagaretur, vt hac admonitione, huius rei memoria, etiam
in multis concordem vnitatē seruaemus, vt intelligeremus
esse nos omnes vnius hominis filios, & videremus, quā esset
Deus vnitatem delectatus. Hęc est causa, vt ait D. Augustinus
quare Deus voluerit vt omnes ab vno ab ipso creato origi-
nē duceremus. Et eā ob causam cum Deus daret arma bru-
tis animalibus, alia dentibus muniendo, alia unguibus, alia
cornibus, solum hominē armis destituit, nudū atque inermē
formauit, tanquā ad amorē pacēque conseruandam creatū,
vt ipsa corporis compositio eū doceret, ad quid esset editus
in lucē, & in mundo constitutus. Vnusquisq; exercitus habet
vexillum & signū militare, quo cognoscatur: & vnaqueq; no-
bilis familia habet stemmata, arma & insignia. quibus omnes
ex illo genere ab aliis discernuntur. Signū Christianorū est
amor & cōcordia. Hęc sunt eorū stemmata & insignia, his ar-
mis cognoscūtur & ab aliis seperātur. Hoc est quod Christus
suis discipulis dicebat, vt est apud Ioan. ca. 13. In hoc cognos-
cūt omnes quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis ad
inuiçē. Sed heu quā pauci hoc signo muniuntur. Nam pro
amore & charitate insurrexerūt dissēsiones, seditiones, odia,
inuidiæ, insidiæ, fraudes, & bella, & ceteræ pestes, quæ ex iis di-
manarūt, Quæ quidē opera sūt dēmonis, cuius officiū est dis-
pergere, & discordiā inducere, cū Dei officiū sit colligere, &
cōgregare. Vnde apud Matth. dicebat Christus: Quoties vo-
lui cōgregare vos, quēadmodū gallina cōgregat pullos suos
sub alas, & nolulistis. Triplex est vnitatis & congregatio, 1, qua
homo secum debet esse vnitus, de qua dicitur in Psal. Domi-
nus autem assumpsit me, pro quo versio. D. Hiero, ex Hebra-
ico habet: Dominus autem collegit me, hoc est, congre-
gauit & vniuit. Et in psal. 85. vbi nostra versio habet, Læte-
tur cor meum, vt timeat nomen tuū, potest verti ex Hebrai-
co, vni vel vnitū fac cor meū, pro quo D. Hieron. vertit: vni
vel vnitū fac cor meū, Altera vnitatis est, qua omnes inter nos
debem⁹ esse cōcordes, quā docet Paul. ad Ephē. scribēs, vt si-
mus solliciti seruare: de qua dicitur in Actis Apost. Multitu-
dinis autē credētū erat cor vnum & anima vna. Hanc præci-
pit Christus, inquiens: Hoc est præceptum meū, vt diligatis
inuitem

inuicem, sicut dilexi vos. Tertia vnitas est, qua viri iusti & *Ioan. 15.*
 pi sunt Deo coniuncti, de qua ait Apostolus: Qui adheret
 Deo, vnus spiritus est. Hæc est vnitas quam Maria Magda-
 lena amplectebatur. Hoc est illud vnum, de quo Christus
 dicebat, Porrò vnum est necessarium. Maria optimam *Luc. 10.*
 partem elegit. Erat enim Deo vnita, & vnus spiritus cum eo.
 Hanc vnionem & concordiam nobis tribuit Christus, qua-
 propter eum Apostolus ad Ephesios pacem nostram appel- *Eph. 2.*
 lat. Et in epistola ad Romanos, Iustificati, inquit, ex fide pa- *Rom. 5.*
 cem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Chri-
 stum. Huius triplicis vnitatis concordie author est Deus.

Sed nos de ea nunc potissimum loquimur, quam secundam
 diximus, quæ est hominum inter homines, quorum vnitas
 animus inter se eos conseruat, disiuñctus verò corrumpit &
 euertit. vnde dicebat Oseas, Diuisum est cor eorum nunc in- *Ose. 10.*
 teribunt. Ex quo colligitur excidit caput esse discordiam.

Quod etiam gentiles lumine gratiæ priuati, sola naturali
 luce illustrati intellexerunt, & literis mandarunt. Marcus
 Tullius in lib. 5. de Finibus hæc verba scribit: Neque ciuitas
 in seditione beata esse potest, neque discordia dominorum
 domus, multo minus animus à seipso dissidens, secumq; dis-
 cordans, gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ
 potest. Et Plato quinto dialogo de Republica nihil inquit
 perniciosius esse ciuitati quàm discordiam, nihil vtilius quàm
 vnionem & amicitiam. Amplectamur igitur concordiam, eam
 colamus, & veneremur, & omnem memoriam discordiarum
 obliuione sempiterna deleamus. Qua de re poteris videre
 ea, quæ cap. 11. annotauimus, vbi probauimus Dei officium
 esse congregare, diaboli verò seingere, & diuidere.

Et dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius.] Sæuiente
 seditione in Aegypto, aliis volentibus se tradere Assyrio, aliis
 nolentibus, scindetur Aegyptiorum voluntas inter se discre-
 pabunt, & in varias sententias distrahentur. Vel capitur spi-
 ritus pro intelligentia. vt sit sensus, vsque eò erunt perturba-
 ti, vt parum absint ab insania. Euacuabitur Aegyptiorum sapi-
 entia ex animis eorum. Vel sic: Tam acerbo dolore premen-
 tur, vt eorum animus in medio viscerum rumpi videatur.

Et consilium eius præcipitabo.] Id est, Ad nihilum redigam.
 Non fortietur effectum. Vel sic: Præcipitabo eorum consilium,
 hoc est, efficiam vt sit repentinum, acceleratum, temerarium,
 sine maturitate & iudicio. Vbi vides celerem ac festinam consilii
 temeritatem esse Dei vltionem, Punit Deus impios, eorum
 S consilium

cōsilium præcipitando. Debet enim consiliū esse perfectum & deliberatū, præsertim in rebus difficilibus, in quibus solet animus distrahi, & afferre ancipitem curā cogitandi. Oportet enim tunc rem alta mente considerare, ne repentino impetu, quasi vento animus concitatus perniciem sibi ipsi machinetur. Bias ille Prienēsis, vt est apud Laertiū, dicebat duo maximè esse contraria consilio, irā & festinationē. Sic velim tamen existimes non me tarditatem & moram laudare, sed maturitatem. Oportet enim festinare, sed cum prudentia & limato iudicio. Id quidem est, quod dicitur in veteri prouerbio, Festina lentè. Hanc sententiā continent antiqua Tit. Vespasiani nomismata, præfetiā ex vna parte ancoram, cuius medium seu remonē delphin obuolutus complectitur. Per ancorā tarditas ostenditur, per delphinū verò omniū pisciū, vt ait Plini⁹, velociusimū, festinatio significatur. A piscis igitur hoc symbolum nihil aliud sibi velle, quam id quod est in veteri prouerbio, festina lentè. vnde quidā sapiēs dicebat: Deliberare vtilia, mora tutissima est. Sed hæc est mora cū festinatione coniungenda, vt alterum altero temperetur. Voluit Deus Aegyptios euertere, ideo eorum cōsilium permisit esse præcept & temerarium.

Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium.] Hoc est, Assyriorum, qui immanitate multis in locis etiam ipsas feras superarunt.

Et arefcet aqua de mari.] Sensus est: Tā immanis erit Assyriorū rex in Aegyptios, vt omnia diripiāt & populeūt. Incident Aegyptiā in tam miseras & acerbas calamitates, ac si Nilus esset exsiccatus, a quo omnem suā habēt vtilitatē. Non poterat Propheta maiores erumnas illis minari, quā eas quæ Nili ariditati comparentur. Quoniam tota Aegyptus rigatur Nilo & eius inundatione foecūdatur, & nutritur, ob pluuię perpetuū defectū. Nunquam enim ibi pluit. Et pro miraculo narrat Herodotus semel in Thebis pluuisse quasdā guttas. Et sub allegoria siccitatis Nili inducit Propheta piscatores, textores retiū lacunas, & viuaria. Elegās ab absq̄ dubio in hoc vate dicendi exornatio, & mirū quasi poeticū artificiū. Nomine maris, vt iam diximus, Nilus intelligitur more scripturæ, quæ aquarū congregationem solet mare appellare. Sunt qui per aquā maris hoc in loco intelligāt partē illā maris mediterranei, in quā septē ostiis ingreditur Nilus. Hęc ficcandā prædicat, & aquis desituendā, vt per mare Aegyptiacū annona apportari non possit: & per fluuiū, Nilū intelligunt.

Alii per mare intelligendū putāt lacum Mareotidē, qui erat Aegyptiis vtilissimus, nō solū propter picū multitudinē, sed etiā propter gēmas & margaritas quę ibi producebātur. Nec mirū est, si Aegyptiis desit aqua maris, fluminū, & fontium, & arescāt plāte, & fugiant seu moriātur pisces, & rerū abundantię succedat admirabilis inopia, & tandē omnibus bonis spoliati relinquuntur, quoniā ipsi Deum dereliquerunt.

Calamus & iuncus marcescet, nudabitur alueus riuī à fonte suo: & omnis sementis irrigua siccabitur, arefcet, & non erit. Et marebunt piscatores & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. Confundantur qui operabantur linum, flectentes & texentes subtilia. Et erunt irrigua eius siccantia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. Stulti principes Taneos sapientes consiliiarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicitis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Vbi nunc sapientes tui? Annuncient tibi, & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum super Aegyptum. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcescuerūt principes Memphis: deceperunt Aegyptum angulum populorum eius. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. Et non erit Aegyptio opus, quod faciat caput & caudam, incuruantem & refrenantem.

Calamus & iuncus marcescet.] Arfactis fluuiis cæterisque aquis arefcet omnia quę aquis nutriuntur. Quidā per mare intelligunt regnum, per fluuiū regem, per riuos nobiles & magnates, per calamū & iuncum vilē plebem. Poteris per Aegypti fluuios huiusmodi opes, vitam, gloriam potētiam & cæteras huius mundi res intelligere, quę instar fluminum fluentes modō inundantes, modo decrefcetes, nullā habentes constantiam & firmitudinem, in mari mortis tandem finiūtur. Nascūtur iuxta hęc flumina, iuncus fragilis nullū fructū proferēs, & calamus foris viridis intus vacuus. Spes mūdi iuncus est viro re pulcher, sed fragilis & inutilis, nulli vsū nisi vt pedibus conteratur. Contere igitur fallacem mundā spem, cōculca pedibus iuncū Aegypti. Ne respicias eius florentē viriditatē, sed animaduerte nullum ferre fructum. Ne te decepiat mūdi spes, suisque illecebris trahat ad interitum, sed cōsidera nullam te inde esse veram vtilitatem percepturum. Nam altē perpendere si voles, videbis apertissimē eos omnes qui spei mundi crediderunt, fuisse deceptos, & in summas grumnas incidisse. Id voluit diuinus vates significare, dī

Cens, iuncum fluuiorum Aegypti marcescere. Quamquam enim spes mundi magna promittat, marcescit tamen: & illi, qui erant in sublimi dignitatis gradu constituti, praecipitantur, miseram illam & in breui tam celerem & tam variam commutationem deplorantes. Nec solum iunco, sed etiam calamo, hoc est, arundini virenti Esaias spem mundi comparauit. Quemadmodum enim arido vento mouetur & rapitur, sic mundi spes est vento exposita, nullam habens certitudinem: & quemadmodum arundo pulchritudinem praese fert, & excellentem in foliis viriditatem, qua oculos spectantium fallit, sed intus vacua est, nihil habes soliditatis, sic huius mundi spes humanarum rerum speciem repraesentat, qua homines seducit, & ad se illecebris delinitos adducit, cum sit fallax & inanis, nullamque contineat eminentem effigiem veritatis, sed adumbratam quandam imaginem humanae gloriae. Et eam ob causam mundus hic cum arundineto comparatur. Ait enim Scriptura in libro Sapientiae: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillae in arundineto discurrunt. Scintillis splendidis & rutilantibus comparat viros iustos, igne charitatis incensos, vita ac exemplo tanquam lucidissimis radiis micantes: mundum vero cum arundineto viridi & inani, & vento agitato. Omnis enim mundi gloria, quae deceptis hominibus pulchra & expetenda videtur, inanis est, par leuibus ventis, nihil expressi repraesentans, sed fallacem quandam pulchritudinem insipientium oculis obuersantem. Haec temporis puncto euanescit & extinguitur. praclare igitur illustrissimus ille ac regius vates canebat, Vidi impium super exalratum, & eleuatum super cedros Libani: Transiui & ecce non erat, quae suui & non est inuentus locus eius. Et in alio Psalmo eum beatum appellat qui non in mundo, sed in Deo ponit spem rerum suarum, Beatus in quiens, vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Vide quid mundi gloriae & opes appellet vanitates & insanias falsas. Et in alio psal. Tu es, inquit Domine spes mea: Haec est spes illa, de qua in libro Sapientiae scriptum legimus Spes illorum immortalitate plena est. At sceleratorum spes marcescit & tandem extinguitur, de qua ait Salomon in Prouerbiis: Spes impiorum peribit: quam hoc in loco Esaias calamo & iunco comparatam marcescere confirmauit. Nos vero, vt verbis vtar diuini Pauli in epistola ad Hebraeos scripta, a'persi corda a conscientia mala & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae

Sap. 5.

Psal. 39.

Psal. 36.

Psal. 39.
Sapient. 3.

Prou. 10.

Heb. 10.

noſtræ confeſſionem indeclinabilem.

Nudabitur alueus.] Nemp̄ ab herbis virentibus, & riui nu-
dabūtur à fonte ſuo, hoc eſt, areſcēt omnino. Areſaſto enim
fonte neceſſe eſt riuum areſcere, vel alueus riui, hoc eſt littus
fluminis Nili areſcet omnino, fonte ſuo areſaſto.

Et omnis ſementis irrigua ſiccabitur.] Sementis ſignificat ſe-
minationem, & aliquando ſegetem, pro qua hic accipitur.

Et mærebunt piſcatores.] Subaudi, propter fluminum ſic-
citatē. Myſticè verò, Omnes illi, qui in mundi mare retia
mittunt, mundi opes & potentiam piſcantes, dolore crucian-
tur, cum eis deſunt ea, quæ quærent. At Diuini piſcatores
animas quærent, nō diuitias. Hi ſunt, quibus Chriſtus dixit: *Matt. 4.*
Faciam vos fieri piſcatores hominum. Non dicit piſcatores
diuitiarum, non dignitatum, non nominis, non opū, ſed ho-
minum. Debent cōcionatores animas quæſere, non autem
ad humanas inaneſque opes aſpirare.

Qui operabantur linum.] Hoc eſt, qui faciēbāt retia ex lino.

Et erunt irrigua eius.] Hoc eſt, fontes terram irrigantes.

Quamuis enim irriguum ſumitur pro re quæ irrigatur vel
irrigari poteſt, hoc tamen loco accipitur in actiua ſignifica-
tione: quemadmodum apud Vergilium libro Georgicorum
quarto: Irriguūque bibant violaria fontem,

ſulti principes Taneos.] Tanis ciuitas eſt Aegypti, vbi Mo-
yſes multa ſigna fecit, ait enim *Pſalmus*: Poſuit in Aegypto
ſigna ſua, & Prodigia ſua in campo Taneos. Memphis quo-
Pſal. 77.
que ciuitas eſt Aegypti, magicis artibus dedita, vbi vige-
bat humana ſapientia. At in Aegypti euerſione nihil profuerūt
ſapientium conſilia, quin potius illi, qui alios anteire ſapi-
entia exiſtimabantur, in errores incredibiles inciderunt, &
ignorantiæ caligine inuoluti, ſuam ſtultitiā indicarūt. Ap-
prehendit, inquit *Iob*, ſapientes in aſtutia eorum, & conſili-
um prauorum diſſipat. Et *Salomon* in *Prouerbiis*: Non eſt,
Iob. 9.
inquit ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra
Prou. 21.
Dominum. Et *Ieremias* ait: Stultus factus eſt omnis homo à
Ierem. 10.
ſcientia. Cæterum de antiquitate huius ciuitatis Tanis vide
caput 13. Numerorum, vbi Septuaginta pro Tani Titanim
Num. 13.
verterunt.

Quomodo dicetis Pharaoni.] Verba ſunt Prophetæ ſapi-
entes Aegyptios alloquentis, & ſubſannantis, Vos Aegypti
conſiliarū, qui vobis ſapientiam ſumitis & arrogatis, quo-
modo dicetis regi Pharaoni, pollere vos conſilio, ſapientia,
& authoritate, eſſeque ex ſapientum ac priſcorum regum

firpe genitos, cum sit perspicuum esse vos insipientes, nullumque illi salutare consilium tribuisses. Et statim dirigit sermonem ad Pharaonem regem dicens: Vbi sunt sapientes tui o Rex Aegypti? Vbi sunt tui vates, qui sapientū & antiquorum regū familia gloriantur. Indicent tibi, quid Deus contra Aegyptum cogitauerit. Irridet regis fiduciam, quam in suis sapientibus habebat.

Angulum populorum.] Hoc est, Memphim ciuitatem munitissimam, & fortissimam. Robur enim & decus angulus appellatur, quemadmodum in Psalmo: Lapidē quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli, hoc est, in caput & firmamentum roboris & pulchritudinis totius aedificiū, vtrumque parietem cōtinens & coniungens. Vel per angulum ipsum regnum significatur, in quo multi velut parietes in angulo copulantur: Fuit autem Memphis condita à Mineo multo ante Abrahamum. Author est Iosephus cap. sexto libri octaui de Antiquitatibus.

Dominus misceuit in medio eius spiritum vertiginis.] Hoc est, inconstantiae & varietatis. Nulla res est quae capitaliorem perniciem afferat hominibus, quā inconstantia, quae eos perturbat, vt in nulla sententia sint permanentes, sed instabiles & vacillantes. Ideo à Deo petebat diuinus psalter, vt hostes suos homines impios in nullo proposito firmos esse permetteret. Deus meus inquis, pone illos vt rotā, hoc est, fac eos instar rotā in orbem volutari, fac eos nullam in suis consiliis & cogitationibus habere constantiam, nullam perpetuitatem. Stultus, ait scriptura, sicut luna mutatur, & de sapiente ait: Homo sensatus in sapientia manet sicut sol. Est quidem homo insipiens similis lacui illi qui est apud Troglodytas, quē referunt sexies in die naturali mutari, & modo esse dulcē, modo amarū, sic nonnulli nunc sunt leues, nūc truculēti, nunc diligunt, mox odio prosequuntur, modo aiunt, modo negant, nunquam denique in eodem proposito perseuerant. Poteris per spiritum vertiginis ventū turbini intelligere, vt sit sensus: Dominus euerit Aegyptum, quemadmodū stipula abripitur flatu venti & turbini. Pagninus vertit: Spiritum peruersitatum. Fortasse per spiritum vertiginis intelligit errorem. Nam qui mouentur in orbem veluti vertigine agitati, non sunt apud se, & tanquam insani cadūt in terram. Idēo Aegyptios errore deceptos ebrio vomenti comparat, qui vi no correptus, iacet sine iudicio prostratus. Vertigo est turbo, quem Sallustius turbinum motum appellat. Quanquam dicant

Psal. 127.

Psal. 32.

Ecc. 27.
Ibidem.
Simile.

dīcant nonnulli vertiginem solum capitis dolorem & ægretudinem significare. Diuus Hieronymus spiritū vertiginis spiritum erroris siue errorum interpretatur.

Et non erit in Aegypto] Hoc est, Quid facient Aegyptiū cum omnes in errore versentur? cum sapientes errare fecerint, caput & caudam, incuruantem & refrenantem, hoc est, nobiles & obscuros, senes & pueros. Nomine capitis intelligit viros illustri laudē celebratos, nomine caudæ plebeios & infimo loco natos, nomine incuruantis semē, nomine refrenantis adolescentem, qui seipsum refrenare debet. D. Hieronymus in commentariis dicit pro refrenante posse esse lasciuientē, & ita erit apertior interpretatio, vt per lasciuientem adolescentem intelligāmus. De iis nominibus locuti sumus cap. 9. in hebraicis annotationibus. Poterit hic esse sensus: Nec magnates, nec plebei, nec fortes, nec fragiles, poterunt aliquid efficere, quod possit occidenti reipublicæ prodesse.

In die illa erit Aegyptus quasi mulieres, & stupebunt & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse mouebit super eam. Et erit terra Iuda Aegyptiōi festiuitatem, omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit à facie consilii Domini exercituum quod ipse cogitauit super eam. In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan, & irrantes per Dominum exercituum: Ciuitas Solis vocabitur vna. In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius: & in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribunalis & mittet eis saluatorem & propugnatozem, qui liberet eos. Et cognosceatur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptiū Dominum in illa die, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent. Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, & sanabit eam & reuertentur ad Dominum & placabitur eis, & sanabit eos. In die illa erit via de Aegypto in Assyrios, & intrabit Assyrus in Aegyptū, & Aegyptius in Assyrios: & seruient Aegyptiū Assur. In die illa erit Israel tertius Aegypto & Assyrio: Benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens: Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Assyrio, hæreditas autem mea Israel.

In die illa erit Aegyptus quasi mulieres.] Qui quondam fortitudine pollebant, erunt imbecilli, & veluti mulieres animo cadent. Quando Deus vult, nemo habet nec corporis neque animi fortitudinem, Ieremias ait cap. jr. *Cæsauerunt fortes*

Exod. 12.

fortes Babylonis à prælio, habitauerunt à præfidiis, deuoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres. Aequum fuit vt Ægyptij, qui pueros Hebræorum suffocabant, & feminas relinquebant, essent veluti mulieres effœminati & imbecilli.

À facie commotionis manus Domini exercituum.] Hoc est, A supplicio vltionis commotæ à Deo per Assyrios. Mouere manum, extendere manum, ponere manum, significat punire. De iis Hebræis locuti sumus capite 1 & capite quinto.

Et erit terra Iuda Ægypto in festiuitatem.] Hoc est, calamitas Iudæorum consolabitur Ægyptios. solet enim aliorum miseria afferre aliquod gaudium ærumnosis, eosq; dolore aliquo modo leuare. Pro festiuitate habent nonnulli codices ad marginem pauorem, & etiam nonnulli in proprio textu. Pagninus ex Hebræo etiam vertit pauorem. Vox Hebraica vtrumque significat, festiuitatem & pauorē, est enim in Hebraico lecchagga à verbo hageg, quod significat diē festum agere, celebrare, & festiuare. Leuitici. 22. Celebrabitis ferias Domini septem diebus. Vnde nomē chagga significat festiuitatem: & quoniā in festis diebus tenemur Deū maiori religione & filiali amore venerari, capitur pro timore. Et D. Hieronymus in primis commentariis ait debere potius hic verti in timorem, quā in festiuitatem. Et Thargum pauorem interpretatur: quem etiam sequutus Aquila vertit, gyro *sm*, cum aliquis pauidus & tremēs circumfert oculos, & aduenientē formidat inimicū. Et ita erit sensus: Tam fragiles erunt Ægyptij, vt etiam vocabulū Iudæ eis ingerat pauorē, quoniam ob auxilium quod ei præbuerunt animo iniquo, in tantam calamitatem inciderunt. Vel sic: veniet tempus, ait Propheta, quando Ægyptij non possint sine timore audire nomen Iuda, in qua ego hæc vaticinatus sum, Vel, Ideo Ægyptij timebunt Iudæos, quoniam audient cladem Assyriorum apud Hierosolymam, vbi exercitus Sennacheribi fuit funditus extinctus.

In die illa erunt quinque ciuitates.] Diuus Hieronymus asserit sua etiam ætate fuisse aliquas ciuitates in Ægypto lingua Chananitide loquentes. Putant nonnulli fuisse Syros à Nabuchodonosore rege Babyloniorum in Ægyptum translatos, qui Syri etiā Chananitica lingua loquebātur. Diuersa erat lingua Syriaca à Iudaica, vt constat ex ca. 26. huius Prophetæ, sed vtraque Chananitica appellabatur. Alij tradunt regem Sennacheribum habuisse in exercitu suo multos Ægyptios,

Leuit. 23.

gyptios, quos vicerat, & secum duxerat ad oppugnandam Hierosolymam, sed percussio exercitu Assyriorum euaserunt Aegyptij, quos Ezechias dimisit superstites, vt Dei gloriam, & admirabilem Assyriorum cladē in Aegypto prae dicarent: & erectis aris verum Deum colerent, & sacrificiis venerarentur. Et hos aiunt esse quinque ciuitatum quarum Esaias hoc in loco meminit, cultores, quos lingua, quam Hierosolymae didicerant, propheta praedicit esse locuturos, & per Deum verum, non per idola iuratos. Alij dicunt haec verba Esaias nihil aliud significare quam futuram magnam inter Iudaeos & Aegyptios coniunctionem & familiaritatem. Alij narrant multos ex Iudaeis se in Aegyptum contulisse post Babyloniam captiuitatem, & has quinque ciuitates coluisse. Fortasse cum diuinus vates haec literis mandaret, tempus gratiae respexit. Tunc enim fideles ex gentibus & Iudaeis fuerunt communicatione coniuncti. Aegyptus mundus est, quem Deus vicit vt homines saluos faceret. Quid aliud nobis vult significare propheta per eos, qui ad Deum fuerunt conuersi, quam conuertendas esse gentes ad fidem Christi, & lingua sancta locuturas? Lingua mundi lingua est Aegyptiaca, lingua vero verorum Christianorum sancta est. Non homines lingua Hierosolymae, impij vero lingua Aegypti loquuntur. Vis homine cognoscere cuius sit nationis, audi eum loquentem: sermo enim eum manifestum facit. Ex abundantia cordis, vt Christus ait, os loquitur. Omnis homo aut habitator est Hierosolymae aut Aegypti, aut tenebrarum & perturbationum, aut visionis pacis colonus, cognoscitur autem in verbis. Nam vt dicebat Themistocles, sermo est similis stragulis picturatis: vt enim illae, dum extenduntur, imagines ostendunt, at dum contrahuntur, celant easdem: sic oratio prolata animum demonstrat, & aperit, quae abscondita eum absconditum tenebat, & occulta, occultabat. Vnde quidam sapiens dicebat. Qualis est homo, talis est eius sermo.

Matt. 12.

Simile.

Ciuitas Solis.] Haec erat pulcherrima quaedam & florentissima ciuitas, cuius propheta meminit ob eius praefatam & excellentiam.

In illa die erit altare Domini in medio terrae Aegypti.] Haec non solum nostri, sed etiam Iudaei de Christi aduentu intelligunt. Et est sensus: Cum Christus venerit, & homines docuerit, atque sua morte ipsam mortem occiderit, erit in medio Aegypti, hoc est in medio mundi altare vnum, in quo Deus offerretur, erit vna ecclesia, vnum baptisma, vna fides.

Et

Et titulus Domini iuxta terminum eius.] Sensus est: In terminis Aegypti erit titulus in signum & memoriam Dominicae passionis, hoc est in vniuerso mundo coletur memoria redemptionis humanae. Capitur titulus pro monumento, & perpetua rerum gestarum memoria, quemadmodum capite vigesimo octauo Genesis, vbi memoriae proditum est, crexisse Iacob lapidem in titulum, in memoriam mirabilis illius scaele, quam ibi viderat: & promissionis, quam à Domino acceperat. Vel sic: In altari erit titulus, hoc est, statua, aut figura: in quam significationem accipitur sextodecimo capite Leuitici, vbi dicitur: Non facietis vobis idolum, & sculptrile, nec titulos erigetis. In lib. 2. Regum cap. 18. ita scriptum est: Porro Absalon erexerat sibi cum adhuc viueret, titulum, hoc est, statuam. Quamuis nonnulli per titulum pyramidem, alij arcum triumphalem interpretentur. Ego ex ultimo per altare Aegypti ecclesiam intelligi, & per titulum honorem Christo exhibendum, aut memoriam nostrae redemptionis in altari celebrandam. Iudei nonnulli asserunt hanc Esaiæ vaticinationem fuisse tempore Machabæorum completam, quando Onias in Aegypto altare Deo ædificauit. Sed longè falluntur opinione. Quin potius Onias peccauit, quia præceptum Domini contregit, quò est in lege prohibitum, ne durante lege altare Domino in Aegypto ædificaretur. Præterea si hoc Iudæi interpretantur de tempore Messiae, qui fieri potest, vt tempore Machabæorum impleatur? Sed cum in lege sit prohibitum fieri altare extra Hierosolymam, & Esaias prædixerit in Aegypto rectè faciendū, indicat legem abrogandam & antiquandam esse. Translato enim sacerdotio, vt verbis Paulinis vtar, necesse est, vt & legis translatio fiat.

Clamabunt enim ad Dominum.] Versantes Aegypti in ærânis clamabunt ad Dominum, & ipse eos exaudiet, mittetq; eis saluatorem, hoc est Christum, qui appellatur Iesus, hoc est saluator, qui eos ab animorū hostibus eripiat. Et cognoscetur Christus ab omnibus fidelibus. Hoc vaticinatus fuit iis verbis Ieremias: Omnes cognoscant me, ait Dominus, à minimo eorum vsque ad maximum.

Et percussit Dominus Aegyptum.] Post magnam cladem conuertentur Aegyptij, & Deus illis medebitur. Dominus percussit, & simul medetur. Dū aliud agere viderur, agnitionem sui offert hominibus. Punit vt misereatur: quem enim diligit Dominus corripit, vt ait Apostolus ad Hebræos scribens,

Ierem. 31.

bens, & castigat omnem filium, quæ recipit: & Iob, Ipse, in- *Heb. 4.*
quit, vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. *7.*

In die illa erit via de Aegypto in Assyrios.] Significat concordiam & commercium, & spiritualement ac euangelicam pacem inter gentes, quæ erant in Christum credituræ, de qua pace vide ea quæ supra annotauimus cap. 2.

In die illa erit Israël tertius Aegypto & Assyrio.] Hoc est, Erunt Israëlita sicut Aegyptij & Assyrii. Omnes credentes *1041. 10.* erunt in vna Ecclesia, fiet enim vnum ouile, & vnus pastor. Et erit benedictio in medio terræ: non solum benedicentur Israëlita, sed etiam gentes per Christum. Prædicat fore vt gentes essent æquales Iudæis.

Benedictus populus.] Populus Aegyptiacus antea maledictus, erit benedictione cumulatus, & Assyrius erit opus manuum mearum: nam ego eum conuertam, in eiusque conuersione clementiam meam magnopere demonstrabo. Et Israël erit hæreditas mea, quia in Iudæa nascar & patriar. Fortasse ideo hæ tres regiones singulariter nominantur, & benedicendæ prædicuntur, quia in his creuit magnopere Christi religio, & fuit admirabilis quædam sanctorum monachorum abundantia.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XIX.

Deceperunt Aegyptium angulum populorum.] Pro angulo est in Hebræo pennath in singulari. Pagninus tamen posuit in plurali, ita vertens: Errare fecerunt Aegyptum anguli tribuum eius. Et tunc est sensus: Sapientes, qui sunt anguli, quorum consilio populi coniunguntur & copulantur Aegyptum fefellerunt. Vbi aspicias officium esse sapientum & consiliarios ciues coniungere, eosque inter sese amicitia benivolentiaque conseruare. Potest verti: Deceperunt angulum populorum Aegypti. Vt sit sensus: Aegyptij sapientes deceperunt regem, qui erat veluti angulus populorum Aegypti: Volens diuinus vates ostendere Aegypti miseriam & excidium, satis esse duxit indicare, esse regem à suis consiliariis seductum atque deceptum.

Ciuitas Solis vocabitur vna.] Hic variant Hebræa exemplaria. Nam in nonnullis pro Sole est ha cheres, in aliis verò ha heres. Prior dictio significat Solem, vt Iob capite nono. Qui præcepit foli, & non oritur, Posterior verò contritionem,

nem, euerfionem, & vastationem. Diuus Hieronymus legit cheres, Pagninus heres. Cum igitur in Hebraicis codicibus fit varietas, quid mirum est in latinis interpretibus inueniri varietatem? Chaldaeus paraphrastes habet: ciuitas Solis, quemadmodum est in editione vulgata cum diuo Hieronymo. Et hæc videtur recta interpretatio: Nam in Aegypto sita erat quædam ciuitas appellata Heliopolis, vt author est Herodotus libro secundo, quam Diodorus Siculus Thebas esse ait. Et Iosephus capite septimo libri secundi Antiquitatum, & capite quarto libri tridecimi eam in Aegypto sitam esse asserit. Quod à diuinis literis non discrepat. Est autem perspicuum ἠλιόπολις Latinè sonare Solis ciuitatem. Inuenies hoc nomen Genesis capite quadagesimo primo, vbi scriptum est Putipharem Aegypti fuisse Sacerdotem Heliopoleos. Cum versione communi, & Chaldaea paraphrasi, & diuo Hieronymo, concordat Symmachi versio. Quare ea est meo iudicio tenenda. Non enim solum magnorum scriptorum auctoritate fulcitur, sed etiam admirabilem in spiritali intelligentia habet doctrinam. Ait propheta in hac Aegypti ciuitate tantam fore conuersionem, vt relictiis idolis, & Aegypto sermone, vnum Deum colerent, linguaque Chananitica loquerentur. Fieri non potest, vt ciuitas Aegypti, hoc est anima tenebris circumfusa, atque errorum scelerumque caligine cooperta, ad Deum conuertatur, nisi fuerit diuini Solis radio illustrata. Solisque ciuitas appellatur. Sed si hoc nomen scribatur litera siue potius aspiratione hac **ꝑ**, deriuatur à verbo haras, quod significat destruere & contere, vt apud nostrum Prophetam capite quartodecimo: Vrbes eius destruxit: Et in Psalmo quinquagesimo octauo. Deus conteret dentes eorum. Ideo potest verti: Ciuitas contritionis siue euerfionis, neque sine mysterio. Vt enim oportet corrumpi veterem phœnicem, vt aiunt, incendioq; flagrare, vt noua oriatur, sic oportet hominem veterem conteri & corrumpi, vt nouus renouetur. Ait enim Apostolus in epistola sua secunda ad Corinthios: Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renouatur de die in diem. Et ad Romanos scribens ait: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. Et ad Colossenses. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: & paulò post: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem

Similitudo.

2. Cor. 4.

Rom. 12.

Col. 3.

ginem eius, qui creauit eum, Et in prima ad Corinthios: Ex-
purgate vetus fermentum, vt fitis noua conspersio. Et ad E-
phesios: Deponite vos secundum pristinam conuersationem
veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria er-
roris, renouamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite
nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusti-
tia & sanctitate veritatis. Quemadmodum igitur illa Aegy-
pti ciuitas erat conterenda, vt Deum piè coleret, sic homo,
vt Deo obtemperet, sanctaque religione veneretur, debet
ipsum conterere, dareque operam, vt ratio conculcet & re-
tineat appetitus, ne modum transeuntes, & obedienciam ab-
iicientes, animum perturbent, eiusque constantiam à sua se-
de & statu deiciant.

1. Cor. 5.
Ephes. 4.

Argumentum Capitis XX.

Prædicatur Aegyptiorum & Aethiopum captiuitas. Idè
est argumentum huius capitis & duorum præcedentium: est
enim hoc caput quasi auctarium illorum.

CAPVT XX.



IN anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyrio-
rum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset
eam: in tempore illo locutus est Domi-
nus in manu Esaiæ filii Amos: dicens: Vade,
& solue saccum de lumbis tuis, & calcea-
menta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic
vadens nudus, & discalceatus. Et dixit Do-
minus: Sicut ambulauit seruus meus Esaias nudus & discalceatus,
trium annorum signum & portentum erit super Aegyptum, & su-
per Aethiopiam: sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti,
& transfmigrationem Aethiopiæ, iuuenem & senem, nudam
& discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.
Et timebunt & confundentur ab Aethiopia. spes sua, & ab Aegypto
gloria sua. Et dicet habitatio in insula huius in die illa: Hæcine erat
spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberaret nos à facie
regis Assyriorum? & quomodo effugere poterimus nos?

EXPLANATIO.

In anno quo ingressus est Thartan in Azotum.] Azotus, vt
refert Iosephus Hebræus, vrbis fuit Palestinæ, quam expu-
gnauit

gnauit Thartan dux Sennacheribi Assyriorū regis, qui hic Sargon appellatur: habebat enim Sennacheribus, vt annotauit D. Hieronymus, multa nomina. Huius Thartanis meminit scriptura libro quarto Regum, capite 18. Anno igitur quo Azotus fuit capta, præcepit Deus Esaiæ, vt deponeret tunicam facceam, qua induebatur, & calceamenta tolleret de pedibus suis, quod Esaias fecit in signum nuditatis futuræ Aegypti & Aethiopiæ, quæ regiones fuerunt tribus annis ab Assyrtis euerfæ. Et Aegyptij ac Aethiopes, qui ex prælio euaserunt, fuerunt capti, & ab Assyrtis in Assyriâ abducti, vbi nudi, vestibus & calceamentis spoliati, in summa ignominia versabantur. Hoc vaticinatus fuit Esaias: vt viderent Iudæi vastandos esse Aegyptios, in quibus spem suam collocauerant, & ad quos contempto & derelicto Deo confugere decreuerant.

Solue saccum de lumbis tuis.] Hic erat habitus prophetarum populi delicta plangentium, & propria corpora cilicio dominantium.

Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.] Aspice prophetæ obedientiam. Erat Esaias illustri loco natus, vir nobilitate & autoritate præstanti, & non erubuit nudus incedere: nihil enim honestius & illustrius iudicauit, quam Dei præceptis obedire. Sunt qui existiment hæc in visione imaginaria gesta fuisse. D. tamen Hieronymus realiter inquit contigisse, quæadmodum litera sonare videtur. Existimo tamen eum ita fuisse nudum, vt verendas partes tectas habuerit.

Trium annorum signum.] Hoc est, Hæc nuditas prophetæ erit signum euerfionis Aegyptiorum & Aethiopum, ipsis Aegyptiis opem ferentibus, quæ durabit tribus annis. quibus Aegyptus & Aethiopia vastabuntur. Vel indicat illam euerfionem venturam esse tranfactis tribus annis. Fortasse ter nudus incesit vates.

Nudam & discalceatam.] In ipsa transmigratione ibunt Aegyptij & Aethiopes vestibus & calceamentis nudati, tam iuvenes quam senes. Perpende Aegyptij, hoc est, tenebris circumfusi, Pharaoni, hoc est, dæmoni seruentes, captiui ducti ab Assyrtis, hoc est, a peccatis. Est enim peccati vilis quædam & infamis captiuitas, in qua omnes detenti nudi sunt, veræ dignitatis vestibus & ornamentis priuati. At qui charitate sunt præditi, soli sunt veste nobilissima induti. Hæc est vestis illa de qua Christus apud Mart hæum. Amice, inquit, quomodo huc intraſti non habens vestem nuptialem? Et A. postolus

Matt. 22.

postolus Petrus, Charitas, inquit, operit multitudinem pec-
 catorum. Et David in Psalmo: Beati, inquit, quorum remis-
 sã sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata. Charitas
 enim operit & tegit: vnde qui sine ea sunt, merito nudi di-
 cuntur, quod significans diuus Ioannes dicebat cuidam in
 Apocalypsi: Neicis quia tu es miser, & miserabilis, & pau-
 per, & cæcus, & nudus. Ideo ait scriptura primos nostros
 parentes, cum in peccatum inciderunt, cognouisse se esse nu-
 dos. Quamuis enim ante peccatum nudi essent, habebãt ta-
 men pro vestimento diuinam quãdam dignitatem, quam, si
 in illo felicitatu permanissent, non amisissent, quin po-
 tius fuissent semper admirabili quadam gloria cumulati. At
 cum Dei præceptum transgressi sunt, crubuerunt, & fue-
 runt hac veste nudati, & senserunt anxios timores, inanes
 sollicitudines, aliaque perturbationes, qua in eostanquam
 procella & tempestates iruerunt. Est igitur charitas diui-
 na quãdam vestis. Hæc est vestis illa qua Elias operuit Eli-
 sæum, quem inuenit arantem. Hac enim indutus Elisæus
 combulsit aratra, in quorũ igne coxit duos boues, quos oc-
 cidit, & statim secutus est Eliam, qui super eum palliũ pro-
 iecerat. Quid per Eliãum terram colentem intelligitur, ni-
 si peccator terrenis operibus implicatus? Quid per Eliãam
 igneo curru cœlum ascendentem, nisi Christus charitate
 inflammatus, in cœlum assumptus? Cum Christus pecca-
 torem cooperit pallio diuinæ gratiæ, statim homo terrena
 ac turbulenta negotia, & impia commercia reliquit: & iu-
 ga bouum, hoc est, mundi vincula, & nefarios labores contē-
 nit, comburit aratra, hoc est, instrumēta peccandi: & boues,
 qui iuga mundi portabant, occidit, & coquit aratorũ igne,
 hoc est, appetitus interficit, & seipsum occidit igne cõtriti-
 nis peccatorum, ita vt iam ipse qui antea erat non viuat, sed
 sit Deo immolatus. Nõ viuat homo carnalis, sed spiritualis,
 non homo terrenus, sed cœlestis, quemadmodũ de seipso D.
 Paulus dicebat: Viuo aut iam non ego, viuat in me Christus.
 Ille Paulus qui antea uiebat, erat in cruce immolatus, iu-
 xta id quod ipse dicebat: Mihi absit gloriari nisi in cruce
 Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus cruci-
 fixus est, & ego mundo. Aspius itaque quid profuerit Elisæo
 pallium illud, quõ fuit ab Elia indutus, per quod charitas
 significatur, sine qua Ægyptij nudi & discalciati dicuntur.
 Hi qui Pascha Domini celebrabant, calceati erant, vt in li-
 bro Exodi referunt diuinarum literarum monimēta: at Æ-
 gyptij

1. Petr. 4.

Psal. 21.

Apoc. 3.

Gen. 3.

3. Reg. 19.

Figura.

Galat. 2.

Galat. 6.

Exod. 13.

1. Cor. 5.

gypti scelerum vinculis astricti, erant pedibus nudi, quoniam verum pascha dignè nō comedebant. Pascha enim nostrum, ut ait Apostolus, immolatus est Christus, quem ipsi non sequebatur, per quos nefarij omnes mortiferis sceleribus vulnerati intelliguntur. Cæterum litera poterit ita ordinari, Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem, & transmigrationem nudam & discalceatam, hoc est, Aegyptios & Aethiopes nudos & discalceatos.

Et timebunt, & confundentur.] Sensus est: Cadent Iudæi animo, & pudore afficientur, videntes captiuos afflictos, & ærumnolos Aegyptios, quibus ipsi fidebant, & quorum auxilio gloriabantur.

Habitator insulae huius.] Insulam appellat Hierosolimam, qui erat fluctibus Assyriorum concussa, & bellis ac periculis circummagirata. Alij per insulam totam Iudææ terram intelligunt, quod mari alluatur: nam ab occasu cingitur mari mediterraneo, à meridie verò mari Galilææ. Forasse insula appellatur Hierosolyma, respectu Babylonis, quā in sequenti capite propheta appellat mare, ob eius incredibilem magnitudinem.

Hæc erat spes nostra.] Verba sunt Iudæorum Aegyptios vastatos ignominiaq; affectos videntium. Videte vbi ipse nostrā ponebamus, in hominibus qui seipso liberare nō poterunt. Damascus in qua Israël spem posuerat fuit euersa. Iudæa fidit Aegypto, fuit Aegyptus vastata. Aegyptij cōfugiebant ad Aethiopes, at Aethiopes fuerūt ab Assyrijs superati. Assyrii victorijs ac triūphis elati, viribus suis gloriā suā tribuētes, victi fuerunt à Babylonijs, Babylonijs impietate & insolētia gloriantes, & Iudæos in misera & acerba captiuitate retinentes, fuerunt à Medis & Persis grauius oppressi, & amplissimis opibus spoliati, & ita miseri ex alto apparentis, sed falsæ dignitatis gradu præcipites ruerunt. Persæ & Medi fuerunt ab Alexandro contriti & deleti. Alexandro verò superbia elatus perit veneno, eiusque regnum fuit diuisum & seuerum. Vide Dei iudicia, humanarumq; rerum mutationes. Quod serum tot habet vicissitudines? Qui mensis Martius tot habet florum ac colorum varietates? Quæ rota facilius mouetur quàm mundus? Vt enim sæpenuerò contingit, in magna acris tranquillitate oriri repente leuam & horribilem tempestatem, sic in statu felici rerumq; gestarum gloria florenti, successibus prospero flatu & ad voluntatem fluentibus, incidunt sæpissimè acerbissimæ rerum pertur-

Similia.

Simile.

perturbationes, luctuosissimæ calamitates, incredibiles maiorum omnium procellæ. Quare non debemus mundo fidere, nec eius prosperitatem firmam & stabilem putare.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XX.

Locutus est Dominus in manu Esaiæ.] Pro in manu est in Hebraico beiad: quod significat in manu, quemadmodum vertit interpres noster. Potest etiam verti: Per manum Esaiæ, quemadmodum habet versio Pagnini. Et quoniã dictio iad, quæ hoc in loco est, significat prophetiam, ut in annotationibus in caput octauum explicui, poterat verti: Locutus est dominus per prophetiam Esaiæ, hoc est, per Esaiam prophetam. Eodem modo illud Malachiæ cap. 1. vbi editio vulgata habet: Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ: poterat etiam verti, per prophetiam Malachiæ. Quasi diceret: Sequitur grauis & criminatoria oratio ad Ismaelē, quam Deus loquutus est per prophetam Malachiam.

Confundentur ab Aethiopia spe sua.] Hoc est, in qua spem suam posuerant. Pagninus vertit: Pudore afficientur ab Aethiopia aspectu suo. Id est, in quam oculos coniciebant, ab ea pendentes, & auxilium expectantes. Potest verti: Confundentur ab Aethiopibus, in quos respiciunt. Quæ omnia in idem recidunt. Solemus enim in eos oculos conicere, à quibus opem expectamus: vnde aspectus pro spe & confidentia ponitur.

Argumentum Capituli XXI.

Prædicat diuinus vates euertendam esse Babylonem à Perſis & Medis, Idumæam autem & Arabiam ab Assyriis & Chaldæis. Pertinet autem huius capituli prima pars ad caput tertium decimum & quartumdecimum, in quibus etiam fuit Babylonis vastatio prænuntiata. Vaticinatur toties Esaias de Babyloniorum excidio, quoniã ab iis erant Iudæi vastandi & in acerbam captiuitatem adducendi.



Nus deserti maris. Sicut turbines ab A-
phrico veniunt, de deserto venit, de terra
horribili. Visio dura nuntiat a est mihi, qui
incredulus est, infideliter agit: & qui de-
populator est, vastat. Ascende Aelam, ob-
sede Mede, omnem gemitum eius cessare
feci. Propterea repleti sunt lumbi mei do-
lore, angustia possedit me, sicut angustia
parturientis: cor ui tam audirem: contur-

batus sum, cū viderem. Emarcui cor meum, tenebræ stupefecerunt
me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mēsam,
contemplare in specula: comedentes & bibentes, surgite principes,
arripite clypeum. Hæc enim dixit mihi dominus: Vade & pone spe-
culatorem: & quodcumque viderit annunciet. Et vidit currum
duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli: & con-
templatus est diligenter multo intuitu. Et clamauit ut leo: super
speculā domini ego sum, stans iugiter per diem: & super custodiam
meam ego sum, stans totis noctibus. Ecce, iste venit ascensor vir bigæ
equitum, & respondit & dixit: Cecidit cecidit Babylon, & omnia
sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. Tritura mea, & fi-
lia areæ meæ quæ audiui à Domino exercituum Deo Israël, annun-
tiani vobis.

Abac. 8.
Iou. 2.

Abac. 2.

Ierem. 51.
Apoc. 16.

EXPLANATIO.

Onus deserti maris.] Solent prophetae ea quæ verbis ob-
scuris, & explicatu difficilibus scripserunt, postea apertius
explanare. Id quod hoc in loco fecit Esaias. Esset enim non
parua difficultas in expositione principij huius capituli, nisi
ipse vates postea explicaret, hoc mare desertum, cuius onus
viderat, esse Babylonem, cum ait: Cecidit cecidit Babylon.
Ex quo perspicuum est per mare desertum Babylonem sine
dubio significari. Et cum onus significet prophetiā, in qua
prædicitur dolor & afflictio, sensus horum verborum hic
est: Sequitur vaticinium, in quo Babylonis calamitas præ-
nuntiatur. D. Hieronymus existimabat appellari Babylon
mare, ob eius magnitudinem, & multitudinem habitantium.
Fortasse ideo scriptura hoc tropo vitur, quia quemadmo-
dum mare multa in se flumina recipit, sic Babylon multa re-
gna. Desertum appellatur ab officio, quod alia regna de-
serta faceret. Vel quia erat in solitudinem redigenda. Sic
apud Ierem. c. 51. vbi hæc Babylonis euerfio prænuntiatur. ait

Deus. Desertum faciam mare eius, & siccabo veriam eius, & erit Babylon in tumulos, habitatio draconū, vt stupor & sibilus, eo quod nō sit habitator. Potest fortasse appellari mare, quod mare sit inquietum, sæuum, & tempestuosum, perspicuū est enim fuisse Babylonios superbos, immanes, & procellas ac tempestates in alias nationes mouentes, & excitantes. Ita dictum est in psalmo: Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum. Vbi immanitas & concitata vis impiorum aduersus fideles mari procelloso, & vndarum impetu montes concutienti comparatur.

Sicut turbines ab Aphrico veniunt. Verba sunt Babylonis, quæ Esaias facit loquentem, & calamitatem suam explicantem, ac si diceret. Venit mihi hæc calamitas & vastitas de deserto, & terra horribili, hoc est, de Persia & Media, quemadmodū veniunt turbines & procelle flante vēto Aphrico. Significat propheta esse Babylonem vastandam subito & vehementi cū tumultu à Cyro & Dario. Possunt esse verba ipsius prophete. Est autem Aphricus ventus flans à parte meridionali inter Austrum & Zephyrum, cuius meminit iis verbis Horatius in Odis. Luctantem Icaris fluctibus Aphricum. Cæterum poterit hoc in loco verti pro ab Aphrico à meridie, hoc enim nomen nageæu, quod hic ponitur, meridiem etiam significat, vt Genesis cap. 28. Dilaberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem, & quoniam ventus Ausfer fiat à meridie; ponitur etiam pro austro, vt Iosue cap. 17. Ephraim sit ab austro. & Esaiæ cap. 30. Onus iu mentorum austri. Sed quoniam ventus Aphricus parum distat ab Austro, & vt diximus, inflat à meridie, vertit noster interpres: Sicut turbines ab Aphrico. Pro quo Pagninus transtulit Austrum.

Viso dura nuntiata est mihi. Id est, prophetia de Babylonis euerfione, quam ego mentis oculis aspexi.

Qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est vastat. Medos & Perfas appellat incredulos, & depopulatores, quos dicit infideliter, hoc est, immaniter & impiè Babylonem vastaturos. Fortasse ideo dicit, Infideliter agit, quia cum Cyrus amicus esset regis Babylonis, fidem fregit, etque bellum crudelissimum intulit. Sunt qui dicant Cyrum pacem finxisse cum rege Babylonis, & sic eum dolo & fraude interfecisse, quum esset ab eo ad conuiuium inuitatus Capite 5. Danielis scriptum est, Balthasarem regem Babylonis fecisse magnum conuiuium, & eadem nocte fuisse interfectum, succisissetque

celssisseque in regnum Darium Medum. Vbi nulla fit mentio Cyri, quod iunior esset auunculo suo Dario Medo, Artaxerxes filio. Sed in eodem capite scriptum est, vaticinatum fuisse Danielem regnum Babylonicum dandum esse Medis & Persis: nam Darius fuit Medus, Cyrus autem Persa, qui postea imperauit.

Ascende Aelam, obside Mede.] Verba sunt, quæ vates audiuit, quibus Deus Aelamitas & Medos inspirauit, vt Babylonem oppugnarent, & euerterent: Sensus est: Parate bellum, & Babylonem obsidite vos ô Aelamitæ & Medi. Ne timearis eius fortitudinem & munitionem, nã omnem gemitum & dolorem, quem aliis nationibus inferebat, cessare faciã: iam amplius neminem affliget, quoniã à vobis funditus eueretur. Aelam ciuitas est Persidis, sed pro tota Perside accipitur. Appellatur etiam Persarum principes Aelamitæ, ab Aelam filio Sem, vt ait Iosephus. Id quod dicit: Omnem gemitum eius cessare feci: potest etiã habere hunc sensum: Tantus erit Babylonis timor, vt ne gemitu quidẽ audeat liberẽ proferre.

Propterea repleti sunt lumbi mei dolore.] Verba sunt prophetæ, qui pietate motus perniciem Babyloniõrũ dolebat. Sunt qui dicat verba esse Balsãfaris, vel vt in aliis codicibus inuenitur, Balsãfaris regis Babylonis. Cæterum lumbos impleri dolore, significat imbecillitatem & fragilitatem, sicut contra lumbos succingere strenuitatem & fortitudinem significat.

Babylon dilectamea posita est mihi in miraculum.] Hoc est, in admirationem. Si verba sunt Balthasaris, apertus est sensus: si autem sunt Prophetæ, dicendum est, Babylonios esse ab eo dilectos quatenus proximi erant, & à Deo creati, non autem quatenus improbi & infideles. Eos enim, quatenus tales erant, detestabatur sanctus vates, non eorum naturam oderat, sed malitiam. Rex Dauid omnes homines diligebat, & tamen dicebat: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, & alio in loco: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. & alibi, Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebã? perfecto odio oderã illos, & inimici facti sunt mihi. Aspicias igitur sanctum regem, qui omnes homines amore prosequabatur, qua ratione tales erant, odio habuisse, eorumque scelera fuisse detestatum.

Pone mensam.] Alludit ad conuiuium, quod Rex Babylonis fecit eo die, quo interfectus est.

Contemplant in specula.] Cũ paratum esset conuiuium, missus

Psal. 118.

*Psal. 25.
Psal. 138.*

missus est speculator, qui videret ex specula num inimici urbem inuaderent, qui videns eos adoriri ciuitatem, alloquitur Babylonios comedentes, exclamans, vt surgerent, & arma arriperent. Potest hoc ita explanari: Instrue mensam tuam ô Babylon, & contemplant in specula, hoc est, in scriptura manus scribētis, quæ miserabiliter in pariete apparuit, vt est apud Daniele 5. cap. Et vos ô Medi & Persæ, qui cum rege Babylonis accumbitis, surgite ad occidendum regem.

Vade & pone speculatorem.] Verba sunt Dei Prophetam alloquentis, vade tu ô Esaias, & pone te speculatorem. Et quæcunque hic speculator viderit, annunciet. Et vidit currum. Nunc loquitur Esaias. Et hic speculator, hoc est, ego ipse, vidi currum duorum equitum, & trahebant currum asinus & camelus. Hi duo equites erant Cyrus rex Persarum, & Darius rex Medorum duo animalia, quæ currum trahebant, erant duo exercitus, nempe Medorum & Persarum. Per asinum intelliguntur Persæ, qui ante Cyrum neglecti, in obscuritate iacebant per camelum Medi, qui semper fuerunt in omnium gentium luce & celebritate constituti. Et speculator ille, qui mentis oculis hæc aspexerat, clamat vt leo. Quis autem esset hic speculator, explicat, esse seipsum dicens: Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Quibus verbis indicat Prophetam, se positum esse veluti in specula, ex qua videret spiritu propheta ea, quæ erant vêtura. Denique imperio diebus ac noctibus obediret, vt ea, quæ Deus præciperet, loqueretur, & literis mandaret. Indicat præterea, diuinos vates esse speculatores, iuxta id quod apud Ezechielem ait Deus: Fili hominis speculatore dedi te. Id autem quod dicitur. Exclamauit vt leo, potest habere hunc sensum. Exclamauit speculator dicens: venit Cyrus vt leo.

Ecce iste venit ascensor.] Hæc sunt quæ clamabat speculator, nimirum ipse propheta Esaias: Ecce venit Cyrus contra Babylonem, quæ est vastanda, & omnia eius idola conterenda. Meminit idolorum, vt perpenderent Iudæi quam fragilia adiumenta quæ fuissent, nempe idola, quæ erant constrigenda, & pedibus conculcanda.

Tritura mea & filia aræ meæ, quæ audiui à Domino exercituum Deo Israël annūtiari vobis. Onus Dumah. Ad me clamas rex Seir, Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane & nox. Si queritis querite: conuertimini & venite. Onus in Arabia. In saltu ad vespertam dormietis in semitis Doda-

*nim. Occurrentes sumentes aquam : qui habitatis terram Au-
stri. cum panibus occurrere fugient. A facie enim gladiatorum fuge-
runt, à facie gladii imminentis, à facie arcus exteuti, à facie grauis
prelii : quoniam hæc dicit Dominus ad me : Adhuc in vno anno
quali in anno mercenarii, & auferetur omnis gloria Cedar. Et reli-
quæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminentur.
Dominus enim Deus Israël locutus est.*

Tritura mea & filia areæ meæ.] A postrophe est ad Hiero-
solymam, quam appellat trituram, quod est multas affli-
ctionibus trituratione & oppressa, qua ratione eam etiam ap-
pellat filiam areæ, est enim area, vbi frumēta arefcunt & te-
runtur, de qua ait Virg. 1. Georg. lib. Area tum primum in-
genti est æquanda cylindro. Vel quia templum Salomonis
ædificatum est in area Ornæ, vt est in lib. 2. Paralip. manda-
tum memoriæ, vt lib. 1. cap. 21. & 2. Regum cap. vltimo, idē
voluit Hierosolymam filiam areæ appellare. Est igitur sen-
sus : Credo o Hierosolyma ius, quæ de euerfione Babylonis
varicinatus sum, nam Deus est qui loquitur, qui nunquam
fallit. Vel sunt verba Dei dicentis, Babylonem futuram esse
triturationem & aream, hoc est, conuassandam & conculcandam esse
ab hostibus, sicut frumētum in area conteritur & trituratur.
Prima interpretatio est D. Hieronymi : Tu verò perpende
Hierosolymanā ciuitatem sanctam, homines in visione pacis,
in Sione, hoc est, in alta contemplationis specula collocatos
triturationem appellari, & filios areæ Dei. Nam quemadmodum
triticum, quod est in horreum recundendum, prius à bobus
triturationem, vt ab eo excutiantur paleæ, & ipsum purum re-
maneat, sic viri iusti in hoc mundo variis afflictionibus te-
runtur, multisque inuidiæ telis expositi, atque infinitis cala-
mitatibus oppressi à bobus, hoc est, à sceleratis, veraque
sapientia carentibus conculcantur, vt sic mundi & purificati,
nudi à paleis & terrenis affectibus in horrea Christi, hoc est,
in celestibus mansiones reconditi, diuina visione in æternum
fruantur. Aspicias igitur esse hunc mundum afflictionum are-
am, celum autem iustorum cellarium.

Onus Duma.] Duma regio est Idumææ, iuxta quam sunt
montes Seir, hoc est, pilosi & hispidi hominis, qui fuit Esau.
Seir enim pilosum significat. Pro Duma vertunt Ixx.
Idumæam. Perspicuum est enim, Idumæam esse regionem
Esau, quæ quod ille Edom vocabatur, tale nomen accepit.
D. Hieronymus existimat hanc Idumææ captiuitatem, factam
fuisse ab Assyriis, aut Nabuchodonosor. Quæ autem fuerit
huius

2. Par. 3.

Simile.

huius vastationis causa, aperit Amos propheta cap. 1. ita dicens: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum, eò quòd persecutus fit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsq; in finem: Vbi vides ideo Idumæos fuisse afflictos & vastatos, quia cum Iudæos amore prosequi deberent, hostili odio persecuti sunt. Eam ob causam dicebat diuinus psalter: Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalē. Qui dicit exinanite, exinanite, vsq; ad fundamētum in ea. Quibus verbis Propheta precatut mala Idumæis, Babylontos aduersus Hierosolymā excitantibus, vt eam funditus euerterent. Lege Ieremiam cap. 49. Ezechielem cap. 25. & Abdiam cap. 1. vt hanc vaticinationem plenius intelligas.

Psal. 137.

Ad me clamat rex Seir.] Quoniam qui clamat paritur, significat iis verbis Diuinus vates Idumæorum afflictionem. Figura est metalepsis satis in diuinis literis frequens, quando vnum ex alio significatur. Hæc verba sunt Dei quasi dicentis: Habitatores montium Seir calamitatibus oppressi ad me clamant dicentes: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Hęc est. Tu o Deus qui eos qui ad te con fugiunt custodis, & tueris, quare nos non protegis ab hac calamitatum nocte.

Dixit custos: Venit mane & nox.] Clamantibus Idumæis respondet Deus: Aliquando vobis luxit manè prosperitatis, nunc verò accedit & incubat atra nox afflictionis. Vos autem manè dum res vobis ad voluntatem fluunt, estis mei immemores, nocte autem caliginis & doloris me ore inuocatis. Igitur si queritis querite. Si meum auxilium imploratis in gremnis, implorate etiam in gaudiis. Si vultis vt vobis opem feram, conuertimini ad me toto vestro animo, & ad me properate. Nō ore sed animo etiam meipsum querite, & ego vos ab ærumnis, in quibus versamini, liberabo. Vbi aspicias ideo nos nō esse aliquando à domino exauditos, & à calamitatibus ereptos, quia Deum toto animo non inuocamus. Ait enim scriptura Deuteronomij ca. 4. Cùm queris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quaeris, & tota tribulatione animæ tuæ. Intuere quam utilis sit afflictio. Vt enim in machina, quam nostri Bābardam vocant, ignis proicit longissimè pilam vehementi impetu concitatam, sic afflictio eleuat feruentem orationem vsq; ad interiora cœli. Ideo dicit: Venit mane & nox. Quasi

Simile.

Simile.

dicat: Quæritis me in afflictione, non autem in lætitia. Narrat Pomponius Mela esse in Cyrenaica provincia fontem admirabilem, media nocte feruentem, meridiæ verò frigidissimum, qui Solis fons appellatur. Tales nos absque dubio fumus: nam meridiæ prosperitatis tepescimus, nocte autem afflictionis igne diuini amoris inflammamur.

Onus in Arabia.] Arabia est regio Asiæ maioris inter Iudæam & Aegyptum, & est in tres partes distributa, in Arabiam felicem, Petræam, & Desertam. Et quamuis Arabia complectatur Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Ismaelitas, hoc in loco solum agitur de ea, in qua habitant Ismaelitæ, qui sunt Cedareni progeniem ab Ismaële ducentes, qui falso nomine dicuntur Sarraceni, cum potius Agareni dici debeant. Hi ob eam causam victi & vastati fuerunt, quia nullam benignitatem Iudæis ad eos confugientibus ostenderunt.

In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim.] Verba sunt quibus vates Iudæos profugos, & Hierosolymam ob Babyloniorum obsidionem relinquentes, alloquitur. Vos ô Iudæi fugietis in Arabiâ, vbi in saltu & solitudine requiescitis ad vesperam, in itineribus ducentibus ad Dodanim locum in Arabia. Et statim conuertit sermonem ad Ismaelitas dicens: Occurrentes sitienti ferte aquam, &c. Quasi dicat: Ne sitis feri & immanes aduersus Iudæorum gentem, vestrum quærentem præsidium. Ferte aquam populo præ nimio solis feruore sitienti, porrigite illi panem ne fame deficiat.

Adhuc in vno anno quasi in anno mercenarii.] Annus mercenarii appellatur annus certus, & definitus, qui nec minuitur, nec ultra terminum extenditur, qua de re locuti sumus capite 16. Est igitur sensus: In vno anno certo & continuo euertetur regio Cedarenorum, & omnis eorum gloria obscurabitur.

Et reliquiæ numeri sagittariorum.] Alludit ad Ismaelem, qui fuit sagittarius, vt diuinæ literę Genesis cap. 21 testantur. Fortasse Ismaelitæ artem patris sequebantur. Hanc Agarenorū vastitatem & cladem ferunt fuisse ab Assyriis illatam. Sunt qui dicant fuisse à Babyloniis. Fortasse fuerunt Ismaelitæ euersti prius ab Assyriis, & postea à Babyloniis: & ita illa verba. Adhuc in anno vno, &c. intelliguntur de prima euerfione: illa autem verba, Et reliquiæ numeri, de secunda.

Annotationes ex Hebræo in
CAPVT XXI.

Qui incredulus est, infideliter agit, & qui depopulator est, va-
stat. In Hebræo est in hunc modum: haboghed boghed ve
haxodhedh. Duo tantū sunt verba bis posita: vnum est bag-
had, quod significat infideliter agere, siue præuaricari vt Ie-
remiæ cap. 12. Bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè
agunt: alterū est xadhad, quod significat vastare, vt Ezechi-
elis 32. Et vastabunt superbiam Aegypti. Ideo potest verti:
Qui infideliter agit, infideliter agit, & qui vastat, vastat: vt
fit sensus: Cyrus, qui in alios infidelis est, etiā Babylonis fi-
dē violabit, & qui alias regiones vastat, etiā Babylonē vasta-
bit. Cyrus fidifragū & immanem appellat, quia inuitatus
à rege Babylonis eum paratis insidiis interfecit. Deberet cer-
tè regi, qui eum in ædem recipiebat, fidem etiā seruare.
Septuaginta verterūt: Præuaricator præuaricatur, & iniquus
iniquè agit. Potest ita verti: Irruit sceleratus in sceleratum,
vastatorque in vastatorem, hoc est, Cyrus in Balthasarem
Babyloniorum regem.

Babylon dilectamea posita est mihi in miraculam. Pro Baby-
lone est in Hebræo נֶאֱרָפְהָ, quæ dictio significat caliginem
rem caligine circumfusam, noctis initium, & ipsam noctem.
Et quoniam Babylon appellatur caligo, monsque obscurus
& caliginosus, vt cap 13. ostendimus, vbi pro caliginoso est
in Hebræo נִיֶּרְפָה, ideo D: Hieronymus rectè pro caligine
in loco vertit Babylonem. Potest verti: Nox à me desiderata
versa est mihi in horrorem. Vel ita: Caligo desiderij mei fa-
cta est mihi in pauorem. Idem enim nomen miraculum, pa-
uorem, & horrorem significat. Solet Hebraismus rē dilectā
appellare rem dilectam rem desiderij. Pagninus vertit: No-
ctem amabilem mihi posuit in pauorem. Et ita sunt verba
Balthasaris, seu vt in nonnullis codicibus inuenitur, Baltha-
saris regis Babylonis. In ea enim nocte, qua magnum iu-
cundumq; conuiuium fecerat, vidit digitos scribentes in pa-
riete verba suam perniciē significātia, vt est apud Daniele m.
5. cap. Ait igitur: Nox illa, qua statueram animum remittere
deliciisque affluere, versa est mihi in mororem & calamita-
tem: Tales sunt mundi voluptates & oblectationes. Quo
tempore rex ille Babylonis lætitia gestiebat, neque erat illi
quicquam magis in optatis, quā vt omnes secum gaudio
perfunderentur, fuit regno spoliatus, immaniterq; occisus.

O fal.

O falsam spem, ô volucrem variamq; vicissitudinem, ô incertam cupiditatem, ô præposteram gratulationem, quam libito ea, in quibus solent mortales spem suã vanè locare, et lætitiã & voluptate in luctũ atq; lachrymas conuertentur.

Onus Duma.] Pro Duma est in Hebraico Dumah à verbo Dum, quod significat tacere. Vnde dumah significat infernum, vt in psalmo 93. Paulominus habitasset in inferno anima mea. Fortasse ita appellatur, quia ibi iacent damnatorũ animæ nullos inter se lectos sermones conferentes. Quod significãtis poëta Latinus ait lib. 6. Diï quibus imperium est animarum, vmbreque silentes: Et chaos & phlegethon, loca nocte silentia lætè. Poterat verti Psalmus ille: Paulominus habitasset in silentio anima mea, vt per silentiũ infernum intelligeretur. Nomen enim hoc, quod significat infernum, silentium etiam significat, vt ait. D. Hieronymus. Quam ob causam in hoc Esaiæ loco Aquila pro dumah silentium posuit: ac si diceret Propheta. Video graue pondus super eos, qui silent, quando ea occurrunt, quæ non oportet silentio præterire: graue enim crimen est aliquando tacere & veritatem abscondere. Præterea omnes impij silent, quoniam ad Deum nequaquam clamant: clamantes enim tacent, quoniam animo non clamant. Quoniam tacui, ait David inuenerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Vbi vides eum filere dum clamabat. Contrã verò iusti etiã silentes clamant.

Psal. 31.

Exod. 14.

Psal. 112.

Psal. 26.

Psal. 37.

Vnde Dominus dicebat Moyfi: Quid clamas ad me? Cũ tamen ipse taceret: Quoniam quamuis tacebat ore, animo tamen loquebatur, atque penetrabiles voces, ardentiaque suspiria cœlum transcendentia effundebat. Qui igitur Deũ ore tantũ inuocat, ab eo animum habent seuo carum, ne loquitur quidẽ. Hoc intelligens diuinus vates canebat: Clamavi in toto corde, exaudi me Domine, iustificationes tuas requiram. Et alibi: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ergo super tacentes, super eos, qui ad Deum toto animo non confugiunt, neque clamant, sed mortiferis labibus inquinati maleficio & scelere pascũtur, videbat diuinus vates onus grauisimum imminere. Quid enim onerosius & grauius quã iniquitatum multitudo? Hoc est, pondus, de quo aiebat vates: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauata sunt super me. Poteris etiam per silentium hoc in loco inutile otium intelligere, iuxta id quod ait Salustius insignis historiographus: Omnes homines qui sese student

student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant. Hi vitam silentio transire dicuntur, qui nihil agunt, quod post eorum mortem eos vixisse testetur. Hoc intelligēs Hesiodus assererat otium opprobrium esse, negotium verò minimè. Quam sententiā Socrates apud probat apud Xenophontem in libro de eius dictis & factis, ita eam interpretans, vt per otium & silentium vitium intelligat, per negotium verò virtutem. Nam eos tantum aliquid efficere existimat, qui in honestatis studia incumbunt, eos verò otio silentioque ætatem transigere, qui cæcā cupiditatem, remerariam, bonarumque cogitationum expultricem sequuntur. Omnis enim eorum memoria aut statim extinguitur, aut sensim obscuratur & euanescit. At illi in silentio non sunt, qui quamuis fileant, tamen de eorum vita haud quaquam filetur: cum ea efficiant, quæ non solum statim non obrauntur, sed potius perpetuis monumentis mandantur. Cæterum pro dumā Septuaginta interpretes Idumæā transfulerunt.

In saltu ad vesperam dormietis. Pro ad vesperam est in Hebraico baarau, quæ dictio significat vesperam & Arabiam. Ex quo effectum est, vt alij hoc in loco vesperam, Alij Arabiam transfulerint.

Argumentum Capitis XXII.

Describit diuinus vates luctuosum excidiū Hierosolymæ à Babyloniis inferendum, eiusque crudelem vastationem acerbāque captiuitatem scelere eius & impietate constatā deplorat. Prædicat Sobnā hominem impium daturum esse pœnas suarum fraudum, qui contra Dominum suum Ezechiam cum Sennacheribo coniurauit, esseque in eius locum iustum Eliachimū substituentū. Inde sumpta occasione aperit mysterium redemptionis humanæ per crucem, quā Christus gloriosam reddidit. Ea enim, quæ erat antea infame extremūque supplicium, fuit corpore Christi sacrata & illustris: atque post eius mortem māsit in mōte Caluarie erecta, tanquam illustre trophæū atque diuinæ victoriæ clarissimū monumētū. Ea gloriāmur & munimur intelligentes esse illā excellentissimum nostræ dignitatis ornamentum & decus, nostræque salutis certissimum præsidium.



Nus vallis visionis. Quidam quoque tibi est, quia ascendisti, & tu omnis in teclat clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans, interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui tui mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt simul, dareq. ligati sunt: omnes qui inueni sunt, cuncti unum pariter, procul fugerunt: Propterea dixi, recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere vt consolemini me super vastitate filiz populi mei. Dies enim interfectionis & conculcationis, & fletuum domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum, & magnificus super montem. Et Alem sumpsit pharetram, currum hominum equitis, & parietem malauit clypeus. Et erunt electe valles tue plene quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta. Et reuelabitur operimentum iudee, & videbitis in die illa armamentarium domus saltus, & scissuras ciuitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt.

EXPLANATIO.

Onus vallis visionis.] Vaticinium annuntians afflictionem, onus vt est à nobis aliis in locis explicatum, appellatur. Vallem visionis appellat Diuus vates Hierosolymā, quod esset Prophetarum domicilium: propheta enim, vt primo capite fusè ostendimus, vocatur visio, quasi res certissima, & mentis oculis perspecta. Est igitur horum verborum sensus: Sequitur vaticinium prænuntians calamitatē Hierosolymæ, quā coluerunt diuini vates futura videtes. Sed cum hæc vrbs sita sit in mōte Sione ad aquilonarē partē, iuxta id quod scriptū est in psal. Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni: non parua occurrit dubitatio, cur vallis, & non potius mons appelletur. Ad quod respondendum existimo, idē vallem appellari, quia adeo erat conculcanda & delenda, vt non mons sublimis, sed vallis abiecta dici mereretur: fuit enim ab hostibus ferro flammæq. exposita, funditusque deuastata, vel quia sancti illi quibus Deus visiones ostendit, & splendore diuinorum mysteriorum illustrat, non sunt in monte superbiz locati, sed in humilitatis valle constituti.

Quidam quoque tibi est, quia ascendisti, & tu omnis in teclat.] Solebant Palæstini habere super domos plana teclat, vbi deambulare poterant: quod etiam de Moabitibus cap. 15, dixim⁹. Ad hæc teclat, ingredientibus hostibus urbem, confugiebāt Iudæi, vt in illis locis sublimibus se defenderent, & inde lapides,

pides tela, aliaque arma misilia in inimicos proiicerent.

Plena clamoris] Hoc est, Tu quæ olim, reportatis de gentibus victoriis triumphare solebas, nunc tuam calamitatem deploras, & lamentis tuum indicas dolorem: Fortasse ideo Hierosolymam plenam clamoris appellat, quia cum esset populosa, non poterat esse absque magno hominum strepitu & clamore.

Interfecti tui non interfecti gladio.] Hoc ideo ait, quia obsidionis tempore amisit Hierosolyma magnam hominū multitudinem non gladio sed fame pereuntium. Et qui se in fugam coniecerunt, direpta ciuitate fuerunt à sagittariis comprehensi, vinculisque ligati. Habes hanc historiam capite vltimo 4. libri Regum. Et Ieremias in Threnis cap. 4. Melius, inquit, fuit occisis gladio, quam interfectis fame.

Procul fugerunt.] Principes Hierosolymæ videntes Babyliorum obsidionem, existimantesque se non posse eorum impetum sustinere, quadam nocte perforato muro se fugæ mandarunt: at capti à Babylois in cæpis Ierichontinis traditi fuerunt Nabuchodonosori. Lege Ieremiam cap. 39. & 4. librum Regum cap. vlt.

Recedite à me, amarè flebo.] Vide quo dolore Propheta vastitatē Hierosolymæ deplorabat. Tanto gemitu, tantisque lamentis plangebat, vt ne consolationem quidem admittere vellet. Videbat vastandam esse patriam suam, & funditus delendam, antiquas possessiones hostium direptioni committendas, templum diuino cultui dedicatum flammis comburendum, ideo acerbissimè angebatur, neque poterat lachrymas continere. Quis esset tam incultus & immanis, qui non funderet fluuios lachrymarum vidēs funditus eueri ab infidelibus urbem illam præclaram, sanctorum vatum receptaculum, vbi quondam fides vigerat, ciuitatē insignem, diuitiarum cōpia affluentem, rerum gestarum gloria florentem, omnique nobilitate & sapientia præstantem. Et volens propheta reddere rationē suarum lachrymarū, hanc vastationē, inquit, quā mētis oculis intuebatur, esse in valle visionis: ac si diceret: Si ciuitas aliqua infidelis vastaretur, esset quidē tolerabile: sed qui fieri potest vt non doleā, summisque cruciatibus premar, cum videam incendio flagrare montem illum Sionem, vbi fides requiescere solebat, vbi Deus viris iustis & pietate præstantibus loquebatur, & diuinas visiones ostendebat, montem illum celebrem ab hostibus adeo conculcatum, vt non mons, sed vallis possit meritisimò appellari?

Hinc

Hinc orta etiã sunt lamenta illa mortuissima intimis gemitibus sociata, & cū amarissimis suspiriis coniuncta, quæ Deo dicata, pius ille atq; sanctus Ieremias flebiliter canebat. Sed ego existimo hos diuinõs vates, cū hæc deplorabant, etiã animo intueri miserabilem illam euerfionem & cladem à Romanis inferendam, de qua ait Iosephus oculus testis: Captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehensifunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus. Mortuorum verò per omne tẽpus obsidionis vndecies centum millia. Hæc ille cap. 17. lib. 7. de bello Iudaico. Sed sancti vates non tam Iudæorum cladem, quàm scelera & impietates, ob quas illi in luctuosissimas illas ærumnas incidere, deplorabant. Ita quãdo Christus saluator noster vidẽs ciuitatem, fleuit super illam, vt Lucas ait, potius ob Iudæorum ingratitude[m] & nefaria facinora, quàm ob murosũ ruinam & vastitatem lachrymas fundebat.

Luc. 19.

Scrutans murum.] A desse video diem, in quo hostis murum scrutabitur & rumpet, qui quidem dies erit magnificus & iucundus hostibus nostris super montem Sionem ascendentibus. Quidã ita interpretantur: Clamor vsque ad montem eleuabitur. Vel sic: Hostis irruens in murum hortabitur milites, vt ascendant ad Sionem.

Aclam sumpsi pharetram.] Aclamitæ coniuncti sunt cum Babiloniis ad euertendam Hierosolymam, & sumptis pharetris, quoniam erant sagittarij, instruxerunt equitatum, & currus bellicos.

Parietem nudauit clypeus.] Afferent Aclamitæ clypeos, qui in parietibus ædium suarum pendebant, & ita manebit paries nudatus. Vel sic: Clypei hostium parietes Hierosolymæ nudabunt; hoc est, hostes clypeati non solum muros vrbs, sed etiam domesticos parietes euerrent.

Et equites ponent sedes suas in porta.] Describit expugnationem Hierosolymæ, quæ facta est anno Sedechiæ vndecimo, de qua Ieremias sic ait: Vndecimo anno Sedechiæ mense quarto, quinta menses aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babilonis, & sederunt in porta media, &c. Sedebant autẽ in porta ne Iudæi fugientes euadere possent.

Ierem. 39.

Operimentum iudæ.] Dicunt nonnulli esse: exemplum, vbi Iudæi existimabant se esse operiendos, & ab omni hostium oppugnatione liberandos. Et eam ob causam Ieremiæ, aliisque vaticinijs diem necis destinauerunt, quia sunt ruinam tẽplĩ vaticinati. Vel loquitur de operimẽto & velamine, quo sancta

Et opera erant. Septuaginta habent. Reuelabunt portas Iuda. Vbi vides eos per operimentum portas intelligere.

Armamentarium domus saltus. Domus erat à Salomone condita instrumentis bellicis, plena & instructa, quæ quoniam erat arboribus circumdata, domus saltus siue nemoris appellabatur: vel quia erat ex lignis Libani aedificata. Est igitur sensus: In die illa tota vestra fiducia erit in rebus humanis fixa, & obliti Dei vestri ad domum armorum respicietis ad eam oculos leuabitis, in ea erit spes omnis vestra collocata. At nihil vobis proderit tam inanis fiducia. De hac domo vide tertium librum Regum cap. 7.

Et congregastis aquas piscine inferioris, & domos Ierusalem numerastis, & destruxisti domos ad muniendum murum. Et lacum fecistis inter duos muros, & aquam piscine veteris, & non suscepistis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem eius de longè non vidistis. Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad solum & ad planctum, ad caluicium & ad cingulum sacci. Et ecce gaudium & letitia, cecidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini: dicit Dominus Deus exercituum.

Sap. 2.
1. Cor. 12.
Infra, 26.

Congregastis aquas. Obiicit Iudæis dedisse operam ad parandam ciuitatem obsidioni nulla posita in Deo spe nec fiducia: Congregarunt aquas piscine seu cisternæ inferioris ad bibendum, & ad diluendam terram ad muros reparandos. Et numerauerunt domos, vt ex illis eas euerterent quæ in obsidione non possent sustentari, & ex eorum lapidibus publica monia reficerent: & nonnulla alia fecerunt vt se ab hostibus protegerent: Dominum autem non inuocarunt, nec eius auxilium implorarunt. Vtitur propheta præteritis pro futuris, vt aliis in locis annotauimus.

Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad solum & ad planctum. Priusquam caperetur Hierosolyma, hortabatur diuinus vates ille Ieremias Iudæos, imò Deus per Ieremiam, vt agerent penitentiam, & gemitu ac planctu, iudicij cilicio ad Deum clamarent, & preces ex animo funderent. At illi Deum contemnentem se veluti pecora ventri & epulis tradebant, & letitia elati occidebāt vitulos, comedebant carnes, ingurgitabāt vinum, dicētes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Ac si dicerent: Quoniā vita breuis est, queramus voluptates in hoc mundo, totosq; nos delitiis tradamus. Vide impiorum pestilentia verba. Fortasse verba illa

Cras

Cras enim moriemur, dicebant ironice & irrisorie. Cum enim propheta Iudæorum excidium imminere prædiceret, illi verba eius deridebant, dicentes in eius contemptu. Comedamus & bibamus, nã, vt delirus ille ait, cras moriemur. Aspicias hoc in loco apertissimè pœnitentiam complexi fletum, planctum, faccos, & id genus alia, quibus Deus placatur: eos autem qui hæc contemnunt, esse ipsius dei vocantis peccatores ad ea contemptores. Quid respondebit ad hunc locum Philippus Melanchthon hæreticus nostri temporis, cum cæteris hæreticis detestabilibus, qui hæc irrident, asserentes solum terrores, quos incutit conscientia peccati, & fiduciam in Deum absolute pœnitentiam. Vbi inuenerunt in sacris literis talem pœnitentiam? Quis vnquam ex catholicis doctoribus talia scripsit? Irrident insani homines fletum, & planctum, & cilicium, cum hic habeamus apertissimum locum, vbi nos Deus ad hæc inuitat & vocat, & apud Ioëlem, Conuertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Hoc intelligens Dauid dicebat in psalmo. Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo. Vide quo dolore angebatur, quos cruciatus sustinebat, quos gemitus, quas lachrymas fundebat, ob scelus admisum, & diuinam legem violatam. Et alio in Psalmo ostendens corpus suum esse absiduis lachrymis & mœroribus consumptum dicebat: Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Et paulò post. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam. Plus est hoc, quàm terrores cõscientiæ, quos dicunt hæretici. Sed quid cito duo, aut tria loca? lege totam scripturam, inuenies passim requiri ad pœnitentiã fletum, ieiunium, cilicium, & cætera huiusmodi, quæ hæretici detestantur. Lege veteres illos patres sanctissimos, Ambrosium, Hieronymum, Cyprianum, Augustinum & reliquos, quorum salutarem & excellentem doctrinam ecclesia catholica amplectitur, & videbis apertissimè omnes eos in hac sententia concorditer permanere. Beatus Ambrosius in epist. ad corruptam quandam, vbi eam ad veram pœnitentiã hortatur, inter cætera inquit: Tu ipsa proprii facti iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimen da tibi est, &c. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens & membra singula digna castigatione punienda. Am-

putentur

Ioel. 2.

Psal. 60.

Psal. 101.

putentur crines, qui per vanam gloriam occasione luxurie præsterunt. Desuuant oculi lachrymas, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallefcet facies, quæ quondam viruit impudicæ. Denique totum corpus incuria maceretur cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquefcens sicut cera ieiuniis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, &c. Hæc Diuus Ambrosius, & multa alia huiusmodi, quæ ibi poteris videre. Diuus Hieronymus in Malachiam habet hæc verba: **Qui** peccator est, & quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta, quam populi: atque iterum ingrediatur ecclesiam, de qua egressus fuerat: & cubet in sacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset. Hæc Diuus ille Hieronymus. Sed ne longius dilatem orationem, quam fortasse par est, vide sanctum Cyprianum sermone quinto de lapsis, & gloriosum Augustinum de vera pœnitentia, aliosque catholicos Doctores, vbi de pœnitentia differunt, & intelliges quam falsa impia, & detestabilis sit hæreticorum de pœnitentia doctrina, quam contraria scripturæ diuinæ, & omnibus viris catholicis, quam repugnans ipsi veritati. Est præterea hoc in loco animaduertenda Dei misericordia, qui eos vocabat ad penitentiam, quos eum non audituros esse sciebat. Vt enim fons perennis aquas fundit et si nemo bibat ex illo, sic Deus eos vocabat, quanquam ipsi ad fontem diuinæ pietatis accedere nequaquam vellent. Emittebant diuini vates pias & queribundas voces, hortabantur Iudæos ad pœnitentiam, pietatem, & religionem: sed quemadmodum non dulcescit mare dulcibus fluminibus in illud quotidie introeuntibus, sic Iudæorum populus nolebat dulcescere vocibus Prophetarum, qui eum ab errorum atque scelerum amaritudine reuocare volebant, & ad veræ religionis pietatis plenissimæ suauitatem adducere. At Iudæi illi insipientes ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relicti, suæ duritiæ & impietatis pœnas meritissimas dederunt, quemadmodum omnibus euenit, qui diuinas voces contemnut. Sic enim ait Deus in Prouerbijs Salomonis: Vocaui, & renuistis: extēdi manum meam, & nō fuit qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, adnenerit: cum irruerit repen-

*Simile.**Simile.**PROV. 1.*

tina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quādo venerit super vos tribulatio & angustia. Hęc ibi, Tu verò non lim existimes solos Iudęos verba Dei cõtempisse: nos enim Christiani, nos sumus illi, quos Deus quotidie vocat, quique eorũ voces & clamores despiciamus, & pro nihilo putamus. Clamat ad eò Christus non cessans clamare, vt dicat in psal. Rauca factę sunt fauces meę. Et apud Matthęum: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Vocat nos per Prophetas, per Apostolos, per Euangelium suum, per cõcionatores, per aspirationes, per afflictiones, per prosperitates: at nos veluti aspides surdę aures obturamus. Id plorabat Dauid dicens in psalmo: Alienati sunt peccatores a vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa: furor illis secundum similitudinẽ serpentis, sicut aspidis surdę obturantis aures suas, quę non exaudiuit vocẽ incãtãtiũ, & venefici incãtantis sapiẽter. Vocabat Deus Samuelẽ, & ille, vt in libro Regũ scriptura testatur, respondebat Eli, qui eũ hortabatur, vt dormiret. Vocat nos Deus, & respõdemus mũdo, nobis suadẽti, vt in peccatis dormiamus, nec vnquam mentis oculos aperiamus, & ad Deum leuemus. Nos autem mundo potius quã Deo obteperantes, in somno obliuionis permanemus. O desideria nostram, & intolerabilem amentiam. Respondeamus Christo nos ad pœnitentiam vocanti: surgamus, ne falsa mundi suassione decepti in perpetua ignominia & scelere volumur. Si volumus euadere, si concupiscimus Babylonis miseram captiuitatẽ fugere, si appetimus in æterna Hierosolyma in beatissimis illis sedibus in æternum permanere, pœnitentiam hic agamus, Deique vocibus obtemperemus. Deus vocat nos ad lachrymas, mundus verò ad voluptates. At hęc lachrymę semina sunt glorię, iuxta illud Dauidis in psal. Qui seminãt in lachrymis, in exultatione metet: & iuxta id quod ipsa veritas ait: Beati qui luget, quoniam ipsi consolabuntur. Voluptates verò pœnas æternas pariunt, iuxta illud: Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Particula enim, væ, æternam damnationem minatur, & paulo post: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

Et reuelata est in auribus meis.] Sensus est: Dominus exituum mihi dixit hęc verba. Si dimittetur iniquitas hęc vobis donec moriamini. Id est, Non vobis hęc iniquitas dimittetur. Potest esse aposiopesis, quam Marcus Tullius appellat reticentiam, figura est iratis non infrequẽs. Est igitur sensus: Si hęc iniquitas vobis dimissa fuerit, ne mihi amplius credatis,

*Psal. 68.
Matt. 11.*

Psal. 57.

1. Reg. 3.

*Psal. 125.
Matt. 5.*

Luc. 6.

tis, aut quid simile, intelligitur enim id, quod non dicitur, vt est apud Vergilium: Quos ego, subaudi puniam, vel aliquid tale. Quidam vertit. Nō expietur vobis hæc iniquitas donec moriamini, hæc est, nunquam.

Hæc dicit dominus Deus exercituum: Vade, ingredi ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositū templi. & dices ad eū. Quid tu hic? aut quasi quis hic, quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelsō memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi: Ecce dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuauit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam: ibi morieris, & tibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo seruum meum Eliacim filium Helcie, & induā illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius: & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudet: & claudet, & non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris sui, & suspendi super eum omnem gloriam domus patris sui, vasorum diuersa genera, omne vas paruum à vasis craterarum vsque ad omne vas musicorum. In die illa dicit Dominus exercituum, Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli frangetur, & cadet, & peribit, quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est. Iob. 12.
Apo. 3.

Vade ingredi ad eum.] Quæ à principio capitis vsque ad hunc locum dicta sunt, referuntur ad eversionem Hierosolymæ per Nabuchodonosorem. Ea verò, quæ sequuntur vsque à finem capitis, pertinent ad obsidionem per Sennacheribum, in qua affuit Esaias.

Ad Sobnam præpositum templi.] Hic Sobna fuit sacerdos & pontifex, homo superbus & elatus. Tradunt nonnulli fuisse eum alienigenam, & persuasisse Iudæis ne crederent Prophetis, & cum Sennacheribo aduersum Ezechiam cōiurasse. Contra hunc iubetur Propheta vaticinari, eiq; dicere: Quid tu agis hic in templo Dei, cum sis sceleribus addictus? Quid tibi rei est cum tēplo nostro, cum sis extraneus? Quis es tu, vt excideris hic magnificum sepulchrū more principum, & clarorum virorum? Tu existimas esse hic perpetuo māsūrū, at longè falleris opinione. Deus enim te hinc proiciet, & demigrare faciet, & tam facile in miseram captiuitatem adduceris, quàm facile asportatur gallus gallinaceus ligatus & si-

ne labore, & ita te adducet, quemadmodum viator in humero suo pallium suum asportat. Sceleratus & impius erat hic Sobna, & tamen volebat sui memoriam longam efficere, & immortalitati commendare. Mortem suam ornandam monumento, & magnifico sepulchro purabat, cuius vitam spoliatam virtutum omnium ornamentis aspiciebat. Heroftratus homo abiectus & improbus, ut memorie proditum est, templum illud Dianæ celeberrimum vna nocte cremavit, ut hoc celebri facinore, & nefario scelere, nomen suum ita propagaret, ut vigeret memoria omnium seculorum. Tam late enim patet immortalis fame desiderium, ut etiam homines obscuros & impios nulla sapientia excultos, nullo virtutum præsidio munitos incendat, & incredibili gloriæ cupiditate inflammet. Heu quod Heroftratos habet seculum nostrum: qui cum non possint virtute celebritatem consequi, hoc intentant aliorum famam extinguendo.

Coronans coronabit te tribulatione.] Habebis coronam non laminarum aurearum, sed doloris & calamitatis. Pro dignitate, quam indignè quæstisti, incidet in miseriam & afflictionem.

Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam.] Quemadmodum rota siue globus currit per locum decliuem, ita tu ad terram latissimam, hoc est ad Babylonis campos, asportaberis, vbi miserè morieris. Cõparat Diuinus vates hominem improbum & inconstantem pilæ siue rotæ, quæ facillè mutatur & circumuoluitur. Cùm enim omnis eius spes & cogitatio pendeat ex mundo, sit autem mundus inconstantissimus, necesse est, eum nullam habere constantiam. At vir verè sapiens & pius, fixus manet, & fortitudine ac tolerantia rerum humanarum septus, nec frangitur neque expugnatur. Quando Deus vult impiorum scelera vlcisci, permittit sæpe, ut nullam habeant constantiam. Id intelligens Dauid dicebat in Psal. Deus meus pone illos ut rotam. Id est, instabiles & agitato instar rotæ. Et in Ecclesiastico scriptum legimus: Præcordia fatui rota carri. Ex peccatis prouenit instabilitas. Vnde Ieremias in Threnis, peccauit, inquit, Ierusalè propterea instabilis facta est. In cap. 5. Genesis vbi nostra versio habet: Egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra, &c. pro profugo, in Hebraico est, Nod, quod propriè significat instabile & incõstantè. Tales enim sunt, qui se à Domino separant & seiungunt. Illud est præterea aduertendū, eum mori qui in terra lata & in via spatiosa versatur, dicit enim: Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam, ibi morieris. Ait enim

Psal. 22.

Eecl. 33.

Thren. 1.

enim Christus apud Matthæum: Lata porta & spatiosa via *Matt. 7.*
est, quæ ducit ad perditionem.

Ibi erunt currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui.] Hoc est, Currus quibus utebaris ad gloriâ ac pompam, cum eras Hierosolymæ, tibi in infamiam vertentur. Qui in luce hominum ac celebritate versaberis, in tenebris atque obscuritate iacebis, quia domum Domini tui perdere voluisti. Dum falsam dignitatem quæres, verè dignitatis ornamenta amisisti. Solum enim Deus impiorum gloriam in dedecus convertere, iuxta id quod ipse ait per Oseam prophetam: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* *Poteris hoc ita intelligere: Ibi, nimirum in Babylonica captiuitate, gloria quâ fueras Hierosolymæ consecutus, erit ignominia templi Salomonis, cum videant Babylonienses te hominem sceleratissimum fuisse in eo sacerdotem.* Aspicias hoc loco improbos sacerdotes esse de decori ecclesiæ. Est quidem illa sancta & pulchra, sed ipsi quantum in se est, eam maculant & deformant.

Expellam te de statione tua.] Verba Dei sunt aduersus Sobnam: Ego, inquit Deus, te de statu tuo deiiciam.

Seruum meum Eliacim.] Hic functus est officio Sobne, vt habetur quarto Regum capite decimo septimo, & decimo octauo, & Esaiæ cap. 36. & 37.

Et induam illum tunica tua.] Id est, omnia ornamenta tua tradam illi, te uere de pontificatu proiciam. Induere aliquem nobili tunica, est efficere, vt de illo honorificè sentiant, eumque illustri laude celebrent. Similis phrasis est in Ecclesiastico, *Stola gloriæ vestiet illum.* Voluit nonnulli per Sobne pontificatum Iudæorum sacerdotium significari, per Eliacim verò successionem cultus Euangelici. Eliacim significat Deum surgentem. Translato enim sacerdotio vt ait Apostolus ad Hebræos, necesse est, vt legis translatio fiat, & Euangelium succedat. Sobna autem, vt ait D. Hieronymus, interpretatur conuertere nunc. Hæc est synagoga, cui dicitur, vt conuertatur.

Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem. Qui præest, pater subditorum debet esse. Hinc præsul dicitur Abbas, ab abba quod est pater. Reges Palæstinæ omnes appellabantur Abimelech: quod interpretatur pater mi rex, vel pater rex. Quando enim scriptura cap. 26. Genesis ait: Abiit Isaac ad Abimelech regem palæstinorum, non personæ nomen significat, sed regni dignitatis nomenclaturam. Quod D. Augustinus annotauit. Omnis enim rex siue præsul debet esse Abimelech, hoc est, pater & rex. Qui verè rex est, pater est. Vnde

- omnis lex à rege aut præfule lata & constituta, debet amore paterno & igni charitatis cõflari. Alioquin nec subditi eam eoque animo seruabunt, nec ipsa diutius per manebit. In Deuteronomio ita scriptũ legimus: Apparuit Dominus de monte Pharam, & cum eo sanctorũ millia: In dextera eius ignea lex. Dilexit populos, &c. Quis erat ignis ille, quo lex illa ignita erat & inflammata, nisi amor? Hic est ignis ille quem Deus in terram misit, quo hominum animos incēdit, vt æternitatis desiderio flagrarēt, de quo ipse apud Lucam, Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Aspicias igitur debere præfulem esse patrem, & amore paterno gubernare. Dabo vobis pastores, ait Deus per Ieremiam, iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Non dicit: Dominabuntur vestri, sed pascent vos, non odio, inuidia, iracundia, elatione, sed scientia & doctrina. Vbi per scientiam intelligitur scripturarum cognitio, & secundum eas exhortatio, per doctrinam verò operum exhibitio, ex quo colliges oportere præfulem esse & sapientia & virtute præditum, & pietate ac charitate ornatum. Ea enim differentia, quæ est inter aurum & reliqua metalla, debet esse inter præfulem & subditos. Vnde Socrates ille philosophorum gentium sapientissimus, ciuitatem illam eximiam, omnibus bonis affluentem omnibusque numeris absolutam, quam finxit apud Platonem, in tres ordines distribuit, nempe aurum, argenteum, & ferrẽ. Per aurum intelligit principem & præfulem, per argentũ nobiles, per ferrum verò infimo loco natos. vult itaque vt princeps præstet cæteris sapientia, virtute, charitate, æstimatione, quæ omnia per aurum significantur. Et ita interpretatur atates illas auream, argenteam, & ferream, quas antiqui sapientes fictis fabulis memoriæ prodiderunt. Sed sic velim existimes me ita amorem & pietatem præfulum laudare, vt eorũ iustitiam & in flagitiosos & improbos punitionem non adimã. Oportet enim præfulem bonis fauere, & præmia cõstituire, nefarios verò coercere, & pœnis afficere. Id significant diuinæ literæ asserentes in Exodo, præcepisse Deum, vt summus sacerdos vngeretur oleo & sanguine. Quid per oleum nisi benignitas: quid per sanguinẽ nisi austeritas significatur? Ezechiel ait vidisse in templo sibi à Domino demonstrato cherubim & palmas: Erat, inquit, palma inter cherub & cherub: duasque facies habebat cherub faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmã ex alia par-

te. Cherubim præfules sunt. Sonat enim cherub quasi magister. præfules autem magistri esse debent, iuxta id quod ait Paulus in epistola ad Ephesios: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores. Vbi vides eos qui pastores sunt magistros esse & doctores. Quid per faciem hominis lenem & placatam, nisi humanitas & pietas intelligitur? Quid verò per faciem leonis nisi iustitię seueritas significatur? Sed siue præsul meritis præmiis bonos afficiat, siue iustis pœnis impios opprimat, semper oculos ad palmam debet erigere, non iuxta corruptam affectionem iudicare, non odium, nec particularem amorem intueri, sed ad cœlum respicere, palmamque illam, quam Deus in æterna patria bonis largitur contemplari, omniaque sua opera ad Deum dirigere, eiusque amore gubernare. Hoc est, patris officium, quod optimo præfuli conuenit, iuxta id quod Deus hoc in loco ait per Esaiam: Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem.

Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.] Dabo, ait pater cœlestis, super humerum Eliacim serui mei clauem domus Dauid. Hic Eliacim gerebat imaginem Christi veri sacerdotis, de quo dicitur in psalmo: Tu es sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedec. Super eius humerū posuit pater clauem domus Dauid, hoc est, crucem illam sacratissimam, quę Dei templum, & æternam domum aperuit, & adiutum ad cœlestem illam ac beatissimam gloriā referauit. Hęc baiulauit Christus Deus noster super humerum suum, brachijs eam amplectens, vt ostendēret quanto eam amore prosequeretur. In ea erecta in Caluarię loco pependit Deus noster, vt mortem nostram moriendo occideret, & indignis calamitatibus acceptis genus hominum ab inferorum faucibus eriperet, & verę dignitatis ornamentis decoraret, atque ad immortalitatem æternamque vitam tandē adduceret. Et quoniam in cruce nostra scelera expiauit, & antiquam maculam sanguine suo deleuit, & ostium paradisi aperuit, vocat eam clauem domus Dauid. Erat enim antea paradisi clausus, & nemo illud introierat: at mortuo Christo in cruce, apertum est cœlum, & illo die fuit latro cū Christo in paradiso. Hęc clauis quam Christus super humerum baiulauit, appellatur ab hoc propheta cap. 2. principatus, vbi dicitur: Et factus est principatus eius super humerum eius. Ceterum si sensum illum respiciamus, quem litera ex se præbet, possumus hunc locum ita explanare, vt per clauem domus Dauid, potesta-

tem aperiendi & claudendi templum intelligamus. Est igitur sensus; Ego, inquit Deus, dabo seruo meo Eliacim sacerdotium, & templi præfecturam. Clauem domus Dauid appellat prælationem & curam pastorem, quæ clauis merito comparatur, quoniam suo modo aperit subditis ostium cæli, quando præsul vita, doctrina, & exemplo insruit suos, claudit autem cum eis sua ignorantia, ignauia, morum corruptela, præbet interitus occasionem. Claudit præterea & aperit, quia illi subditi obediunt: & quod ille iubet, hoc fit: quod prohibet, vitatur. Sed mirandum quidem videtur, cur Deus dicat daturum seruo suo clauem hanc super humerum, cum clavis non in humero, sed in manu, aut in corrigia ex cingulo pendente solet portari. Quæ est hæc clavis tam grauis? Quod est hoc tantum pondus, vt non in manu, sed in humeris baiuletur? At si uolueris animo celeriter circumspicere, videbis planè non solum hanc clauem humeris quibuscunque indigere, sed validissimis & integerrimis. Quid est enim grauius, quam animarum gubernatio? Ideo enim hæc clavis non in manu prælatorum ferenda dicitur, sed in humeris, vt animaduertas, summaque consideratione perpendas, quanti ponderis & laboris sit animarum prælatio & cura. Præsul ille, quem Deus constituit & eligit, clauem in humero baiulat: ille autem qui ab hominibus eligitur non vocatus à Deo tanquam Aaron, non in humeris sed in manu, & ad collum velut ornamentum & monile eam portat, non pondus magistratus & præfecturæ curans, nec laborem, sed solum dominationem, honorem, & dignitatem. De talibus pastoribus ait Deus per Oseam: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Nihilominus tamen oportet illis obedire, dummodo mala non præcipiant, non solum bonis & modestis, sed iuxta beati Petri sententiam, etiam dyscolis.

Osee 3.

2. Petr. 1.

Et figam illum paxillum in loco fideli.] Hæc figurata locutio hunc habet sensum: Eliacim possidebit solidum dignitatis gradum, quo omnes posteri sui gloriabuntur. Erit enim veluti clauus siue lignum affixum parieti, in loco firmissimo, in quo omnia vasa suspenduntur, tam parua quàm magna. Omnes enim tam nobiles, quos per vasa magna significat, quàm obscuro, quos per vasa parua intelligit, ex eo pendent. In eo nitetur ciuitatis salus, illique eius posteritas acceptum referet suum splendorem, & nominis claritatem.

Et erit in solium gloriæ domui patris sui.] Hoc est, genus suum

suum & familiam illustrabit.

Auferetur paxillus.] Hoc referunt nonnulli ad Sobnam: Alij verò ad Eliacim, cuius dignitatem & amplitudinem Babylonica captiuitas subuertit. Et qui ex eo pendebant corruerunt. Docet nos hic locus nō esse fidendum hominibus, relicto Deo, sed fiduciam nostram esse in Deo locandam, in quo solum niri debemus.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XXII.

Onus vallis visionis.] Septuaginta habent, Verbum vallis Sion. Quibus verbis ostendunt vallem visionis Hierosolyman appellari, quæ est sita in monte Sion. Præter rationē, quam in explanatione attulimus, cur Hierosolyma vallis visionis appelletur: potest etiam dici, eam ita vocari, quia ibi Dominus visus est, iuxta id quod ait Baruch Propheta: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hic est mons ille de quo dixit Dominus Abrahamo, vt in libro *Gen. 22.* *Baruc. 3.* nefis literæ diuinæ testantur: Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum super vnum montium quem monstrauero tibi. De quo monte poteris videre ea, quæ supra annotauimus cap. 16. in annotationibus ex hebræo.

Et parietem nudauit clypeus.] Pro nudare in hebraico est verbum arad, quod significat nudare & adhærere: vnde potest verti: Et parieti adhæsit clypeus, nempe ad euertendum murum. Thargum enim habet: Et muro adhæserunt clypei.

Donec moriamini.] Thargū habet: Donec moriamini morte secunda. Ac si diceret: Non dimittetur vobis, nec hic, nec in inferno, per mortem enim secundam intelligit æternam damnationem.

Argumentum Capitis XXIII.

Minatur Deus per diuinum vatem cladem Tyro à Nabuchodonosore inferendam, luctuosamque vastitatem & euerisionem. At post septuaginta annos promittit eam esse reparandam, atque repudiato idolorum cultu ad veram Christi fidem venturam.



Nus Tyri, Vlulate naues maris, quia vastata est domus vnde venire consueuerant de terra Cethim reuelatum est eis. Tacete qui habitatis in insula, negotiatio Sidonis transfretantes mare repleuerunt te. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius: & facta est negotiatio gentium. Erubescet Sidon, ait enim mare, fortitudo maris, dicens, non parturini, & non pepererunt, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxerunt virgines. Cum auditum fuerit in Agypto dolebunt cum audierint de Tyro. Transite maria, vlulate qui habitatis in insula. Nunquid non vestra haec est, quae gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.

EXPLANATIO.

Onus Tyri.] Tyrus ciuitas est Phœnicia, vt ait Pōponius Mela. Phœnicia autē est in Syria cōtermina Iudæe. Fuit Tyrus ciuitas florētissima, & regia dignitate ornata: Fuit Sidoniorū colonia, negotiatio maris, emporium totius vniuersi. Et cum esset insula, vt ait idem Pomponius, tamen ab Alexandro magno propter expugnationem, multis in breui aggeribus in fretum iactis, terra continens facta est, quod iam antea facere conatus fuerat Nabuchodonosor. Et quoniam apud hanc urbem inueniuntur conchyliā, quorum sanguine tinguntur vestes purpureæ, ideo eadem vestes Tyriæ dicuntur. Berofus ait urbem hanc a quodam, qui Tyrus vocabatur, fuisse conditam anno post diluuium. 189. Iosephus anno 240. ante templū Salomonis. Iustinus lib. 18. a Sidoniis conditā refert. Fuit hæc ciuitas a Mauris exusta, a Dominico Veneto capta: sed a Soldano anno Domini 1290. tandem incensa. Huius ciuitatis meminit scriptura lib. 2. Regum cap. 5. & cap. 26. Ezechielis, qui hanc euerfionē prædicit, eiusque causam ait fuisse Tyriorum immanitatem, qui captis Iudæis insultarunt, eorumq; miseria & captiuitate fuerunt delectati. Aequum enim est, vt qui aliorum iactura gaudent, in eandem incurraunt.

Vlulate naues maris.] Per naues maris intelligit ipsos nauigantes. Est igitur sensus: Vos negotiatores, qui per mare mediterraneum importatis merces plorate Tyrum, quoniam euerfa est. Hæc enim erat domus vnde venite solebatis.

De terra Cethim reuelatum est eis.] Non vos estis, quibus primo

primo reuelatum est esse Tyrum deletam: iam enim hi qui habitant in terra Cethim, hoc sciunt. Vtitur propheta præteritis pro futuris. Per Cethim intelligit Cyprum. Est enim Cyprus insula quædam in Carpathio mari, inter Ciliciam & Syriam. Fuit in hac insula vrbs quædam nomine Citiū patria Zenonis philosophi, vt ait Laërtius in vita Zenonis, quæ vrbs etiam tempore D. Hieronymi extabat, & idem nomen retinebat, vt idem Hieronymus asserit, à qua vrbe totam insulā cōiectant nonnulli appellatā esse Cethim. Sunt qui per Cethim intelligant Romanos, qui Babylonios contra Tyrū incitarunt, Et tunc erit sensus: De terra Cethim reuelatum est eis, hoc est. Romani reuelauerunt Babylonis hanc Tyrū euersionē. Alij per Cethim intelligunt insulas Italię & Gręcię, quibus reuelatum fuit fuisse Tyrum deletam, & vastatā, ne illuc merces suas conferrent.

Tacete qui habitatis in insula.] Tyrum insulā vocat. Sensus est: Silete præ nimio dolore vos Tyrī habitatores. Appellat etiam Tyrum negotiationē Sidonis, quia Sidoniū negotiatores eam suis mercibus implebant.

In aquis multis semen Nili.] Periphrasis est frumenti Aegypti. Nilus enim inundationē & irrigatione sua campos Aegypti frugiferos reddit. Aegyptus verò erat velut horreum Tyriorum, quoniam inde deferebatur frumētum ad Tyrios & legumina Aegypti erant fruges Tyriorum.

Erubescite Sidon, ait enim mare, fortitudo maris, &c.] Tyrus erat, vt diximus, colonia Sidoniorū, quapropter ad eos pertinebat eam defendere. Cōuertit igitur propheta sermonē ad Sidonē, quę coloniā suam dereliquerit. Erubescite Sidon, quę cū Tyrum genueris, nullū ei auxiliū præbuiisti, non enim sperare deberes nauigātes ei opē laturos. Ait enim mare & fortitudo maris, hoc est, negotiatores & nauigantes. Sidoniorū intererat Tyrios defendere: nā nos nō eos genuimus, nec nutritimus, vt teneremur pro illis hostibus suis bellū inferre. Vel sic: Erubescite Sidon, ait enim mare & fortitudo maris, id est, ait enim Tyrus, quæ mare & maris fortitudo appellabatur: Ego nō parturiui, nec peperī, facta sum quasi mulier sine filiis, quoniā nemo mihi auxiliū tulit. Idē est nō habere filios, ac eos tales habere qui te in periculis relinquunt. Hoc ideō dicit, quia cum Tyrus multas colonias dedisset: nullatamen fuit quæ illi auxiliū ferret. Nā Carthago, Leptis, Vtica, Gades, coloniæ fuerunt Tyrī. Lege Plin. lib. 5. cap. 10.

Cum auditum fuerit.] Aegyptiū cū audierint vrbem vicinā

cinam & florentissimam obsidione deletam, dolore afficietur, existimantes idem sibi esse euenturum.

Transite maria.] Alloquitur ipsos Tyrios in obsidione positos. Vos ô Tyri transite maria, discedite ab vrbe vestra, fugite inimicos, quoniam nulla alia spes est euadendi. Ideo plorate habitatores insulæ, hoc est, Tyri.

Nunquid non hæc vestra est.] Irridet Tyriorum iactationem, qui Deo contempto maiorum antiquitate & nobilitate gloriabatur.

Ducunt eam pedes sui longè ad peregrinandum.] Hoc dicit propter eos qui in vrbe manserunt, & capti à Nabuchodonosore ducti fuerunt in Chaldæam.

Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inelyti terre? Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraberet superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inelytos terre. *Transi terram tuam quasi flumen filia maris, non est cingulum vltra tibi.* Manum suam extendit super mare, conturbauit regna. Dominus mandauit aduersus Chanaan, vt contereret fortes eius, & dixit: non adicies vltra vt gloriaris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis: in Cethim consurgit transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit, Assur fundauit eam: in captiuitatem traduxerunt robustos eius suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam. *Ululate naues maris, quia deuasata est fortitudo vestra.*

Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam.] Coronatam eam vocat, quia insignis erat, & regia florebat dignitate. Est igitur sensus: Quis vnquam cogitauit amplissimam illam ciuitatem opibus abundantem, aliarum ciuitatum dominantem, auro & gemmis fulgentem, sic esse deiiciendam, vt suis pedibus ire in captiuitatem cogeretur?

Cuius negotiatores principes.] Tanta erat Tyri diuitiarum abundantia, vt eius mercatores possent esse aliarum ciuitatum principes, eiusque institores essent celebres & illustres. Institores sunt negotiatores eò dicti, vt ait Vlpianus, quod insunt negotiis gerendis.

Dominus exercituum cogitauit hoc.] Dixerat paulò antè: Quis cogitauit hoc, &c. Nunc respondet: Deus est qui hoc cogitauit, qui superbiorum statum euerit, eorumque cogitationibus resistit. Docet hic locus neminem debere existimare se esse tutum, licet sit potens, & diuitiis affluat. Veniet enim tempus, quãdo in ærumnis suis Dei potentiam discat, cuius clementiam in prosperitate noluit cognoscere. Detrahit enim Deus gloriam superbiorum, & permittit vt eorum

honor

honor & amplitudo in dedecus, & ignominiã conuertatur. Tu verò considera quàm fluxa sit & incerta mundi gloria.

Transi terram tuam quasi flumen.] Horratur Tyrum ad fugam, ac si diceret: Tu ô Tyre transi terram tuam ita faciliè, vt riuum transires. Vel, Transi quasi flumen, celeriter imitare fluminis impetũ & velocitatem, ne te occupet inimicus, non illi poteris resistere, quia non est cingulum vltra tibi. Id est, non habes fortitudinem, vt possis te ab hostibus defendere. Lumbos cingulo cingere, est fortitudine pollere; carere verò cingulo, est imbecillitate laborare.

Manum suam extendit super mare.] Hoc est, super Tyrum, vt ait D. Hieron. Ac si dicat: Percussit Deus Tyrum ciuitatum maritimarum nobilissimã, qua percussione perterrita multa regna: Non enim cogitauerant talem euersionem fieri vnquam posse. Et timuerunt ne quid tale sibi eueniret. In telligi autem Tyrum nomine maris explicat id quod sequitur: Dominus mādauit aduersus Chanaan. Nam Tyrus est in terra Chanaan, vt constat ex euangelij Matthæi cap. 15. vbi Chanaanica scribitur egressa de finibus Tyri & Sidonis. Quid autem sit manum extendere, est à nobis explanatum cap. 1. illud explicantibus. Et conuertã manum meã ad te. Et cap. 5. vbi illud exposuimus. Extendit manũ suam super eũ.

Et dixit: non audietis vltra, vt gloriaris.] Hoc dixit Deus, Nequam vltra tua potentia & nobilitate gloriaberis filia Sidonis, hoc est, tu ô Tyre Sidoniorũ colonia, nã euertaris omnino. Ideo assumptis nauibus fuge in Cyprũ. Sed nec ibi poteris requiescere. Vel sic: Tu quoque Sidon quæ adhuc virgo es, à nullis victa nationibus, simili calamitati obnoxia es. Idem est Sidon, & filia Sidonis, quemadmodum Babylõ, & filia Babylonis; quod alio in loco annotauimus.

Ecce terra Chaldeorum, talis populus non fuit.] Tyri habitatores fracti obfidione, fuerunt in duas partes diffracti, alij se in fugã cõiecerunt, quibus propheta dixerat: in Cethim con surgens transfreta. Alij verò manserũt in vrbe, qui capti ducti fuerunt in Chaldeam, cuius metropolis erat Babylon ciuitas florentissima. His loquitur modo vates ita dicens: Ecce terra Chaldeorum, ad quam ducemini, populus est insignis, ab Assyrio fundatus. Eo ducent Chaldej non solum Tyrios imbecillos, sed eos, qui fortitudine pollebant, & muros ciuitatis funditus euertent, atque domos radicitus delebunt.

Vlulate naues maris quia deuastata est fortitudo vestra.] Per naues maris intelligit nauigantes & negotiatores, per fortitudinem

tudinem verò Tyrum, vbi opes comparabant, quæ sunt & belli & rei domesticæ robur & fortitudo.

Et erit in die illa: In obliuione eris ò Tyre septuaginta annis sicut dies regis vnus: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume tibi citharam, & cir cui ciuitatem meretricis obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. Et erit post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas, & rursus fornicabitur cum vniuersis regni terræ super faciem terræ. Et erunt negotiationes eius & merces lauificatæ Domino. non condentur, neque reponentur: quia bis qui habitauerint coram Domino erit negotiatio eius, vt manducant in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem.

Septuaginta annis, & c.] Septuaginta annis fuit Tyrus oppressa, nam tot fuit templum Dei vastatum. Aequum enim erat vt Tyrii tempus captiuitatis Iudæorum imitarentur, quorum ærumnis lætabantur. Appellat propheta hos septuaginta annos dies vnus regis, quia communiter qui longum tempus habet regnandi septuaginta annos nõ transeat. Quidam dicunt per hunc regem intelligi Dauidem, qui tot annis vixit, vt in libro 2. Regum capite 5. scriptum legimus. Alij Nabuchodonosorem eiusque filios vnum regem intelligunt. Prima harum interpretationum melior videtur.

Post septuaginta autem annos.] Ab hoc loco vsque ad finem capituli prospera Tyro annuntiantur. Sensus est: Quemadmodum meretrix neglecta à primis amatoribus, quia cum alijs se miscet, desiderat ad se trahere eos, à quibus fuerat prius dilecta: sic tu ò Tyre quia Caldæis adhæsisti, qui te captiuam duxerunt, fuisti à negotiatoribus qui te prius amore prolequebantur, contempta. Nunc verò libera à Chaldæis, canticis & illecebris pristinos tuos amatores reconcilia. Cane & pulsa tu quæ eras obliuione tradita. Da operam veluti meretrix cantationibus amatores allicias, vt illis in memoriam redigatis. Hoc ideo dicit, quia solent meretrices cantibus va nos adolentes ad se trahere.

Et erit post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum.] Hæc ad literam impleta fuisse historię Græcorum & Phœnicum memoriæ produnt, vt etiam D. Hieronymus testatur. Fuit enim Tyrus post annos septuaginta ad pristinum statum restituta, & exercuit commercium cum omnibus gentibus, fuit enim postea celebre emporium, vbi ex omnibus nationibus congregabantur multi ad exercendas negotiationes, quas hic propheta fornicationes vocat. Versio Septuaginta habet

habet in hunc modum: Post septuaginta annos uisitationē faciet Dominus Tyri, & iterum restituetur in antiquum, e- ritque negotiatio eius omnibus regnis orbis terrarum super faciem terræ. Quæ uerba satis indicant quid per fornicatio- nes hoc loco intelligatur,

Et erunt negotiationes eius, & merces eius sanctificata domino.] Vaticinatur de euerfione Tyri ad Christiū, quæ post multos annos futura erat. Multi enim ex Tyriis receperunt fidē, ut uidere licet apud Lucam Actorum 21. Est igitur sensus: Tyri negotiaciones terrenas in spirituales commutabunt, erunt enim eorum merces Domino dicatę & sanctificatę. Nō con- dentur neque reponentur, hoc est, non facient thesauros in terris, sed diuitias inter pauperes distribuent, & iuxta Chri- sti sententiam in celo thesaurizabunt.

Matt. 6.

Quia his qui habitauerit coram Domino.] Sensus est: Qui Deo seruiert, hoc solum uellent ex tēporali negotiacione, nempe habere victum, quo saturerentur: & honestum indumē tum, quo uestiantur. Capitur autem hic saturitas non pro redundantia & superfluitate, sed pro decenti & honesta re- fectione, quam solam desiderare debemus, iuxta id quod ait Paulus ad Timotheū: Est autem questus magnus pietas cū sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autē ali- menta & quibus tegamur, his contenti sumus. Docet hic lo- cus Esaia fideles ac pios homines negotiatores esse non hu- manis ac turbulentis negotiis implicatos, sed eos, qui quæ- rentes bonas margaritas, inuenta vna preciosa, uendunt om- nia sua, & emunt eam, quæ quidem Christus est. Hi sunt ne- gotiatores illi, quibus homo nobilis datus talentis, dixit: Ne- gotiamini dum uenio, ut est apud Lucam cap. 19. qui ope- rantes, fuerunt talia talenta lucrati, quorum meminit etiam Matthæus cap. 25. Hi sunt, qui fletu emunt gaudium, terra cælum, re finira infinitum, & temporali æternam, & auro terreno aurum cæleste: de quo dicebat Christus in Apo- calypsi Diui Ioannis Apostoli: Suadeo tibi emere a me au- rum ignitum, probatum, ut locuples fias. O felices nundā- nas, ô admirabiles commutationes. Eamus omnes ad tale emporium, ubi paruo pretio æternam gloriam cōparemus. Sed quoniam diabolus est etiam mercator, qui breues ac pe- sifilentes uoluptates, aliasque mortiferas merces precio ani- marum uendit, aut saltem promittit, ut nos ad æterna supli- cia deducat: est summa diligentia & consideratione aduer- tendum,

1. Tim. 6.

Matt. 13.

Apo. 3.

tēdum, ne cū tali negotiatore commercia exerceamus. Ostendit dapes in superficie suaves & appetendas, sed intus funeflas, & latent veneno contaminatas. Non esse aurum id, quod apparet, sed scoria: nō mel, sed fel: non vita, sed mors: non fama, sed ignominia: non bonum, sed malum. Vt enim stultus censetur, qui equum empturus non ipsum inspicit, & fastidiosè perpendit, sed solū eius frānum, stratum, & exteriora ornamenta intuetur, sic insanus iudicandus est, qui mercium diaboli speciem solū aspicit, interiora minimè contēplatur. Non est crystallus omne id quod crystallus apparet, vitrū enim crystallum imitatur, res fragilis & vilis nem solidam & preciosam. Imò venenum habet aliquando specie medicamenti. Tres mercatores sunt pestilētes & perniciosi, qui perniciē nobis voluptatis specie & simulatione regētes vendunt, & ad suas officinas alliciūt, & vocāt, diabolus, mundus, & caro, qui nobis interitū & exitiū machinātur. Eos fugiamus, eorū voluptates cōtēnamus, & pestiferas merces detestemur. Quid nobis cum mundo, quem antiqui malorum congeriem appellarunt? cuius vitam & naturam Plotinus Platonicus quasi magicam esse affirmavit, imagines boni veri ac pulchri ubique fingentis, falsumque pro vero simulant. Ceterum respice & considera Esaiæ artificium, quem ad modum ex historia se contulit ad Spiritum, & ad tempus Melsiæ, de quo est suum præcipuum propositum tractare.

Simile.

Simile.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XXIII.

Transite maria.] In Hebræo est iuru tarxixah. Sed quoniam Tharsis significat mare, & est etiam nomen gentis, & loci, vertit interpres noster. Transite maria. Pagninus verò vertit. Transite in Tharsis. pro quo Septuaginta habent, Ite Carthaginem. Fuit enim Carthago colonia Tyriorum, vt ait Plin. lib. 5. & Poëta, Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni, Carthago, &c. Ideo credibile est Tyrios ad Carthaginenses confugisse. Et in principio huius capituli, vbi nostra editio habet: Vlulate naues maris, habent Septuaginta, Vlulate naues Carthaginis. Et ita etiam habet paraphrases Chaldæus.

Non est cingulum vltra tibi.] Pro cingulo in Hebraico est mezach, quod nomen significat fortitudinem & cingulum, quod cingat lumbos, vbi robur est, & fortitudo, à verbo mazach,

zach, quod significat roborare. Thargū habet tekoph, quod nomen proprie fortitudinem significat. Ideo Pagninus vertit: Non est fortitudo vltra. Septuaginta habent: manus tua nequaquam praeualet. Symmachus: Non poteris vltra resistere, interpretans sensum potius quam verba.

In *Cethim confurgens transfreta.*] Pro Cethim est in Hebraico Cittim, & bis est in hoc capite ita scriptum hoc nomen. Est etiam eodem modo scriptum Numerorum cap. 24. vbi pro Cittim editio vulgata habet Italiam, ita dicens: Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos. quibus verbis Balaam vaticinatus est Romanos tempore Messiae esse Iudæam vastaturos. Id quod perspicuum est sub Tito Vespasiano euenisse. Et quoniam tunc Hierosolyma & tota Iudæa fuit ob Iudæorū infidelitatem, impietatem & ingratiudinem euersa, perspicuum est, tempus Messiae aduenisse. intelligi autem vaticinationem illam de tempore Messie indicant verba Baalam ita in eodem capite literis madata: Dabo tibi consiliū, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Planum est enim tempus extremū siue nouissimum in diuinis literis tempus Messie appellari, vt in explanatione 2. cap. Esaiæ explicuimus. Et volēs Balaam indicare id, quod dicebat, fore tempore Messie, qui erat vt lux magna venturus, ait: Orietur stella ex Iacob, & confurget virga de Israël. Pro quo Thargum Onkeli, hoc est paraphrasis Chaldæa Onkeli ita habet: Cum surrexerit rex ex Iacob, natusque fuerit Messias ex Israël. Vbi vides per stellam & virgam Christiū significari. Hęc est virga illa, de qua dixit cap. 11. Esaias: Egredietur virga de radice Iesse. Et paulo post ait Balaam: Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos. Neque possunt Iudei negare dictionem hanc Cittim illic positam Italiā significare, nam Chaldæus Paraphrastes, quem nro dō citauimus, qui est apud eos summæ autoritatis, ita illum locum transtulit: Et naues veniēt à Romanis. Septuaginta etiam interpretes pro Cittim Italiā vertunt. In qua sententia est Thargum Hierosolymitanū, cuius ad literam hęc sunt verba: egredientur copię multæ ex prouincia Italiæ, vnā cum multis legionibus Romanorum. Sed quoniam postquam hic ait scriptura: Orietur stella ex Iacob, & cōsurget virga de Israël, sequitur statim: Et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth: negant Iudei vaticinium hoc Christo nostro conuenire, quoniam aiunt eum nunquam Moabitas percussisse,

*Philip. 5.**Psal. 9.**Supra 16.*

fuisse, nec filios Seth vastasse, seu, vt habet Thargum Onkeli,
 omnibus filiis hominum fuisse dominatum. At non intelli-
 gunt cæci & stulti homines, hæc non carnaliter sed spiritua-
 liter esse intelligenda. Duces Moab sunt dæmones, quod D.
 Paulus in epistola ad Philippenses appellat principes & po-
 testates, harumq; tenebrarū rectores. Hos percussit Christus
 saluator noster, & de illis diuinam victoriam reportauit. Per
 filios Seth intelligitur impij peccatores, quos Christ⁹ euer-
 tit, non quo ad personas, sed quo ad impietates, non aufe-
 rendo ab illis vitam, sed idolatriam: non salutem, sed impieta-
 tem. Perierūt igitur quatenus peccatores, hoc est, periit eorū
 impietas & deprauata cecitas. Id prædixerat diuinus Psa. ita
 Messiam alloquens: Increpasti gētes, & periit impius, nomē
 eorum deletū in æternum, & in seculum seculi. Et quoniam
 hi à iugo dæmonis liberati se Christo subiecerunt, ideo vbi
 communis editio habet: Vastabit omnes filios Seth, venit
 Chaldaeus paraphrastes: Dominabitur omnibus filiis homi-
 num. Intelligit per filios Seth omnes homines, quoniam à
 Noë omnes originem ducim⁹, Noë autem à Seth, qui in lo-
 cū Abelis occisi successit, cum Cainini proles fuerit diluui-
 o extincta. Hic Messias, quem hic omnium hominū domato-
 rem scriptura iuxta Onkelum appellat, est ille, de quo aiebat
 Esaias: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de pe-
 tra deserti ad montem filia Sion. Cum autem in illo Nume-
 rorum loco Cittim Italiam significet, credibile est hoc in lo-
 co Esaiæ eandem etiam significare. Inuenies hanc dictionem
 apud Ieremiam cap. 2. & apud Ezechielē cap. 27. vbi noster
 interpres Italiā vertit, & meritō quidem. Nam Cittim reg-
 num Italæ, obtinuit, qui à Ianiginis fuit et iam Italus voca-
 tus. Author est Berosus Chaldaeus lib. 5. Antiquitatum, qui
 floruit ante Alexandrini monarchiam. A Cittim autē Italo
 fuit regio illa Cittim & Italia nominata. Vnde deberet hæc
 dictio peri, non autem per e scribi, quemadmodum bis in
 hoc capite, & semel in cap. 10. Genesios eam scriptam inue-
 nies. Cetim autem quæ scribitur per e, est ciuitas quædam
 Macedonia, de qua in 1. cap. lib. 1. Machabæorū ita scriptū
 legimus: Postquā percussit Alexander Philippi rex Macedo,
 qui primus regnauit in Græcia, egressus de terra Cethim, Da-
 nium regem Persarum & Medorum, &c.

Assur fundauit eam.] Pro Assur est in Hebraico Axxur,
 quemadmodū Genesios cap. 10. vbi scriptū legimus egressū
 fuisse Assur de terra Senaar, ædificasseque Niniuem ciuitatē
 magnam,

magnam, in terra autem Senaar regnasse Nemrod. Vnde inferunt nonnulli populum Chaldeorum non fuisse ab Assur, sed à Nemrod fundatum : & ob eam causam hic existimant, per eam intelligi Tyrū, non autem Chaldaeam, cum tamen prophane historici dicant Tyrum coloniam fuisse Sidonis, conditam ab Agenore tempore Troianæ euerfionis. Ideo mihi prior opinio magis placet, quoniã et si Assur non fuerit Babylonis constructor, condidit tamen Ninuam in Chaldaea, cuiusque populum fundauit. Si fusc scire uolueris, quis fuerit hic Assur siue Assyrius, à quo Assyria nomen accepit, lege Xenophontem de equiuocis cap. i. ubi asserit hunc appellatū esse Ninum, Herculem, & Iouem, à quo, quia Ninus vocabatur, fuit ciuitas Ninuie denominata.

Argumentum Capitis XXIII.

Superioribus capitibus vaticinatus fuerat Esaias de euerfione Hierosolymæ, Babylonis, & nonnullarum aliarum nationum in particulari, nunc autem generalem totius terræ interitum & vastitatem, cuiusque habitatorū in extremo iudicio confusionem prædicit,

CAPVT XXIII.



Ecce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius. Et erit sicut populus sic sacerdos, et sicut seruus sic dominus eius, & sicut ancilla sic domina eius, sicut emens sic ille qui redit, sicut fenerator sic is qui mutuum accipit, sicut qui repetit sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. Luxit & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis & infirmata est altitudo populi terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius, & relinquētur homines pauci. Luxit vitis demia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde.

EXPLANATIO.

Ecce Dominus dissipabit terram.] Hoc est Deus in fine mundi vniuersam terrā vastabit. Esse terram in fine mundi transitoriam, asserit Christus apud Matthæum iis verbis: Non

Eccle. 1.

1. Cor. 7.

Heb. 1.

Psal. 101.

Apor. 21.

Matt. 24.

præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant, Cælum & terra transibit, &c. Quamuis enim dicat Ecclesiastes, Terra autē in æternū stat, hoc intelligitur per essentiam, sed præteribit & mutabitur ab eo statu, in quo nunc est, & figuram suam amittet, Id dicunt nonnulli voluisse significare Dium Paulum cum dixit in epistola prima ad Corinthios: Præterit figura huius mundi. Non dixit: Præterit mundi substantia, sed figura. Et ad Hebræos hæc verba Psalmistæ citat: Et tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autē permanebis, & omnes vt vestimentum veterascēt, Et velut amictū mutabis eos, & mutabūtur. Potest etiā locus ille Salomonis ita explanari: Terra immobilis manet ad lōgū tēpus permāsura. In æternū enim capitur aliquando pro lōgi temporis spatio, vt Exodi cap. 21. Et seruiet in æternum. Id est ad iubilæū Anno enim iubilæi omnes liberi manebant, vt habes cap. 25. Leuitici. Illud certum est terram transituram esse, & terram nouam futuram, ait enim Angelus Ioanni euangelistæ in Apocalypsi: Vidi cælum nouum & terram nouam. Primū enim cælum & prima terra abiit. Non quod alia terra & aliud cælum cōdendum sit, sed ait renouanda esse eā ipsa, quæ nunc sunt, Ita graues authores locum illum interpretantur. Qua de re vide ea, quæ copiosè tractat D. Petrus ca. 3. epistolæ sue secundæ.

Et nudabit eam.] Subaudi ab habitatoribus, ita vt maneat deserta. Et affliget faciem eius, hoc est, dabit ei aliam faciem & figuram. Et disperget habitatores eius, hoc est, iustos ad gaudia æterna perducet, impios verò ad inferorū supplicia.

Et erit sicut populus.] In illa die nulla erit in hacre differentia inter nobiles & obscuros, sacerdotes & laicos, sed omnes apparebūt ante Christi tribunal redditori de vita sua rationem. Nō respiciet Deus ibi generis nobilitatem, aut ob securitatem, sed virtutes & vitia, vt vnusquisque iuxta opera sua aut præmio afficiatur, aut supplicio, Non enim est acceptio personarum apud Deum.

Luxit & defluxit terra.] Vitur Propheta præteritis pro futuris more prophetico. Sensus est: Cūm terra defluerit, iugebunt & plangēt in die iudicij homines, qui, vt alio in loco etiam annotauimus, nomine terre significātur. Ait enim Christus apud Matthæum: Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.

Et in.

Et infirmata est altitudo populi terræ.] Id est, Diuites & potentes confringentur. Nihil illis valebunt diuitiæ, imperia, & magistratus. Nam vt ait Salomôn in Prouerbiis, Non prode runt diuitiæ in die vltionis, iustitia autem liberabit à morte. Dicent enim impij in inferno, vt in libro Sapientie scriptum legimus. Quid nobis profuit superbiæ & diuitiarû iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa sicut vmbra, & tanquam nuntius præcuriës. Primi aduersus quos Prophe ta hoc in loco vaticinatur, sunt diuites & potentes.

Prou. 11.

Sapient. 7.

Terra infecta est ab habitatoribus suis.] Imminente iudicio terra reddetur sterilis propter iniquos habitatores. Vbi vides ideo terrâ nõ ferre vberes fructus, quia ab improbis colitur.

Quia transgressi sunt leges.] Loquitur de legibus ciuilibus. Potest etiã hic locus intelligi de omnibus legibus naturali, & scripta data per Moysem, & de euangelio Christi. Primam tamen expositionem magis amplector propter ea quæ sequuntur. Sed quæ sit mea propria huius loci expositio & sententia, videbis in annotationibus ex Hebræo.

Mutauerunt ius.] Id est, Pro libito suo sententias tulerunt, non considerata iustitia nec ratione, Peruertunt iudices fundamenta naturæ, cum à sententiis iustitiam seiungunt.

Dissipauerunt fœdus sempiternum.] Violauerunt amicitiam, quam deberent cum amicis perpetuò conseruare. Vide quan ti estimanda est amicitia. Vel loquitur aduersus Iudeos, qui fœdus sempiternum, & pactum quod de seruanda diuina lege fecerant, fregerunt. Capitur igitur fœdus pro pace, & fide ac pacto. Sed quoniam fœdus accipitur etiam pro lege, vt apud Vergilium. Regemque dedit, qui fœdere certo, Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. existimo hoc in loco posse ipsam diuinam legem significari. Sic deus apud Oseã: *Transgressi sunt, inquit, fœdus meum. Et explicãs quid esset transgredi fœdus, subiungit: Et legem meam præuaricati sunt.* Sed tunc quædam insurgit dubitatio, qui fieri potest vt lex appelletur sempiterna, cum cessauerit. Sed huic quæstioni facile respondetur, si legem ipsam loquentem audierimus, quæ æternum & sempiternum appellat id, quod vsque ad tempus Messie, & ad promulgationem euangelij erat duraturum. Et ita deus promittit semini Abrahamæ terram Chanaan in possessionem æternam, quam Iudæi post Christi mortem, & sufficientem euangelij promulgationem amiserunt. Possunt etiam omnia legalia dici sempiterna ratione sui significati, erant enim figuræ earum rerum, quæ semper duraturæ sunt.

Ose. 8.

Gen. 17.

Paulo antè dixerat: Transgressi sunt leges. Et statim: Mutauerunt ius: Et cōfestim subiungit: Dissipauerunt fœdus sempiternum. Et quoniam solet Eiaias sæpenumero multa vnâ atq; idem diuersis verbis significantia, cōgerere, fortasse hoc in loco per leges ius & fœdus idem voluit intelligere, vt sit congeries rhetorica.

Propter hoc maledictio vorabit terram.] In principio benedixit Deus creaturis, quas fecerat: sed quoniam homines impij & scelerati suum dereliquerunt creatorem, sēque vitiiis dederunt, maledicentur in fine mundi, eruntq; à Deo maledicti. Vel sic: hominū maledictio & flagitium terram consumet & velut bestia, deuorabit.

Peccabunt habitatores terræ.] Illi se flagitiis implicant, qui sunt terræ ciues, quibus in Apocalypsi Ioannis dicitur: Væ habitantibus in terra. Viri enim iusti & pijs non in terra habitant, sed in cœlo, de quibus ait Paulus Apostolus: Nostra enim cōuersatio in cœlis est. Vnde Cain terrenā ciuitatē condidit, Abel autē non itē, vt, & nō sine mysterio, literę diuinæ testantur. Vtuntur viri iusti terra hac tanquam peregrini, nō habentes hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirentes. Ideo mundi voluptates & opes contemunt, temerarias cupiditates cōercent, timores & inanes sollicitudines pellunt, & neque rerum aduersarum incōstitibus franguntur, neque vlla temporum varietate labefactantur, Si autē ruunt, & in crimen aliquod incidunt, eriguntur diuino auxilio, & ad cœlestia aspirantes diuini numinis amore rapiuntur.

Insanient cultores eius.] Aspicias hīc apertissimē homines humanis vitiiis implicatos, qui non cœli sed terræ cultores appellantur, insanos esse, eorumq; insaniam ex peccatis provenire. Ait enim Propheta: Peccabunt habitatores terræ, ideoque insanient cultores eius. Omnes qui se vitiiis contaminant, & in illis perseverant, iudicio absque dubio carent. Vnde ait Salomon in Proverbijs, impius ignorat scientiam. In Psalmo, vbi nostra editio habet: Dixi iniquis, nolite inique agere, habet versio Fœlicis: Dixi insipientibus, nolite insanire. Idem enim vocabulum & iniquum & insipientem significat, Omnis enim iniquus est insipiens. Id quod etiam gentium philosophi asseruerunt. Aristoteles enim planē inquit omnem hominem flagitiosum ignorātem esse. Qua de re poteris ea videre, quæ fultus scripsimus capite 5. illa verba explanantes: Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiam.

Apoc. 2.
Philip. 3.
Gen. 4.

Prou. 29.
Psal. 74.

Et relinquentur homines pauci.] In fine mundi priusquam iudicij tempus adueniat, pauci homines reperientur. Præcedet enim bella & pestilentiæ. Et erit, vt est apud Lucã, in terris præssura gentium præ cõfusione sonitus maris & fluciũum, arefcentibus hominibus, præ timore & expectatione, quæ superueniẽt vniuerso orbi. Vel homines eostãtum appellat, qui eo munere funguntur, cuius colendi efficiẽdique causa, Deus eos creauit, eiusque naturam rationis participem dedit. Formauit enim Deus hominem, & sui sanctissimi numinis similem fecit, vt pestiferas voluptates contemneret, ipsum Deum summè coleret, eiusq; amore ardentissimè flagraret, & in beatissimis sedibus ac cœlestibus mansionibus quo semper frueretur. Ex quo efficitur, vt illi, qui vitiiis imbutur, & in errorib9 & vanitatibus versantur, immemores æternitatis, summam fœlicitatem in mundi opibus & voluptatibus collocantes, indigni sint, qui homines appellẽtur. Græci appellant hominem ἀὐσπορον, quasi sursum vergentẽ, & contemplantẽ. Nam reliqua animantia terræ prona sunt, ventriq; obtemperantia, solus homo est erectus, & ad cœlum eiusque considerationem & contemplationem quasi ad propriam patriam eleuatus. Vnde apertè cõcluditur eos hominum priuari, qui non in sublime feruntur, sed terrena tãtum intuentur. Socrates apud Platonẽ in Cratylo, existimat dici ἀὐσπορον, quasi ea, quæ aspicit, contemplantẽ: cum cœtera animalia alitudine & excellentia contemplationis careant. quæ etiam ratio conuenit huic nostræ interpretationi. Prior tamen nominis deriuatio est Lactantiij Firmiani capite i. lib. 2. diuinarum institutionum.

Luxit vindemia, infirmata est vitis.] Hoc est, deficiet vinũ nullam habebunt iniqui cõsolationem, & omnis impiorum lætitia in luctum conuerteretur

Cessauit gaudium tympanorum, quiescit sonus letaniam, conuicium dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentium illam. Atrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. Relicta est in vrbe solitudo, & calamitas opprimit portas. Quia hæc erũt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & raceni cum fuerit finita vindemia: Hileuabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit. Dominus, hinniẽt de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Domini sunt: in insulis maris nomen Domini Dei Israël. A finibus terræ

laudes audiuimus, gloriam iusti. Et dixi: secretum meum mihi, secretum meum mihi. Ne mihi: praeuaricantes praeuaricati sunt, & praeuaricationes transgressorum praeuaricati sunt. Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terre.

Cessauit gaudium tympanorum.] Describit mororem, quo afficiuntur iniqui.

Attrita est ciuitas vanitatis] Totum orbem appellat ciuitatem vanitatis. Elegans quidem & pulchra periphrasis. Quasi dicat: Nemo existimet esse hunc terrarum orbem perpetuo duraturam. Est enim vana quaedam ostentatio, quae cito peribit: fortasse per ciuitatem vanitatis eas vrbes intelligit, quae idolatriae, superstitionibus, ceterisque vanitatibus deditae sunt.

Clamor erit super vino.] Plorabunt se fuisse vino deditos, vel lugebunt vini defectum.

Quia haec erant in medio terra, in medio populorum.] Explicat fore hunc interitum in toto orbe terrarum.

Quomodo si pauca oliuae.] Comparat hoc in loco Propheeta viros iustos, qui appropinquante seculi consummatione fuerint relictii in terra, raris baccis oliuarum, quae post excusionem remanserunt in ramorum cacumine: & paucis racemis, qui post vindemiam fuerunt in vitibus relictii. Quanquam enim multi sunt vocati, pauci tamen sunt electi.

Matt. 20.

Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt.] Iusti, qui manserint in terra, vocibus suis in sublime leuatis, Dominum laudabunt. Et veniente Christo in maiestate regnante, hincnt praelætitia, equorum more, & in mari huius seculi letabuntur. Quidam vertit: Exultabunt ab occidente, vt fit sensus: Illi, qui in finibus terrae in occidentali plaga fuerint, afficiuntur gaudio, Christi gloriam aspicientes. Prima tamen expositio est communior & melior: Orbem terrae vocat mare, quem admodum cap. 21. Babylonem ipsam mare etiam appellauit.

Supra 21.

Onus, inquit, deserti maris. Tu vero considera Dei nostri clementiam, eamque altamente perpende, qui cum in hoc cap. minetur peccatoribus horribiles timores extremi iudicii, iustos tamen consolatur. Christe sancte quam immensa est tuae pietatis magnitudo, quae inter praekoniam tuam iustitiae, non es oblitus tuae misericordiae. Eodem modo apud Lucam post minas & terrores subiungit: His autem fieri incipientibus, suspicere & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Non est redemptio, nisi vbi praecessit captiuitas: cum vero in fine mundi appropinquet iustorum redemptio, aperte concluditur hunc mundum esse eorum car-

Luc. 21.

cerent

cerem & captiuitatem. Id intelligens Dauid dicebat in psal. *Psal. 127.*
 Conuertē Domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro. Igitur in fine mundi leuabunt capita, erigent se ipsos illi, qui hic abiecti ab iniquis premebantur, & gaudio afficiuntur. Quando igitur appropinquauerit tēpus illud formi dolosum, quo omnes vocabimur in iudiciū, omnīū nostrarū actionum rationem reddituri, improbi & flagitiosi prementur, eorumque dominabuntur iusti & piī, qui nunc ab illis acerbissimē vexantur.

Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum. Vos qui in doctrinis, hoc est, qui beneficio scripturarum cognoscitis tanta vobis gaudia reseruari, laudate Dominū. Et non solum vos viri iusti, qui in terra stabili estis, hoc est, qui in animi tranquillitate & securitate viuitis, qui vos ab hominū frequentia in solitariā quietē recepistis: sed vos qui in insulis habitatis, hoc est, qui tentationum fluctibus cōcutimini, qui negotiis implicati impetum maris mundi huius sentitis, laudate & glorificate nomen Domini Dei Israelis. Docet nos hic locus vitam contemplatiuā terræ firmæ & stabili comparari, actiuam verō insulæ maris fluctibus concussæ similem esse. Verūque tamen, & eum qui contemplationi, & qui actioni deditus est, Deum laudare debere. Possum hunc locum ita explanare. Laudate Dominum, non solum vos qui habitatis in medio terræ, sed vos etiam qui in insulis, & locis remotissimis vitam degitis.

A sinibus terræ laudes audiuius, gloriam iusti. Dixerat versu superiore habitantibus in insulis, vt Dominum laudarent: nunc prædicat hoc ita futurum esse. Sensus est: Nos qui spiritu prophético inspirati sumus, audiuius a Domino dādam esse gloriam iusto, hoc est, Christo: a sinibus terræ, hoc est, ab illis etiam, qui colunt insulas remotissimas. Et cum Propheta hæc dixisset, vidit mentis oculis multa, quæ non licet homini loqui. Dicerem ego vidisse spiritu gloriā iustorum, & impiorum supplicia eo modo quo Deus illi hæc voluit ostendere, & audiuisse arcana, quæ, vt ait D. Paulus, nō licet hominem loqui. Ideo inquit: Secretum meū mihi. Ac si diceret: Non possum ea, quæ vidi explicare. Bis posuit secretum, quoniam & præmium viderat honorum, & flagitiorū supplicium. Thargum ita hunc locum interpretatur: Dixit propheta: Secretum mercedis iustis conspectum est mihi, secretum vitionum impiorum reuelatum est mihi. Quæ verba huic nostræ explanationi apertissimē fauent.

Vt mihi

Va mihi praeuaricantes praeuaricati sunt.] Cum vidisset Propheta impiorum & sceleratorum multitudinem in hac verba prorupit: Ac si diceret: Non possum non plorare tot hominum interitum & supplicium.

Formido & fovea, & laqueus super te qui habitator es terræ.] Appropinquante tempore iudicij in timore & dolore, & periculis versabuntur homines iniqui, quos non cæli sed terræ habitatores appellat: de quibus dixerat paulò antè. Peccabunt habitatores terræ.

Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam: & qui se explicauerit de fovea, tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, concutientur fundamenta terræ. Confractioe confringetur terra, contritione conteretur terra: commotione commouebitur terra, sicut ebrius: & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis: & grauabit eum iniquitas sua, & corruet: & non adiciet, vt resurgat. Et erit: In die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelsis: & super reges terræ, qui sunt super terram. Et congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, & confundetur sol, cum negauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam.] Describit calamitates improborū aduentante extremo iudicio, qui volentes declinare vnum periculum, incident in aliud.

Quia cataractæ.] Dixerat nullum peccatorem esse à formidine, fovea, & laqueis euasurum: nunc reddens huius rei causam, inquit hoc ita fore, quia tunc in extremo tempore aperientur fenestræ cæli, & videbit Dominus vniuersa hominū peccata, quæ antè, quia ea nō puniebat, videbatur nō videre. Quibus visis concutientur præ timore fundamenta terræ. Ita dicitur in psal. Qui respicit terrā, & facit eam tremere. Describit Propheta admirabilem Dei potentiam, qui facit totā terrā vel solo aspectu concuti, tremoreq; labefactari. Fortasse in cataractis in cælo apertis alludit ad id, quod est scriptum in Psalmo. Pluet super peccatores laqueos. Hoc est, improbos acerrimè puniet, eis laqueos instar pluuie emittens, quibus eos capiat & perdat. Septuaginta hūc Esaiæ locum ita verterunt: Fenestræ cæli apertæ sunt.

Confractioe confringetur terra.] Quasi volens absorbere peccatores.

Quasi tabernaculum vnius noctis.] Id est, quasi tentorium, siue

Psal. 105.

siue tuguriolum, quod pastor singulis noctibus de loco ad lo-
cum transfinitur.

Visitabit Dominus super militiam cæli.] Id est, super sidera.
Vbi nostra editio cap. 4. Deuteron. habet: Ne fortè eleuatis
oculis ad cælum videas Solem & Lunam, & omnia astra cœ-
li, & errore cæli deceptus, adores ea, habet versio Pagnini
pro astris cæli, militiam cæli. Nec est infrequens in literis
diuinis astra, militiã, & exercitus, & virtutes cæli appellari.
Hunc sensum habent verba illa lib. 4. Regum ca. 21. Et ado-
rauit omnem militiam cæli. Ac si diceret: Non erat in cælo
stella, quam impius Manasses superstitioni idololatriæque
deditus non coleret. Est igitur huius loci Esaiæ sensus: In tẽ-
pore extremi iudicij cõturbabit Dominus omnia sidera. Nã
sol obscurabitur, vt ait Christus apud Matthæũ, & luna non
dabit lumen suũ, & stelle cadent de cælo. Sunt qui per cælũ
hoc in loco aërem intelligant, & per cæli militiam dæmo-
nes, quos D. Paulus tenebrarum harum rectores appellat.
Prior tamen expositio mihi magis placet, quoniam non so-
let scriptura dæmones cæli militiam vocare. *Philip. 2.*

Et congregabuntur.] Sensus est: Reges terræ cum primũ
excesserint è vita in inferno cõgregabũtur. Sed post multos
dies, nempè in die iudicij visitabuntur, quãdo ab illis exige-
tur suę vitę ratio. Sed audita sententia iterum in inferno in
æternum relegabuntur. Est enim ignis ille æternus, vt apud
Matthæum ait Christus cap. 25. & D. Ioannes in Apocalypsi
cap. 14. Neque est dubitandum, sit necne liber Apocalypsis à
D. Ioanne Euangelista conscriptus, cum id teneat ecclesia,
sitque ab antiquissimis scriptoribus assertum & comproba-
tum Eusebius in historia ecclesiastica lib. 4. c. 18. ait Iustinum
martyrem illud affirmasse, & lib. 6. c. 19. ait hanc esse firmam
Originis sententiam. Cæterum id, quod hic dicit Esaias ad-
uersus reges, non est de omnibus intelligendum, cum multi
sint sapientia conspicui, iustitiæq; præcellentes, sed de impiis
& flagitiosis.

Et erubescet luna.] Explicat id quod dixerat: Visitabit
Dominus super militiam cæli. Vel per solem intelligit prin-
cipes ecclesiasticos, per lunam verò seculares, qui se in vita vi-
tiis implicarunt, & in violanda iustitia impia scelera admise-
runt. Tunc enim in illo terribili iudicio, visa Christi maiesta-
te, quem illi contempserant, turbabuntur, & confundentur.
Quoniã cum deberent, dũ viuebant, alios illuminare, nõ so-
lum non illuminarunt, sed etiã obscurauerunt. Qui enim fieri
poterat,

Simile.

poterat, vt alios suorum radiorū splendore illustrarent, cum ipsi eclipsum paterentur, essentq; tenebris & caligine circumfusi? Vt enim eclipfis lunæ est interpositio terræ inter solē & lunā, sic quando terra, hoc est, mundi opes & voluptates interponuntur inter mūdi principes, qui lunæ nomine significantur, & solem illum iustitiæ Christum Deum nostrum efficitur vt lumine careant principes, defectumq; patiantur in vmbra terræ existentes. Tunc enim fit eclipfis, cum luna in terræ vmbra cōsistit. Quid aliud sunt mundi magistratus, potentia, diuitia, & voluptates, quam vmbra terræ? Illos, qui in inferni detrusi æternis cruciaribus torquentur, in hūc modū scriptura in lib. Sapientiæ facit loquētes: Quid nobis profuit superbia? & diuitiarū iactantia quid contulit nobis?

*Sapient. 5.**Eccl. 34.*

Transierūt omnia illa sicut vmbra. Et in Ecclesiastico hi, qui has mundi res inanes, fallaces, & fluxas querunt & appetūt, illis cōparantur, qui sequuntur ventos, & apprehendunt vmbas. Hoc pertinet ad Lunę eclipsum. Sol verò tunc obscuratur, cum interponitur luna inrer ipsum & homines. Quis est hic sol nisi præsul, qui cum debeat omnes illuminare, ob eā causam deficit, nullisque micat radiis, quia interponitur & obicitur illi luna, hoc est, humana potētia? Eam ob causam antistites, ecclesięq; pastores tenebris offunduntur, quia non Dei obsequium & honorem, sed humanas dignitates & voluptates intuentur. Non loquor de illis qui rectē gubernant. Sunt enim multi, qui oues suas saluberrimē pascūt, qui illas tantū opes quærūt, quę animū amplificāt, diuitemque faciūt, ex quib; vera dignitas redūdat & efflorescit. Sed de illis loquor, qui curæ pastoralis oblitī, virtutisq; ornamentis nudati, in summa ignominia versantur. Totū hoc caput exposuimus de mūdi interitu, vltimiq; iudicij tempore. Et hæc est D. Hieron. sententia, quem postea secuti sunt multi, quorum explanationē amplectimur. Sunt tamen nonnulli quia omnia hæc ad captiuitatem decem tribuum referant, quæ omnes dispergendæ prædicuntur in varias regiones absque vlla personarum differentia, quod fuerint diuinam legem præuaricatur. Cum enim euertent fundamenta iustitiæ, impiiq; sceleribus pascerentur, veroque Deo relicto falsa idola colerent, æquum fuit vt omnes pariter punirentur. Sed tunc nescio quemadmodum possit cum hac sententia conuenire id, quod hic dicitur. Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cœli. Nō enim legimus talia in illa captiuitate euenisse, nisi per militiam cœli intelligant exercitū Israëlī. Præterea

terea sunt nonnulla alia in hoc capite, quæ non videtur huic interpretationi congruere. Ideo alij de euerfione duarum tribuum ob Christum non receptum, quando Hierosolyma fuit à Tito funditus euerfa, illud interpretantur: quæ opinio non videtur tot habere impedimenta. Nam Iosephus Hebræus, insignis historiographus cap. 12. libri 7. de bello Iudaico, inter prodigia & prælagia excidium Hierosolymæ præcedentia narrat, sidus simile gladio supra ciuitatem stetit, tantumque circa templum lumen noctu effulsisse, vt clarissimus dies putaretur. Sed quoniam Esaias præcedenti capite locutus fuerat de Tyri euerfione, nõ deest qui totum hoc caput existimet esse non ad Hebræorum, sed ad Tyriorum euerfionem calamitatemque referendum, quoniam solet Esaias ea, quæ in vno capite breuiter attingit, in sequenti latius dilatare. Nos verò ex his quatuor explanationibus eam exponendam sumpimus, quæ nobis visa fuit communior, literarumq; accomodatior, liberum vnicuique iudicium suum relinquentes.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XXIII.

Ecce Dominus dissipabit terram.] In Hebræo pro dissipare est bokels, quod significat dissipare, euacuare, populari. Nahum cap. 2. Quia vastatores dissipauerunt. Quod etiam poterat verti: Euacuatores euacuerunt. Vel populos populi sunt. Vnde illud Osee cap. 10. Vitis frondosa Israël, poterat etiam verti: Vitis vacua est Israel. Vertit tamē interpret nos ter frondosa, quoniam eę vite quæ syluescunt, & frondibus crescunt, nec amputantur, inutiles sunt & vacuæ: quod Symmachus intelligens vertit: Vitis materialis, hoc est, non amputata, sed frondibus atque palmitibus abundans. Eam ob causam vertit Pagninus hoc in loco: Ecce Dominus euacuat terram, hoc est, in solitudinē redigit. Quod nõ multum distat à communi versione. Quod autē sequitur: Et nudabit eam, ita conuertit Pagninus: Et desolare facit eam. In Hebræo est vuolekah à verbo balak, quod significat nudare, desolare, & aperire. est igitur terram nudare, eam desertam facere absque vilo habitatore. Sed quoniam verbum hoc significat aperire, potest rectissimè locus hic ita ex Hebræo reddi in latinum sermonem: Ecce Dominus dissipabit terram, eamque aperiet: Vt significet in die iudicij aperiendam esse terram vt mortui egrediantur & resurgant. Qui dicitur intel-
ligi

ligi totum hoc caput de euerfione Hierofolymæ per Titum dicent Prophetam hic vaticinari aperiendam esse urbem exercitui Romano.

Luxit & defluxit terra.] Pro luxit vertit Pagninus, defluta est. Verbū Hebraicum est aual, quod significat lugere, vt patet mille in locis diuinarum literarum. Exodi 33. Audiens populus sermonem hunc pefsimū luxit. Threnorum 1. Viae Sion lugent. Osee 10. Quia luxit super eum populus eius. Et multis alijs in locis, quæ breuitati studens, omitto. Ideo existimo editionem vulgatam hoc in loco, quemadmodum in nonnullis alijs, magis esse secundum veritatem Hebraicam quam Pagnini versionem. Septuaginta etiam verterunt luxit terra.

Terra infecta est.] In multis codicibus Latinis, Terra infecta est, sed legendum est infecta est, vt nonnulli codices correcti habent. Est enim in Hebraico: Et terra chanephaphā verbo chanet, quod significat polluere, & inficere. Ita apud Jeremiā 23. Propheta namque & sacerdos polluti sunt. Vbi translatio Chaldaica Ionathæ habet: Fecerunt furtum legis eorum. Hoc est, mente legis abusi sunt. Tunc enim homines se inficiunt & polluūt, cum Dei legem transgrediūtur, eamque ad suam voluntatem detorquent. Est igitur huius loci sensus: Habitatores terræ eam suis sceleribus ita polluerunt, & sterilem reddiderunt, vt nullos lætos fructus produceret. Pagninus hūc locum ita latinum reddidit: Terra impiè egit propter habitatores suos. verbū enim chanet, quod est in Hebraico, significat etiam iniquè agere, & personam acceptare. Vnde locus hic Jeremiæ, quem modò citauimus, potest ita verti: Propheta namque & sacerdos impiè egerunt, vel, acceptatores personarum fuerunt. Potest igitur hic locus sic explari: Terra impiè egit, hoc est, pœnas luit, ac si impietatem & scelus admisisset. Tunc enim terra dicitur pœnas dare, quando vastatur, & in sterile solitudinem redigitur. Ita R. David doctus inter Iudæos hunc locū interpretatur. Thargū vertit peccauit, pro eo quod nostra versio habet, infecta est, quam interpretationem secutus est Pagninus, cui fauet versio Septuaginta, quæ ita habet: Terra autem egit impiè propter habitatores suos.

Dissipauerunt fœdus sempiternum.] Septuaginta pro fœdere sempiterno, verterunt testamentum æternum, quod ego absque dubio existimo esse euangelicū, quod etiam D. Paulus apostolus in epistola ad Hebræos eodem modo appellat: ita

ſta dicens: Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſto-
rem magnum ouium in ſanguine teſtamēti æterni, Dominū
noſtrum Ieſum Chriſtum. Quemadmodum enim Moyſes
legem firmaturus, manu poculum tenebat, in quo erat ſan-
guis pecudum, vt in Exodo ſcriptum legimus: ſic Chriſtus *Exod. 14.*
nouam legem confirmaturus, calicē oſtendit, in quo fuit pro-
prius eius ſanguis, pro ſalute hominū fundendus. Ideo Apo-
ſtolus ait: In ſanguine teſtamēti æterni. Et in conſecratione
vini vtitur eccleſia hac forma: Hic eſt calix ſanguinis mei no-
ui & æterni teſtamēti, &c. Hoc eſt, teſtamentum illud quod
Deus per Ieremiam promiſit dicens: Ecce dies venient, dicit *Ierem. 31.*
Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſu-
per domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum te-
ſtamentum, quod feci patribus eorum. Quem locum Diuus
Paulus in epiſtola ad Hebræos cap. 8. de Chriſti euangelio
interpretatur. Et quoniā vetus lex fuit abrogata, noua autē
ſemper eſt duratura: appellatur hic ab Eſaia fœdus ſempi-
ternum, aut vt volunt Septuaginta, teſtamentum æternum.
Dixerat modò. Tranſgreſſi ſunt leges, mutauerūt ius, & cō-
feſſim ſubdit, Diſſipauerūt fœdus ſempiternum. Quæ verba
Septuaginta ita verterunt: Præuicati ſunt legem, mutauerunt
præcepta, teſtamentum æternum. Tria ſunt, ob quorum
præuicationem Deus mundi ruinam & vaſtatem mina-
tur, lex, præcepta, & æternum teſtamentum. Ego exiſtimo
per legem intelligi legem naturalem, per præcepta, legē ſcri-
ptam, per teſtamentum æternum, legem gratiæ & Chriſti
euangelium.

Inſanient cultores eius.] Septuaginta habent: Pauperes
erunt habitatores terræ. Omnes iniqui ſunt inſani, omnes
autem inſani pauperes, quia ſpirituales diuitias perdiderunt.
In Hebraico eſt charu, à verbo charar, quod ſignificat inſa-
nare, æſtuare, ardere, deficere. Ideò Pagninus vertit: Com-
buſti ſunt habitatores eius. Æſtuant, inſaniunt, deficiunt, &
comburuntur, qui non cœlū, ſed terram colunt, & intuentur,
qui negotiis humanis implicati, tanquam mundi ciues ad
cœleſtia nequaquam aſpirant.

Viſuabit Dominus ſuper militiam cœli.] In aliquibus codici-
bus eſt malitia pro militia. In Hebraico eſt tleua, quod ſi-
gnificat exercitum, militiam, virtutem, & tempus ſtatutum.
Vnde id quod dicitur capite ſeptimo Iob, Miſitia eſt vita ho-
minis ſuper terram, poteſt verti: Tempus determina-
tum eſt vita hominis ſuper terram: ſcit enim Deus quanto
tempore

tempore vnusquisque victurus est.

Argumentum Capitis XXV.

Agit Propheta gratias Deo pro vasiatione synagoga, & insigni victoria de morte, ac daemone reportata. Aserit seruandos esse fideles per Christum, qui nobis lucem attulit, Iabes omnes absterfit, gratiam tribuit, vt gloriam illam caelestem, nullis vnquam seculis interitura consequeremur. Sunt qui asserant intelligi hoc caput de supplicio damnatorum, & de premio iustorum post mundi consummationem, quas ob causas Propheta in gratiarum actionem prorumpit.

CAPVT XXV.



Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amē. Quia posuisti ciuitatem in tumultum, urbē forte in ruinam, domum alienorum: vt non sit ciuitas & in sempiternum non edificetur. Super hoc laudabit te populus fortis: ciuitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab aestu. Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut aestus in siti, tumultum alienorum humiliabit, & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiae, conuiuium pinguium mellatorum, vindemiae desecatae.

EXPLANATIO.

Domine Deus meus es tu, & exaltabo te & confitebor nomini tuo. Laudibus te efferam Domine Deus meus, & nomen tuum celebrabo ob admirabilia opera tua, & quia antiquas cogitationes tuas completurus es, omnia enim tua consilia ore Prophetarum praedicta firmabuntur, & suos effectus obtinebunt. Es enim Hierosolymam ciuitatem ingrata & infidelem euerurus, quia non solum te verum Messiam non recepit, sed iactis in te acerbissimis contumeliis, te ad mortem crudelitissimam adduxit, & aduersus discipulos tuos odium vsque ad sanguinē excitauit. Ago igitur tibi gratias, quia posuisti

fuit ciuitatem in tumulum, hoc est, quia funditus debilis per Titum Vespasianum Hierosolymam. Pro tumulo habent nonnulli codices tumultum, sed versio, cui D. Hieronymus adiecit commentaria, habet tumulum, & ita habent Septuaginta, & dictio hebræa idem significat. Quare legendum est in tumulum, non autē in tumultū. Tu verò aduerte mortem Prophetarum. Superiore capite plorauerat Esaias peccatorū flagitium, interitū, & excidium, nunc in eodem iudicio laudat Deum, ei que debitum honorem referuat. Aequum est vt dolore afficiamur ob hominum scelera, propter quæ æterna supplicia merentur, laudaturi sumus Deum, cui iustitiam suam ostendit, in sceleratorum punitione, & misericordiam suam in præmio iustorum.

Domum alienorum.] Efficies vt Hierosolyma sit domus Romanorum, quos alienos vocat, quia non erant de populo Dei, sed alieni à fide, solet enim scriptura diuina gentiles alienos appellare, vt apud hunc eundem prophetam: Regionē vestram coram vobis alieni deuorant. Ita Paulus in epistola ad Ephesios eos alienatos appellat à vita Dei. Qui enim impius est, non suus, sed alienus est existimandus: tot enim dominis seruit, quod vitis traditus est. Cū autem ad se redit, & spiritui optemperat, suis efficitur, qui antea alienatus erat iuxta illud: Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero. Ac si diceret, non esse mirandum homines sceleratos tot fraudes & facinora admittere, cū ab ipsis incunabilis se à Deo alienauerint, & à seipsis atque à recta viuendi ratione aberrauerint. Cæterum quoniam etiam ipsi Iudæi in litteris diuinis alieni appellantur, vt in psalmo: Quoniam alieni infurxerunt aduersum me, hoc est, Hebræi nefarii, qui virtutem & religionem contempserunt, & alio in psalmo: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt. Ideo potest hic locus ita explanari. Posuit ciuitatem in tumulum, quæ quidem est domus alienorum, hoc est, Iudæorum, qui se à se iunxerunt, habitatio. Septuaginta pro alienis vertunt impios.

Et in sempiternum non ædificetur.] Post euerfionem Hierosolymæ per Titum nunquā fuit reædificata, nec in æternum reædificabitur. Nam ea quæ modò extat, non est vbi antea fuit, sed fuerunt fundamenta mœniorū iacta per alia loca. Qui hoc caput exponunt de mūdi consummatione, nō de Hierosolyma duntaxat hoc intelligunt, sed de omnibus ciuitatibus, quæ post diē iudicij nō reædificabūtur in æternū.

Supra.
Ephe. 4.

Psal. 57.

Psal. 53.

Psal. 17.

Super hoc laudabit te populus fortis.] Hoc est, populus Christianorum videns ingratam Hierosolimam euersam, & synagogam vastatam, & iudæos captos à Romanis, & per totum orbem dispersos, te Domine laudibus efferet, studisque prosequetur. Et ciuitas gentium robustarum timebit te, hoc est, ecclesia ex gentibus congregata, te pio & filiali timore, & religione obseruabit. Christianos vocat fortes & robustos, quoniam debent aduersus diabolum, mundum, & carnem acerrimè pugnare, & animo excelsò & inuictò in fide, & virtutis còstàtia permanere. Vt enim dura & robusta quercus ventorum ac procellarū ictibus resistit, & quamuis frondes amittat, intus tamen virtus inclusa perseuerat, sic verus Christianus vi tentationum & calamitatum exagitatus immobilis consistit, & quamuis mundi opes, auctoritatem, & estimationem perdiderit, animi tamè virtus & charitas intus vigent, quas nec casus eripit, nec tempus labefacit, nec vetustas vlla còsumit. Potest quidè vir iustus & pius à mundi opibus & dignitatibus seiungi: at à charitate Christi quis eum vnquàm poterit separare? Id intelligens D. Paulus, Quis nos, inquit separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Et subiungit, nihil esse, quod eum posset à tali charitate diuidere. Hæc est vera fortitudo, inuicta, & gloriosa, & amplissimis laudibus decoranda. Hic habes locum contra hæreticos, qui nec viris iustis tribuunt fortitudinem. Appellat enim eos Deus fortes & robustos.

Simile.

Rom. 8.

Quia factus es fortitudo pauperi.] Hoc est, illi qui suam agnoscunt miseriam, diuinum implorant auxilium. Tales eripit Deus à procella, & ab æstu calamitatum & tentationum.

Spiritus enim robustorum.] Sensus est: Vehemens tentatio siue à dæmone, siue à mundo, siue à carne, similis est turbini parietem impellenti. Vt enim vehemens turbo corpora exagitat, secumque rapit, nisi sint solidissima, & fortitudine quadam roborata, sic tētatio animum percutit, & vincit, nisi sit fortis, & constantia quadam confirmatus.

Sicut æstus in siti] Non aliter infringes & conteres impetum alienorum, hoc est impiorum, quo in viros iustos irruunt, quàm ardentissimus æstus superueniens debilitat, & attonitos facit homines in arida ac vastata solitudine deprehensos, vbi nullum est omnino refrigerium.

Et quasi calore sub nube torrente.] Quemadmodum propago vitis vrète æstu flaccescit, sic tuo fauore & potentia languescet

guescet & debilitabitur impiorum tyrānis aduersus pios & humiles. Vel sic: Tu Domine labefactabis & euertes potentium tyrannidem, qua iustos affligebant, quos tu in hac vita velut propaginem ab æstu affligi permittebas, sed ita vt illis esset æstus cum ymbra nubis. Ita enim tentatio & calamitas iustos percutiunt, vt interna consolatione interim recreentur & reficiantur, præbes enim illis vires, quibus afflictiones toleranter ferant, ipsique delectentur: imo pro te sanguinẽ fundere ardentè appetant: quoniam intelligunt loco huius miseræ fluxæq; vitæ pro te in discrimen adductæ, eam quæ est beata, & immortalis se esse consecuturos.

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium. Per hunc montem intellige Sionem, & per conuiuium euangelium, quod cœpit Hierosolymæ prædicari. Vel per Sionem intellige ecclesiam, quemadmodum multis aliis in locis diuinarum literarum, vbi Christi euangelio animæ reficiuntur. Est enim verbum Dei animi alimentum omnibus dapibus dulcius & præstantius. Non enim immerito ait propheta: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Et volens Esaias significare huius conuiuii excellentiam illud appellat vindemiæ, & pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ, hoc est, pulchrum & excellens, in quo sint fercula pinguia, opima, & iucunda, & vina defæcata & optima. Ne intelligas has exquisitissimas & delicatissimas dapes corporeas esse, sed spirituales. Voluit enim propheta hac translatione significare, esse Christi euangelium animarum cibum, cum quo nullæ aliæ epulæ debeant comparari. Sed heu quot sunt, qui nolint ad hoc diuinum conuiuium accedere, & hoc suauissimo pabulo tanquam nectare & ambrosia animum alere & reficere? Vt enim illum rectè valere dicimus, qui corporis cibum suo tempore appetit, eum verò languescere & ægritudine laborare, qui fastidit epulas, sensusque stupore earum suauitatem non sentit, ita eum animum rectè valere dicimus, qui verbum Dei auidè audit & arripit, eum verò debilitari & præ ægritudine deficere, qui verbo Dei non delectatur, qui euangelicas conciones spernit, qui harum diuinarum epularum suauitatem non sentit, ex quibus efflorescit pietas, & charitas, cæteræque virtutes, quibus hominum mentes sustentantur, & amore æternitatis rapiuntur. Hoc conuiuium de quo hîc agit Esaias est prædium illud, de quo ait Christus apud Mattheum: Iterum misit alios seruos dicēs: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parauimus, tauri

Psal. 117.

Simile.

Matth. 22.

mei & altitia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Est enim prandium hoc, vt ibi ait Chryostomus, doctrina iustitiæ, & verba cœlestium mysteriorum, quibus se homo reficiens vitam immortalem, vereque beatam consequetur. Hæc est cœna illa magna, quam fecit Deus, de qua loquitur Christus apud Lucam, ad quam inuitati, accedere noluerunt. Nos vero accedamus ad hanc cœnam, has diuinas epulas auidè sumamus, & in mentis stomacho conferuemus. Vt enim non prodest cibus, si eum statim euomimus, & foras reiicimus, sic paruam nobis vtilitatem afferet verbum auditum, sic statim illius obliuiscimur, eiusque memoriam obliuione delemus. Et quemadmodum cibus absque naturali calore non digeritur, indigestus verò, onus est non cibus, & non solum non nutrit, sed corrumpit, quam ob causam videmus redundare varias ægrotationes, sic verbum Dei auditum, in frigidum animum receptum, non digeritur, sine igne diuini amoris, crudus verò & mentis stomacho innatus, potest dere premit: & non solum non alit animum ad eternitatem, sed eo ipso animus inflatur, & in pestilentiore superbia incidit, vitio non cibi, sed animi frigidi & contaminati, qui ob malitiam suam diuinum pabulum in venenum cõuerit. Ait enim D. Paulus in epistola prima ad Corinthios: Sciètia inflat, charitas verò ædificat. Ceterum qui totum hoc caput voluit de mundi cõsummatione intelligi, poterunt cõuiuui hoc interpretari de cœlesti gloria, & de visione diuina, qua beati in Sione, hoc est, in cœlesti patria, in illa æterna Hierusalem, sempiterno æuo fruuntur. Ibi enim sancti diuinis epulis satiantur. Hoc intelligens diuinus quidem vates dicebat: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ac si diceret, Cum animus meus è corporis vinculis tanquam ex carcere ad sedes tuas beatissimas euolauerit, tunc æternis dapibus satiabor, omnibusque gaudiis & voluptatibus cumulatus, te Deum meum summum & immensum intuebor. Ad hoc cœleste cõuiuuium nos inuitat Angelus in Apocalypsi Ioannis dicens: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei. Et apud Lucam Christus, Ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo. Hoc est, conuiuuium ad quod ipse Deus nos inuitat, ad quod omnes viri iusti & pietate præstantes accedunt, de quibus dicitur in psalmo: Inebriabuntur ab ybertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, Hæc dapes, hoc nectar, hæc ambrosia, hæc pabula mètis sunt,

Luc. 18.

Simile.

Simile.

1. Cor. 3.

Psal. 16.

Apoc. 19.

Luc. 22.

Psal. 35.

sunt, non corporis alimenta. Et hoc est conuiuium de quo hic loquitur Esaias in cœlesti Sione parato, vbi sancti in æternum satiantur. O gloriosum conuiuium: O sedes illas cœlestes, æternæque domicilia, in quibus beatorum mentes diuinis oblectationibus cumularæ, æternisque ornamenti & cœlestium bonorum copia redundantes, æternis dapibus abundant, & immortalis pulchritudine decorantur? Salue ciuitas florētissima cœlestis Hierosolyma, sanctorū patria, vbi ipsi gloriosi immarcescibilibus gaudiis triūphāt. Ad te suspiro, te ardēter appeto, te laudibus efferre cupio: sed nō possum rē tā eximiā obingenī mei tenuitatē pro dignitate explicare.

Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & relan quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternū. Et auferet Dominus Deus lachrymā ab omni facie, & opprobriū populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est: Et dicit in die illa: Ecce Deus noster iste, expectauimus eū, & saluabit nos iste Dominus, & sustinuumus eū, & exultabimus, & letabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in mōte isto: & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in planitiō. Et extendet manus suas sub eo, sicuti extendit natans ad natandum, & humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. Et munimenta sublimium murorū tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem.

Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.] Hoc est, delebit peccatum, quod per vinculum colligatum intelligitur. Christus in monte Sione sua morte acerbissima nostra scelera deleuit, quando se pro nobis salutarem hostiam deuouit, atq; constituit. Et vt ostenderet Propheta Christum suo purissimo sanguine, quantum in se est, nos ab omnibus animorum maculis abluisse, non dicit eum præcipitaturum vinculum colligatum, sed faciem vinculi colligati, vt ostenderet ita euertendum esse peccatum, vt ne facies eius appareat. Appellatur autem peccatum vinculum colligatum, quod faciat homines esse alligatos, & in dæmonis carcere deuinctos. Qua de re poteris ea videre, de quibus fusè differuim⁹ ca. 5. verba illa explanātes. Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiam. Poterimus etiam per faciem vinculi colligati intelligere obligationem, qua Iudæi tenebātur legi Moyfi, quam obligationem Christus abstulit suo euangelio & deleuit eam suo sanguine, & sua morte præcipitauit. Hæc obligatio est chirographum illud, de quo ait Diuus Paulus: Delens quod aduersus nos erat chirographū Col. 2.

decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci. Quamuis enim chirographum illud decreti sit ipsum, quo se per esum ligni veriti, omnesq; posteros Adamos æternæ morti reddiderat obnoxios, iuxta Dei decretum dicētis: Quacumq; hora comederitis, moriemini, vt multi interpretantur, Chrysostomus tamen illud de obligatione Iudæorum lege Moyfi etiam exponit. Dixerunt enim, vt in Exodo literæ diuinę testantur: Quæcūque dixit Deus faciemus, & audiemus. Et hæc est etiam D. Hieronymi interpretatio illum locum Apostoli explanantis, quamuis hic in cōmentariis in Esaiam huius expositionis nō meminerit.

Et telam quam orditus est super omnes nationes.] Delebit, inquit, Christus suo euangelio & morte operimentum errorum, quo opertus est mundus, vt repudiatis superstitionibus & vanitatibus, cæterisque erroribus sublatis, lucem & veritatem intueremur. Venit enim in mundum filius Dei, vt hominum genus è cæcis tenebris in clarum splendore vindicaret, à scelerum maculis expiaret, & ad verum decus multis ornamentis illustratum restitueret. Erat mundus quadam tela coopertus, quæ illi lucem auferabat, quam diabolus voluit ordiri, ne homines æterni solis claritatem intuentes, ad cœlestia aspirarent. Hanc telam, hanc errorum nubem, hoc mundi operimentum, scidit Christus, & sua doctrina caliginem omnem dispulit, hominumque mentes sol ille iustitiæ suis radiis illustrauit.

Præcipitabit mortem in sempiternum.] Hoc est, Christus morte sua mortem euertet, & vitam resurrectione reparabit. Hanc vaticinationem impletam esse & nos credimus, & diuinæ literæ cōtestatur. Surrexit Christus caput nostrum, ergo & nos resurgemus. Quid est autem mortuorum resurrectio, nisi mortis destructio? Cū autem mortale hoc induerit immortalitatem, vt verbis Diui Pauli vtar, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Hic locus est Osæ prophætæ, quem Apostolus aliis verbis sed in idem incidentibus citat. Verba enim prophætę hæc sunt: De manu mortis libera eos: de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ô inferne. Hanc de morte victoriam reportauit Christus sua morte, & reditu ad vitam, sed in mūdi consummatione cū corpora resurrexerint, videbimus apertissimè mortem ipsius mortis: de qua ait Apostolus: Nouissimè autem inimica destruetur mors, quam tamen iam Christus sua morte

Gen. 2.

Exod. 24.

2. Cor. 5.
Osæ 13.

1. Cor. 16.

morte & resurrectione occiderat. Positus fuit Christus mortuus in sepulchro, & exiit uiuus. Si in clausum sepulchrum homo uiuus includatur, tertia die inuenietur mortuus: at Christus mortuus in clauso sepulchro, conditus, tertia die uiuus apparuit, & pulcherrimus surrexit. O miram Dei potentiam! Hic mutatus est mundi ordo, & fuit cursus naturalis in admirabilem modum conuersus. In mortuorum sepulchro fuit sepulta ipsa vita, ipse enim de se ait: ego sum *Ioan. 14.* ueritas, & uita. Domus mortis fuit tunc domus uitæ. Sed domus illa mortis non corruptit mortuum. Id quod Diuinus ille uates & illustrissimus rex Dauid multo antea iis uerbis in persona Christi præcinerat. Quoniam nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. In Epiro inquit Solinus fontem esse admirabilem, in quem immersæ faces ardentes extinguuntur, extinctæ uero inflammantur: ubi si facem mortuam proicias, exit uia: si autem uia immergatur, mortua exit. Est quidem fons hic stupendus, & in admirationem homines traduxit, si ita est, ut Solinus commemorat. Sed in sepulchro idem factum fuisse firmiter credimus, & asseueranter affirmamus. Ex eo namq; ex quo uiuus exiit mortuus, mortuus surrexit uiuus. Ita enim dixit angelus mulieribus, ut est apud Marcum: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Mortuus igitur rediit ad uitam, mors autem mansit mortua & sepulta. Quod inuens propheta dixit: Præcipitabit mortem in æternum.

Et auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie. Significat his uerbis, eos qui se Christo dedicant, eumque ardentissime amant, incredibili gaudio, & maximis beneficiis ab illo affici: neque id solum in altera illa uita, quæ beata est & immortalis, sed etiam in hac misera & fugaci. Quamquam enim calamitatibus aliquando præmuntur, tamen uoluptate perfunduntur, quia propter Christum cruciantur.

Et amore diuino inflammati, uitamque cælestem in corporibus humanis imitantes, tantam sentiunt dulcedinem, totque oblectationibus Deus eos afficit, ut iam in cælo quodammodo habitare existimentur. Ex quibus quidam dicebat: Nostra enim cõuersatio in cælis est. Qui totum hoc caput intelligunt de mundi consummatione, hoc gaudium intelligunt de uoluptate diuinæ uisionis, qua sancti in patria fruuntur. Id quod D. Ioannes iis uerbis in Apocalypsi testatur: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

*Ioan. 14.**Psal. 15.**Can. 17.**Simile.**Mar. 16.**Philip. 3.**Apoc. 21.*

& mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, nec dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Qui locus de mundi consumptione intelligitur. Cum autem eadem hic dicat Esaias, videtur hoc caput de die iudicii, & mundi fine intelligi, & quia est veluti explanatio capituli præcedentis, quod multi de mundi consumptione interpretantur. His rationibus ego adductus hæc expositionem etiã amplector, quamuis exitimo posse totum hoc caput de primo Christi aduentu, de eius euangelio, de Iudæorum euerfione, & de fidelium lætitia & salute, explicari, quod & nos facimus. Et etiã locum hunc Apocalypsis, quem modò citauimus, existimo posse etiam referri ad spiritualem voluptatē, qua viri iusti & pii etiã in hac vita afficiuntur.

Ecce Deus noster iste. Verba sunt populi Christiani, qui recepto euangelio, illuminatus fide, Christum cōfitebatur verum esse Deum, ac seruatore[m] nostrum.

Quia requiescet manus Domini in monte isto.] Hoc est, quia in Sione, in ecclesia Christi cessabit manus Dei, non puniet æterno supplicio fideles, qui in gratia excefferint ex vita. Quæ admodum extendere manum super aliquem, est eum punire vt in capite s. exposuimus, ita cessare manum aut quiescere, est non punire. Hæc possunt aptissimè referri ad cœlestem patriã post extremum iudicium. In illa enim ciuitate nullus punitur, sed inexplicabili gaudio lætatur, qui hac in vita afflicti fuerunt. In tēplo illo Salomonis, quod gerebat ecclesiæ triumphantis imaginem, nec malleus, nec securis, nec vllum ferramentum audiebatur, vt in libro 3. Regum diuinæ literę commemorant. Edificabatur templum illud magnificentissimū & celeberrimum, & nullus ictus in eo sonabat. Dolabantur lapides & ligna extra templū, & in lapidicinis, & fabrorum officinis audiebantur ferramentorum percussiones. Mūdus hic lapidicina est, in qua malleis tundimur, & officina in qua afflictionibus percutimur, & premimur, at in templo illo superno, in illa beata & immortalī vita, nulla est afflictio, sed requies admirabilis & gaudiū sempiternū. Hic angimur aduersitatibus, variisque calamitatibus exercemur, vt illic locis congruis disponamur, & malleis afflictionum cessantibus, amoris glutino copulemur. Pro eo quod nostra versio habet requiescet manus Domini, habet Pagninus: Requiescet percussus Domini. Quæ verba nostrā explicat interpretationē.

Et triurabitur Moab.] Gaudentibus iustis, impij, qui per Moab significantur, in inferno æterno supplicio cruciabantur,

3. Reg. 6.
Figura.

tur. Figura est sinedoche frequēs in literis diuinis, cum à parte totum intelligitur. Ponitur Moab pro mundo, & Moabitæ pro impijs accepiuntur. Et quemadmodum paleæ contentente ferrato carpenro cōteruntur, sic impij tundentur. Id autem quod dicitur, sub eo, intelligitur sub Dei potentia. Vel sic. Triturabitur Moab sub eo, hoc est, in semetipso conteretur, ira vt nihil in eo integrum remaneat: Ac si diceret: acerbissimè torquebitur & cruciabitur.

Et extendit manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.] Sensus est: Christus cædet Moab, hoc est impios: & ira porriget vtranque manum ad eos puniendos, quemadmodum qui peritus est natandi, vtranque manum secundum aquam extendit. Et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. Quasi dicat: Expādet Christus brachia sua vt natator, & cum allisione manuum suarum, hoc est, cubitis suis, quibus maximè natatores aquā allidunt & secant, eos tanget & puniet, eorumque gloriam confringet atque penitus obscurabit.

Et monumenta sublimium murorum tuorum concident & humiliabuntur.] Verba sunt ipsius prophetæ ad Moab, hoc est ad impios directa, quasi dicat: Tunc alta mœnia tua ô Moab ô Christi aduersarie ruent, nullum erit presidium murorum tuorum, sed omnia quibus fidebas, in terram deiiciuntur, vt in puluerem redigantur. Aspicias hic omnes mundi opes, imperia, & magistratus, in quibus homines impij collocant fiduciam suam, consumi tempore, esseque res fluxas, infirmas, & fugaces, virtutem verò esse immortalem, quæ viget memoria omnium seculorum: quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuebitur.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXV.

Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum laudabit te.] Septuaginta habent: Propterea benedicet tibi populus pauperum, & ciuitates hominum iniquitatem suffinentium benedicent tibi. Christianos, qui iuxta communē versionem fortes dicuntur, Septuaginta pauperes appellant. De quibus ait Christus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Cum autem regnum cælorum vim patiat, vt ipse Christus asserit, illudque non nisi à viris fortibus capiatur, loquor de adultis, sit autē regnum cælorum ipsorum pauperum, apertè concluditur, ipsos pauperes

Matt. 5.

Mat. 11.

peres fortes esse, qui regnum cœlorum consequuntur. Præterea eos, quos communis versio appellat robustos, appellat Septuaginta sustinētes iniquitatem. Illi sunt verè robusti & fortitudine præstantes, qui propter Christum calamitates & afflictiones toleranter ferunt. Vnde ait Salomon in Proverbiis: Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, oppugnatore urbium. Et quidam poëta canit: Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Oppida, &c. Gloriosior fuit victoria quam obtinuit David parcens Sauli hosti suo immanissimo, cum eum posse occidere, quàm cum Goliath fortissimum gigantem interfecit. Cum enim David esset ipso gigante fortitudine animi, amplitudine & magnitudine præstantior, quoniam ipsum gigantem iugulavit, inferior fuit illa victoria in qua seipsum vicit, & potuit appetitum coercere, atque rationi submittere, quàm ea in qua in oblato ac consueto certamine superbum gigantem trucivultu barbaram immanitatem præ se ferentem superavit. Hic vicit gigantem, illic verò seipsum, qui gigantem vicerat. Hic gigantis caput amputavit, illic verò diaboli caput interfecit. est enim caput diaboli cogitatio ad scelus perpetrandum, quàm david amputavit. Hęc fuit illustrissima victoria. Hic fuit clarissimus triumphus, amplissimis laudibus decorandus. Ergo veri Christiani, viri iusti & pii sunt fortes, & robusti, & pauperes Spiritu, & aduersitates, atque acerbo & variòsque casus æquo animo tolerantes.

Quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.] Pro propagine est in Hebræo zemir, à verbo zamir, quod significat canere, & vitem putare, vnde zamir significat cantum & putationē. Ideo id quod est in Cantici: Tempus putationis aduenit, potest verti: tempus cātus siue cantionis aduenit. Hoc autem nomen zemir significat etiam cantum & fremitum, & furculum, & propaginem, & amputationem seu excisionē, quæ omnia huic loco rectissimè conueniunt. Potest igitur esse huius loci sensus: In tempore illo, conteretur & deficiet cantus & lætitia tyrannorum, & hominum potentium, sicut auferetur æstus torrens adueniente frigida & densa nube. Vel deficiet eorum fremitus & ferocia, vel eorum posteritas & propago, vel eorum excisio, hoc est, iam ultra alios non occident. Hęc omnia auferentur insitit vehementis caloris, qui ob aduentum magnæ atque placide nubis auferetur. Quidē vir doctus ita hūc locum interpretatur: *Quemadmodū vmbra nubis grauidæ & densæ dispellit æstum*

Prov. 16.

1. Reg. 14.

et 26.

1. Reg. 17.

Cant. 2.

æstum feruentē, ita excisio, quæ veniet à Deo euertet fortes & tyrannos. Ita Deus occidet eos, vt vmbra nubis refrigerantis, solis calorem repellit. Huic interpretationi fauet versio Pagnini, quæ ita habet: Sicut æstus in vmbra nubis, excisio fortium humiliabit eos. Nonnulli codices habent excisionē fortium, sed existimo legendū esse, excisio fortium. Potest huius loci hic esse sensus: Vt feruentissimus æstus tollit vmbra nubis, nubem ipsam consumendo & siccādo, sic afflictio vehementissima auferet & consumet impiorum refrigerium. Id enim quo impij proteguntur & delectantur, vmbra est nō rei solidæ, sed nubis, quæ in aëre versans citò labefactatur, dispergitur & consumitur: & mors eos cōteret & absorbebit.

Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos. Pro vinculo colligato est in Hebræo hallot hallor, à verbo lut, quod significat inuoluere, operire, occultare, prius est nomen, alterū verò participium passiuum. Pagninus vertit: Perdet in monte hoc faciem operimentī operi super omnes populos. Quæ possunt de peccato & errore ac superstitione intelligi, quibus mundus ante Christi aduentum cooperatus erat. Ideo noster interpres vertit faciem vinculi colligati, & rectè quidem: est enim peccatum vinculum colligatum, vt in explanatione diximus. Symmachus vertit: facie dominatoris, qui dominatur super omnes populos. Quod de diabolo intelligitur, quem Christus apud Ioānem huius mundi principē appellauit. Potest intelligi de morte, de qua ait Apostolus: Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, *Ioan. 12.* &c. Potest etiam de peccato & errore intelligi, quod Aquila planius explanauit vertens: Faciem tenebrarum super omnes populos. Perspicuum est enim, peccata & errores tenebras appellari, Paraphrastes Caldeus videtur hoc de diabolo intelligere, habet enim: Præcipitabit faciem principis, cuius principatus est super omnes populos. Pro præcipitare, in Hebraico est verbum bala, quod significat absorbere, deglutire, deuorare, vt Exodi septimo, Deuorauit virga Aaron virgas eorum. Et Esaiæ quadragesimo nono: Longè fugabuntur, qui absorbebant te. Vnde D. Paulus, *2 Cor. 15.* Absorta est, inquit, mors in victoria. Ideo verti poterat: Absorbebit in mōte hoc faciem, &c. Significat etiam præcipitare: vt 2. Regum 10. Quare præcipitas hæreditatem Domini? Respondensque Ioab ait: Absit absit hoc à me, nō præcipito, Vbi poterat verti: Quare absorbes, &c. Et in psal. 51. Dilexisti omnia verba præcipationis linguæ dolosa, habet

habet versio D. Hieronymi iuxta veritatem Hebraicam: Dilexisti omnia verba ad deuorandum linguam dolosam. Verba sunt, quibus Dauid inuehitur in Doegum hominem sceleratum & impiū, ac si diceret: Amas ea verba, quæ possunt bonorum vitam & famam absorbere, eiusq; perniciem moliri. Amas itaque linguam dolosam, & sermones quibus hominum gloria infringitur, eorumque nominis splendore maculatur.

Argumentum Capituli XXVI.

Solebant veteres patres pro rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus hymnos Deo canere, & literis mandare ad memoriam perpetuam posteritatis. Et quoniam diuinus uates prædixit victoriam, quam Christus erat de peccato, dæmone & morte reportaturus, ut præcedenti capite explanauimus, præcinit nunc, & scribit canticum, quo fideles tempore gratiæ erant Deo pro interitu synagogæ & ecclesiæ cōstitutionem gratias acturi. Describitur in hoc cantico ipsa ecclesia, & iustorum splendor, ac impiorum cæcitas & infelicitas, reditus mortuorum ad vitam, & exhortatio ad afflictiones æquo animo tolerandas. Etsi enim fideles hymnos laudis & gratiarum hic canant, tamen vera lætitiæ cantica sunt in cælesti patria, quæ hic cantare non possumus. Quomodo enim cantica cælestis Hierosolymæ, iuxta flumina Babylonis cantabimus? Hic suspendimus organa lætitiæ in salicibus amaris, ubi sedentes & desiderio æternæ patriæ flagrantes vim lachrymarum profundimus, ibi autem dulcissima uoluptatis cantica in æternum cantabimus.

CAPVT XXVI.



In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & egrediatur gens iusta, et stodiens ueritatem. Vetus error abiit: seruabitis pacem, pacem, quia in te sperauimus. Sperastis in Domino in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incuruabitis habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabis. humiliabit eam usque ad terram detrahet eam usque ad puluerem. Conculcabis

enleabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum. *Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in precordiis meis, de mane vigilabo ad te: cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discunt habitatores orbis. Misericordiam impio, & non disceat iustitiam facere: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Domine exaltet manus tua, ut non videant: videant & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret.*

EXPLANATIO.

In die illa cantabitur.] Sensus est: In tempore gratiæ mortua synagoga, & Christi ecclesia plantata & conituta, veraque religione toto orbe terrarum propagata, gratias agent fideles Deo, cuius misericordia repudiauert superstitiõẽ, & sanctissimæ religioni veritatis ac pietatis plenissimæ adhaerint. Canet Deo hoc canticum laudis in terra Iuda, hoc est, in terra confessionis. Iuda enim confessionem significat. Hæc est ecclesia, vbi est veræ fidei confessio, & vbi peccata nostra sacramentaliter confitemur, ex quo mirificum fructum percipimus. Id quod Michæas propheta dixit: Et tu Bethlehẽm Ephrata, vertit D. Mattheus. Et tu Bethlehẽ terra Iuda. *Matt. 5.* Ephrata significat terram frugiferam. Volens autem Euangelista docere in quo esset hic fructus, pro Ephrata posuit Iudam, quod vocabulum significat confessionem. Mirabile enim fructum ex confessione percipimus. Capitur enim confessio pro laudatione, quemadmodum passim in diuinis literis confiteri pro laudare.

Vrbs fortitudinis nostræ Sion.] Hoc est, canticum, quod durat ad finem vsque capitis. Vrbs hæc est Christi ecclesia, quæ diuinus vates appellat Sionem, hoc est, speculam, ex qua cœlestia contemplamur. Huius meminit Propheta ita inquis: Psallite Domino qui habitat in Sione. Et alibi, Mons Sion *Psal. 9.* in quo habitas in finem. Quæ non tam de Sione, & Hierosolyma illa terrena, quàm de ecclesia militanti intelliguntur, in qua prædixit hoc in loco Esaias ponendum esse Christum tanquam murum & antemurale, vt eam muniet, & ab hostium impetu protegeret. Christum appellat saluatorem. Iesus enim idem est quod saluator. Ita enim dixit angelus Ioseph: Pariet autem filium, & vocabis nomẽ eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hunc prædixit Esaias fore murum ecclesiæ, quod ipse Christus *Psal. 72.* *Matt. 1.* iis ver-

Zachã. 2.

is verbis dixerat per Zachariam: Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. Vbi vides Christum esse nostrum murum, & antemurale, & nostram gloriam. O ecclesia sancta, ciuitas magnificentissima, vrbs fortitudinis nostræ, extra quam nulla est in mundo vera fortitudo, vrbs florentissima, quæ Deo muniris & decoraris. Quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, Tu es illa contra quam, vt ait apud Mattheum ipsa veritas, portæ inferi non præualebunt. Sunt autem portæ inferi persecutiones, quibus ecclesia oppugnatur, sed non vincitur, sunt hæreticorum doctrinæ, ipsam ecclesiam vastare conantium, sed suum effectum non consequentium. Est namque ecclesia inexpugnabilis, quæ Deum habet pro muro & protectione. Cæterum hæc dictio Sion non est in textu Diui Hieronymi, nec in codicibus Hebraicis. Nihilominus tamen hæc vrbs ecclesia catholica est.

Psal. 63.
Matt. 16.

Aperite portas & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Verba sunt Dei angelos alloquentis, vel ipsos Apostolos, vt portas ecclesiæ militantis aperiant, quo gens sancta ecclesiam ipsam introeat, quæ custodiat veritatem: Vbi aspicias non satis esse veritatē colere & custodire, sed oportet Christianos iustos esse: non satis esse fidem habere, sed necesse esse secundum eam operari. Ea namque fides apud Deum valet, quæ vt ait Apostolus, per charitatem operatur. Fides namque sine operibus, vt inquit Iacobus Apostolus, mortua est. Et ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tantum, vt ipse Apostolus testatur. Præterea veritas iuxta morem diuinarum literarum ad mores, & ad ipsa rectè facta etiam pertinet. Scriptum est enim 4. libro Regum: Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate. Ambulare in veritate iuxta idioma Hebrææ linguæ, est rationē vitæ ad veritatem doctrinæ sanctæ dirigere. Vnde verba illa, quæ erant in rationali sacerdotis, doctrina & veritas significabant, in præfule debere esse doctrinam, & ad eam, vitam, & mores dirigere.

Galat. 3.

Iacob. 3.

4. Reg. 20.

Exod. 28.

2. Cor. 5.
Ioan. 14.

Veni error abiit, seruabis pacem, pacem. Verba sunt fidelium, qui relictis idolis, & recepto euangelio, has voces emitunt. Vetera enim transierunt, vt ait D. Paulus in secunda epistola ad Corinth. ecce facta sunt omnia noua. Et tu Domine seruabis nobis pacem, de qua dixisti Pacem relinquo vobis, quia in te sperauimus. Aduerte bis nominatam esse hoc in loco à propheta pacem, & bis simili modo à Christo apud Ioannem dicente: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,

vobis, vt intelligas esse pacem gratiæ in hac vita, & pacem gloriæ in altera, vel vtraque refertur ad pacem gratiæ, quæ in hac vita possidetur, quæ ideo dicitur pax pax, quia hæc euāgelica pax, est vera pax. Pax enim, quæ datur à mundo, quæ in bonis externis consistit, non est vera nec solida. Fieri enim potest, vt sceleratus & impius pace externa huius mūdi gaudeat. At hæc non est vera pax. Ait enim Esaias alto in loco: *Intra 48.*
 Non est pax impiis. Cōtrā verò pius ac iustus homo in medio externarū persecutionum in pace cōsistit, iuxta id quod ait apud Ioannem ipsa veritas: Hæc locutus sum vobis, vt *Ioan. 16.*
 in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, &c. Vbi vides iustos & pios inter labores & calamitates in pace quiescere, animiq; tranquillitatem non amittere. Poteris hæc de re ea videre, quæ secundo capite annotauimus.

Speratis in Domino.] Verba sunt prophetæ sermonem cum sanctis conferentis, qui in Deo spem semper collocarūt. Appellat autem Dominum fortē, quod superbos & elatos opprimat, & ita abiiciat vt pedibus pauperum conculcentur. Solet enim Deus aliquando superbos & potentes ex alto dīgnitatis gradu ita deicere, vt nullum penitus maneat pristini honoris vestigiū. Et quamuis superbus magnas opes, potentiam & honorem in vita possideat, in morte tamen omnia amittit, & ipse in terra sepultus pedibus conculcatur. Vt enim nubes magna exhalationibus intus plena totum cœlū cooperit, & mundum horrore, tonitribus & fulminibus perterret, quæ statim in aqua resoluta cadit in terram, ex qua lutum efficitur, quod pedibus teritur: ita magnates & potentes nubes sunt plenæ fumis terræ in aëre vertantes, & superbia, opibus, & potentia totum orbem terrentes, sed cadentes in terram, ipsa sepulchra attingentes, conuertuntur in terrā, & lutum, & pedibus eorum, quorum antea dominabantur, conteruntur. *Simile.*
 Quid igitur superbiunt vani homines, suæ fragilitatis obliuiscuntur? Ait enim Ecclesiasticus. Substantiæ impiorū *Ecl. 40.*
 sicut fluius siccabūtur, & sicut tonitruum magnam in plauia personabunt.

Ciuitatem sublimem humiliabit.] Hoc est, Hierosolymam, quam propter Christi cædē, & Iudæorum impietatem Deus per Titum evertit & vastauit. Potest etiam hoc intelligi de quacunque alia ciuitate superba, & opum ac mundi potentia gloria florenti. Quod autem dicit: Cōculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum, significat elatos & potentes homines esse ab Apostolis, hominibus pauperibus & contēptibilibus

1. Cor. 7.

tribilibus superatos. Id quidē est, quod ait D. Paulus in epi.
1. ad Corint. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat for-
tia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea
quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.

Psal. 113.

Semita iusti recta est.] Dixerat supra superbos & elatos esse
deiciendos, & incuruandos. ambulant. n. in via perditionis,
nunc verò iustorum viam rectam esse asserit, æquabile & pla-
nā. Quasi dicat: Iustus inuenit viā facilem, & erroribus non
implicatur. Ita Dauid in Psalmo: Pax multa diligentibus le-
gem tuam, & non est illis scandalū. Quod D. Paulus iis ver-
bis affirmat: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum. Ideo scandala omnia deurat, quo-
niam iustum, ut in libro Sapientiæ scriptum legitur, de-
duxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.

Rom. 8.

Sap. 10.

Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinimus te.] Ver-
ba sunt fidelium iustorum, quorum est sensus: Quando super
nos Domine tuo iusto iudicio calamitates & afflictio-
nes venire permittis, tantū abest ut à te recedamus, ut potius
in te speremus, teque sustineamus, & memoria tenentes de-
lectemur.

Anima mea desiderauit te in nocte.] In afflictione mea te
desidero, ad te vehementer aspirat anima mea. Cum acer-
bioribus calamitatibus premor, tunc ardentius te appeto.
Aspice afflictionis utilitatē. Potest etiam accipi nox nō pro
afflictione, sed pro ipsa nocte, ut sit sensus: Finitis & tran-
sactis curis ac laboribus diei, veniente nocte meis cogitatio-
nibus grata, me ad solitudinem recipio, & in illa tranquilli-
tate te ipsum contemplor, animique desiderio ardentem appe-
to. Hoc desiderio tenebatur regius vates, cum in Psalmo has
voces amore flagrantem emittebat: Quemadmodum deside-
rat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te
Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: Quando
veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Psal. 41.

Sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilo ad te.]
Sensus est: Quando spiritus meus rexerit præcordia mea,
hoc est, quando vixero, semper de mane ad te vigilabo. Vel
sic: Nō solum nocte te desiderat anima mea, sed etiā spiritus
meus ad te de summo mane vigilat. Cum primū lucescit, te
ipsum contemplor, hoc est, quod primo ago. Describit Esa-
ias virum pium & iustum, & declarat iis verbis, quo deside-
rio teneatur adhærendi Deo, & quantam oblectationem ex
diuina contemplatione percipiat. Id de seipso dicebat iis ver-
bis

bis Dauid: Deus Deus meus ad te de luce vigilio. Sed quoniam per noctem in verbis præcedentibus intelligi posse dicebamus aduersitatem, possumus per manè prosperitatem intelligere.

Cum feceris iudicia tua in terra, in iustitiam discunt habitatores orbis.] Sensus est: Non solum iusti te in afflictionibus quaerunt & desiderant, sed etiam improbi, quos terræ habitatores appello, tua vidētes iudicia emendantur, iustitiæ & patientiæ studentes.

Misereamur impio, & non discet iustitiam facere.] Sensus est: Si beneficiis affecerimus impium, non corrigitur. Verba sunt Dei. Vbi aspicias impios beneficiis fieri deteriores.

In terra sanctorum iniquè gessit.] Exaggerat scelus impij dicens esse inter viros sanctos admiffum. Vbi hac ratione videtur detestabilius esse delictum religiosi in monasterio, quod laici in mundo. Poteris per terram sanctorum, eorū corpora intelligere, vt sit sensus: Impius viros pios & sanctos in corpore affigit & vulnerat. Nam in anima nemo læditur nisi à se ipso. Primam tamen expositionem potius amplector, cui fauet id quod ait Deus per Ieremiā: Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Pro In terra sanctorū iniquè gessit, vertit Pagninus: In terra, vbi debet recta facere, iniquè aget.

Domine exaltetur manus tua, & non videant.] Sensus est: Domine percutite grauius impios, & non videant gloriam tuam, videāt infelicitatem suam, & cōfundatur eorū zelus. Extendere manum super aliquem, vt cap. 5. diximus, est eū punire. Exaltare manum est grauius percutere. Solent enim irati manus leuare, vt grauius cædāt. Vel capitur manus pro effectu, vt sit sensus: Domine effice opera magnifica, & illustria, sed ea Iudæi non videbunt mentis oculis, nec te recipient, quin potius te ipsum videntes zelo suarum ceremoniarum à malitia & contumacia orto, te in summum capitis discrimen vocabunt. Sed confundentur, quoniam fides tua per totum orbem terrarum dilatabitur, & illi in ignominia versabuntur. Vbi aspicias zelum non satis esse nec excusare, cum proficiscitur à malitia, & verbo Dei cōtrariatur. Iudæi enim zeli stimulis incitati Christi Apostolos affligebant, & de eorum interitu cogitabant, iuxta id quod Christus illis prædixerat: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, at talis zelus erat impius & pestilens. Habent Iudæi, vt inquit Diuus Paulus, æmulationem,

Psal. 62.

Ierem. 11.

Ioan. 16.

Rom. 10.

tionem, sed non secundum scientiam.

Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis. Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, iustum in te recordemur nominis tui. Morientes non uiuant, gigantes non resurgant: propterea uisitasti, & contriuisisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum, & indulxisti genti Domine, indulxisti genti: nunquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terra. Domine in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quae concepit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis: iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terra.

Viuenti mortui tui, interfecti mei resurgent: expergisemini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus, & terram gigantam detrahes in ruinam. Vade populus meus, intra in cubacula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut uisitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultra interfectos suos.

Domine dabis pacem nobis] Sensus est: Tu domine operatus es in nobis tormenta & afflictiones, quibus non exerceamur, nunc postea bella & uictorias dabis nobis pacem eternam, omnem sensum exuberantem. Vel sic: Tu Domine dabis nobis pacem euangelicam, quam nisi tu eam dederis, habere non possumus. Tu enim nobis das quicquid boni agimus, omnia enim bona quae nos operamur, à te procedunt, & tu ea operaris, sine te enim nos ea operari non ualemus. Docet hic locus Deum operari bona opera in nobis. Deus enim est, ut ait Apostolus Paulus in epistola ad Philipenses, qui operatur in nobis uelle & perficere. Tamen liberum arbitrium cooperatur gratiae. Vnde Apostolus ad Corinthios, Non ego, inquit, sed gratia Dei mecum. Sic Deus operatur opera bona in nobis, ut nos etiam ea operemur. Ut cum nauis expanso uelo prospero uento agitur, parum uidetur agere nauiclerus, licet aliquid agat, quoniam ipsum uelum flatibus expansum tenet, quod si contraxerit, non agitur nauis, sic homo qui agitur spiritu & gratia Dei, quamuis parum agere existimetur, agit tamen, quoniam pandit diuinae gratiae arbitrii libertatem & Spiritus sancti flatui uelum bonae uoluntatis extendit, & ita arbitrium cooperatur gratiae. Dicere Deum ita bona nostra operari, ut nos nihil operemur, est uelle totam sacram scripturam euertere & conculcare. Non-

Mich. 1.

Philip. 2.

1. Cor. 15.

Simile.

re. Nōne Deus est pater ille familias, qui conduxit operarios in vineam suam, vt est apud Matthæum cap. 20. Ille est qui quibusdam dixit: Quid hic statis tota die otiosi? Sic vos in vineam meam. Et apud Ioannem. Operamini, inquit non cibum, qui perit, &c. D. Paulus in epistola 1. ad Corinthios: Opus enim, inquit, operatur. Et paulo post: Vt subditi sitis omni cooperanti & laboranti. Sumus igitur Dei cooperatores. Ideo ait D. Ioannes in vltima epistola sua: Cooperatores sumus veritatis.

Ioan. 8.

1. Cor. 16.

Domine Deus noster possiderant nos domini absque te.] Inducit Propheta fideles loquentes, qui impetio tyrannorū premebātur. Te Domine Deus noster desideramus diuino cultu celebrare, & magnis ac publicis laudibus efferre. At tyranni infideles non nobis hoc sinunt. Et quoniā tu Domine hoc permittis, hoc saltem nobis concede, vt nunquam ex animo nostro discedat memoria tui. Poteris per hos dominos & tyrannos intelligere affectus carnales, vel animæ inimicos diabolum, mundū, & carnē. Hi enim sunt immanissimi tyranni.

Morientes non viuant, gigantes non resurgant.] Omnes eodem mortales tam iusti quā in iusti resurrecturi sunt, cum Christus venerit ē cælo ad iudicium vniuersale exercendum. At scelerati & impij non dicuntur resurgere, quia eorum resurrectio non erit ad vitam æternam, sed ad iustam suā damnationem audiendam. Id vult Esaias hoc loco significare.

Morientes, inquit, qui ad inferos descenderunt non viuāt cū iustis, nec ad veram ac beatam vitam resurgant: sed damnati seclusi: à cœtu & concilio beatorū in perpetuas penas relegentur. Ita dicitur in Psal. Ideo non resurgunt impij in iudicio, nec peccatores in consilio iustorum. Potest tamen pro verbo resurgēdi verti verbū stādi aut consistēdi. Quasi dicat: Non poterūt improbi & flagitiosi homines in iudicio illo extremo cōsistere. Nō stabūt, sed casu cadent, cum Christus verus iudex ab eis vitæ rationē exquisierit. Per gigantes intellige principes elatos omnes potentia præstantes, & tyrannidē exercentes. Poterunt hæc verba ita explanari. A te Domine postulamus ne iterum viuant tyranni, qui ē vita excesserunt. Non quod Propheta existimaret esse impios ad vitam hanc reuocandos, vt hic iterum viuerent, & pios homines vexarent, sed voluit significare tot calamitatibus esse pios ab impijs agitados & affectos, vt quasi exterriti eos adhuc metuere viderentur.

Psal. 1.

Indulsiſti gemi Domine, indulsiſti gemi: nunquid glorificatus

Z 2 es.]

es.] Sensus est: Tu Domine huic gēti, nempe tyrannis, ceterisq; hominibus impiis ac potentibus, sepe in hac vita indulgisti, multa eis bona terrę tribuisti, eorumque terminos terrę elongasti, Dedisti eis possessiones & imperia. At illi tantorū beneficiorum obliti nequaquam te colere voluerunt. Nam nunquid glorificatus es ab illis? Non quidem. Imò à te lōge recesserunt, securitas enim contemptum peperit. Videtur hic Propheta reddere rationem, quare Deus debeat sceleratos ac tyrannos homines coërcere, & punire, quoniam indulgentia fiunt deteriores. Sic ait Ecclesiasticus: Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps. Et in Proverbiis dicitur: Prosperitas stultorum perdet eos. Qui vult equū domare, vitur freno: & qui vult fructus vberes ex vinea colligere, amputat eam, sic Deus nos freno moderatur, & à nobis superuacanea refecat, ne effrenati & indomiti red damur, & syluescentes fructum virtutis amittamus, sed in gyrum rationis & doctrinæ ducti à rebusq; superfluis expediti & amputati, ad Deum ipsum toto animo aspiremus.

Domine in angustia requisierunt te.] Vide afflictionis utilitatem, quæ homines ad Deum quærdum inducit. Sic Deus per Oseam prophetā: In tribulatione inquit, sua manē confurgent ad me. & Ieremiæ capite 2. In tempore afflictionis dicent: Surge & libera nos. Et in psalmo scriptum est: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Et in alio Psalmo: Conuersus sum in ærumna mea, dum cōfigitur spina. Et in alio: Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Vnde Diuus Paulus, Tribulamur, inquit, sed non angustiatur, persecutionem patimur, sed derelinquimur.

In tribulatione murmuris doctrina tua eis.] In afflictione, in qua ne clamare quidem audebant, sed musitare, & submissa voce preces fundere, tuam doctrinam amplectebantur. Vide quemadmodum exaggerat afflictionis utilitatem: & meritò quidem: Nam ex ea admirabilis quædam exardescit in Deū amoris magnitudo. Usque adeo est salutaris afflictio, vt caro quæ suapte natura repugnat spiritui, & homines à virtute deterret, afflictione debilitata cum spiritu se cōiungat, simulque cum eo Deum exquirat. Id expertus regius vates dicebat in Psal. Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Sitiuit in te anima mea, quā multipliciter tibi caro mea. Agebat enim tunc temporis Dauid vitā in vasta ac deserta solitudine pulvis patriæ, & à rege Saule vehementer afflictus.

Sicut quæ concepit.] Vt mulier partui proxima dolore con-
cussa exclamat, sic nos in calamitatibus & ærumnis versati,
ad te vocem tollimus, teque ipsum requirimus. Probat à
simili commodum afflictionis.

A facie tua.] Id est. Coram te: Vel à facie indignationis
tuæ cum nobis iraceris.

*Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum sa-
luis*] Concipimus quando te ipsum timemus, parturimus
cum afflicti dolore ad te ipsum clamamus, & tandè parimus
cum fructum afflictionis & patientiæ nostræ percipimus.

Hunc fructum vocat Propheta spiritum salutis, fructum sa-
lutarem, quo spirituales efficiuntur, & animæ salutem conse-
quimur. Vel spiritum salutis hoc est, Christi, qui est salus no-
stra. Sic dicitur in Psalm. Dominus illuminatio mea, & salus
mea, quæ timebo? & in alio: Dic animæ meæ: Salus tua ego
sum. Id apud Lucam ait Zacharias: Et erexit cornu salutis
nobis, in domo Dauid pueri sui. Cornu salutis est spirituale
regnum Iesu Christi, qui est salus nostra, ortus ex semine
Dauid. Et rursus in eodem cantico: Et tu puer Propheta Al-
tissimi vocaberis, præbis enim ante faciè domini parare vias
eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Id est ad dandam
Christi scientiam, qui est plebis suæ diuina salus. Cæterum
in textu D. Hieronymi nō est hæc vox salutis nec in codici-
bus Hebraicis, Fortasse fuit sumpta ex versione Septuagin-
ta. D. Hieron legit in hūc modū. Et peperimus spiritū. Salu-
tes nō fecimus in terra. Sed idem est sensus per spiritū enim
fructū patientiæ intelligimus, quem Christus suis largitur.

*Iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitato-
res terræ.*] Verba sunt fidelium. Ideo tyranni terræ habitato-
res qui nos afflictionibus, premunt, nō decedunt è vita, quia
non tanta iustitia, quanta æquum est præditi sumus, & oportet
ut veluti lapides tusionibus aquarum poliamur, &
dolemur, & à flagitiosis hominibus exerceamur. Hæc vide-
tur esse causa, cur Deus non omnino sustulerit Iebusæos,
barbaros & immanes à terra promissionis, ut haberent Iu-
dæi cum quibus se exercerent, & pugnarent. Et hanc ob
causam Diuo Paulo stimulum carnis suæ non auferbat, ut
ipse in epistola 2. ad Corinthios asserit, cum tamè Apostolus 2. Cor. 12.
ille esset sanctissimus, sed sufficebat illi gratia. Nam virtus in
infirmirate perficitur. Vult itaque Deus, ut sui dilecti affligā-
tur, & in calamitatibus versentur. Quemadmodum enim,
vt verbis viar D. Bernardi, asperior carduus pannum efficit *Simile.*

Z 3 leniorem.

Psalm. 26.

Psalm. 34.

Luc. 1.

leniorem, sic durior conuersatio conscientiam meliorem & tranquilliozem. Id sentiebat, licet alia ratione Scipio Nasica, ut viri docti memorie prodiderunt, cum diceret, noie fuisse Carthaginem penitus euerfam, quod non haberet Romani quos metuerent, & a quibus exerceretur. Nos vero nos ipsi possumus hoc dicere. Quia iustitia non fecimus in terra ideo scelerari & flagitiosi infideles viuunt, ideo tam multi hæretici nos turbant, ideo detestabilis ille Lutherus, procella patriæ, turbo actè pestis pacis, tot errores seminauit. Ideo Turcarum gentes feræ & immanes totam Græciam expugnarunt, & ea bella Christianis inferunt, quæ deflagrationem totius Europæ minantur. Magis enim nostris sceleribus, quam suis armis pugnant & vincunt.

Viuent mortui tui, interfecisti mei resurgent.] Alloquitur ecclesia Deum, asserens mortuorum resurrectionem, de qua Christus disseruit apud Ioannem cap. 5. & aliis in locis. Septuaginta habent: Resurgent mortui & resurgent de sepulchris.

Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere.] Apostrophe est ad defunctos.

Quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrabes in ruinam.] Sentus est: Tu Domine mortuos suscitabis, Et quemadmodum herbarum languescentes rore matutino pullulant, & excitantur, sic virtute tua mortui redibunt ad vitam in mundi con summatione, quando tu Domine gigantes, hoc est, fortes & potentes, ac superbos homines perdes, & eorum corpora simul cum anima in æterna supplicia relegabis. Vides hic apertum locum de resurrectione corporum. Per terram gigantium corpora sceleratorum præsertim potentum intelliguntur.

Vade populus meus, intra in cubitula tua.] Loquitur Deus martyribus, & omnibus tuis qui pro Christi nomine in afflictionibus & calamitatibus versabantur, quasi dicens: Toleranter & æquo animo sustinete mundi afflictiones fideles mei. Video equidem Imperatores gentiles alioque tyrannos vobis quiescentibus bellum nepharium inferre, in vobis sæuitiam & immanitatem exercere. Sed non durabit hæc crudelitas. Ideo popule mi claudere ostia tua super te, abscondere paruo hoc tempore, donec pertranseat tyrannorum indignatio. Alludit Deus ad eos, qui vigente procella domi se continent, donec adueniat tranquillitas. Vult Deus hac translatione suos consolari, & exhortari ad patientiam, ne cadant animo, sed afflictiones toleranter ferant, seque muniant tolerantia

rantia rerum humanarum. Illud est aduertendum, tempus illud afflictionis & martyrii Christianorum vocari hoc in loco modicum ad momentum. Nam cōparatione æternitatis totum hoc quod viuimus, modicum est momentum. Sic Christus Deus noster apud Ioannem discipulis suis ait: *Ioan. 16.* *Ve* nit hora vt omnis qui interficiat vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Totam Apostolorum vitam horam vocat. Paruum durat bonorum afflictio, & succedit æterna voluptas. Id quod à postolus Paulus in epistola ad Corinthios *2. Cor. 4.* iis verbis affirmat: Id quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et apud Esaiam ait Deus. In momento indignationis abscondi faciē meam parumper à te, & in misericordia sempiterna miserus sum tui. Volens Dauid vitæ breuitatem significare. Substantia, inquit, mea tanquam nihilum ante te. Quasi dicat: Vita qua subsisto, est ante te, & cōparatione tui momentum quoddam, & tanquam nihil. Vnde Seneca in epistola 49. ad Lucilium, punctum, inquit, est quod viuimus. Si Mathematici aiunt vniuersam terrā punctum esse respectu cæli, cum vtrūque sit finitum, quanto magis vita hæc, quæ finita est, respectu æternitatis, quæ est infinita? Potest hæc consolario referri non solum ad martyres, qui euiente tyrannorum rabie pro Christo vitam fuderunt, sed etiam ad omnes fideles pro Christo quocunque modo afflictos & vexatos.

Ece enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem &c. Sensus est: Munimini tolerantia, vos qui pro Christo tormenta patimini, Nam Dominus puniet habitatores terræ, hoc est, improbos & potentes, qui vos astringunt & premunt. Iniquos appellari terræ habitatores diximus aliis in locis. Potest hoc referri ad vniuersale iudicium. Tunc enim veniet Christus iudicatum viuos & mortuos, & terra sanguinem martyrum ostendet, omnesque mortui resurgent.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXVI.

Vetus error abiit, seruabis pacem, pacem, quia in te sperauimus. In Hebræo est: Ietier iamue titlor xalom xalom et vech batuach. Quæ verba, si ea in Latinum sermonem conuertas, ita reddes: Desiderium coniunctū custodies in pace, in pace, quia tibi fudit, vel in te sperauit. Dicitio ietier deriuatur à ver-

bo iafar, quod significat formare, creare, fingere. Gen. 1. In quo posuit hominē, quē formauerat, & capitur pro cogitare & desiderare, quod humana cogitatio multa formet & fingat, quę animus concupiscit. Vnde dictio iether significat cogitationem & desiderium, vt Genesis 6. Et cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum. Et in Psalmo 103. vbi versio nostra habet: Ipse cognouit figmentum nostrū, poteris vertere: Ipse cognouit cogitationē nostrā, vel desiderii nostrū. Verbū Samag significat coniungere, inniti, imponere. Ideo hæc duo vocabula significant cogitationem coniunctam, vel desiderium coniunctum. Talem enim cogitationem, & tale desiderium Deus custodit in pace. Nam si cogitatio diuidatur & distrahatur, facili euertitur & amittitur: coniuncta verò & vnita in pace conseruatur, coniungitur autem & vnitur, cum tota in Deo collocatur, & tunc fit id, quod ait Apostolus: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Quæ admodum enim homo per carnis opera fit caro, sic per opera spiritus, spiritus efficitur. Est autem opus Dei vnire & congregare. Fit igitur homo vnus spiritus cum Deo. Nam, vt inquit beatus Ambrosius, hunc Pauli locum enarrans: In bene agentibus spiritus Dei est communis cū Deo & hominibus. Et D. Bernardus interpretans in Canticis locum hunc hæc verba scribit: Homo & Deus quia vnus non sunt substantiæ vel naturæ, vnum quidem dici non possunt, vnus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Hæc D. Bernardus. Hanc vnitatem appetebat vehementer David, quādo dicebat in Psalmo: Vni, vel vnitum fac cor meum Domine, vt timeat nomen tuum: vel vt habet versio D. Hieronymi ex Hebræo, vnicum fac cor meum. Sic enim potest conuerti ex Hebræo, id quod nostra versio habet: Lætetur cor meum. Nam hæc vnitatis est vera cordis lætitia. De hac vnitatis dicebat David: Mihi adhære Deo bonum est. Hoc est, vnum illud, quod Christus dicebat Marthæ esse necessarium, quod Maria elegerat. Cui vnioni repugnat turbatio erga plurima, quę Marthā sollicitabat. Est enim cor vniendum, iuxta id quod dicit Ecclesiasticus: Est enim cor vniendum, iuxta id quod dicit Ecclesiasticus: Contine & congrega cor tuum in sanctitate eius. Hæc vnio animum ligat cum Deo. Ideo Paulus dicebat: Ego vincus in Domino. Erat enim amoris vinculo alligatus. Hoc vinculo est vnita p̄i ac iusti viri cogitatio, de qua hoc loco dicit Esaias, Cogitationem coniunctam custodies in pace. Sed quia, vt dixi, verbum samach, significat niti, poterit hæc oratio

2. Cor. 6.

Psal. 38.

Psal. 71.

Eccles. 30.
Ephes. 4.

oratio ita vertit. Cogitationē in te nixam seruabis, pax pax, quia in te sperauit. Illam enim cogitationem, illudque desiderium Deus conseruet, quod in ipso Deo nititur & firmatur. Et quoniam verbum samach, significat etiam stabilire & firmare, potest sic verti: Cogitatio nostra stabilita & firmata est. Et quoniam stabili, fixa, & firmata cogitatione, in Deoque posita, elucescit veritas, & vetus error discedit: ideo Latinus interpres vertit: vetus error abiit. Nam quo tempore cogitatio fluctuabat, nec mens in Deum firmiter credebat, in errore versabatur. Pulso autem vetere errore, iam ad te Domine conuertimur, ideo seruabis nobis pacem, quia spem nostram in te ipso collocauimus. Symmachus ita vertit, τὸ πλῆθος καὶ μὴ ἐπιπρὶσμένον. Hoc est, Error noster ablatu est, palma enim significat errorem, figmentum, & mendacium. Quod coincidit cum vulgata versione. Pagninus autem vertit: Eum, cuius desiderium est coniunctum tibi, custodies in pace.

Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.] Potest etiam verti ex Hebræo: Semita est iusto recta, o recte Deus callem iusti ponderabis. Et ita transfudit Pagninus, Deus enim iustus viam iusto parat, & ad libellam æquat, ne corruat, aut pedes lædat. Est autem libella, id quod Lusitanī appellunt oliuel.

In tribulatione murmuris doctrina tua eis.] Potest verti ex Hebræo: Effuderunt secretam orationē, cum correctio tua fuit eis. Aspicias igitur homines afflictionibus oppressos cōverti ad orationem. Ex quo ipsius afflictionis vtilitatem colliges.

Argumentum Capituli XXVII.

Consolatur Deus fideles suos, promittens euertendos esse impios homines, qui in hac vita diuitiis circumfluente, inflati, imperio & principatu in magnis erroribus versabatur, & omnia iura diuina ac humana peruertebant. Nam cum se deberent virtutum præsidio munire, vt alios in gyrum rationis ducerent, recteque gubernarent, ipsi tamen elati sibi que præfidentes, scelere & maleficio pascebantur, non veram gloriam, sed inanem ac falsam nominis amplitudinem & celebritatem quærentes, & Dei hominumque leges violantes. Prædicatur Christi aduentus, eiusque sancti Euangelij per totum orbem prædicatio, gentiumque fides & conuersio.



L die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vecem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est. In die illa vinea mari cantabit ei: ego Dominus qui seruo eam repenit promabo ei ne forte visitetur contra eam, nocte & die seruo eam. indignatio nō est mihi. *Uis dauu me spinam & reprem in p̄lio: ḡ adiar super eam, succendam eam pariter? An potius tenebo fortitudinē meam, facies pacem mihi, pacē facies mihi? Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. Nunquid iuxta plagam percipientis se percussu eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est in mensura contra mensuram, cum abiecit & fuerit, iudicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem & noctem.*

EXPLANATIO.

In die illa visitabit Dominus] In extremo iudicio punit Deus sua potentia, quæ summa est, & cum gladio duro magno & forti comparatur Leuiathan serpentem vecem, hoc est, tyrannos impios & potentes. Leuiathan significat draconem & cetum maris. vt colligitur ex lib. Iob cap. 40. vbi hæc sunt verba: An extrahere poteris leuiathã hamo, & fune ligabis linguam eius? Per Leuiathan igitur cetum & draconem maris, intelliguntur hoc loco reges ac potētes homines tyrannidem exercentes. Appellatur serpentes ob venenum & calliditatē, & veces ob regnorū ac terrarū possessiones, quoniam instar vecis in terrarum dominio extenduntur & propagantur. Vel appellantur veces siue claudentes, quia multos claudant, suæque potestati subiciant. Vel appellantur veces ob duritiē & inflexibilem tyrannidem. Appellatur etiam serpentes tortuosi, quia non rectē incedunt, sed omnia iura torquent & corrumpunt, & modō se extendunt, modō se contrahunt, non æquale iudicium exercentes. Sed delinquentibus multis & in eodem crimine pariter deprehensis, his fauent & condonant, à quibus aliquid accipiunt, aut sperant, aut quorum fortasse industria & suffragio dignitates & magistratus obtulerunt: illos autem, à quibus nihil tale receperunt, nec recepturos se esse existimant, dānant, & cruciant: & quod peius est, viros pios & innocentes, arque nobilitate

nobilitate præstantes maledictis vulnerant, cruciatibus torquent, & ad excidium & vastitatem vocant. Id quod iis verbis iam pro tempore Salomon deplorabat. Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem. Contra verò nefarios ac flagitiosos homines ex omnium scelerum colluione natos laudant, ad dignitates extollunt, amoréque incredibili prosequuntur. Hi sunt principes illi, in quos Deus in die iudicij grauitèr aduerteret. Nō enim debet esse princeps piscatoris arundo, quæ magnis piscibus torquetur, paruis autem recta cōstitit: de vero autem principe & iudice dicitur in Psalmo: Virga dictionis virga regni tui. vel, vt vertit D. Hieronymus, Virga æquitatis. Talis debet esse principum virga. Hęc nanque est, quæ floret & germinat, vberèque virtutum fructus producit: quod de Aaronis virga scriptura commemorat. Et ille cuius talis virga fuerit, erit dignus sacerdotio & magistratu. Olim quī inter gentiles sapientes habebantur, pingebant iustitiam iuxta Iouē, significantes necessariā esse omnino principibus, sine qua nec ipse Iupiter imperare rectè posset. Non est tamen misericordia à iustitia separanda. Id voluerūt diuine literæ in Exodo explicare. Aiūt enim præcepisse Deū, vt sacerdos oleo vngeretur: & paulò post sanguine vngendū esse significarūt. Quid per sanguinē nisi iustitia, quid per oleū nisi misericordia intelligitur. Oportet n. principes & præfules sanguinis rigore cum olei lenitate temperare. Sed nec tanta debet esse misericordia, vt iustitia relinquatur. Cū quondam Israëlita in terra promissionis essent Dei sui oblitī, & in magnis erroribus versati, in manus iniquorū principum Dei iudicio tradebantur. At misertus eorū Deus suscitauit illis saluatorē vocabulo Aioth, qui, vt verbis vtræ scripturæ, vtraque manu pro dextra utebatur. Ex quibus colliges principem illum siue præfulem rectè munere suo fungi, esseque à Deo suscitātū & constitūtū, qui vtraque manu vitur pro dextra, qui vtranque partē rectè iudicat. Nā qui sola vna manu dexter est, qui in quibusdā iustitiam exercet, in quibusdam verò minimè, qui nullam æqualitatem seruat, ille potestate intemperanter abutitur. De huiusmodi principibus ait Deus per Oseam prophetam: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt & non cognoui. Eos dicitur Deus non cognoscere, quorum actiones non approbat, qui iura pro libito violant & corrumpunt. Hos appellat hoc in loco Esaias serpentes tortuosos, & nefarios & iniustos: qui etsi habeant prudent.

*Eccle. 4.**Dissimile.**Psal. 44.**Num. 15.**Exod. 29.**Iudic. 3.**Ose. 3.*

Psal. 71.

Simile.

Apoc. 12.

prudentiam serpentis, carent tamen columbæ simplicitate: et si præditi sint iudicio ad intelligendum, carent tamen virtute ad iustitiam seruandam. Princeps verò non solum iudicio indiget, sed iustitia. Ideo dicitur in psalmo: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis: rex & filius regis pro eodem accipiuntur. In qua petitione est aduertendum, iudicium & iustitiam esse à Deo petendam, nõ enim petitur iudicium mundi, sed Dei: non iustitia ultionis & immanitatis Deo inimica, sed cum misericordia & lenitate coniuncta, quæ sit Deo grata & accepta. Iudicium, quod non est à Deo, vertitur in malitiam, & iustitia in tyrannidem. Ex quo efficitur, vt iniqui reges peruertant fundamenta naturæ, qui nec iudicium neque iustitiam volunt à domino postulare, qui cum seipso non gubernent, qui fieri potest, vt alios valeant gubernare? Lætius tradit dixisse Solonem Salaminium: Tunc rege, cum primùm didiceris regi. Et Socrates, Stultum est, inquit, vt imperare quis velit, cum sibi ipsi imperare non possit. Ille autem sibi non imperat, qui appetitum non coercet, qui indomitis cupiditatibus habenas laxat, qui iniustus est, quem Propheta serpentem vestem & tortuosum vocat. Perpende diuini vatis elegantem similitudinem. Hominem cum serpente comparat, cui est maxima astutia, & dolus nocendi. Serpit, & pedes non habet, ne audiatur in eius itinere: lenis est tractus, sed non rectus, reptat ad nocendum: habet occultum venenum sub leni contactu. Sed mirandum videtur, cur iniquum principem & iudicem appellet serpentem lenem, tortuosum & flexibilem, cum eum antea serpentem vestem, durum, & inexorabilem appellauerit. Sed voluit iis verbis Esaias ostendere iniqui regis inæqualitatem, qui aduersus nonnullos impiam & inflexibilem tyrannidem exercet, erga verò alios mitis est, in quos debet durius animaduertere. Illud est præterea aduertendũ, depravatũ & iniustum principem & præulem vocari leuiathan, hoc est, cetum & piscem magnum. Vt enim in mari magni pisces paruos interficiunt & deuorant, sic tyranni & potentes homines in humiles atque quiescentes viros irruunt, eosque spoliant, & ad interitum ducunt, vt eorum diuitias in profundissimum lacum libidinum suarum profundant. Tales ergo principes hic à Propheta, in extremo iudicio grauer puniendi prædicuntur. Sunt tamen qui per leuiathan serpentem vestem & tortuosum intelligant diabolum, qui à D. Ioanne in Apocalypsi draco magnus appellatur: draco ob impetum

impetum & ferociam, magnus ob superbiam & potestatem. Ipse quidem est rex omnium superborum, & vt ait Iob, *Iob. 41.* Nō est super terram potestas, quę comparetur ei. Huius potestatem euertet Deus omnino in fine mundi. Ait enim Apostolus ad Corinthios: Deinde finis: cū tradiderit regnū Deo & patri, cū euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem: oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimē autem inimica destruetur mors. Hęc D. Paulus. Quę verba indicant Christum traditurum esse Deo patri ecclesiā suo sanguine redemptam, & ab insultibus ac insidiis dęmonum liberam & tutā. Nam in fine mundi cū fuerit vniuersalis resurrectio, rapie tur ecclesia in Deū, & nullos insultus dęmonum sentiet. Sic tamen eam tradet vt non sibi adimat, sed ipse, vnus Deus cū Patre & Spiritu sancto regnabit. Tunc autem euacuabit Christus & penitus eneruabit omnem dęmonis potestatem & tyrannidem, & sic nouissimē destruetur mors, hoc est, diabolus, qui à D. Ioanne in Apocalypsi mors appellatur, quod mortis sit author, Et hoc est quod hic dicit Propheta: *Apoc. 9.* In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super leuiathan serpentem vęctem, & super leuiathan serpentem tortuosum. Potest etiam hoc de primo Christi aduentu intelligi, quando multi fuerunt à dęmone liberati. Est enim nobis satis perspectum & cognitum, fuisse varias errorum sectas euangelij prædicatione dissipatas, diabolum fugatum & victum, eiusque potentiam labefactatam. Appellari diabolum draconem non est infrequens in literis diuinis. Appellatur hoc in loco ab Esaia vęctis, quod sit oblōgus, magnamq; mundi partem occupet. Vel ideō appellatur vęctis, qui ponit se pessulum inter Deum & homines v olens eos claudere, & à cęlo secludere. Sunt qui per hęc leuiathan serpentē vęctē & tortuosum intelligāt Nabuchodonosorē regē Babylonis, & per eum omnes alios tyrannos, quos Propheta serpentes appellat, quemadmodū si quis appellet Lutherū, cęterosque hæreticos nostri temporis pestem ac perniciem Germaniæ. Fortasse appellatur vęctis ob fortitudinē, ac si diceret vates Fortissimus quisq; tyrannus euertetur. Nam c. 15. vęctem posuit pro fortitudine, vt ibi explanauimus. Hac ratione adductus Theodotion pro serpēte vęctē, posuit serpentē robustū.

In die illa vinea meri cantabit ei.] Vineam hęc ecclesia est, quę appellatur meri, quod vinum bonum proferat: nā synagoga, vt cap. 5. dixit Propheta, fecit labruscas, & pro dulci-

bus uis protulit insuauis racemos. At uinea hæc rigata Christi sanguine cantabit in primo Christi aduëtu, ait Propheta, uidens se esse propagatam, & in secundo cum infideles & impij plorauerint. Pro uinea meri uertit Pagninus: Uinea uinum faciens rubeu, pro quo in Hebræo est: uinea ruboris: quod uinum rubeum fit laudabile & optimum.

Repetèdè propinabo ei.] Verba sunt Christi quasi dicentis: Ego uineam meã, hoc est, ecclesiã sanguine meo repete rigabo. Nam vno die mortis meæ pro ea sanguinẽ meũ fundã.

Ne forte uisitetur contra eam.] Subaudi ab hostibus, hoc est, omni tempore, uel tam in prosperitate, quã in aduersitate.

Quis dabit me spinam & ueprem in pralio.] Quasi dicat, nemo. Sensus est. Ego nullam aduersus ecclesiã meam habeo indignationem. Non est aliquis qui me possit contra electos meos exasperare, ut eos perdam. Nemo poterit efficere, ut sim similis spinis & uepribus aculeos habentibus, ut ecclesiã euertam, & gradiar super eam, illãque igne succendam.

An potius tenebo fortitudinem meam.] Nonne ero adeo fortis, ut nemo me compellat ad uineam meam comburendam: Quasi dicat: Ero quidem foris in custodienda ecclesiã, & nemo efficiet, ut eam non custodiam, & ipsa faciet mihi pacem, euangelium meum seruabit, mihi parebit, eritque subiecta & pacifica. Poteris etiã hæc uerba, faciet pacẽ mihi, ita intelligere, ut sint Dei patris dicentis: Christus mihi homines reconciliabit. Et ita D. Hieronymus ea interpretatur.

Qui ingrediuntur impetu ad Iacob.] Qui euangelium ceperunt sunt, & ingressuri uehementi desiderio in ecclesiã, implebunt totum orbem fructu fidei & charitatis. Tempore gratiã sparsi fideles per uniuersas mudi regiones fructus mirificos ferent. Nã Israël, hoc est, unusquisque fidelis & iustus florebit & germinabit. Nonnulli codices habent ad marginẽ: *Qui ingrediuntur impetu à Iacob:* Hi sunt Apostoli, qui à patriarcha Iacob originẽ ducunt. Et ita habet uersio D. Hieron.

Nunquid iuxta plagam percutientis se percussit eum?] Verba sunt Prophete dicentis, Deum non percussurum esse ecclesiã suam, quemadmodũ percutiet eos, qui eam percutient: nam eos delebit, eam autem seruabit. Vel sic: non ita, inquit Propheta, Deus percutiet populum Iudaicum, quemadmodum ab ipso percussus est.

Aut sicuti occidit interfectos eius, sic occisus est.] Hoc est, Non ita occidetur populus iniquus, quemadmodũ ipse populus occidit

occidit fideles Christu. Nam sancti mortui sunt solum in corpore, impii vero corpore & anima.

In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabis eam.] Hoc est, punies quidem vineam tuam, & electos tuos in qua dam mensura. Sed non iuxta eam mensuram, qua punies eos, qui ipsos electos tuos afflixerunt, sed multo molliori brachio.

Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus.] Sensus est: Deus in die æstus, in tempore afflictionis, meditabitur quomodo puniat electos suos. Mittet spiritum suū durū, hoc est, ventum vehementē, qui fructibus noceat. Puniet eos in fructibus terre, nō in anima, auferet ab eis opes, non autē fidem & gratiam. Est enim aliquādo vtile opes amittere, ne homines nimia vberitate reddantur insolentes & elati. Vt enim aibus pennas alarum refecamus, ne longius auolent, quā par est, sic Deus quibusdā diuitias aliquando excidit, ne superbia extollantur. Hoc intelligēs Salomon dicebat in Proverbis: Mendicitatē & diuitias ne dederis mihi, tribue tantū victui meo necessaria, ne fortē satiatus illiciat ad negādum. Vnde D. Paulus dicebat: Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Cæterim pro meditato est, potest verti ex Hebræo. Abstulit nempe fructus vento aspero. Verbū enim hagarū auferre etiam significat: vt Prouer. 25. Aufer rubiginem de argento.

Idcirco super hoc dimitteur iniquitas domni iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra. Ciuitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, & dimitteur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, & ibi acenbabit, & consumeret summitates eius: in siccitate mesis illius contereitur: mulieres venientes & docentes eam: non est enim populus sapiens: propterea non miserebitur eius, qui fecit eum: & qui formauit eum, non parceret ei. Et erit in die illa, percutiet Dominus ab alueo fluminis vsque ad torrentem Aegypti, et vos congregaui in unum, & vnus filii israel. Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, & venient qui perditū fuerant de terra Assyrio am, & qui eieci erant de terra Aegypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in ierusalem.

simile.

Prou. 30.

1. Tim. 6.

Idcirco saper hoc dimitteur iniquitas domni iacob.] Quia Deus puniet electos suos in fructibus terræ, eos affligens, ideo eis peccata dimitret. Fructus calamitatis erit peccati ablatio. Conuersi ad Dominum diuinum sentiet auxilium.

Cum posuerit omnes lapides altaris.] Tunc dimitret Deus peccata

peccata hominibus, cum frigerint altaria idolorum, & eorum lapides cōtriuerint, & instar cineris cōminuerint. Et tūc non erit lucus, in quo sacrificetur diis, & euertentur templa illis dedicata, & eorum loco templa vero Deo ædificabuntur. Prædicat gentium conuersionem à fidem, idolorumque repudiationem.

Ciuitas enim munita desolata erit.] Cū se gentes ad ecclesiam conuerterint, tunc Hierosolyma munitibus munita desolabitur, & à Romano exercitu ob Iudæorum perfidiam & impietatem euertetur. Et ea, quæ modò pulchra est & ampla, ita relinquetur, ut videatur esse desertum quoddam. Ibi pascentur pecora, quæ summitates eius consument ad loca altiora ascendentia. Pro summitatibus vertunt nonnulli ex Hebræo psalmites. Describit Propheta futuram Hierosolymæ solitudinem.

In siccitate messis illius conteretur.] Describit agrorum sterilitatem, ob pluuiæ defectum.

Mulieres venientes & docentes eam.] Tanta erit Iudæorum ignorantia & cæcitas, ut mulieres eos doceant. Pro ignominia ponit homines à mulieribus doceri & gubernari. Velim tamen existimes hoc non esse de omnibus mulieribus intelligendum. Sunt enim multæ non solum domi claræ, sed fors etiam admirandæ.

Non est enim populus sapiens, propterea non miserabitur eius qui fecit eum.] Aduerte Deum non miserum fuisse Iudæorum, quia fuerunt insipientes. De ea loquitur insipientia, que oritur ex malitia, qua Iudæi corrupti & deprauati Christum verum Deum occiderunt. Talis ignorantia non excusat. Imò ignorans, ut ait Apostolus ignorabitur. Et in Prouerbis ait Salomon: Impius morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

In die illa percutiet Dominus.] Tempore gratiæ, quando Hierosolyma fuerit à Romanis euersa, & populus Iudæorum non habuerit intellectum, percutiet Dominus terram ab alueo Euphratis usque ad torrentem Ægypti, hoc est, usque ad Nilum. Sunt qui per torrentem Ægypti intelligant Rinocorullam fluuium paruū diuidentem terram Ægypti à terra promissionis. Ac si diceret: Euerte Deus totam regionem Iudææ ab vno termino usque ad alterum. Terminatur enim Iudæa ab Aquilone ad Euphratē, & à parte Austri ad Rinocorullā. Aspicias hoc in loco fuisse totam Iudæam desolatam, quia non habuit scientiam. Apud Iudæos enim non est vera doctrina,

nec

1. COR. 14.
PROV. 5.

nec solida scripturarum interpretatio. Et eam ob causam ait
 Apostolus in Epistola i. scripta ad Timotheum, eos conuer- *1. Tim. 1.*
 sos esse in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non in
 telligentes neque quæ loquuntur, nec de quibus affirmant.
 Et ad Titum, Sunt, inquit, multi inobedientes, vaniloqui, & *Tit. 1.*
 seductores, maxime qui de circuncisione sunt.

Et vos congregabimini vnus & vnus filii Israël.] Manenti-
 bus infidelibus Iudeis in sua pertinacia dispersis & segrega-
 tis vos o filij Israël secundum Spiritum, qui ex Iudeis Chri-
 sti fidē receperitis, in vnam ecclesiā congregabimini. Dicens:
 vnus & vnus. Ostendit paucos ex circuncisione esse ad Chri-
 stum cōuertendos. Hos appellauit propheta capite isemem,
 & capite 10. reliquias.

Et erit in die illa, claugetur in tuba magna.] Prædicat euange-
 lii prædicationem, & gentiū conuersionem ad fidem. Est igitur
 sensus: In tempore gratiæ sonabit tuba magna, hoc est,
 euangelica, prædicabitur euangelium per totum orbē terra-
 rum, & Christi fides annuntiabitur. Hæc est tuba illa, de qua
 ait Esaias: Super montem excelsum ascende qui euangelizas *Infra 40.*
 Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas *Infra 58.*
 Ierusalem. Et alibi: Quasi tuba exalta vocem tuā. Et hic est
 sonus de quo dicitur in psalmo, In omnē terrā exiuit sonus
 eorum. Hac tuba excitati homines qui perditī fuerant de ter-
 ra Assyriorum, & qui eieci erant de terra Aegypti, venient,
 & Christum in ecclesia adorabunt. Per Assyriam & Aegyptū
 intellige per sinecdochen totum orbem terrarum. Dicit igitur
 de omnibus nationibus cōuertēdas esse gentes ad Chri-
 stum, quas Diuus Ioannes vocat filios Dei, qui erāt dispersi. *Ioan. 11.*
 Nam etsi dispersi erant infideles, & idolorum cultores, pro-
 pter prædestinationem tamen filij Dei appellātur. Quoniam
 Christus pro eis moriendo, eisque gratiam largiendo, ex fi-
 liis iræ fecit eos filios Dei, & ex lupis agnos. Erant quidem
 dispersi non solum per diuersas regiones, sed per diuersas se-
 ctas & voluntates, & varios cultus & errores. Hos congrega-
 uit Christus, non in vnum locum corporeum, sed in vnam *Ephē 4.*
 ecclesiam, de qua ait Apostolus: Vnum corpus, vnus spiritus, *Psalm. 105.*
 vna fides. De hac congregatione dicitur in Psalm. Cōgrega- *Psalm. 136.*
 nos de nationibus, vt constiteamur nomini tuo. Et in alio: *Supra 11.*
 Dispersiones Israël congregabit: Et Esaias: Profugos Israël *Ierem. 23.*
 congregabit. Et per Ieremiam Dominus: Ego, inquit, congre-
 gabo reliquias gregis mei de omnibus terris. De hac cōgre-
 gatione lege totum caput 37. Ezechielis, vbi infideles vocat

ossa arida in campo, hoc est, in mundo iacencia. Quid enim aliud sunt peccatores, quā ossa mortuorū in terra prostrata? Hæc ossa Deus congregauit, reuocauit ad vitam, & Hierosolymam adduxit, eisque vnum regem & pastorem constituit. Hæc Hierosolyma est sancta mater ecclesia, hic pastor & rex Christus est, qui nos gubernat & pascit, qui eos, qui dispersi erant congregauit, de quibus ipse apud Ioannem dicit: Alias oues habeo, illas oportet me adducere. Possunt etiam hæc intelligi de vltima tuba, cuius sono omnes mortui ad vniuersale iudicium vocabuntur, de qua ait Apostolus in epistola 1. ad Corinth. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti. Et in prima ad Thessalonicenses, etiam huius tubæ meminit cap. 4. Et Diuus Matthæus capite 24.

Ioan. 10.

1. Cor. 15.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT XXVII.

In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro &c.] Septuaginta habent: In die illa inducet Deus gladium sanctum, &c. In explanatione per gladium hic durum diuinam & potentiam & vltionem exposuimus. Sed quoniam hic gladius sanctus à Septuaginta appellatur, existimo posse hoc de euangelica prædicatione intelligi, qua Deus dæmonem antiquum serpentem oppressit, & gentes ad fidem vocauit. Est enim verbum Dei gladius, iuxta id quod ait D. Paulus in epistola ad Ephesios: Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei. Et ad Hebræos. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hic est gladius vtraque parte acutus, quæ ait Ioannes in Apocalypsi de Christi ore exire. Hunc gladium appellant Septuaginta sanctum, & communis versio durum, magnum, & fortem, quoniam homines ad sanctitatem duxit, idolorum cultum occidit, diabolium fugauit & vicit, & mundum impleuit & ad veritatem vocauit, eique viam ostendit ad gloriã immortalem consequendam.

Ephes. 6.

Hebr. 4.

Apos. 11.

Super leuiathan serpentem vestem.] In hebræo pro veste est bariach à verbo barach quod significat claudere, contingere, insiar vestis penetrare, & pertrāsire, & fugere. Hinc effluxit tanta interpretum varietas. Nam Symmachus vertit serpentem claudentem siue concludentem: quod multos suo claudat imperio. Septuaginta fugientem, ostendentes Christi aduersus diabolium victoriam, aufugit enim diabolus, & eiectus

eiectus est foras, iuxta id quod ait Christus apud Ioannem. Ioan. 12.
 Princeps huius mundi eiectur foras. Pagninus vertit: Serpente[m] transeuntem mare instar vectis ab extremo ad extremum. Quibus verbis ostendit dæmonis principatum ante aduentū Christi, qui totū mare, hoc est, totum mundū occupabat, qui in mari dicitur habitasse, quia in illis habet domiciliū, qui animos habent inquietos, instabiles, & instar maris fluctuantes. Fortasse respexit Pagninus ad vectem, de quo ait scriptura Exodi cap. 36. Fecit aliū vectem, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulū perueniret. Poteris vertere ex hebræo serpente[m] penetratores & transeuntem, & serpente[m] vectem, vt transulit hoc in loco noster interpres, quemadmodum apud Iobum. 38. Et posui vectem.

Repente propinabo ei. In hebraico est lirkaim axkennah. Quæ verba possunt ita Latine verti: Per momenta irrigabo eam. Verbum xakan, quod hic ponitur, irrigare significat, vt Ioëlis capite tertio: Et irrigabit torrentem spinarum. Loquitur Deus de ecclesia, quam vineam appellat, quam promittit se cotidie, singulisq; momentis rigaturū, ne vnquā areseat, & sterilis fiat. Solet enim ecclesia in diuinis litteris appellari vinea domini, sponsa, amica, columba, Sion, Ierusalem, mons, templum, domus Iacob, regnum Dei, ciuitas Dei, firmamentum & columna veritatis. Vt in scriptura synonymis, quemadmodum in hoc capite vides appellari diabolum leuiathan, serpente[m] vectem, tortuosum, cetum maris, quia allās appellatur dæmon, leo, draco, tentator, homicida, & aliis huiusmodi nominibus.

Et qui eiecti erant de terra Aegypti. Pro de terra est in hebræo be ærats, quod potest verti, in terram, vt sit sensus: Tempore Messie venient ad ecclesiam, qui in terrā Aegypti, hoc est, in mundi tenebras erant eiecti. Huius interpretationi fauet Pagninus ita vertens: Qui expulsi erant in terrā Aegypti. Verū Septuaginta verterūt: Et qui petierant in Aegypto. Hi quidem significantur per ouem illam errantē, quæ perierat, quam Christus quaesuit, & suis humeris reportauit, vt est apud Lucam cap. 15. Hi perierant in Aegypto, hoc est, in errorum ac vitiorum tenebris, Aegyptus enim caliginem significat, qua peccatores circumfunduntur. Nam vt corpus simile occidente sole tenebrosissimum manet, sic animus gratiæ splendore destitutus in medio cæcarum tenebrarum versatur.

Argumentum Capitis XXVIII.

Minatur diuinus vates decem tribubus Iudæorum vltionem debitam suis sceleribus, quod essent superbi, dediti deliciis & voluptatibus, & sanctorum vatum cōtemptores. Prædicat euangelij prædicationem, foræque Christum credentibus salutem.

CAPVT XXVIII.



AE corona superbie, ebrüis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguis, errantes à vino. Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis turbo consurgens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam. Pedibus cōculcabitur corona superbie ebrüorū

Ephraim. Et erit flos decedens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatē autūni. Quod cum aspexerit videns, statim vt manu tenuerit, deuorabit illud. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & seruum exultationis residuo populi sui: & spiritus iudicii sedēti super iudiciū, & fortiūdo reuerentibus de bello ad portam. Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudiciū. Omnes enim mensa repleta sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset locus vltra. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus, quia manda remanda, mada remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi. In loquela enim labij & lingua altera loquebantur ad populum israhel, cui dixit: Hæc est requies mea vesicite lassum: & hoc est refrigerium meum: & noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini, manda remanda, mada remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueantur & capiantur.

1. Cor. 14.

EXPLANATIO.

Ve corona superbie, ebrüis Ephraim.] Decem tribus regnabant in Samaria, quæ propter Hieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, Ephraim appellabantur. Hæ in tantam amentiam inciderūt, vt Dei vates contempnerent, & verum Deum derelin-

relinquerent, ac pro eo vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam in Dan & Bethel, adorarent. Quapropter captæ fuerunt, patriam suam penitus enererunt, fueruntque in æternas tenebras relegatæ. Harum decem tribuum amentiam & scelera deplorat hoc loco Esaias, minitans illis perniciem & interitum. Erât hi homines superbi & elati, & ob eam causam eos vocat propheta coronam superbiæ, hoc est, regnum superbû, quoniam se à Iuda separarunt, & iniquè per se regnû constituerunt, ad quod scelus fuerunt superbia incitati. Et postea cum se sublimiores duabus tribubus, quæ Iuda appellabantur, & numero & robore conspicerent, se magis extulerunt, & ad id amentia & sceleris adducti sunt, vt nullum esset facinus immane, quod non admitterent, nullum sanctû ius quod non violarent. Nec solum eos vocat propheta superbos, sed etiam ebrios, hoc est, alienos à iudicio. Ex superbia enim nascitur amentia, quæ animum inebriat, & perturbat, & à sua sede ac statu deiicit. Vel certè eos ebrios vocat, quòd essent vino ac crapulæ dediti, & deliciis affluenter. Quasi dicat: Væ regno Israëlitico inflato superbia & tradito voluptatibus.

Et flori decidenti gloriæ exultationis eius. J Sensus est: Væ flori qui decedit à gloria exultationis Israëlitarum habitantiû Samariæ, quæ ciuitas est in vertice vallis fertilissimæ. Est enim Samaria quædam ciuitas, à qua tota illa regio Samaria appellatur, & erat in monte sita, ad cuius pedem erat vallis quædam feracissima. Vel per verticem vallis pinguissem intelligit propheta locum, vbi Israëlitæ idola colebant. Appellat Israëlem florem, sed decidentem, quoniam gloriam suam Israëlitæ obscurauerant, & à dignitate in qua tempore Dauidis & Salomonis, quando in templo Deum colebant, erant constituti, deciderant. Pro eo quod nos habemus, quæ erât in vertice vallis pinguissem interpretari possis: In quorum vertice erat vallis pinguisima, significas eorum capita esse vnguentorum copia madida: intelliges per verticem caput, per vallem verò pinguisimam vnguentorum abundantiam. Ita quidam Iudæorum Rabbini hunc locum exponit.

Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, &c. J Quoniam decem tribus Deum dereliquerunt, seque ventri & vino dederunt, pœnas suorum scelerum dabunt. Nã Deus validus & fortis eos euertet, vt turbo grandinis omnia solet confringere, & impetus aquarum inundantium omnia quæ inuenit, locum rapere. Textus D. Hieronymi habet: Ecce

validus & fortis Domini: Per quem intelligitur rex Assyriorum, quo Deus tanquam ministro utebatur ad Israël evertendum. Pro quo Septuaginta dixerunt: Ecce fortis & durus furor Domini.

Pedibus conculcabitur corona superbia ebriorum Ephraim.] Hoc est, decem tribus erunt ab Assyriis capte, eversæ, & conculcæ. Vide Dei iudicium. Qui se superbia efferunt in sublimine, pedibus inimicorum conculcantur. Corona solet fieri super caput, at hic pedibus hostium conculcanda prædicitur. Non poterat diuinus vates apertius & elegantius perniciem superbiorum explicare. Tu qui regnas caue ne superbia inseris, solet enim Deus deponere potentes de sede, & humiles efferre, ad veramque amplitudinem perducere.

Quasi temporaneum ante maturitatem.] Comparat gloriam decem tribuum fructui præcoci, qui parum durat, & colligitur antequam maturescat. Ac si diceret: Vrilli qui avidi sunt fructum præcocium, eos colligunt, & sub ipsa arbore statim comedunt, sic Assyrii cum magno desiderio decem tribus deglantent & deuorabunt. Id quod hoc in loco interpres vertit temporaneum, vertit apud Ieremiam cap. 24. ficus primi temporis, & Michæa capite 7. præcoquas ficus, & Osee, 9. prima poma. Septuaginta habent hic præmatura ficus.

In die illa erit Dominus exercituum corona glorie, &c.] Eversa Samaria conculcata Assyriorum pedibus corona superbia decem tribuum, erit Deus gloria decoris reliquiis populi sui, hoc est, tribus Iuda & Benjamin proteget, gloria decorabit, tribuens eis admirabilem de Sennacheribo victoriam.

Sedenti super iudicium.] Periphrasis est regis, qui super iudicium dicitur sedere, quia etus est omnia regere & iudicare. Est igitur sensus: Dabit Deus regi Ezechie gratiam, ut æquifimè iudicet, & fortitudinem eius, qui hostes suos ad fugam compulerint, eosque usque ad portas urbium suarum fuerint persecuti. Aspicias hic æquum & iustum iudicem spiritu Dei ad iudicandum duci & gubernari. Ex quo poteris aduertere quanta cæcitate laborent, in quibus erroribus versentur, quot scelera admittant illi, qui non spiritu Dei, sed spiritu vindictæ, furoris, odii, inuidiæ, iudicauerint. Aspicias præterea Deum esse illum, qui fidelibus suis aduersus hostes robur ac fortitudinem præstat, ex quo colligitur necessarium esse iudici, ut petat à Deo spiritum iudicij: & militi, ut ab ipso Deo fortitudinè postulet. Id quod hic dicitur: Et fortitudo reuertentibus de bello ad portam, potest ita explanari: Dabit

bit Deus fortitudinem iis qui reuertere facient inimicos de bello ad portas urbium ipsorum hostiū. Vel qui vastatis hostibus de pralio reuersi fuerint ad ciuitatem, vbi se clauerint. Vel sic: Erit Deus fortitudo his, qui auerterint bellum à porta suæ ciuitatis, eā ab hostibus defendendo. Tres partes habet ciuitas, regē, milites, & plebē, quas omnes propheta cōplectitur: regi prædicit dandū à Deo spiritū iudicij, militibus dandam fortitudinem & victoriā, plebi pacē & securitatem.

Verum hi quoque præ vino nescierunt.] Duæ etiam tribus Iuda & Benjamin fuerāt deditæ vino, & iudicium amiserunt, quemadmodum alia decem.

Nescierunt videntem.] Hoc est, Deū, qui omnia videt, non intellexerunt, qui habeant iudicij corruptum ob impia scelera. Poteris per videntem prophetam intelligere, cui dicit Iudæos non credidisse. Appellari autem prophetam videntē diximus capite primo. Erant in Iudæa Diuini vates viri sancti, omnibus virtutum ornamentis excultri, qui à Iudæorum sceleribus abhorrebant, & veluti Sol & Luna contrarium mundo iter intendebant, nefariosque homines ad virtutem cohortabantur. Sed vt gemma, quā appellant chalaziam, quāuis iniiciatur in ignem, natiuum tamen frigus retinet, sic Iudæi nullis prophetarum monitis & exemplis accendebantur, sed frigidi ad virtutem, in suis flagitiis perseverabant, nō credentes prophetis, nec eos intelligentes, nec eorum doctrinam approbantes.

Simile.

Simile.

Omnes enim mense repletæ sunt vomitu.] Notat Iudæorum nimiam ebrietatem. Vel significat eorū idololatriam, qui in locis nemorosis, & in montium verticibus idolis sacrificabant, ibique splendide comedebant.

Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum.] Cū Iudæi in erroribus versentur, & verum Deū dereliquerint, quis erit, quem propheta doceat scientiā Dei & prophetiam? Appellat prophetiam auditum, quia eam propheta suggerente spiritu à Deo audiunt, quam alio in loco visionē appellat, quoniā Diuini vates ventura spiritu intuentur. Vult hoc in loco propheta significare paucos esse qui legem Dei vellēt audire & intelligere, id quod alibi iis verbis significabit: *Quis credidit auditui nostro? & cæc.*

Infra 57.

Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.] Eos propheta & verus doctor instruet in lege Dei & prophetia, qui sunt ablactati à lacte, & auulsi ab vberibus, hoc est, qui sunt pueri, adhuc nō assueti vitij, quos oportebat paulatim & rudi modo

1. Cor. 3.

docere. Poteris per ablactatos à lacte, & auulsos ab vberibus eos intelligere, qui iã non indigent lacte, sed solido cibo. Ait enim D. Paulus in Epist. 1. ad Corinthios: Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Hoc est, simplicè & facilem doctrinam vobis tribui, non altam & arcanam.

Heb. 5.

Et in epist. ad Hebræos ita ait: Facti estis quibus lacte opus fit, nõ solido cibo. Et paulò post: Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Ex quibus locis aperte colligitur, nõ esse quoslibet passim ad arcana mysteria sacrarum literarum admittendos. Vnde facile cõuincuntur ij, qui temere asserunt omnes diuine scripturæ libros debere in vulgarem linguam transferri, vt ab omnibus legantur. Meritò igitur decreuit amplifsimus senatus Theologiæ Parisiensis ne sacra scriptura in vernaculã linguã verteretur. Quod etiam in nostrã Lusitania seruatur.

Quia manda remanda. Dixit Iudæos in erroribus versari & diuinos vates dereliquisse: modò describit, quemadmodum Iudæi prophetas sanctos irridebant. Cũ propheta aliquis eos ad virtutem hortabatur, illis que diuinam vitionem annuntiabat, respondebant ipsi: Manda remãda, expecta reexpecta. Hæc verba dicebant Iudæi imitantes verba prophetarum, sed cum subfannatione & cõtemptu. Solebant enim Prophetæ dicere: Deus præcipit hoc: & quamuis hoc quod dico, non statim veniat, expecta tamen, quia veniet, & non tardabit. Et statim infert Esaias: In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populũ istum, &c. ac si diceret: Hactenus locutus est. Deus per prophetas suos ad populum Iudæorum verba dulcia, quemadmodũ illa que dixit per quendam vatem. Hæc est requies mea: reficite lasum, & hoc est refrigerium meum. Quibus verbis Deus non increpabat Iudæos, sed dicebat illis, vt opera misericordiæ exercerent, quoniam in hoc illi placerent. At modò quoniam Iudæi hæc verba noluerunt audire, loquetur Deus illis in lingua altera, hoc est, verba dura & comminatoria. Et hæc verba, que Iudæi irridentes prophetas proferebãt, nempe manda remãda, expecta reexpecta, &c. ducent ipsos Iudæos in perniciẽ. Erit eis hæc subfannatio occasio cadendi retrorsum. Cõterentur enim & capiẽtur ab exercitu Babylonio, & postea à Romano, & semper à diabolo. Est hoc loco aduertendum. Infideles Iudæos cecidisse retrorsum, Non enim dicit: Vt vadãt, & cadant

cadant in faciem: sed dicit, vt vadant, & cadant retrorsum. Qui cadit in faciem, videt locum in quem cadit, & potest se facile erigere, & manibus adiuuare, sed qui cadit retrorsum, nec videt locum ruinæ, nec potest se ita facile subleuare. In Actis Apostolorum scribit D. Lucas Saulum cecidisse, sed non dicit retrorsum. Et Ezechiel inquit, Vidi, & cecidi in faciem meam. At de Christi persecutoribus inquit D. Ioannes: Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Vides igitur, electos in faciem cadere, reprobos autem retrorsum. Ceterum hæc verba quæ hic habentur, nempe. In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populū istum, citat Paulus apostolus in epistola i. ad Corinthios sic dicens: In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis, & in labijs aliis loquar populo huic, & nec sic exaudiet me, dicit Dominus. Et statim infert: Itaque lingue in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Hæc D. Paulus. Lege totum illud caput, & videbis hunc locum Esaiæ explanari ab Apostolo de diuersis linguis quibus Apostoli loquebantur. Vult enim ostendere prophetiam esse præstantiorem dono linguarum. Et ideò hunc locum citat, ostendens linguas esse signum datum infidelibus, prophetiam verò fidelibus, & infideles noluisse credere Apostolis, qui variis linguis loquebantur. Et si attentius aspexeris, videbis Septuaginta interpretes hunc Esaiæ locum de Apostolis interpretari. Illud est etiam aduertendum dixisse D. Paulum: Et nec sic exaudient me, pro eo quod Esaias ait, & noluerūt audire. Vbi aspicias id quod in prophetis dicitur de præterito, esse aliquando de futuro explanandum, quod aliis in locis annotauimus. Est igitur huius loci sensus, ac si dicat Deus: Hactenus o Iudæi dedi vobis doctores, prophetas, & sapientes, qui vestra lingua vos erudirent, & ad veritatem reuocarent, quos vos audire noluitis. Veniet tempus quando vobis dabo magistros, nimirum Apostolos meos, qui variis linguis loquantur, sed nec eos exaudietis. Locutos fuisse Apostolos variis linguis asserit D. Lucas Act. 2.

Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Ierusalem. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum mundans cum transferit non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacium protecti sumus. Idcirco hoc dicit dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, preciosum in fundamento fundamentum. Qui crediderit

Act. 9.
Ezech. 2.
Ioan. 18.

1. Cor. 14.

Psal. 117.
Matt. 21.
Act. 4.
1. Petr. 1.
Rom. 10.

aliderit non festinet. Et ponam in pondere iudicium & iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacii, & protectionem aqua inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cum transferit eritis ei in conculcationem. Quandocumque pertransierit, tollet vos, quoniam manè diluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

Propter hoc audite verbum Domini viri illusores.] Ostendit hic locus Iudæos irrisoriè proferre verba prophetarū, quod paulo antè dicebamus.

Perclusimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.] Hæc dicebant Iudæi Prophetis: Non timemus mortem nec infernū, quoniā fecimus cū illis pactum, ne nos vnquā absorberent. Viaturi sumus acsi non esset mors, nec infernus, idēō minis vestris non terremur. Vide sceleratorum hominū stultitiam, rerūque nouissimarum incredibilem obliuionem.

Posuimus mendacium spem nostram.] Vide qua in te iniqui homines spem suam collocent, in mendacio, quod quidam vir doctus aranæ telam vocauit. Fortasse per mendacium intelligitur idolum. Vt sit sensus: Non timemus mortē, nec infernum, quoniam idolum nostrum, quod vos propheta mendacium vocatis, nos liberabit.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c.] O admirabilem Dei nostri misericordiam & immensam pietatem. Ostendebat modò Iudæorum terra scelera, & incredibilem amentiam & obliuionē, & concludit dicens: Idcirco ego mittam filium meum, qui hominibus viam veritatis ostēdebat, & ad veram dignitatis amplitudinē adducat, & sit ecclesie probatum, & preciosum fundamentum. Videbatur debere ita concludere: Quoniam o Iudæi vos scelerum ministros præbuisistis, & Dei hominumque iura violastis, quoniam ita viuitis, ac si nec esset mors, nec locus æternorum cruciatuum, ego vos funditus euertam. Et mittā lupos qui vos dilanient & absumāt. Et vide quid dicat: Quoniam mei estis immemores, & scelere ac flagitio pascimini, ego mittam mundi saluatorem, vestrum Messiam, vnicum filium meum, non quid peccata vestra mereantur considerans, sed quid mea exigat misericordia. Vide conclusionē pietatis plenissimā. Habes multa loca in diuinis literis huic similia, vt Osee 2. Ibat post amatores suos, & mei obliuiscabatur, dicit Dominus: Propter hoc ecce ego instabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad

cor eius. Animaduerte quemadmodum Deus Hierosolymæ sceleribus iratus, non iuxta scelerū mensuram, sed cūdum multitudinē suæ misericordiæ loquatur. Sic hoc in loco. Vocatur hic Christus fundamentum Sionis, hoc est, ecclesiæ, de quo ait D. Paulus. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si lapis hic esset terrenus, & mōs hic Sionis etiā terrenus, qui fieri poterat, vt in eius fundamento lapis poneretur? & quorsum hoc tam sine vlla vtilitate? Significat igitur Sion ecclesiam catholicā, cuius caput & fundamentū Christus est, & lapis angularis, probatus & preciosus, de quo dixerat alius Propheta: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et volens ostendere esse hanc vaticinationem de Christo intelligendam, subdit: O Domine saluum me fac: O Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Et Christus de seipso eam apud Mathæum interpretatur. Sed aduerte: Esaias dicit hunc lapidē esse à Deo probatū, Dauid autem ait esse reprobatum ab ædificantibus. Ad id amentix & prauitatis venerunt homines, vt reprobent id quod Deus approbat. Esse autem Iesum Christum lapidem ostendimus susē capite 8. Solent qui magnificum aliquod ædificium construunt, in lapide quodā angulari arma sua & stemmata pingere, aut quocunq; alio modo collocare. Fecit Deus templum quoddam vsque adeo magnificū & excellens, vt ne noster quidem intellectus possit eius dignitatem & amplitudinem complecti. Est autem hoc templum ecclesia catholica, ædificium nobilissimū, ad quod cœlestis pater misit lapidem admirabilem, hoc est filium suum, qui non solum esset huius ædificij fundamentū, sed etiam lapis angularis, in pulcherrimo loco constitutus, & est hic lapis scutū quoddam, de quo dicitur in lib. 2. Regum: Deus dominus fortis meus, sperabo in eum scutū meum, & cornu salutis meæ. Arma & stemmata huius lapidis, huius cœlestis scuti, sunt quinque stellæ auræ in campo sanguineo, hoc est, quinque illa sacratissima Christi vulnera, arma gloriosa & diuina, trophæa & insignia nostrarum victoriarum. Tu verò considera verborum prophetæ amplitudinem, poterat dicere: Mittam vobis Messiam, sed voluit tam insigne beneficium verbis insignibus & metaphoricis explicare. Est autem translatio sumpta ab ædificantibus, quæ verborum amplitudine innuit rei magnificētiam & maiestatem. Appellatur Christus lapis angularis, quia vtrunq; populū

1. Cor. 3.

Psal. 117.

Matt. 21.

Simile.

2. Reg. 22.

lum & Iudeorum & Gentium in vna ecclesia copulauit, & in fundamento fundatus, hoc est, solidissimum fundamentum.

Qui crediderit non festinet.] Hoc est, qui crediderit, inquit Esaias, non existimet Christum non esse venturum, si statim non venerit. Non festinet. Christus enim veniet. Nam iuxta Habacuc, nemo desperet, quia veniens veniet, & promissa sua complebit. Nondum enim venit temporis plenitudo, quod pater cœlestis filij sui incarnationi præfinit. Hoc ideo dicit Esaias, quia videbat difficile esse fragiles homines de promissionibus Dei aliquando non dubitare. Cum sæpenu-mero videamus eum permittere, priusquam promissa perfoluat, res multo aliter euenire, quam existimabamus. Id quod ex locis è media scriptura depromptis perspicuum faciam. Dauidem in adolescentia regem designauit Deus, eumque à Sa- muuele voluit vngi. Sed postea tot tantisque calamitatibus eum opprimi permisit, tam variis casibus & acerbis æruminisum exercuit, priusquam ad altum dignitatis gradum ad duceret, eique regni possessionem traderet, vt vix credibilia viderentur ea, quæ Dauidi facturum se esse prædixerat. Ioseph dixit Hebræis in Ægypto: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. At postquam ille è vita migravit, vexati sunt Hebræi multis annis, donec Deus eos liberaret, & in promissam terram perduceret. Ex quo fit, vt imbecilli homines cadant animo, & Dei promissionibus interdum diffidant. Quare debet hoc salutare præceptum in animo inhaerere. Qui enim nequit tolerare moram, is nec fortitudinem habet, neque constantiam. Quocirca non solum id quod vult non consequitur, sed etiam grauissimas diffidentiae pœnas luit. At qui toleranter ac patienter fert moram, & ab incepta spe non desistit, is obtinet promissa, & adipiscitur æternam beatitudinem, quod Deo adhæserit, & animo fidente, firmo, & erecto perseuerarit. Hanc sententiam inuenies apud D. Paulum in epistola, quæ ad Hebræos scripta est, ubi ita ait: Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus est veniet, & non tardabit iustus autem meus ex fide viuere. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

Et ponam in pondere iudicium & iustitiam in mensura.] Verba sunt patris cœlestis hunc sensum habentia: Tempore gra-

Habac. 2.

1. Reg. 16.

Gen. 31.

Hebr. 10.

tia quando Christus venerit in mundum, ego docebo rectif
simam iustitiam, & æquissimum iudicium. Aduerte iudiciũ
debere esse æquo pondere, & iustitiã æqua mensura: Debet
enim iudex æquo pondere, & mensura omnes iudicare, mag
nos & patuos, diuites & pauperes, amicos & inimicos. Non
dicit: ponã iudicium in ponderibus, sed in pondere, nempe
vno, & in mensura vna. Nam, vt ait Salomon in Prouerbis: *Prou. 20.*
Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abomi
nabile est apud Deum. Hoc est diuersis ponderibus & men
suris ponderare & metiri, quod est iniquè & inæquabiliter
iustitiã exercere, aliis vno pondere, aliis verò altero. Vt enim *Simile.*
mercator, qui duas habet mensuras falsas, alteram exceden
tem debitam quantitatem, alteram verò ad eam non attin
gentem, alteram, qua vendit, alteram autem, qua emit, nun
quam rectè metitur: sic iniquus & corruptus iudex duas vir
gas habet, alteram qua amicos & potentes iudicat, alteram
qua inimicos & pauperes. Quo fit, vt rempublicam euertat.

*Et subuertet grando spem mendacii, & protectionem aque in
andabunt.*] Hoc est, impetus exercitus Romani repente ven
ientis vt grando spem fallacem Iudæorum infringet, & ve
luti aqua inundans omnem protectionem rapiet. Per men
dacii potest intelligi idolum. Vel appellat spem mendacii,
hoc est, spem mendacem. Talis est enim mundi spes, mēdax
& fallax. Promittit, sed decipit. Vt enim vrtica viridis colo
re delectat, sed tactu vlcera, sic mundus mulcet spe, sed vul
nerat operibus. *Simile.*

Sola vexatio intellectum dabit audiui.] Id est, cum fueritis
afflicti, intelligetis prophetas meos vera prædixisse. Vel sic:
Afflictio vestra dabit intellectum eis, qui eã audierint. Quasi
dicat: fama vestrarum calamitatum aliis metum incuriet. A
spicis afflictionis vtilitatem. Non enim solum prodest affli
ctis, sed etiam aliis, qui aliorũ afflictione perterriti, se à vitiis
abstrahunt. Vt enim ignis radius confectus ex terræ exhal
ationibus in aëre inter vapores eleuatis in vnam partem ca
dit, & ibi solum ferit & vrit, sed omnes illius regionis incol
as perterret, sic vnus hominis calamitas eũ solum affligit,
sed multis aliis terrorem incutit, eòsque exuscitat, vt à vitiis
auocarentur. *Simile.*

*Coangustatum est enim stratum ita vt alter decidat, & pallium
breue vtrunque operire non potest. Sicut enim in monte diuisionum
stabit Dominus, sic in valle, que est in Gabaon irascetur. Vt faciat
opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum
est.* *2. Reg. 5.*

1. PAR. 4.
IOH. 10.

est opus eius ab eo. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim & abbreviationem audiui à Domino Deo exercituum super uniuersam terram. A uibus percipite, & audite uocem meam, attendite, & audite eloquium meum. Nunquid tota die arabit arans ut seras, proscindet & sarries uentem suam? Nonne cum adaequerit faciem eius, feret gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum & milium & uiciam in sinibus suis? Et erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum. Non enim in ferris triturabitur gith, neque rota plaustrum super cyminum circumuabit, sed in uirga excutietur gith, & cyminum in baculo, panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturabitur, neque vexabit eum rota plaustrum, neque uulgus suis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exiit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret iustitiam.

Coangustatum est enim stratum.] Ad tantam inopiam & afflictionem uenietis, ut nullus sit, qui in suo lecto alterum possit recipere. Tam breuis erit locus, ut duo se in eo uoluerit non ualeant: tamq; angustum erit pallium, ut non possit duos cooperire. Fortasse uisitur propheta metaphora uiri pudici, qui uxori adulteræ ait: Unus lectus me & adulterum tecum capere non potest, & breue pallium uirum & adulterum tegere non ualet. Vir est Deus, adulter diabolus, uxor impudica Hierosolyma, quæ apud Ezechielem fornicans & meretrix appellatur: & apud alios etiam prophetas. Quasi dicat Deus: Tu ô Hierosolyma si uis mihi adhærere, contemne diabolum. Si idola colueris, me habere non poteris. Id quidem est quod dicebat Christus apud Matthæum: Nemo potest duobus dominis seruire. Et paulò post: Non potestis seruire Deo & mammonæ. Arca fœderis in templo Da gonis esse non potuit, quin idolum caderet & confringeretur: Aut colenda erat arca, aut idoli imago. Aut colendus est Deus in anima nostra, aut diabolus. Cum Moyses peteret à Pharaone, ut Hebræorum populû dimitteret, ut Deo in deserto sacrificaret: respondit Pharao, ut Deo in Aegypto immolaret: cui respondit Moyses, Non posse ira fieri: nõ enim Deus erat simul cum diabolo colendus. Id est quod D. Paulus ad Corinthios scribit: Non potestis calicem domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ domini esse particeps & mensæ dæmoniorum. Et alibi: Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Qui consensus templo Dei cum idolis?

Exet. 16.

Mat. 16.

3. Reg. 1.

Exod. 8.

1. Cor. 10.

2. Cor. 6.

Sicut enim in monte diuisionum.] Sensus est, stabit Dominus contra Iudæos, quemadmodum stetit in monte diuisionum aduersus Allophylos regnante Dauide. Et quemadmodum in valle Gabaon sub principe Iosue multi ex hostibus perierūt, sic aduersus Iudæos infideles Christum lapidē probatum reprobantes irascetur Deus. Habes historiā hanc de monte diuisionum libro 2. Regum capite 5. & de monte Gabaon, Iosue decimo.

Ve faciat opus suum, alienum opus eius, &c.] Punit Deus homines sceleratos, non vt eos ex animo velit perdere, sed vt conuertantur, aut alij Deum timeant, Punit igitur vt saluos faciat. Punire nō est proprium Dei opus, sed misereri & parcere, quemadmodum canit ecclesia: Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Ideo De^o nō punit ex animo, sed quia ita exigunt scelera nostra. Ait enim Ieremias in Lamētis loquens de Deo: Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim humiliavit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Appellat hoc in loco Esaias opus Dei misereri, opus autem alienum ab eo irasci & punire. Ex quo colliges eos Deū imitari, qui sunt ad misericordiam propēsi. Ideo dicebat Christus Deus noster: Estote misericordes sicut & pater vester misericors est: Venit filius Dei ad restituendum in nobis imaginem & similitudinem Dei, quam ob nostra impia facinora habebamus deformatam, idē ad eius misericordiā imitandā nos excitat. Ac si diceret eū respicite, eius misericordiam imitamini, qui vester pater est, ad cuius imaginē creati estis. De misericordia Dei poteris ea videre, quę fuscē supra annotauimus cap. 1. illa verba explanantes: Heu consolabor, &c.

Et nunc nolite illudere.] Ne vates meos irrideatis, si vultis, ne vos seuerius puniam. Quāto vincula magis constringuntur, tanto arctius premunt. Potest hoc intelligi de vinculis peccati, de quibus disseruimus cap. 5.

Consummationem enim & abbreviationem.] Ego Propheta prædico vobis ea, quę à Deo audiui, vt imminentem iram pœnitentiā præueniatis. Hucusque distulit Deus supplicia, sed ille consummabit & explebit ea, quę vobis per Prophetas suos minitatur, & abbreviabit tempus vltionis suę. Per vniuersam terram intellige Iudæam, de qua loquebatur.

Nunquid tota die arabit arans.] Hoc simili ostenditur admirabilis Dei operatio, qui excoluit populum Hebræorū tanquam agrum, ad suscipiendum diuinū semen. Aspice Deī pietatem

tatē, nunc aratoris vice fungitur, nūc frangentis glebas, & faciem terræ adæquantis, modò fatoris, modò verò triturantis. Atque hæc omnia vt fideles fructum ferant. Arauit Israelitas miraculis per Moysen, seminauit præceptis, triturauit afflictionibus. Sed nō semper arandum est. Est enim tempus fructus colligendi.

Non enim tu ferris triturabitur gith.] Sensus est: Non omnes æqualiter affliguntur, sed alij durius, alij mitius. Non eodem modo trituratur triticum & gith. Nam gith trituratur virga & peticia, hoc est lenius: triticum verò rotis, & sic durius. Hoc dicit, quia solebant Judæi triticum in area triturare bobus rotisque plaustrorum. Igitur semen fortius & excellentius durius trituratur. Sic Deus agricola ille cælestis non nullos affligit durius, quos fortiores & firmitores videt, non nullos verò lenius, quos fragiliores esse conspicit. Sed quemadmodum non semper triticū trituratur, sic nec semper iustus affligitur. Gith est feminis genus, appellaturque nigella Romana. Pagninus vertit nigellam. Plinius appellat melanthium, quod plagis serpētium mederi ait. at largius epotum enecare aiunt, vt Dioscorides inquit. Vicia genus est leguminis à vinciendo dictum, vt Varroni placet, quod habeat capreolos instar vitis, quibus ea, quibus adhæret, vincit.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXVIII.

Ve corona superbie.] Septuaginta habent: *Væ coronæ iniuriæ.* Sunt enim superbi propensi ad iniuriam faciendam. Quos litera Hebraica superbos vocat. Septuaginta in alios iniuriosos appellant.

Errantes à vino.] Septuaginta verterunt: *Qui ebrij estis absque vino, vbi vides omnes qui Deum derelinquunt, amētes esse.* Vt enim vinum iudicium corrumpit, sic malitia intellectum deprauat, & animi præstantiam turpi dedecore maculat & deformat.

Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta.] In Hebraico est in hunc modum *ci tsar, tsar tsar tsar, kar lakar kar lakar*, primum verbum est *tsirrah*, quod significat precipere, mādare, imperare, vt Deuteronomij capite 3. Legem præcepit nobis Moyses: & aliis in locis. Alterū verbū est *karah*, quod significat expectare, vt in Psal. Expectans expectaui Dominum. Et Esaiæ cap. 5. Expectaui vt face-

vt faceret vvas. Vnde constat nostrum interpretem rectè hæc verba interpretatum fuisse, cuius interpretationem in explanatione explicuimus. Pagninus verò ita hunc locum transfulit ex Hebræo: Nam vt mos est pueris, datur eis præceptum, post præceptum, præceptum post præceptum, linea post lineam, linea post lineam. Huius interpretationis hic est sensus: Iudæi sunt instruendi more puerorū, quibus nō statim omnia dicuntur, sed datur illis vnum præceptum, & postea alterū, nunc vna regula, deinde altera, & ita paulatim instruuntur, quoniā sunt iudicio imbecillo & imperfecto. Hūc se ipsum secutus quidam ita transfulit: Quia præceptū post præceptum, mandatum post mandatum, regula post regulam, instructio post instructionem. dictio Kar pro qua Pagninus interpretatus est lineam, & alius regulam, & instructionem, significat etiam directorium, amulsim, & perpendicularum, & ædificiū, & id quod Lusitani appellant oliuel. Vnde quando Hebræi volunt significare aliquid paulatim fieri, vtuntur hoc vocabulo, vt enim cæmentarius qui parietem construit, extensa linea vna facit vnum ordinem, & super illum eam extendit, & facit ordinem alterū, donec paulatim perficiat parietem, sic qui sensim rem aliquam efficit, illam dicitur linea & linea efficere, sumpta metaphora ab ædificantibus. Hęc dictio car est in psalmo 18. pro qua nos habemus sonum. In omnem terram exiuit sonus eorum. Quod D. Paulus de Apostolorum prædicatione interpretatur. Pro quo potest ex Hebræo verti: In omnem terram exiuit norma eorū, vel amulsis, vel perpendicularū, vel directoriū, vel linea, vel ædificium eorum. Omnia enim hæc veræ concioni conueniunt. Ea enim debet esse norma & regula vitæ nostræ, & secundum eam debemus actiones nostras dirigere. Debet ædificare, & ædificiū animæ nostræ ad rectam amulsim rationis construere. Fuit etiam Apostolorum prædicatione linea illa æquinoctialis cingens totum vniuersum.

Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem; lapidem probatum, &c.] Pro probato est in Hebræo bochan. Hebraismus proprie habet lapidem probationis. Esse hūc lapidem Messiam indicat paraphrastes Chaldaicus ita hunc locum vertens: Ego pono pro fundamento in Sion regem Messiam regem potentem & angularem.

Qui crediderit non festinet.] Pro non festinet est in Hebræo, lo iachix, pro quo Septuaginta interpretes verterunt, Non confundetur. Hunc locum citat Apostolus in epistola ad Rom.

Simile.

Rom. 10.

Rom. 10. manos iuxta Septuaginta translationem, volens ostendere veros Christianos non esse confundendos.

Argumentum Capitis XXIX.

Deplorat Propheta Iudeorum euersionē per Babylonios, & postea per Romanos, eorumque animorum cæcitatē & perfidiam. At de eorum gentiumque euersione vaticinatur.

CAPVT XXIX.



VE Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid. Additus est annus ad annum, solennitates euolutæ sunt. Et circūuallabo Ariel, & erit tristis & mæres, & erit mihi quasi Ariel. Et circūdabo quasi spheram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquiū tuum. Et erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquiū tuū musitabit. Et erit sicut puluis tennis multitudo vētilantium te, & sicut sanilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te præualuerūt. Eruntque repētē confestim à domino exercitūū, uisū tabitur in tonitruo & rōmōtione terræ, & uoce magna turbini & tēpestatis, & flamma ignis deuorantis. Et erit sicut somniū uisionis nocturnæ multitudo omnīū gentiū, quæ dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerūt, & obsederunt, & præualuerūt aduersus eam. Et sicut somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit experge factus, uacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius uacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

EXPLANATIO.

Ve Ariel.] Ariel idem est quod leo Dei, per quem intelligitur Hierosolyma, ciuitas quorundam florentissima & fortissima, quæ ob fortitudinē & veri Dei religionem leo Dei appellabatur. Expugnauit eam Dauid, quando cepit arcē Sionis, quæ postea fuit uocata ciuitas Dauidis, ut diuina literæ docent lib. 1. Paralipomenon c. 11. Hæc ciuitas tempore Dauidis neminem timebat, ideo appellabatur leo, de quo dicitur in Prouerbiis: Leo fortissimus bestiarum ad nullius uacubit

Pro. 10.

uebit occursum. Vel appellabatur ita, quia inter omnes ciuitates principatū obtinebat, & regia fulgebat dignitate, quemadmodum leo inter animalia: & de ea dicitur in Lamentis Ieremiæ: Facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo. Vel appellabatur leo, quia manē & vespere in templo animalia occidebantur: solent enim leones & manē & sero animalia trucidare & glutire. Er ita melius capitur pro tēplo quā pro ciuitate. Sūt qui per Ariel intelligant altare templi, quibus fauet versio Chaldaica, ita enim habet Thargum: Væ altari altari, quod ædificatum est in ciuitate, in qua habitauit Dauid. Et apud Ezechielem cap. 43. apertē Ariel capitur pro altari. Fit autē hic mentio Dauidis, quia illi fuerat ostēsus locus, in quo templū erat ædificandum. Forasse dicitur Leo Dei ob magnitudinem, ea enim quæ magna sunt, Dei appellantur, vt est illud Genesis. Spiritus Dei ferebatur super aquas, hoc est, ventus magnus. Sic dicimus Montes Dei, cedros Dei, ea enim quæ Dei sunt, magna sunt. Et quāuis Ariel capitur pro altari, hic verō capitur pro ciuitate, quemadmodum in diuinis litteris pars pro toto passim reperitur. Dicit enim litera, Væ Ariel, Ariel ciuitas quam expugnauit Dauid.

Ierem. 2.

Gen. 1.

Additus est annus ad annum, solennitates euolutæ sunt.] Hoc est, post aliquos annos euoluentur & peribunt solennitates. Nam euerso templo & capta ciuitate omnis Iudæorum festiuitas perit, & sacrificia cessarunt, Vbi nos habemus: Solennitates euolutæ sunt, vertunt quidam ex Hebraico: Dies festi euertuntur, quod nostræ fauet expositioni.

Circumvallabo Ariel.] Verba sunt Dei dicentis se per Babylonios & postea per Romanos esse Hierosolimam oppugnaturum.

Et erit mihi quasi Ariel.] Hoc est: Vt cum victime offeruntur, plurima animalium corpora iacent circum altare, sic in obsidione & expugnatione Hierosolymæ prostrata erūt innumerabilia Iudæorū cadauera. Quasi dicat: Erit vrbs velut altare victimarū, plenū sanguine & animalibus interfectis.

Et circumdabo quasi spheram in circuitu tuo.] Hoc est, signam contra te castra vnde quaque, hoc impletum est tempore Titī & Vespasiani, Quemadmodum Christus Iesus apud Lucam alloquens Hierosolimam iis verbis prædixit: Veniēt dies super te, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c.

De terra loqueris.] Iacens in terra demissa & abiecta emittes vocem tuam submissam instar Pythonis. Quasi dicat:

B b 2 Eriſ.

Eris grauitè afflicta & abiecta.

Et erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te.] Id est, Erunt hostes tui & Hierosolyma innumerabiles. Sed non multum durabunt, Ipsi enim quoque peribunt: eruntque similes fauillis pertranseuntibus, paleis & quisquileis. Vide quàm fragilibus rebus comparet Diuinus vates tyrannos & potentes mundi, pulueri & fauillæ.

Eritque repente confestim.] Significat fore hoc celeriter: Nam verborum geminatio velocitatem significat.

Et erit sicut somnium.] Potentia mudi cum somnio cõparatur, quod fallit, & statim transit. Innuit iis verbis Romanorum potentiam parum duraturam. Aspice aptas & elegantes similitudines. Et statim comparat victorum gloriam voluptati esurentium & sitientium, quãdo somniant se comedere & bibere. Quæ voluptas fallax est & inanis: excitantur enim & inueniunt se fame ac siti laborare. Huiusmodi sunt mundi delicix, opes, voluptates, & honores, quæ omnia hic somnia appellantur. De his ait Ecclesiasticus in hunc modum:

Ecl. 5.4.

Somnia extollunt imprudentes: Quasi qui apprehendit vmbra, & persequitur ventum, sic qui attedit ad visa mædacia. Hoc secundum hoc visio somniorum. Aduerte obsecro & alta mente considera: res mundi appellat vmbra, ventum, mendacia visa ac manifesta, & somnia. Id autem quod ait: Hoc secundum hoc visio somniorum, hunc habet sensum: Mundi potentia & gloria, quæ est visio somniorum: non est res solida & vera, sed est hoc secundum hoc. Id est, spectrum ad imaginem alterius rei non est substantia, sed imago & figura. Id voluit scriptura significare in visione Nabuchodonosoris, qui mundi gloriam vidit, sed in somniis. Quapropter dicitur in Psalmo 72. Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Dan. 2.

Acsi diceret Psalmista: Tu Domine in gloria tua euertes imaginem rerum, quas mortales opinione decepti res solidas esse existimant. Ostendes mundi potentiam & opes nihil esse, præter somnium surgentium, & imaginem inanem. Et Esaias ca. 56. mundi amatores appellat dormientes, & somnia amantes. Nos igitur relinquamus somnia, & veritatem diligamus.

Obstupesce & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino mouemini & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros, qui vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederit scietis literas,

litteras, dicit: lege istū, & respondebit: Non possū, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diciturque ei lege, & respondebit: Nescio litteras. Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eis longe est à me: Et timuerunt me mādato hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addā, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Vt qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio. Quasi lūm contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me. Et *Abd. r.* *Eccl. 23.* *figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.*

Obstupefite & admiramini. ¶ Alloquitur Propheta Iudæos, vt secum cum magnā admiratione cogitent quæ sit causa acerbæ afflictionis, quam illis cōminatur, & intelligant esse suam ignorantiam & prauitatem. Prædicat Iudæorum obcæcationem. Possunt omnia hæc verba per futurum verti, vt fit sensus: Obstupefctis & admirabimini præ magnitudine & acerbitate vestrarum calamitatum: fluctuabitis & vacillabitis, & eritis veluti ebrii & amentes.

Quoniam misit vobis Dominus spiritum soporis. ¶ Hoc est, intellectus alienationem. Non quod Deus auferat intellectum, sed propter hominum impia scelera non dat illis gratiam, nec spirituale lumen, vt videant veritatem. Ex quo fit vt incidant in grauiora peccata, & abyssus abyssum inuocet. Et ita nullo virtutum splendore mouentur. Vt enim qui visu omnino carent, nec auri colore, nec vllius fulgentissimi lapidis splendore, nec ipsa solis splendidissima luce mouentur, sic illi, qui animi cæcitate laborant, nec virtutis ornamentum excellentēque pulchritudinem intuetur, nec ipsius solis iustitiæ, & diuinæ lucis pulcherrimos & micantissimos radios contēplantur. Imò obcæcati, fiunt indies deteriores. Dicitur igitur Deus mittere in aliquem spiritum soporis, eiusque oculos claudere, quia ei gratiam non tribuit, cuius luce priuatus peccator terriora scelera concipit & admittit. Non intelligas Deū esse causam peccati. Sed dimittit peccatores, iuxta id quod ipse Deus ait in psalmo. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Vbi vides peccata esse hominum inuentiones. Ita intelligitur id quod dicit scriptura. Induravit Deus cor Pharaonis, & quod ait Apostolus in epist. ad Roman. qui postquam numeravit peccatorum flagitia, intulit: Propter quod tradi-

Simile.

dit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, & cætera. Et paulò post. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Vbi aspicis vnum peccatum esse pœnam alterius, & peccatorem ex vno scelere in alia terriora incidere, Vt enim fluuius licet ex paruo fonte nascatur, recipit tamen crementa aliorum fluuiorum, & quo longius procedit, eò plures fluuios in se recipit, & maior fit, donec magno impetu & violenta inundatione quidquid obicitur, secum rapiat & trahat, sic vni iniquitati additur altera, & postea alia, & quò longius dilatatur, maior recipit scelerum incrementa, donec peccator ad immanissima flagitia & teterrima facinora progrediatur. Id euenit nostris temporibus Luthero, qui ex quibusdam vitiis deuenit ad alia, donec in tantam incidit impietatem & cæcitatem, tam tetras fraudes concepit, tam nefariis sceleribus se contaminauit, vt fidem relinqueret, ecclesiam catholicam & Apostolicam contemneret, & secum infinitam hominum multitudinem suis dolis deceptam ad æterna supplicia asportaret. Illud etiam est aduertendũ, Deum id eò non dare gratiam aliquibus, quia ipsi nec eam volunt, nec se ad eam disponere student.

Es erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.] Hoc est, non intelligetis Prophetias: Er̄it vobis sacra scriptura clausa & signata. Aduerte: Non dixit visionem omnium Prophetarum signatam & occultam fore omnibus legentibus & audientibus: sed quid ait? Er̄it vobis, &c. vt Iudeorum infidelium cæcitatẽ significaret, qui cotidie sacram scripturam legunt, eam nunquam intelligentes, de quibus ita ait Apostolus ad Corinthios scribens: Vsq̄ue in hodiernum diẽm id ipsum velamen in lectiõne veteris testamenti manet nõ reuelatum, quod in Christo euacuatur. Sed vsq̄ue in hodiernum diẽm cum legitur Moyses, velamen positũ est super cor eorum. Cũ autem conuersus fuerit ad Deum auferetur velamen. Hæc D. Paulus de hoc libro, per quem sacra intelligitur scriptura, sic ait D. Ioannes in Apocalypsi: Quis est dignus aperire librũ, & soluere signacula eius? Et nemo poterat nec in celo, nec in terra, nec subtus terrã aperire librũ, neq̄ videre eũ. Et vnus de senioribus dixit mihi. Ne fletueris, Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Daudis, aperire librũ, & soluere septem signacula eius. Et Paulò post inquit, Leonẽ illum librum aperuisse, Leo de tribu Iuda est Iesus Christus Deus noster, qui vt ait D. Lucas, aperuit discipulis suis sensum

*1. Cor. 9.**Apo. 5.**Luc. 24.*

senſum vt intelligerēt ſcripturas, & ipſe eas aperuit earumq; ſenſum doctoribus catholicis, & ſanctis reſerauit. Hic eſt liber de quo filius Dei dicit in Pſalmo. In capite libri ſcriptum eſt de me, hoc eſt, in ſumma totius ſacræ ſcripturæ. Pſal. 38.
 Hunc librum dicit Ezechiel ſcriptum eſſe intus & foris, propter duos ſenſus literalem & ſpiritualem, quod etiam vt inquit Naſiāzenus, fuit ſignificatum in tabulis legis ex vtraque parte conſcriptis. Ezec. 2.

Et dabitur liber neſcienti literas.] Quasi dicat, ſi Iudæi, qui literas didicerunt, non intelligunt ſcripturas, quid facient rudes & indocti.

Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me.] Hoc teſtimonium obicit Ieſus Scribis & Phariſæis apud Mattheum, ita dicens: Hypocritæ bene Propheta uit de vobis Eſaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ. Vnde colliges hoc caput contra Iudæos eſſe, & euerſionem, quæ hic prædicatur, intelligi de ea, quæ facta fuit à Romano exercitu, & teſtamentum vetus eſſe imaginem noui, nouum autem eſſe interpretationem veteris. Eos autem, qui Deum labiis tantũ honorant, ab eo animum ſeparantes, cõparat Chriſtus apud Mattheũ ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus inortuorum, & omni ſpurcicia. Sunt qui nõ habeant virtutem niſi in labiis, benedicentes, ſed ita animum à virtute ſeuocantes, vt cũ eorũ vira mirabiliter pugnet oratio. Tribuunt Deo linguam, quæ parum valet, cor autem, quo nihil habent præſtantius, tribuunt mundo. Vide ineptam partitionem. Sed quid faciet appetitus, ſi ille partitur, ſi illi tribuunt ædilitatem? Præbeamus Deo cor noſtrum, qui ait in Prouerbiis: Præbe mi cor tuum mihi. Dedit Deus vnicuique noſtrum clauem vnã, qua cor noſtrum poſſemus claudere & aperire, & alteram ſibi reſeruaui præcipit nobis, vt cor noſtrum illi præberemus, & illi ſoli illud aperiremus, dicens in Prouerbiis: Prou. 23.
 Omni cuſtodia ſerua cor tuum. At nos cor noſtrum à Deo ipſo abſtrahimus & mundo præbemus. Tradimus eius clauem mundo, dæmonis & carni illud turpibus cogitationibus implentes, nullaq; cuſtodia obſeruantes. Immo cũ illud deberet eſſe mundiſſimũ domicilium, in quo Deus habitaret, facimus illud diuerſoriorũ peregrinarũ, & ſtabulum iumentorũ. Honoramus Deũ ſolũ lingua, corde autem fugi- Prou. 4.

Heb. 10.
Prou. 7.
Psal. 71.

Psal. 44.
Simile.

Figura.

1. Cor. 1.

mus ab eo. Accedamus ad Deū cū corde vero in plenitudinē fidei, vt ait D. Paulus. Nam si fuerimus à Deo auersi, peribimus. Quemadmodum ait Salomon in Prouerbis: Auersio paruulorum interficiet eos. Et pater eius Dauid: Qui elongant se Domine à te, peribunt. Quid nobis proderit Deum labiis honorare, si eum fugimus, similes existentes Hebræis, qui pedibus ibant in terram promissionis, animo autem in Ægyptum reuertebantur? Porius Deus vult animum quàm os, & magis interiora quàm exteriora requirit. Gloria enim sitæ regis, hoc est animæ, debet esse ab intus, vt dicitur in Psalmo, & foris etiam in fimbreis aureis. Sed qui solū foris virtute fulget, intus verò est vitiiis maculatus, similis est falsæ & adulterinæ monetæ, quæ præ se fert veri nummi insignia, & auri colorem, & cum eius materia sit vile orichalcū. Lib. 3. Regum cap. 6. vbi nostra versio habet: Fecitque in templo fenestras obliquas: interpretantur nonnulli fenestras illas tēpli fuisse foris latas, intus angustas, vt ostenderetur templū illud magis diuino & interiori splendore illustratum esse, quàm corporeo lumine, extrinsecus veniente. Nam nos, qui sumus templum Dei, magis fulgere debemus interiore virtute, quàm exteriori apparentia, magis corde quàm labiis: nē similes simus Pharisæis, de quibus hoc in cap. Esaias vaticinatur.

Peribit enim sapientia à sapientibus eius.] Hoc est, Iudæi nulam habebunt veram scientiam, nec verum scripturarum intellectum. Hunc locum citat Apostolus in epist. 1. ad Corinthios dicens: Scriptum est, Perdam sapientiam sapientium & prudentiā prudentium reprobabo. Non dicit: Peribit sapientia à sapientibus, sed à sapientibus eius, vt significet populi Iudaici sciētiam perdendam esse. Id nostris oculis experlemus videmus, omnes enim Iudæi infideles in erroribus apertissimis versantur, & mala pro bonis amplectuntur.

Va qui profundi estis corde] Eos plangit, qui se sapientes esse existimant, qui putant latere Deum suas cogitationes. Non solum fideles, sed etiam infideles crediderunt Deum omnia videre. Vnde Ægyptij quando volebant Deum significare, pingebant oculum super sceptrum, significantes Deū esse rectum regem omnia intuentem.

Quasi si lutum contra figulum cogites.] Comparat hominem cum luto. Ac si dicat: Vt figulus habens lutum in manu fingit vt vult, & potest fictile vas perdere, & ex eodem luto alterum conficere: sic Deus, in cuius manu estis, vos poterit facile

facile perdere & mutare.

Nōne adhuc in modico & in breui conuertetur libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur? Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino letitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt, quoniam defecit qui præualebat, consummatuſ est illuſor, & succiſi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verba, & arguentem in porta ſupplantabant: & declinauerunt fruſtra à iuſto. Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham. Non modo confuſus detur Iacob, nec modo vultus eius erubeſcet, ſed cū viderit filios ſuos opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt, & ſciet errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem.

Nōne adhuc in modico & in breui.] Prædicat cognitionem Dei, veramque religionem conuertendam eſſe à Iudæis ad Gentes. Libanus ſonat dealbationem, per quam populus Gentium intelligitur, qui fuit aquis baptiſmi ablutus. Hic cōuerſus eſt in Charmel, hoc eſt, in populū Dei, ſonat enim Charmel cognitionem circunciſionis, per quam populus, qui antea Deum colebat, ſignificatur, hoc eſt Iudaicus, qui conuerſus eſt non in pomarium, ſed in ſaltum, in arbores ſteriles, quæ non laudāt cum lignis fructiferis Deum noſtrum.

Et audient in die illa] Hoc eſt, tempore gratiæ ſurdi, id eſt gentes, quæ antea verbum Dei non audiebant, illud audiēt. Et qui antea animi cæcitate laborabant, oculos aperient, & veritatem aſpicient. Tunc lætabuntur mites, audientes: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrā: & exultabunt pauperes audientes illud: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Quoniam defecit qui præualebat.] Hoc eſt, diabolus, de quo Chriſtus, qui eum vicit, ſic ait apud Lucam: Cū fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Chriſtus eſt qui arma diaboli abſtulit, eiſque ſpolia diſtribuit. Hunc diabolum appellat hoc in loco Eſaias illuſorem, quoniam dolis ſuis homines illudit, & fallit.

Et succiſi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniquitatem.] Hoc eſt, dæmōnes. Poſſeſt intelligi de hominibus nefariis, qui moribus peſtilentibus alios incitant ad vitia ſectanda.

Et arguentem in porta ſupplantabant.] Hoc eſt, iudicem decipiebant.

piebant. Solebant enim quondam iudices in portis ciuitatis derelinquentes arguere, & iudicia exercere. Et declinauerunt frustra à iusto, hoc est, & iudicem fecerunt sine causa à iustitia declinare. Vel sic, & melius meo quidem iudicio. Peribunt & in æternas tenebras relegabuntur, qui moliantur perniciem eis, qui scelera publicè reprehendunt. Supplàtare arguentium in porta, est cõcionatores verbi Dei affligere, ne veritatem dicãt. Sunt enim multi homines vitis dediti, qui veros Dei concionatores lacerant & vexant, cõsque volunt à iustitia & veritate separare. De iis ait ita Amos: Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. Corripere in porta est publicè reprehendere.

Amos. 5.

Qui redemit Abraham] Qui nempe Dominus à brahamã eripuit à Chaldeis, & à cæteris hominibus flagitiosis.

Non modo confundetur iacob] Tempore, ait Deus, quo Esaias hanc prophetiam scribit, non confundetur Iudæorum populus, sed confundetur postea, cum filium meum mundi seruatorem non receperit, cum sanctos Apostolos, qui erunt opera manuum mearum, viderit oculis suis nomen meum sanctificantes, & euidencia miracula facientes. Tunc enim gentes, quæ antea errabant spiritu, intelligent veritatem, & inuisitatores & susurrone discant euangelium, & vitia ac falsos deos repudiabunt.

Sanctificabunt sanctum iacob.] Iacob est genitui casus. Hoc est, eum qui dedit sanctitatem domui Iacob, qui populum Hebræorum docuit religionem, verumque Dei cultum, sanctum esse ostendent, & laudibus efferent.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXIX.

Fluuate & vacillate.] In Hebræo est in hunc modum *hixtaxu vaxoau* à verbo *xua*. Vnde potest verti: Excæcabuntur, & alios excæcabunt. Verbum enim hoc præter alias significationes obcæcare significat. Quod Iudæorũ infidelibus magistris dicitur, quos in præseni Esaias alloquitur. Nõ enim solum ipsi in erroribus versantur, sed alios etiã decipiunt, & ad eosdem errores adducunt.

Lassus adhuc sitit & anima eius vacua est.] Pro vacua est in Hebraico *xokekah*, à verbo *xokek* quod præter alia significat cõcupiscere & feruere. Vnde Pag. vertit: Er anima ei appetit Pro quo poteris transferre: Et desiderium eius adhuc feruet.

uet. Ex quibus colliges animam res mundi concupiscentem earumque desiderio astantem, vacuam esse & inanem. Et sic quanto anima est concupiscentiis plenior, tanto est inanius. Solus Deus animam nostram implet, qui eam satiare potest.

Argumentum Capitis XXX.

Minatur diuinus vates interitum æternum Iudæis, qui euerfa Hierosolyma ad Aegyptum confugerunt, cæterisque hominibus, qui contempto Deo, & diuinis monitis pro nihilo habitis, humana solum quæerunt præsidia, qui fallacis spei specie decepti in perpetua ignominia & scelere voluntati. Hortatur mortales ad illas opes comparandas, quæ animam amplificat, & diuitem faciunt, ex quibus intellexerit posse veram dignitatem efflorescere & redundare. Prædicat vltimum iudicium, & describit infernum.

CAPVT XXX.



V & filii desertores, dicit Dominus, et facere
eis consilium, & non ex me: & ordiremini
velam, & non per spiritum meum, ut adde-
retis peccatum super peccatum, qui ambulatis
ut descendatis in Aegyptum, & os meum non
interrogastis, sperantes auxilium in fortitu-
dine Pharaonis, & habentes fiduciam in um-
bra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharao-
nis in confusionem, & fiducia vmbra Aegypti ignominiam.

Ierant enim in Taphnis principes tui, & nuntii tui vsque ad Hanes per-
uenerunt. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non po-
tuit. Non fuerunt in auxilium & in aliquam vtilitatem, sed in con-
fusionem & in opprobrium. Onus iumentorum austris. In terra tri-
bulationis & angustia leana & leo, ex eis viper & regulus volans,
portantes super humeros iumentorum diuitias suas, & super gibbum
camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit.
Aegyptus enim frustra & vanè auxiliabitur. Ideo clamaui super
hoc: superbia tantum est, quiesce. Nunc ingressus scribe ei super
buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo
in testimonium vsque in æternum. Populus enim ad iracundiam
prouocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui
dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere no-
bis ea

bis ea, quæ recta sunt. Loquimini nobis placentiâ, videte nobis errores, auferite à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israël. Propterea hæc dicit sanctus Israël. Ero eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniâ & in tumultu, & iniuxistis super eo, propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio caedus, & requisita in muro excelso.

EXPLANATIO.

Væ filii desertores.] Filios desertores appellat Deus eos, qui eo contempto ad humana remedia confugiunt: Aspicias hic quàm grauitèr delinquant ij, qui in periculis, in ærumnis & necessitatibus Deum non cõsulant, nec ad ipsum confugiunt, sed in hominibus totam spem suam ac fiduciam reponunt. Vult Deus vt in ipso spei nostræ ancorâ constanter figamus.

Ordiremini telam & non per spiritum meum.] Humanum consilium Dei voluntati repugnatos appellat Deus telâ, quâ homines ordiuntur, quæ quoniam solum humano ingenio nititur, quamuis mulro tempore cõficiatur, vna tamen hora facillè rumpitur & scinditur. Orditis quandam etiam telam, vnum filum figis in India, alterum in Lusitania, aliud in Italia, alia in aliis locis. Cum autem existimas rem magnâ confecisse, venit mors, & scindit omnia tuæ spei fila, & totam telam breui temporis spatio rumpit & perdit. Et priusquam mors veniat, mûdus ipse omnia euertit & labefactat. Vt qui falsorum honorum humanarumque diuitiarum telam orsus fueras, in perpetua ignominia verferis, nec desinas miseram illam commutationem tuam celèrem & tâ variam deplorare. Eam ob causam sapientissimus ille Propheta & illusterrimus rex hominum vitam cum araneæ tela comparat, quæ in aère pendet, & facile scinditur, & in terrâ proicitur, & pedibus conculcatur. Ita enim ait: Anni nostri sicut aranea meditantur. Ac si diceret: Nos in annis nostris meditamur & exercemur veluti araneus telâ suâ conficiens. Qui bus verbis significat, pleròsque mortales incredibili labore & solitudine vitam transigere, qui vt opus suum perficiat, se euiscerant & cruciant, cum opus sit fragilissimum. Comparat itaque hoc in loco Esaias spẽ & consiliũ iniqui hominis cũ tela, quemadmodũ ait cap. 59. Telas araneæ texuerunt. Et Iob de iniquo homine ait: aranearum tela fiducia eius.

Qui ambulatis vt descendatis in Aegyptum.] Pisces & aues produxit Deus ex aquis, vt literę diuinę testantur. At in hostibus suis fugiendis pisces descendunt ad imas profunditates, aues

Psal. 32.

Iob. 8.

Gen. 2.

aues verò ascendunt ad aëris altitudinem. Vide diuersitatem rerum ab vno ac eodem elemento productarum. Quædam descendunt, quædam verò in altum feruntur, sic homines ex eadē terra formati, alij ad afflictiones declinādas confugiunt ad mundi præsidium, humana conquirentes, alij alta petunt, mundiq̃ auxiliū non curantes, in Deo vero spem omnē suam constituunt. Quorum quidam dicebat: Quoniam tu es Domine spes mea, altissimū posuisti refugium tuum. Itaque quidam descendunt vt pisces piscatorem fugientes, quidam verò altiori animo præditi ascendunt vt aues, aucupis insidias declinantes. Mundi cultores quærunt mundi præsidium, & in amaris ac turbulentis aquis tanquam pisces vitiorum voragines appetūt, vnde ad imas & profundissimas inferorum tenebras descendunt, pii autem viri auius comparati se à terra eleuant, ne capiantur visco, & aliorum animalium fiant præda, & in sublime volant, vnde ad superas ac sempiternas oras feruntur. Hos, qui in afflictionibus & calamitatibus terram solū intuentur, & in hominū adiumentis solū spem omnem ponunt rerum suarum, alloquitur in præsentī noster vates dicens: Qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum. Cæterū hoc in loco prædicit Esaias historiam quam postea Ieremias literis mandauit, inter quem & Esaiam multi anni interfluxerunt. Est igitur historia hæc. Euersa Hierosolyma à Babyloniis præpositus est iis, qui in Iudæa remanserant, Godolias. Quo dolo se interfecto timuerunt Iudæi regem Babyloniæ, & interrogauerunt Ieremiam quid facerent: Quibus Ieremias respondit, vt quiescerent, & in terra manerent. Nam si in Ægyptum descenderēt, scirent se esse interficiendos. At Iudæi timentes ne Chaldæi venirent, eosq̃ occiderent, aut in Chaldæā transferrent, noluerunt credere vaticinio Ieremiæ, imò verbis Dei, qui per Ieremiam loquebatur, & ingressi sunt Ægyptum, vbi perierunt. Habes hanc historiam capite quadragesimo primo Ieremiæ. & 42. & 43. Eam ob causam hic ab Esaiā appellantur filij desertores, & præuaricatores, qui derelicto diuino consilio, quod acceperant à Ieremia, suum appetitum sicuti sunt & offi sunt telam, non per Spiritum Dei, qui eis in ore diuini vatis sonabat, sed suis antiquis sceleribus hanc inobedentiā & contempionē addiderant, vt qui in Ægyptum descenderet. Sunt qui hanc vaticinationē contra decem tribus in Samaria scriptā esse existimant, quæ ab Ægyptiis auxilia postulantes captæ sunt ab Assyriis. Cæterum

Psal. 90.

rūn

rūm illud est hoc in loco aduertendum, non dixisse *Esaiaem* Vreatis in Ægyptum, sed vt descendatis. Ægyptus enim mīdus est, ad quem ire descendere, & à quo fugere est in sublimē efferri. Ideo commemorant diuinā literā prohibuisse Deum *Isaac* ne descenderet in Ægyptum.

Gen. 26.

Et os meum non interrogastis.] Hoc est, me non consulistis. Septuaginta habent: Et me non interrogastis. Eam ob causam Iudæi grauitè errauerunt, quia non postularunt à Domino, vt eos doceret quid facere deberent, sed proprio iudicio innixi in Ægyptum descenderēt. In libro Iosue cap. 9. refert scriptura Hebræos fuisse deceptos à Gabaonitis, & os Domini non interrogasse. Ideo in errorem inciderunt, quia à Domino Deo consilium non postularunt. Qui presulem electuri sunt interrogent os domini, eumque constituat quem Deus eos docuerit: iuxta id quod dicitur in Deuter. 17. Eum cōstitues quē Dominus Deus tuus elegerit. Vnde Apostoli sancti volentes eligere vnum loco Iudæ Deū orauerunt, & orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum: vt narrat in Actis diuus Lucas: Vel sic: Os meum, hoc est prophetam, nō interrogastis. Propheta enim os domini appellatur, iuxta id quod propheta dicit in Psalmo: Lingua mea calamus scribe velociter scribens, hoc est, Dei qui loquitur per os meum. Et noster *Esaia* cap. 34. Quod ex ore meo procedit, inquit, ille mandauit, nimirum Deus. Si hoc quod in præsentī propheta ait de decem tribubus in Samaria habitantibus intelligitur, facilis est interpretatio. Sed si de duabus tribubus Hierosolymæ commorantibus intelligi dicamus, tunc occurrit quæstio non facilis. Quomodo enim cohærebunt vaticinia *Esaia* & *Jeremia*, cū *Esaia* dicat Hebræos non quæsiuisse à Deo consilium, nec os eius interrogasse: *Jeremias* autem asserat, eos ab ipso *Jeremia* consilium postulasse. Deumque, qui in *Jeremia* loquebatur, consuluisse? Huic dubitationi possumus respondere, idem esse non petere consiliū, ac datum contemnere. Nolebant Iudæi instrui *Jeremia* consilio, nec illud ab eo ex animo petierunt: decreuerant enim se in Ægyptum conferre, sed eum interrogarunt, vt possent, quid ipse sentiret, explorare.

Deut. 17.

Act. 13.

Psal. 44.

Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti.] Aspicias quantum noceat confidere in fortitudine & auxilio principum terræ, & fauore in humano contempto diuino. Aduerte hominum fauores, opes & potentiam,

tentiam, vmbra[m] Aegypti appellari. Vt enim nihil fugacius *Simile*
 vmbra, nihil inconstantius, sic res humanæ nihil habent soli-
 ditatis, nihil perpetuitatis, nihil firmitudinis. Cur igitur que-
 ris, & ardentè concupiscis res mobilissimas, ineras vmbas,
 quæ tibi pariant confusionem & ignominiam? Si quidâ ho-
 mo ardenti siti æstualet, & relicto pulchro fonte emittenti
 fistulis aureis abundantiam gelidarum & excellentiû aqua-
 rum, ad fontis & aquarum vmbra[m] se conuerteret, eaq[ue] am-
 plecteretur, vt ex ea biberet, & sitim sedaret, nõne ames &
 stolidus censeretur? Quis dubitat? Quemadmodû si fame la-
 borans, pulchra poma in arbore pendentia contemneret, ad-
 eorû[m]que fallacem vmbra[m] confugeret. Quanto igitur a-
 mentior & insanior iudicandus est ille, qui relicto vero Deo,
 qui est summa illa ac sempiterna substantia, quæ sola satiare
 potest, inquit mûdi potentiam, fauorem, & diuitias, fuga-
 ces vmbas, nullam animi famem nec sitim extinguentes, in
 illisq[ue] totâ mentē, curâ & cogitationē figit, & collocat? *Jerem. 17.*
 Quis igitur Deum toto animo, humanoq[ue] auxilio nequa
 quam fidamus. Maledictus enim vir, vt ait Ieremias, qui con-
 fidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Id intelli-
 gens Dauid dicebat in psalmo: Nolite confidere in principi-
 bus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Id experti
 sunt Iudæi, qui Deo contempto Pharaonis auxilio niteban-
 tur. Venit enim Nabuchodonosor in Iudæam, cum audiuit
 mortuum esse Godoliam, descenditq[ue] in Aegyptum, quam
 expugnauit, & Iudæos qui ibi erant, interfecit, & ita eos fese-
 lit spes sua. Nã ubi vitam & securitatem inuenire purabant,
 ibi acerbissimam mortem, & turbulentissimam tempestatē
 inuenerunt. Tales sunt omnes qui relicta terra promissionis
 relicta religione, ad Aegyptum & Pharaonem, hoc est, ad
 mundum & diabolum confugiunt, & neglecto spiritu carni
 obtemperant.

In Taphnis.] Taphnis & Hanis sunt duæ ciuitates cele-
 bres in Aegypto. Sunt tamen qui dicant Hanem esse vltra
 Aegyptum.

Onus iumentorum austr.] Id est, dura prophetia aduersus Iu-
 dæos, qui in australi parte siti erant eremo confines, qui Ie-
 remiæ non credentes in Aegyptum descenderunt. Hos vocat
 iumenta, iuxta id quod dicitur in psalmo: Homo cum in *Psal. 48.*
 honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipi-
 entibus, & similis factus est illis. Potest hoc sic explanari: Se-
 quitur prophetia, quæ loquitur de bestiis, quæ vagantur in
 australi

australi parte, hoc est in eremo, & itinere quo ex Iudæa itur ad Aegyptum, in quas incident Iudæi ad Aegyptum descendentes.

In terra tribulationis & angustia leana & leo, ex eis vipera & regulus volans.] In vasta illa solitudine qua Iudæi ibant ad Aegyptū, erant immanes beluæ, leones & leang, & ex illis locis egrediebatur vipera & regulus volans, hoc est, serpens ignitus, qui saltu & volatu irruerat in Iudæos ferentes diuitias suas super humeros iumentorum, quando se in Aegyptum conferebant. Hæ sunt bestiæ de quibus dixerat: Onus iumentorū austrī. Sunt qui per leonem & leanam intelligūt ipsos Iudæos, quos appellauerat Propheta paulo antè iunēta austrī. Est igitur sensus: In eremo illius regionis australis erunt Iudæi euntes in Aegyptum, ex quibus Iudæis generati sunt illi, quibus postea Ioannes Baptista dicebat: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira: Nec est nouum populum Iudæorum leanam appellari, cum in libro Numerorum ita dicat Balaam: Ecce populus vt ligna confurget, & quasi leo erigetur. *Qua de re poteris videre Ezechielem capite 19 & Sophon. tertio.*

Mat. 3.

Num. 23.

Ideo clamaui super hoc, superbia tantum est, quiesce.] Cum ego mente aspiciam Aegyptum non posse populo Iudaico opem ferre, clamo illi, vt quiescat, ne ad Aegyptum descendat. Nam Aegyptus superbia mera est, inflatur enim non habens vires.

Nunc ingressus scribe eis super buxum.] Verba sunt Dei. Tu ô Esaiâ ingredi ad Iudæos, & scribe illis in tabulis buxi, ligni solidi & durabilis sui excidē vaticinationem, vt sit in perpetuum testimonium. Est autem buxus arbor perpetua coma virens, habens folia instar myrri, & lignum firmum, longōque tempore permanens.

Quid dicunt videntibus, nolite videre.] Per videntes intelliguntur Prophetæ, vt poteris videre primo Regum capite 9, & 2. Paralipomenon. 16. Qua de re alibi disseruimus. Dicebant Iudæi prophetis, ne illis recta, sed iocunda vaticinarentur, ideo subdit ea quæ sequuntur.

Loquimini nobis placentia.] Loquimini ea quæ nobis placere senseritis, & vaticinamini nobis falsa. Aspice perditissimorum hominū corruptelam & cecitatē. Talis erat Achab, qui interroganti Iosaphat vtrū esset aliquis Propheta Domini, qui veritatem prædiceret hæc verba respondit: Remāsit vir vnus per quem possumus interrogare Dominum, sed

sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Et paulo post refert scriptura eundem regem iratum vaticinio prophetæ eum in carcerem coniecisse, vbi pane afflictionis, & aqua angustiae sustentaretur. Et Asa alium prophetam illi veritatem dicentem in carcerem relegauit. *2. Par. 16.* Vt nam hodie nemo esset qui veritatem audire refugeret. At videtur hoc esse tempus illud, de quo dicebat Diuus Paulus in epistola ad Timotheum: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidè auditu auertent, ad fabulas autem conuertentur. Hi concionatores sunt similes vexillo in summitate mali nauis cõstituto, quod cum vento mouetur & mutatur. Sic illi auditorum voluntatem sequitur, præsertim principum, & eo tendunt, quo principes propensi sunt. Vt enim heliotropium herba circumagitur cum sole, sic illi cum principum voluntate. *2. Tim. 4.*

Simile.

Simile.

Auferite à me viam. Relinquire hanc viam vaticinandi, declinate à semita, qua ambulatis. Ne nominetis nobis sanctum Iseraëlis.

Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens. Id est, vt pars muri minans ruinam, repente cadit, & secum magnam muri partem trahit, sic iniquitas vestra & fiducia quam in hominibus ponitis, erit in causa, vt vos breui ruatis.

Quoniam subito dum non speratur veniet contritio eius, & commineatur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut bauriatur parum aquæ de fouea, quia hæc dicit Dominus Deus Iseraëlis. Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. In silentio spe erit fortiudo vestra. Et nolulistis, & dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus. Ideo fugietis. Et super veloces ascendemus. Ideo velociores erunt, qui persequuntur vos. Mille homines à facie terroris vnus, & à facie terroris quinque, fugietis, donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis, quasi signum super collem: Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exalabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus. Beati omnes qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Ierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserans miseretur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt adierit, respondebit tibi. Et dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tue audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis nec ad dexteram neque ad sinistram. Et contaminabis

Cc

laminas

laminas sculpsitium argenti tui & vestimentum constatilis auri tui, & disperges ea, sicut immunditiam menstruate. Egredere dices ei. Et dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra, & panis frugum terra erit vberrimus & pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiosus, & tauri tui, & pulli asinorum qui operantur terram commixtum migma comedent, sicut in area ventilatum est.

Quoniam subito dum non speratur.] Describit pœnam contemnentium verbum Dei, & speratum in humano auxilio. Sensus est: Ita conteremini, sicut hydria figuli, quando in manu frustra comminuitur.

Si reuertamini.] Nempè à voluntate vestra, & quiescatis in terra promissionis, non peribitis.

In silentio & spe erit fortitudo vestra.] Vide in quo sit iustum fortitudo, in tranquillitate & fiducia in Deo ex animi puritate & charitate perfecta. In Psal 36. vbi cõmunis versio habet: Subditus esto Domino, & cura eum, habent alij: Sile Domino & expecta eum. Ita enim potest verti ex Hebraico: Ac si diceret: Esto animo tranquillo, Deoq; obedienti, & pone totam tuam spem in domino, & saluus eris.

Et super veloces ascendemus.] Nos, dicebant Iudæi, ascendemus super equos celeres, vt possimus in Aegyptũ fugere. Quibus Deus ait hoc illis non esse profuturum: Imò eam ob causam fore Babylonios velociores.

Donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis.] Quando nauis aliqua frangitur in mari, & ad rupem in alto absconditam alliditur, tunc eleuatur malus nauis ab illis nautis, qui euaserunt, ibi in terra in aliquo monte, vt eum videntes ij, qui postea ea parte nauigauerint, intelligant esse illic rupem in mari absconditam, aut periculum aliud, & caueant. Sic vos o Iudæi peribitis in Aegypto, & à Babyloniis interficemini. Seruabuntur tamen nonnulli pauci, qui erunt velut signum nauis fractæ, hoc est populi euerfi, vt deinceps cæteri homines tale signum aspicientes, declinet vestram superbiam & inobedientiam, in Deoque fidant, nec velint in solo humano præsidio spem suam collocare.

Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri.] Fuerunt Iudæi captiui: sed non statim perdidit eos Deus, sed expectauit, vt eorum misereretur. Nam postea tempore Cyri reuersi sunt à Babylone in terram suam.

Populus enim Sion habitabit in Ierusalem.] Iudæi post Babylonis captiuitatem reuertentur Hierosolymam, vbi habitabunt.

tabunt. Et tu popule Iudaice qui in captiuitate lachrymas fundes, recipe animum, quia veniet tempus quando non plorabis.

Et dabit tibi panem arctum & aquam breuem. J Dabit tibi Deus id quod tu petieris. Non petes autem rerum superabundantiam & vanitates, sed necessarium & honestum alimentum.

Et contaminabis laminae sculptilium, &c. J Commineus idola tua argentea & aurea, & vsque adeo ea immunda iudicabis, vt cum menstruo mulieris immundæ ea compares, Et dices idolo tuo. Egredere de templo. Et tunc dabit tibi Deus magnam bonorum copiam & abundantiam.

Et commissum migma comedent, sicut in area ventilatum est. J Tanta erit frugum copia, vt iumenta comedant migma sine paleis, repurgatum, & purum, sicut in area mundatum est, quod migma antea solebant mistum cum palea comedere.

Migma est pabulum iumentorum, quod nonnulli auenam vocant, alij farraginem. Cæterum, totum hoc ab illo loco: Populus Sion habitabit in Ierusalem, vsque ad finem captiuitatis, potest referri ad Christi aduentum. Tunc enim liberatus est populus, qui per peccatum fuerat captiuus, & habitauit Hierosolyma, hoc est in ecclesia, quæ est visio pacis, quam Christus suis reliquit. Et id quod dicitur, plorans nequaquam plorabis, huc habet sensum: Quamuis affligaris ô Christiane & pro Christo crucieris, piâque lachrymas fundas, intus tamen in Spiritu senties diuinam quandam consolationem, & pro lachrymis vitam æternam consequeris, iuxta illam Christi sententiam: Beati qui lugent, quonia ipsi consolabuntur. Et ita plorans foris, intus non plorabis. Et plorans in hac vita, in altera

Matt. 5.

gaudebis. Vbi vides non promittere Deum datum suis dilectis mundi voluptates, sed lachrymas & afflictiones: Ideo sequitur. Et dabit Dominus panem arctum, & aquam breuem, quia suis dilectis tribuit Deus paupertatem, qua cælestes diuitias consequantur. Beati enim sunt pauperes spiritui, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et id quod Christus promittit

Matt. 5.

daturum se in aduentu suo frugum abundantiam, intelligitur de spirituali alimento, quod Christus suis tribuit abundanter. Cætera quæ in hoc cap. continentur, spirituales habent intellectum.

Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riuus currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. Et erit lux luna sicut lux solis, &

lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Ecce nomen domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. Canticum erit vobis, sicut vox sanctificata solemnitatis, & lætitiæ cordis sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Israël. Et audiam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis. Allidet in turbine & in lapide grandinis. A voce enim Domini pauebit Assur virga percussus, & erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, & tympanis & citharis in bellis præcipuis expugnabit eos. Preparata est enim ab heri Tophet à rege preparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam.

Et erunt super omnem montem excelsum.] Hoc referunt nonnulli ad tempus post captiuitatem Babylonicam, quando Iudæi fuerunt in Iudæa reuersi. Et per diem interfectionis cū ceciderint turres, intelligunt euerfionem Babylonis per Cylum. Alij existimant hoc referendum esse ad victoriam, quam Iudæi de Sennacheribo reportarunt, & ad cladem illam admirabilem, quæ fuit in exercitu Assyriorum. Per turres fortes intelligunt Sennacheribum, cæterosque principes & magnates. Et tunc erit sensus: Cū tibi Deus victoriam tribuerit, dabit tibi omnium frugum tam vberem copiam, vt montium vertices, qui solent esse aridi & infrugiferi, sint præ copia pluuiæ feraces. Potest totum hoc vt dixi, ad Christi aduentū referri: & tūc per aquas intelligitur gratia & dona Spiritus sancti, quorum vt abundantiam significaret, dixit non solum aquam esse in vallibus, sed etiam in montibus & collibus. Per diem interfectionis multorum, cum ceciderint turres, intelligitur euerfio Hierosolymæ per Titum, quo tempore seruator charitatis Christianorum vigeat.

Et erit lux lune sicut lux solis.] Hoc est magna erit illo tēpore lætitiæ. Tūc enim Israëlitis lux splendidissima fulgebit. Vsque adeo erit admirabile gaudium, vt cælestia corpora gaudere & gratulari videantur.

In die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.] Cū Christus hominum vulnera curauerit. Ille enim est Samaritanus ille,

ille, qui hominem faucium, qui à Ierusalem descēderat in Iericho, & in manus latronum inciderat, curauit. Sunt qui hoc referunt ad cœlestem Hierosolymam, vbi nullus erit dolor, & illud de claritate solis & lunæ, dicunt futurum esse post finem mundi. Iudæi hoc referunt ad corpoream liberationem à Chaldæis, aut à Sennacheribo.

Luc. 10.

Ecce nomen Domini venit de longinquo.] Hoc est, de Persia & Media. Inde enim venerunt Darius & Syrus, qui Babylo- nem euerterunt, & Iudæos in libertatem pristinam reuocau- runt. Vel sic: Ecce Dominus veniet de cœlo, vt occidat exer- citum Sennacheribi: Id est, mittet angelum suum, qui exer- citum euertat. Potest hoc ita explanari: Ecce dominus De- us veniet post multum temporis: Assumet humanam car- nem, & euertet sceleratos. Eius aduentu peribunt peccato- res, hoc est, desinent esse peccatores, & iustificabuntur. Peri- bunt non quatenus homines, sed quatenus peccatores. Ita intelligitur. Id quod dicitur in psalmo: Increpasti gentes, & perit impius, Ac si dicat: Tu Domine per te, & per aposto- los tuos increpasti peccatores idola colentes, & perierunt eo- rum peccata, ita vt iam non appellētur idololatræ, sed Chri- stiani. Quod volens propheta explicare, subiungit: Et nomē eorum desisti in æternum, & in seculum seculi. Potest hic Es- saiæ locus exponi de aduentu Christi ad iudicium.

Psal. 2.

Et spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli.] Comparat iram Dei torrenti inundanti magno impetu, & iam ad guttur accedenti. Poteris per spiritum Dei intelligere angelum, quem Deus misit, vt Assyrios perderet.

Et frenum erroris quod erat in maxillis popularum.] Perdet Deus dominium & principatum tyrannorum, non quo ip- si regunt, sed quo subiectos attrahunt ad perniciem. Huius- modi sunt principes & præfules, qui blanditijs aut minis contendunt, vt sibi in rebus iniustis diuinæ que legi repug- nantibus obediant subditi. Talis principatus appellatur hic frenū erroris. Non enim debet subditus in iis rebus obedire, quæ diuinæ voluntati contradicunt. Oportet enim obedire Deo magis quam hominibus, vt dicebant Apostoli Actōrū quinto. Vel sic: Princeps frenum habet, quo subditos regere & moderari debet, & habenas in manu, quas aliquādo laxa- re cōuenit, aliquando restringere & contrahere. Eos qui se- se vitijs dedunt, cohibere debet, & in gyrum rationis ducere, ne appetitum sequentes, viam excidij & vastitatis percur- rāt: illis verò qui recta faciunt, & rationē ducē sequuntur, ha-

benas laxare debet, illis fauere, ne à virtutū cursu deficiat. At quādo princeps siue p̄sul improbis fauet, eisq; laxat habenas, iustos verò opprimit & affligit, eiusq; virtutis actiones prohibet grauius errat, & tale regimen frenū erroris nūcupatur. Cōparatur p̄sul equiti, qui habenis equū moderatur & domat, equus est populus siue ipsa dignitas. Et ita interpretatur D. Gregorius psalmū illū: Dormitauerūt qui ascenderūt equos. Et id quod ait Salomō in Ecclesiaste: Vidi seruos in equis, & principes ambulātes quasi seruos super terrā. Deplorat iis verbis Salomō mūdi intulitā & cæcitatē, qui sceleratos homines ad dignitates euehit, iustos verò deprimit & affligit. Vbi per equos populū, aut dignitatem & principatū intelligit, per principes, iustos, qui seipos regunt, & super appetitum suum principatum tenent, per seruos verò, peccatores, iuxta illud: Qui facit peccatum, seruus est peccati.

Ioan. 3.

Canticum erit vobis.] Effere mini gaudia, canetis p̄ lætitia, quemadmodum in festis & solennitatibus.

Sicut vox sanctificatæ solennitatis.] Fortasse scribendum est sicut nox, & ita habent nonnulli codices. Ex Hebræo sic posunt hæc verba transferri: Canticum erit vobis noctis præparandi escam. Quæ verba hunc habent sensum: Cantabitis tunc, quemadmodum solent cantare ea nocte, qua præparatur hostia, quæ est orta luce immolanda. solebant enim Hebræi immolare hostiam mane, & eam noctem præcedentem cantionibus transigere. Hebræi dicunt exercitum Sennacheribi fuisse nocte Passchæ occisum. Id quod fauet eorū interpretationi, qui hoc de Sennacheribo exponunt. Pagninus vertit: Sicut in nocte, &c.

Vt intret in montem Domini.] Id est, in templum, quod situm est in monte Sione.

Et audiam faciet Dominus gloriam visionis suæ.] Per hæc vocem intelligunt nonnulli tonitruum, quod præcessit cladem exercitus Sennacheribi. Et per flammam ignis deuorantis, ignem, quo combustus est exercitus. Et dicunt fuisse nocte illa nimbū & grandinem, quibus rebus voluit Deus irā suam ostēdere, & Sennacheribū terrere. Ideo sequitur: A voce enim Domini pauebit Assur percussus virga, hoc est, diuina iustitia punitus.

Et erit transitus virgæ fundatus.] Percutietur Sennacheribus grauius, nō leui ictu & flagello, sed duro & fundato vapulabit. Et hæc virgā requiescere faciet dominus super Sennacheribū, hoc est, nō statim eū destinet, sed in percussione permanebit.

bit. Et erit hæc clades Assyriorū in tympanis & citharis, hoc est, in die Pasche, quando iis instrumentis uti solent. Vel per hæc musica instrumenta intelligitur lætitia, qua omnes afflicte batur interitu Assyriou, ob eorū superbiam & immanitatē.

In bellis præcipuis expugnauit eos. Quauis Assyrii in bellis paruis vicerunt, tamen in bellis magnis expugnati sunt. Vel præcipua bella ea appellat, quæ Dei virtute geruntur.

Preparata est enim ab heri Tophet à rege preparata.] Describit propheta infernū damnatorum, & dicit illuc deiiciendos esse Assyrios. Vbi aspicias impios esse æternis cruciatibus puniendos. Tophet erat locus prope Hierosolymā in valle filiorum Hennon, quo cadauera & alia immunda proiiciebantur. Sed hic nō de eo loco agit Esaias, quoniā non in eo sepultus est Sēnacheribus, ut literæ diuinæ aperte indicāt, & nos alibi ostēdimus. Præterea hæc quæ hic de Tophet dicitur, loco illi qui est propè Hierosolymā, conuenire nō possunt, sed inferno pro quo hic accipitur, & de quo Esaias in præsentī loquitur. Ait igitur propheta hunc locū esse preparatū à rege, hoc est, à Deo, ab heri, hoc est, initio mundi, & esse profundū, & capacissimū, iuxta id quod supra dixerat: Diaraui infernū animā suā. Præterea dicit esse igneū, significās dānatorum cruciatus, & æternū, quia Deus accendit statu suo pyrā, quemadmodū ignis sulphure iniecto ardet & alitur. Cæterum totū hoc potest referri ad diē vltimi iudicij, quando Christus venturus est iudicatū viuos & mortuos. Et finito iudicio piī ac iusti cantabunt, & æterna voluptate perfundentur, improbi verō in cæcas & æternas tenebras, & in ignem inextinguibīlem relegabuntur. Expende literam huius capituli: & fortasse approbabis maximè hanc scientiam. Id quod hic dicitur:

Ardens furor eius, &c. fuerat iā à Dauide prædictum in psalmo: Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tēpestas valida. Quæ quidē de secundo Christi aduentu dicuntur, quanquā possint ad primū etiam referri. Per Assur intelligitur diabolus, & cæteri impij, qui sunt in æternum cruciandi.

Supra 2a

Psal. 42a

Annotations ex Hebræo in

CAPVT XXX.

Et ordiremini telam.] In hebræo est, ve lino c masserati. Prima dictio est verbum nasac, quod præter alia significat abscondere, ideo potest hic locus ita verti: Et absconderent se

abscondere, ideo potest hic locus ita verti: Et absconderet secretum, vel ut se absconderent sub alto presidio, ut fit sensus: Ut illis qui volunt sub Ægypti tutela abscondi, potius quam ad seipsum confugere. Sed quoniam verbum hoc nasci significat constituere, potest hic ad principis electionem referri, ut in 2. psal. Ego autem constitutus sum rex. Hinc quidam Hebræus sic hunc locum interpretatur. Væ filij desertores, dicit Dominus, ut ponerent super se principes non secundum voluntatem meam. Vbi vides regem & præfulem eligere iniustum & ineptum, esse ordiri telam aduersus Deū. Huiusmodi præfulis principatum appellat postea Esaias frænum erroris.

Ecce nomen Domini venit de longinquo.] Septuaginta habent: Ecce nomen Domini venit post tempus multū. Quod de Christo intelligitur: Thargum habet ita: Ecce nomen Domini reuelatum, quemadmodum vaticinati sunt Prophetæ, qui fuerunt ab initio. Ac si Esaias ostenderet Christum, & diceret, Ecce Christum: Hic est ille, quem diuini vates multo antè venturum esse prædixerant. Pro de longinquo in hebraico est mimmerchac, quod ad verbū potest verti, de longinquitate.

Tophet à rege præparata.] Pagninus habet, Tophet etiam ipsi regi præparata est. Quidam per hunc regem, cui Deus infernum parauit, intelligit Sennacheribum: Ego existimo esse diabolum, de quo ait Christus apud Matthæum: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Per regem igitur mundi intelligitur diabolus, quem Christus apud Ioannem principem huius mundi vocat, cui Deus infernum parauit.

Matt. 25.

Ioan. 12.

Argumentum Capitis XXXI.

Deplorat Esaias eorum Iudæorum calamitatem, qui relicto vero Deo ad Ægypti præsidium confugebant. Describit Sennacheribi interitum, & ad fiduciam in Deo collocandum exhortatur. Est idem serè argumentum cum superiore.

CAPVT XXXI.

Væ qui



AE qui descendunt in Aegyptum ad auxili-
lium in equis sperantes, & habentes fidu-
ciam super quadrigis, quia multae sunt, &
super equitibus, quia praualidi nominis, & nō
sunt confusi super sanctum israel, & Domi-
num non requisierunt. Ipse autem sapiēs ad-
duxit malum, & verba sua nō abstulit. Et
consurget contra domum pessimorum, &

contra auxilium operantiū iniquitatē. Aegyptus homo & non Deus
& equi eorum caro & non spiritus. Et Dominus inclinabit manum
suam, & conuertet auxiliator, & cadet cui praestatur auxilium, simul-
que omnes consumentur, quia haec dicit Dominus ad me: Quomodo si-
rueat leo, & catulus leonis super praedam suā cum corruerit ei mul-
titudo pastorum à voce eorum non formidabit, & à multitudine eo-
rum non pauebit, sic descendet Dominus exercituum, ut praelietur su-
per montem Sion, & super collem eius. Sicut aues volantes, sic pro-
teget Dominus exercituum Israel, protegens & liberans, trāsiens &
saluans. Conuertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel.
In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quae
fecerunt vobis manus vestrae in peccatum. Et cadet Assur in gladio
non viri, & gladius non hominis vorabit eum & fugiet non à facie
gladii, & iuvenes eius vestigales erunt, & fortitudo eius à terrore
transibit, & pauebunt fugientes principes eius. Dixit Dominus, cu-
ius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.

EXPLANATIO.

Ve qui descendunt in Aegyptum.] Capite praecedenti hor-
tatus fuit propheta Iudaeos, ne descenderent in Aegyptum. *Exod. 14.*
Et quoniam praegrederat, eos descensuros esse, plangit eorum
excidium & vastitatem.

Habentes fiduciam super quadrigis.] Deberent Iudaei ad me-
moriā reuocare, quā parum haec omnia Aegyptiis profuif-
sent, quando ipsos Iudaeos persequentes, fuerunt in mari Ru-
bro mirabiliter submersi. Deberentq; dicere cum Dauide: *Psal. 19.*
Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini spe-
rabimus.

Et Dominum non requisierunt.] Animo, nam verbis osten-
debant se velle diuinum consilium sectari.

Et verba sua non abstulit.] Id est, Deus qui omnia scit, Iu-
daeos affixit, sed id quod dixerat esse illis facturum, non re-
uocauit, sed compleuit ea, quae per prophetas fuerat com-
minatus.

Quomodo

Quomodo si rugiat leo.] Sensus est: Vt leo esuriens & prædam lacerans non terretur à pastoribus, sic Deus intrepidè præliabitur super montem Sion pro populo suo. Et vt aues vt pullos suos protegant, volitant super nidus suos, & rostro ac vnguibus contra alias aues fortiter pugnant, sic Deus defendit Hierosolymam aduersus inimicos tuos. Alludit ad cladem Assyriorum propè Hierosolymam, quando Deus Iudæos eripuit, & Sennacheribi exercitum vna nocte per angelum suum interfecit. Comparat propheta Deum leoni, propter fortitudinem, & regium principatum super alia animalia. Ita Deum D. Ioannes appellat in Apocalypsi dicens: Vicit leo de tribu Iuda. Comparat eum quoque aui propter velocitatem. Et ipse Christus apud Mattheum ait: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiti. Et in Deut. dicitur de Deo. Expandit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. Apud hunc eundem prophetam cap. 10. minatus fuerat Rex Assyriorum perditurum se esse nidum cum pullis. At Dominus modò promittit defensurum se esse eundem nidum, ipsum autem regem perditurum.

Conuertimini filii Israël.] Hortatur Iudæos, vt ab infidelitate & profunda voragine vitiõrum exeant, & ad Deum cõuertantur.

In die enim illa abiciet vir idola argenti sui.] Euerfo Sennacheribo post admirabilè illam victoriam, quam de eo Iudæi nõ humano sed diuino præsidio adepti sunt, repudiarunt idola, scq; ad veram Dei religionè reuocarunt. Nonnulli referunt hoc ad tempus post reditum à Babylonica captiuitate.

Et fugiet non à facie gladii.] Nimirum humanè, sed à facie angeli exercitum suum, occidentis. Aufugit Sennacheribus cum paucis, scq; contulit in terram suam, vbi fuit à filiis suis interfectus.

Et inuenes eius vestigales erunt.] Famuli Sennacheribi erunt subditi Persis & Medis, illisque vestigal & tributum soluēt.

Et fortitudo eius à terrore transibit.] Sennacheribi fortitudo deficiet ob terrorem angeli stragem inferētis. Et magnates cum eo fugientes etiam terrebuntur. Tradunt Hebræi de cetero solū cū rege se in fugā coniecisse omnib; aliis interfecētis.

Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalē.] Per ignem hunc intellige eum qui erat Hierosolymæ in altari, in quo victimæ cremabantur, quem Dominus in Leuitico præcipiebat, vt semper in altari suo arderet. Poterit hoc sic explanari: Hæc dicit Deus, qui habet ignem ad inimicos suos consumendos,

mendos. Vel per ignē Sionis & Hierosolymæ intellige amorem & charitatem in ecclesia, quæ, vt alibi ostēdimus, & Sio & Hierosolyma nuncupatur. Hic est ignis ille, de quo Deus dicebat in Leuitico: Si obtuleris munus primitiarum frugū tuarum in Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igne. Spicæ sunt aētionēs, paleæ autem solum verba: Non loquitur hic Deus de oblatione palarum, sed spicarum, non enim solū verba quærit à nobis Deus, sed opera: ea autem debent esse igne charitatis incensa. Non vult hic spicas virentes, sed torridas, absq; mundi quisquiliis. Aētionēs enim absq; amore & charitate ad vitam æternam nō profunt, iuxta id quod ait D. Paulus: Si linguis hominū loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalū tinniens. Et statim subiungit multa, ostendens nulla opera ab eo qui est sine charitate, confecta, ad cœlestē beatitudinem prodesse. Vt enim cymbalum tinniens omnes ad templum & ecclesiam vocat, ipsum autem illuc non ingreditur, sic ille, qui de virtute disserit, ea autem caret, qui præclare loquitur, sed malè agit, alios ad excellentes virtutis aētionēs hortatur, vbi est verè laudis domicilium, illuc autem ipse non vult introire, sed omnibus verè dignitatis ornamentis nudatus, in summa ignominia versatur. Vt igitur aētionēs sint meritoria, oportet eas esse cum amore coniunctas, & igne charitatis inflammatas. Hic est ignis ille, quem Dominus in altari suo, hoc est, in anima nostra semper ardere præcipiebat: de quo ipse ait apud Lucam: Ignem veni mittere in terrā, & quid volo, nisi accendatur? Si Deum interrogas, quid attulit in mundum, respondebit tibi, amorem. Hoc enim est quod ait: Ignem veni mittere in terrā. Si ab eo quæras, quæ res eum attulit in mundum, respondebit, fuisse amorem. Ait enim D. Ioannes: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Si ab eo petas quid prædicauit, respondebit amorem. Ait enim: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c & proximū tuum sicut teipsum. Si ab eo scire velis quid in suo testamento commendauit, respondebit amorem, ita enim dicit. Hæc mando vobis vt diligatis inuicē. Quid multa? si eū interrogas quid est, respondebit esse amorem: Ita enim ait eius Apostolus: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, sine igne charitatis, ei qui est ipsa charitas, nemo gratus est. Cur Lutherani cæteri que hæretici sacrā scripturam tam falsō, tam impie & deprauatē interpretātur, nisi quia

*Figura.
Leuit. 2.*

1. Cor. 19.

Similitudo.

Luc. 12.

Ioan. 3.

Luc. 13.

Ioan. 13.

Ioan. 14.

*Simile.**Psal. 118.
Prou. 16.**Exod. 3.*

quia carent hoc igne, in quo deberent purissimum aurum de
 uinarum literarum fundere & conflare: Ingredere aurificum
 officinas, videbis eos ex eodem auro pulchra ac diuersa mo-
 nilia efficere, quoniam ita vult dominus auri Sancti ac ca-
 tholici doctores sunt aurifices, diuina scriptura est aurum, imò
 ipso auro multo pretiosior. Lex otis tui, inquit Dauid, lo-
 quens cum Deo, super millia auri & argenti. Et filius eius Sa-
 lomon in Prouerbijs: Posside sapientiam, quia auro melior
 est. Ingredere doctorum officinas, inuenies eos admirabilia
 & elegantia monilia ex eodem auro sanctæ scripturæ miro
 artificio polire. Hieronymus efficit diuina sacraria, & reli-
 quiaria. Augustinus cõnectit catenã auream subtilissimam.
 Chrysostomus constat aureos illos & preciosos canales, qui
 bus eius incredibilis verborum elegantia, & sententiãrũ co-
 pia & amplitudo copiosissimè fluunt. Et eodẽ modo de cæ-
 teris doctoribus. Hinc fluit catholicarum interpretationum
 varietas. Quanquam enim vna atq; eadem est sacra scriptu-
 ra, quamquam locus vnus à multis expositus sit idem, vult ta-
 men Deus, vult dominus scripturæ, vt varij doctores diuersi
 artifices, ex eodem auro diuersa aliquãdo, sed pia & vera, &
 catholica monilia consint & perpoliant. Sed vt in nullã au-
 rificis officinam introibis, in qua nõ inuenias ignis fornacẽ,
 vbi aurum fundatur & confietur, nam aliter erit, frigidũ fer-
 rum contundere, vt dicitur in Prouerbio, sic in animis san-
 ctorum doctorum est quedam ignis fornax, quoddam amo-
 ris incendium, vbi constant & seipsos, & suam doctrinã, sen-
 tentias, & interpretationes. Vtinam diuinus spiritus animũ
 meum afflet, in eoque hanc charitatis flammam incendat, in
 qua meas cogitationes, verba, & opera, & denique totum
 meipsum confiet & fundat. Hic est ignis ille admirabili ru-
 bi, ad quem Deus accedere iussit Moysen, qui erat sacram ac
 diuinam legem scripturus, & quem modò Deus per Esaiam
 ait esse Hierosolymæ, & in Sione, hoc est, in sancta sua ca-
 tholica & apostolica ecclesia, cuius vniuersalis pastor est
 summus Pontifex Romanus episcopus Christi vicarius, &
 successor D. Petri apostolorum principis, super quem Chri-
 stus ecclesiam suam ædificauit.

Annotations ex hebræo in

CAPVT XXXI.

*Væ qui descendunt in Aegyptum.] Pro væ, est in Hebraico
 Ioi: quæ dictio potest verti Væ, vt sit interiectio comminan-
 tis:*

his: quam rationem secutus est noster interpres: vel heu, vt sit intertectio dolentis & plorantis. Id quod à nobis fuit alio in loco explanatum.

Et iuuenes eius vestigales erunt.] In Hebraico est: Et iuuenes eius Lamas erunt. Pagninus vertit: Tributarij erunt. Quod cum versione nostra in idem coincidit. Potest verti: In liquefactionem erunt. Ac si diceret: Cadent animis & terrore deficient. Huic interpretationi fauet Thargū ita habēs: Fortes eius in contractione erunt. Septuaginta transtulerūt: Superabuntur. Illi enim qui in bello animo destituuntur & euanescent, facile superantur. Verbum est masas, quod significat euanescere, dissolutum esse, fugere, & interire: quā significationem sequuntur Septuaginta, & qui eos imitantur. Io sue 7. vbi nostra versio habet: Perterritusq; cor populi, poterat verti: dissolutū est cor populi, aut liquefactū est, idē enim verbū est in hoc & in illo loco. Potest etiā esse à dictiōe Mas quæ significat tributum, angariā, & censum, vt Threnor. 1. Princeps provinciarum facta est sub tributo. Ad hanc significationem attēdit noster interpres, quē secutus est Pagninus cum aliis. Ab hac dictiōe venit per additionē aspirationis Hebraicæ in sine Missah, quæ dictiō significat sacrificium, & oblationem factam Domino superiori propter debitum minus personale, vt in Deuteron. cap. 18. Oblationem spōtanēā manus tuę, quam offeres iuxta benedictionem Dei tui. Hoc nomē nostro sacrificio impostū retinemus nos Christiani, & ita appellatur à nobis Missa, quod nomen nec Latinum est, neque Græcum, sed Hebraicum. Vnde colliges Lutheranorum errorem, asserentium Missam nō esse sacrificium, nec ita debere appellari, cum etiam hoc nomen Missa ab ecclesia receptum & retentum, & ita à principio semper vsque adhuc appellatum, sacrificium & oblationem significet. Sed post Lutherū alij multo eo tetiores existunt, qui nō solum aiūt Missam non esse sacrificium, sed, quod detestabilius est, ipsam Missam, quæ est in ecclesia ab Apostolorum tempore, quam sancti & antiqui patres celebrarunt, quæ semper fuit apud Christianos in summa veneratione, penitus negant & irrident, idololatriamq; vocant. O impietatem nefariam? ô cæcitatem intolerabilem? ô obstinationem dignam gemitu, omnique lachrymarum abundantia.

Argumentum Capituli XXXII.

Describit Esaias regnum Ezechiz iusti ac pijs regis, & ex conse.

consequenti qualitates regni bene instituti. Sed cum hæc liberis mandaret, intuebatur mente, Christi regnum, de quo præcipue loquebatur: Prædicit infidelium Iudæorum excidium & calamitatem ob eorum in Christum nefariam impietatem & incredibile ingratitude, ipsiusque Christi regni euangelicam pacem & quietem.

CAPVT XXXII.



Ecce in iustitia regnabit rex, & principes in iustitia præerunt. Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, sicut riuus aquarum in siti & ymbra petre prominentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & plane. Non vocabitur ultra is qui insipiens est princeps, neque fraudulentus appellabitur maior. Stultus enim satua loquetur, et cor eius facit iniquitatem, ut perficiat simulationem, loquatur ad Dominum fraudulentè, & vacuam faciat animam esurentis, & potum sitienti auferat, fraudulentum vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdedos vires, in sermone mendacii cum loqueretur pauper iudicium. Princeps vero ea quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit. Mulieres opulenti surgite, & audite vocem meam, filie confidentes percipite auribus eloquium meum. Post dies & annos & vos conturbabimini confidentes. Consummata est enim vindemia, collectio vltra non veniet.

EXPLANATIO.

Ecce in iustitia regnabit rex.] Consolatur Propheta Iudæos, qui existimabant Ezechiam amissurum esse regnum, esseque à Sennacheribo superandum. Non ita erit, inquit, sed regnabit exercès iustitiam, eiusque regnum erit præclare gubernatum. Sed hic rex, quem diuinus vates animo contèplabatur Christus est, eiusque regno, potius quam Ezechie ea conueniunt, quæ hic dicit Esaias. Est igitur Christus rex ille, qui in summa ac diuina iustitia regnat. Non enim est acceptor personarum, ut dicitur in lib. 2. Paralipomenon, & D. Paulus in epist. ad Romanos scripta testatur. Hic est rex ille, què diuini vates prædixerunt Hierosolymæ & in Sione, hoc est, in ecclesia catholica esse regnaturum. Hinc diuino Spiritu affatus Dauid inducit hoc pacto loquentè. Ego autem constitutus sum rex ab eo

ab eo super Sion in monte sancto eius, prædicans præceptū eius. Quæ verba Dauidi congruere nequaquam possunt, sed sequitur enim statim: Dominus dixit ad me, filius meus es tu ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quæ verba fieri non potest vt conueniant Dauidi, sed Christo, de quo Paulus in actis Apostolorum, & in epistola ad Hebræos ea interpretatur. Hic est rex ille de quo dicitur in Psal. Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Et Esaias: Domine iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos. Et Sophonias: Letare & exulta in omni corde filia Ierusalem, abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos, rex Israël in medio tui. Hunc regem quærebant Magi dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Hic est ille, qui super crucē hunc titulū scriptum literis Latinis, Græcis, & Hebræicis habuit: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hanc inscriptionem Pilatus nõ sine mysterio iussit cruci affigere, & in ea reclamantibus Iudæis manere. Disposuit enim Deus, vt Pilatus, qui Iudæis in morte Christi assensus est, eisdem in delendo titulo nequaquam assentiretur, vt esset vniuerso orbi cognitum & perceptum, esse Iesum Christum Iudæorum regem, illis per sanctos vates sæpenumero promissum. Ideo tribus linguis fuit titulus inscriptus, vt posset ab omnibus legi & intelligi. Hæ enim linguæ erant cæteris aliis communitores in mundo. Et quoniam Christus rex est, non Iudæorum secundum carnem tantum, sed verè Iudæorum, hoc est, confitentium & credentium, qui secundum spiritum Iudæi sunt, siue sint Iudæi secundum carnem, siue Græci, siue Latini, ideo non vna tantum lingua, sed tribus fuit titulus inscriptus. De regno verò Christi ea poteris videre, quæ supra annotauimus in cap. 9.

Et principes præerunt in iudicio. In regno bene constituto principes præsumunt ad iudicium faciendum. Non enim decet, vt causas quibusuis committant, ipsi autem solùm deliciis & voluptatibus se dedant. Debent enim nõ solùm residere, sed præsidere. Docet locus hic, apertè ostēdit, in quo errore versentur hi, qui reges & præfules posse à suis ouibus perpetuò abesse temerè affirmant: cum hic dicat Propheta, in regno felici & recto principes non solùm populo adesse, sed præesse. Luna etsi sit minor stellis, plus tamè mouet hæc inferiora, quàm quæuis illarum, non quod ex se efficaciorē habeat virtutem & influentiam, sed quia ad nos propius accedit: est enim

Psal.2.

Act. 17.

Heb. 1.

Psal. 73.

Infra 33.

Soph. 3.

Matt. 2.

Ioh. 19.

Simile.

enim in infimo orbe, vbi citima radius solis accensa conuertitur. Vbi vides quantum habeat momenti ad inueniendū propinquitas. Eodem modo præsul debet præsentia sua oues suas regere, & rex à suo regno non discedere, vt possint subditos suos ad virtutem mouere, & recte gubernare.

Et erit vir sicut qui absconditur à vento.] Sensus est: Quicumq; sub vmbaculo huius regis iusta fuerit, sic erit tutus in afflictionibus huiusq; mundi procellis, quemadmodum qui ventum & tempestatem fugiens, se in loco tutissimo absconderit. Et erit veluti ille qui laborans siti, purissimos fontes viuarum aquarū inuenit in deserto, & qui in vehementi æstu ardore cuncta torrente, in placidissima vmbra ingentis rupis requieuerit. Aspicias hic multò potius & melius hæc de Christo intelligi, quàm de Ezechia. Docet igitur hic locus Dei erga pios viros clementiam & benignitatem, qui eos ad seipsum confugientes protegit, & reficit, & in suis periculis & calamitatibus tuetur & consolatur. Atqui in ærumnis suis ad mundum confugiunt, decipiuntur. Nam vbi præsidium & remedium inuenire existimant, ibi reperiunt maiora pericula, & subeunt vehementiores tempestates. Potest hic locus ita verti: Et erit vir ille vice laubuli à vento, & abscondito à nimbo. Vt sit sensus: Rex hic iustus erit omnium afflictionū refugium. Quod eandem habet sententiam cum priori expositione. Sed nunc vir accipitur pro rege, & in priori explanatione pro eo, qui confugit ad regem.

Non caligabunt oculi videntium.] Regnante Christo oculi eorum, qui antea cæci fuerant, iam videbunt, & qui surdis fuerant, diligenter audient. Hæc omnia fuerunt in aduentu Christi & corporaliter impleta, & spiritaliter.

Non vocabitur ultra is qui insipiens est princeps, neque fraudulenti appellatur magnus.] Nullus insipiens constituetur princeps, & nullus homo fallax & dolosus efferetur ad dignitatem. Aspicias hic in regno bene constituto nec ignorantem nec fallacem ad honorem & principatum promoueri. In lib. Leuitici præcepit Deus, ne animal sibi oblatum esset cecū. Quia in re significauit debere præfulem esse sapientem. Animal sine oculis est. Præsul sine scientia. In templo Salomonis erant bases, in quibus erant sculpti leones & boues & cherubin. Dauid sanguinarius templum illud, quod ecclesie catholicae gerebat imaginem, ædificare non potuit, sed Salomon rex pacificus. Quoniã venturus erat rex pacis Christus Deus noster, qui non alieno sanguine fuso, sed suo proprio ædificaret eccle

*Leuit. 2.**3. Reg. 7.
1. Par. 22.*

ecclesiã, omnia vt ait Apost. ad Col. suo sanguine pacificans *Coloss. 1.*
 siue quæ in terris siue quæ in cælis sunt. Quam ob causam cû
 Esaias principem pacis appellauit. Quid igitur sunt bases in *Supra 9.*
 templo, nisi Præsules in ecclesia. Quid per leones in basibus
 sculptos, nisi præfulum fortitudo significatur? Quid per bo-
 ues nisi labores? Quid per cherubim, nisi scientiæ plenitudo?
 Significat enim cherubim scientiam multiplicatam vel scienti-
 æ plenitudinem. Quemadmodum ergo bases illæ non erât
 sine cherubim, sic non debent esse præfules sine scientia. Hoc
 intelligens D. Paulus ita ait in Epistola ad Ephesios: Ipse de *Eph. 4.*
 dit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas,
 alios verò euangelistas, alios autè pastores & doctores. Vbi
 vides eum, qui pastor est doctorem esse debere. Non enim
 dicit: Alios pastores alios verò magistros sed alios autem pa-
 stores & magistros. Et in epistola ad Timotheum ita ait: *1. Tim. 3.*
 Oportet episcopum esse sobrium, prudentem, ornatum, pudic-
 cum, hospitalem, & doctorem. Inter qualitates pastoris nu-
 merat scientiam & doctrinam. Ceterum hæc verba Esaiæ
 poterunt habere hunc sensum: Tunc non erit locus adulatio-
 ni & mendacio, sed veritati: non enim laudabitur insipiens
 nec fraudulentus.

Stultus enim fatua loquatur.] Explicat quis sit stultus. Lege
 qualitates stulti, quas hic numerat Esaias, & videbis scelera:
 tum omnem stultum esse.

Et loquatur ad Dominum fraudulenter.] Particula ad, ponitur
 pro contra. Vel loqui ad Dominum fraudulenter est, Deo vota
 facere animo fallaci & iniquo, quæ non proponat implere.

Fraudulenti vasa pessima sunt.] Appellat Propheta cogita-
 tiones hominis fallacis & flagitiosi vasa siue arma, quibus
 simplices decipit & occidit. Vel per vasa intelligit mensuras
 fallias. Vel homines sperare à familiaritate & consuetudine
 hominum fallacium. Quasi dicat: Ne velis vti familiariter
 homine iniquo & fraudulento, ne comedas cum eo, nam etiã
 vasa eius pessima sunt.

Mulieres opulente surgite.] Hactenus locutus est de regni
 Christi felicitate. Nunc prædicit calamitatem eorum, qui nõ
 erât Christum recepturi. Eos vocat mulieres, & filias, ob eo-
 rum fragilitatem: excitatque vt surgant, & audiant suarum
 calamitatum vaticinium. Possunt per mulieres intelligi ciui-
 tates, per filias oppidula, villæ, & castella.

Post dies 40 annos.] Sensus est: Post Christi aduentum vos
 qui Christum contempseritis, post multum ab hinc tempus

conturbamini, & euertemini. Consummabitur vindemia & relinquetur in vinea, & nullus postea fructus feretis. Prædicit euersionem Hierosolymæ per Titum, aliarumque ciuitatum, quæ Christum recipere noluerunt.

Obstupefcite opulenta, conturbamini confidentes, exiite vos & confundemini, accingite lumbos vestros. Super vbera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii ciuitatis exultantis. Domus enim dimissa est, multitudo vrbis relicta est, tenebræ & palatio factæ sunt speluncas vsque in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum in Charnel, & Charnel in salum reputabitur, & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charnel sedebit. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. Grando autem in descensione salus, & humilitate humiliabitur ciuitas. Beati qui seminauerunt super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.

Supra 28.

Obstupefcite opulenta.] O ciuitates Iudeæ nobiles diuitifque affluentes admiratione terremini: nam post vindemiam, post vestram euersionem & captiuitatem per Titum non remanebunt botri, qui deinceps colligantur. Conturbabimini, quæ in humano præsidio fiduciam collocatis. Plorate & exiite vos, vestras preciosas vestes deponetes. Induite vos faccis super renes. Plangite super vbera: hoc est, pectora vestra lacrymis implete. Deplorate regionem desiderabilem, & vineam feracem & amœnam, quæ propter infidelitatem conuertetur in amaritudinem, & à Romanis euertetur. Sunt qui dicant intelligi hoc de captiuitate Babylonica, sed verba hæc: Consummata est enim vindemia, collectio vltra non erit: ostendunt hoc non de Babylonica, sed de Romana captiuitate intelligi. Est enim perspicuum post Babylonicam captiuitatem fuisse Iudæos in Iudæa collectos, & fructum religionis & pietatis attulisse.

Super humum populi mei.] Si spinæ & vepres repleturæ sunt Hierosolymam, quanto magis alia oppida Iudææ dedita mundi voluptatibus, vbi non est templum, nec tanta erga Deum religio? Vel sic: Si templum Hierosolymæ est comburendum, quanto magis domus ciuitatis: Si domus orationis est euertenda, quanto magis domus voluptatum?

Domus enim dimissa est.] Id etiam Iudæis prædixit Christus. Ecce,

Ecce, inquam relinquetur vobis dōmus vestra deferta.

Luc. 13.

Tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas. In ruinis & speluncis vbi fuerunt domus, erunt obscuritates, & tam dēse tenebræ, vt possint palpari, & vsque adeo erunt loca illa deferta, vt habitent ibi onagri & greges. Vbi modò sunt ciuitates, erunt postea cauernæ & latibula ferarum.

Donec effundatur super nos spiritus de excelsis. Versabuntur Iudæi in iis erumnis & miseris donec in Christum credant. Multi enim ex Iudæis receperunt euangelium, super quos effusus est spiritus ex alto, & verā felicitatē contecti sunt.

Erit desertum in Chamel. Id est, Solitudo gentium vertetur in diuitias Israhel, & Israhel reparabitur inter gentes. Prædicat conuersionem gentium, & cæcitatē Iudæorum.

Et habitabit in solitudine iudicium. In ecclesia ex gentibus congregata, quæ antea erat sterile desertum sine virtutum fructibus, erit iudicium, & iustitia erit recta, & præclara gubernandi ratio.

Erit opus iustitiæ pax. Ex iustitia sequetur pax. Sic dicitur in Psalmo: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Vbi vides iustitiam esse radicem, & velut fundamentum pacis, nec posse esse pacem absque iustitia. Ideo dicitur in Psalmo: Iustitia & Pax osculatæ sunt. Quibus verbis

Psal. 71.

voluit Diuinus vates iustitiæ & pacis coniunctionem explicare. Princeps aut Præsul, qui voluerit subditos in pace gubernare, sit iustus, & æqualis, & in medio constitutus. Nam

Psal. 48.

Christus Deus noster dicens discipulis suis: Pax vobis, steterit in medio, vt D. Ioānes testatur. Si Præsul steterit in medio, si seruauerit æqualitatē, in qua iustitia cōsistit, si nō odium, aut amorē ceterosq; affectus iudiciū corrūpentes, sed rectam rationē fuerit secutus, præclare administrabit, & florebit in diebus eius abundantia pacis. Ex quo colliges ridiculū esse præsulē, qui cū ipse nō sit in medio, cū affectus sequatur, cū deniq; sit iniustus, ad pacē subditos hortatur. Est enim hoc id quod ait Ieremias, dicens: pax pax, & non erat pax. Sit præsul in

Ioan. 20.

medio, tribuat vnicuiq; quod suum est, & tunc dicat pax vobis. Si enim in medio fuerit, nec erit motus, nec à constantia deiciētus. Cur terra sola immobilis est ex omnibus elementis, nisi quia est in medio mundi veluti centrū constituta? Ima se de semper hæret, cōplexa medium mundi locum, & in eā feruntur omnia suo motu pondera, Ideo quæta manet, cum

Ierem. 6.

omnia alia elementa moueantur. Si præsul quietem voluerit obtinere, si veluti terra producens fructus, humilis nō fuerit,

Simile.

Supra 9.

Perbus, omnes recipiat, sitq; in medio collocatus, & tunc dicat: Pax vobis, & imitetur Christum, quem Esaias alio loco principem pacis appellat. Sunt multi p̄sules, qui in fine sue gubernationis gloriantur se suis relinquere pecunias & possessiones, cum potius deberent gloriari se pacem reliquisse. Non enim Christus summus ille & excellentissimus pastor inquit, Divitias & possessiones relinquo vobis. Sed quid ait Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Vide quid relinquat suis subditis, pacem, non mundi copias, non aurum, non argentum, non dissensiones, non discordias, sed pacem, quæ sine iustitia esse non potest. Aspicias hic effectum ac fructum iustitiæ esse pacem. Vnde argumento à contrario sensu effectus ac fructus iniustitiæ est bellum & discordia. Iustitia parit pacem, iniustitia dissensionem. Potest enim hic locus Esaiæ intelligi de iustitia, qua homines iustificantur, quasi dicat: Iustitia quæ est per fidem formatam, pariet animi pacem & tranquillitatem. Etsi enim vir iustus in bellis & periculis verberetur, etsi tormentis opprimatur, animi tamen pacem non admittit. Imò appetit pro Christo vitam cum morte commurare, vt tali morte immortalitatem consequatur: Et de hac iustitia potest intelligi id, quod dicitur in psalmo. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Quia vbi est gratia, ibi est pax. Et ob eam causam diuus Paulus in exordio suarum epistolarum impetratur gratiam & pacem. Sine gratia enim vera pax esse non potest. Ex quo colliges impio non esse pacem, quemadmodum ait Esaias capite 48. & quinquagesimo septimo.

Psal. 71.

Et cultus iustitiæ silentium.] Exercebitur iustitia in silentio, sine iudicum tumultu & clamore. Non insultabunt iudices eis, quos damnauerint, sed compatientur, & eorum miserebuntur. Vel sic: Nullus erit clamor oppressorum, quia nemo opprimetur.

In pulchritudine pacis.] Pacem appellat pulchram. Si bellicosi homines faciem pacis oculis suis aspicerent, non possent eam non ardentem diligere. Quid enim pulchrius pace? Si eius pulchritudo humanis oculis cerneretur, mirabiles sui ipsius amores excigaret. Contra verò quid fœdus & turpius bello? quid truculentius? quid immanius? Et tamē cæci homines bello potius quàm pace delectantur. Non sunt hi hæredes Christi, quoniam pacem, quam ipse in testamento suo reliquit, nolunt accipere.

Grando autem in descensione salus.] Sensus est. In syluam infrugi-

infringeram irruet grando, quæ eam vastet & perdat: hoc est, in homines infideles veniet afflictio, nectamen propter hoc Ecclesia fidelium efferetur superbia & elatione.

Beati qui seminatis super omnes aquas immitentes pedem bovis & asini.] Fœlices vos qui seminatis in locis feracibus, & aquis affluentibus, vbi tanta erit segetum abundantia, vt necessarium sit mittere iumenta, vt illis pascantur, ne syluescant, & pereant ob nimiam vbertatem. Promittuntur viris iustis bona, per quæ spiritualem donorum copia significatur. Ager fertilis est in Ecclesia aquarum fontibus abundans, fontes autem sunt salutaria præcepta, & diuina consilia, & canales illi pulcherrimi Christi doctrinarum, quæ qui dem aquæ hodie permanent, & semper in Ecclesia in exhaustæ permanebunt. Sed in hoc est magna differentia. Nam etsi aqua sit eadem, etsi doctrina sit vna: tamen in Ecclesiæ principio fluebat per canales illos aureos & excellentissimos Christi, eiusque discipulorum: nunc verò pierunque manat per canales terreos & luteos: sunt enim multi concionatores peccatorum spurcicia contaminati. Quanquam me non fugiat esse in Ecclesia multos concionatores doctos, omnibûque virtutum ornamentis exultos, quorum multos ego cognosco, quos idcirco non nomino hoc loco, ne mea oratio, si aliquem omiserò, ingrata, si de omnibus verba fecero, infinita esse videatur. Sed ego de his non conqueror, quorum sapientiam & charitatem veneror & suspicio, sed de me meique similibus solum tracto.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXXII.

Ecce in iustitia regnabit rex.] In Hebræo est, hen Ietsed-hæciimloc mælæc. Quæ verba possunt ita verti, si verbum verbo reddere volueris. Ecce ad iustificandum regnabit rex: verbum enim hoc tsarak significat iustificare, vt Prouerbior. 17. Et qui iustificat impium. Et in Psal. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis. Est igitur horum verborum Esaie sensus. Ecce attende & considera admirabilem vaticinationem. In temporis plenitudine veniet in mundum Mefsias, qui regnabit ad iustificandum peccatores. Aduerte. Non dicit: Veniet rex ad iudicandum mundum in primo aduentu, sed ad iustificandum. Id ipsum ait Christus apud Ioannem: Non Ioan. 3. misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Et apud Lucam. Filius in Luce. 9.

*Gal. 2.**Gal. 5.
Simile.**Idc. 2.**Simile.**2. Reg. 17.**Simile.*

quit, hominis non venit animas perdere, sed saluare. Venit
 Christus iustificatum, quoniam, vt ait Diuus Paulus, Non
 iustificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidē Iesu Chri-
 sti. Sed fides nostra debet esse charitate formata, quæ, vt ait
 diuus Paulus, per charitatem operetur. Nam quemadmo-
 dum gladius debet esse in manu, & non in arca, vt valeas de
 inimicis consequi victoriam, sic vides non fat est, vt sit in ani-
 ma, sed debet esse in manu, vt eius operibus in charitate fun-
 datis, vincas inimicos animæ, & de illis mirabiliter trium-
 phes, Fides enim sine operibus, vt ait diuus Iacobus aposto-
 lus, mortua est. Possunt etiam hæc verba Esaiæ sic transferri,
 Ecce ad iustitiam faciendam regnabit rex. Et ita ea in Latini-
 um reddidit Pagninus. Et tunc possunt de quolibet iusto
 rege explanari, vt sit Esaiæ sensus: Rex iustus non regnabit
 ad superbiam & fastum, non vt se volutaptibus dedat, & ven-
 tri atque somno obtemperet, non ad exercendam tyranni-
 dem, sed ad faciendam iustitiam. Est autem iustitia habi-
 tus animi constans & perpetuus tribuendi vnicuique quod
 suum est. Vnde debet rex & quicumque præsul flagitiosos
 punire, bonis autem fauere. Si vides præclaram citharam in
 manu rudis & inepti pulsatoris malè sonantem, non ci-
 tharæ sonoræ, sed inertis citharædo culpam tribuis. Christi-
 ana religio est quædam excellentissima cithara, suauissimè
 & præclarissimè sonans. Hæc est cithara illa, quæ manu
 Dauidis pulsata spiritum malum fugabat à Saul: citharæ-
 dus est præsul, qui eam manibus tenens temperat, & sua-
 uem concertum efficit, sed vt malus sonus nō bonæ citharæ,
 sed malo citharædo, tribuitur, sic vocum discordia, morum-
 que corruptio, & dissona vitæ deprauatio, non religioni,
 quæ est, sed religionis gubernatori non immeritò aliquan-
 do tribuitur. Pythagoras harmoniam quandam vocat
 virtutem, & rectè quidem. Vt enim suavis lyre sonus inter-
 uallis coniunctis imparibus, sed secundum rectam portionē
 distinctis, ex impulsu & motu ipsarum chordarum produci-
 tur, qui acuta cum grauibus moderans, admirabilem æqua-
 biliter harmoniam efficit, sic ex multis ac variis virtutibus
 inæqualiter coniunctis, sed pro rata parte diuisis, efficitur
 quidam concertus, qui temperans in se virtutes, efficit quan-
 dam dulcissimam harmoniam, quæ absoluta virtus appel-
 latur. Sunt enim omnes virtutes vna virtus absoluta iuxta
 Platonē. Et quemadmodum ille, qui temperare lyram nescit,
 non debet eam pulsare, sic qui tempub. gubernare nescit, nō
 debet

debet eius administrationē suscipere. Et vt bonus cithared^{us} fides nimis acutas laxat, nimis autē laxas & graues eleuat, vt omnia temperet, sic sapiens princeps & præsul elatos, qui se vltra modum eleuant, debet comprimere, humiles verò eleuare, vt omnia moderetur sapienter, nō tantum laxans hūc, vt sonum non edat, nec tantum eleuans illum, vt eum frangat, sed vt omnia temperata admirabilem quandam harmoniam efficiant. Et hæc est iustitia, tribuere vnicuique quod suum est, ad quam exercendam, vt hic ait Esaias, debet regnare Christianus princeps & præsul.

Et erit vir sicut qui absconditur à vento.] In Hebraico est. Et erit vir ce machaue ruach. Id est, sicut abscondio venti. Ac si dicat: Erit rex locus tutus, vbi se quis abscondit à vento. Vbi vides officium regis esse afflictos ac pios homines tueri, & custodire. Non solum enim Dominus est, sed etiam pater.

Cum loqueretur pauper iudicium.] Potest verti: Cum loqueretur contra pauperem in iudicio.

Argumentum Capitis XXXIII.

Prædicat Diuinus vates Sennacheribi Iudæorum hostis perniciem, qui cum nullis lacelsitus iniuriis Hierosolymam euertere conaretur, fuit victus, & eius exercitus ab angelo Dei mirabiliter interfectus. Prædicat Dei potentiam, Vaticinatur de Christi regno, quem Iudæi non cognouerunt. Quam ob causam suam pristinam dignitatem & præstantiā turpi dedecore macularunt, Non cognouerunt autem Christum, quia malitia obcæcati eum cognoscere noluerunt.

CAPVT XXXIII.



*V*el qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaueris depraedationē depraedaberis, cum fatigatus deserit contemneris, contēneris. Domine miserere nostri, te enim expectamus, esto brachium nostrū in mane & salus nostra in tēpore tribulationis. A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes. Et cōgregabuntur spolia vestra, sicut colligiuntur brucis, velut cum fossie plene fuerint de eo. Magnificus est Dominus quoniam habitauit in excelsis impleuit Sion iudicio & iustitia, & erit fides in tēporibus suis. Dimitte salutis sapientia & scit-

ia.

ria timor Domini, ipse est thesaurus eius. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis auarè stebunt. Dissipata sunt via, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines. Luxus & elanguit terra, confusus est Libanus, & obsurdit. Et factus est Saron sicut desertum, & conculsa est Basan & Carmelus. Nunc conjurgam dicit Dominus, nunc exaltabor, & nunc sublimabor. Concipietis ardorem, & parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos, & erunt populi, quasi de incendio ignis, spina congregata igne comburentur.

EXPLANATIO.

Va qui prædaris.] Sènacheribū intelligit, cui interitū minatur, *Domine miserere nostri, te enim expectamus.*] Verba sunt Iudæorum Hierosolymæ habitantium, qui oblesit à Sennacheribo petebāt à Deo auxilium, ad portum eius misericordiæ confugientes, eiusque præsidium expectantes.

Esto brachium nostrum in mane.] Id est, Esto fortitudo nostra mane. *Quasi dicat:* Statim cum te inuocauerimus nos adiuua. Vel per mane intellige tempus prosperitatis, nam sequitur statim: Et salus nostra in tempore tribulationis. *Qua* fidicat: Protege nos & in tēpore prosperitatis, & in tempore afflictionis.

A voce angeli, fugerunt populi.] Describit cladem exercitus Assyriorum, qui perterriti tumultu, quem Dei angelus excitabat eos interficiens, volebant se in fugam conuertere, & dispergebantur. Sed nihil illis profuit: fuerunt enim omnes interfecti, præter paucos, qui cum rege fugerunt.

Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur brucus.] Cum vos à Assyrii fueritis excisi, & in fugam coniecti, tunc cōgregabunt Iudæi spolia vestra, quemadmodum solent congregari locustæ in fossis. Brusus est species quædam volucris, à locusta non dissimilis.

Magnificus est Dominus.] Tunc laudabitur Deus, & prædicabitur eius potentia & amplitudo. Et Hierosolyma erit plena iudicio & iustitia. Erit florens & exulta, & vigebit in ea rectè gubernandi ratio. Et nō rece det ab ea fides in diebus illis: Et abundabit diuitiis salutis, & bonorum successum, cum sapientia & sciētia & timore Domini, qui est eius thesaurus. Vocat sapientiam & scientiam diuitias salutares, timorem autem Domini castum & filialem appellat thesaurum, quia in eo tanquā in arcula diuitiæ virtutū seruantur. Quancquā hæc omnia à principio capitis vsque ad hunc locum intelliguntur

guntur de vastatione Assyriorum, & de victoria & prosperitate Hierosolymę, tamē in ea ratione interpretādi, quā mysticē appellāt intelligūtur de ea victoria, quā ecclesia de demonibus per Christū reportauit. Hęc est enim Hierosolyma illa, ubi est vera fides, iustitia, & iudicium, & timor Domini.

Eecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarē sēbunt.] Sensus est: Iudæi cū fuerint obsessi à Sennacheribo, mittēt ad eum legatos causa pacis componendę. At videntes hi legati se nihil profecisse, re infecta ad ciuitatem redeuntes clamabunt & lugebunt in ipso itinere, priusquam ciuitatem ingrediantur. Hos Iudęorum legatos appellat Propheta angelos pacis, hoc est, nuntios missos ad fœdus faciendum cum Assyriis. Angelus enim nuntiū significat. Et statim subiungit Propheta verba, quę legati plorātes dicebant venientes ab exercitu Assyriorum desperatione debilitati. Dissipatę sunt vię, neq; est aliquis ex nostris, qui audeat transire semitā ob hostium timorem, irritum factum est pactū, quod Deus nobiscum inierat de protectione nostra, iam nos deserit, contemnit nostras ciuitates, nō nos reputat homines, & tota Iudęa lugeat ob nostram calamitatem & imminētem euersionem.

Confusus est Libanus.] Prosequitur Propheta verba legatorum. Erubescit Libanus, quoniam scinditur ab hostibus nostris, suisq; cedris spoliatur. Saron ferax agri planities est vultu desertū, cōcutitur, ac fructibus nudatur Basan & Carmelus. Libanus est ad Septentrionē Iudęę, Carmelus ad Meridiē. Basan ad Orientē, Sarō ad Occidentē. Voluit Propheta ostendere totius Iudęę vastitatem, quę ob eius infidelitatē & terribila scelera erat tempore Titi & Vespasiani futura.

Nunc cōsurgam dicit Dominus.] Scripsit Propheta obsidionē Hierosolymę, ætatem ac calamitatem Iudęorum, & superbiam ac potentiam Sennacheribi. Nunc prædicit victoriam quam Iudæi de hostibus suis obtinuerunt. Ait ergo Deus: Ego exurgam contra vos o Assyrii, & gloriam ac potentiam meam, eruens à manu vestra Iudęos afflictos, declarabo. Ira dicitur in Psalmo: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, ego exurgam, dicit Dominus.

Concipietis ardorem, & parietis stipulam.] Consilium & deliberationem Assyriorum de capiēda & comburenda Hierosolyma appellat Deus conceptum ardoris. Cogitabant enim de eius vastitate & flagratione. Tunc quis concipere dicitur, cū deliberat quid facturusest: tunc verō parit, cū opus exequitur. Ideo dicit: Vos existimabitis euersuros vos esse Hieroso-

Psal. II.

Hierosolymam, at cogitationes vestre vertentur in stipulam & quisquilias, quoniam nihil efficietis. Erit spes vestra vana & conatus vestri frustra suscepti. Et spiritus vester vt ignis deuorabit vos, hoc est: Eadem vestra cogitatio vos interficiet, vestrum consiliū erit causa vestre calamitatis & excidij. Nam interitus, quem Iudæis moliebamini, in vestrum caput reddūdabit. Et ita fuit, Euenit Assyriorum exercitū id, quod dicitur in psalmo. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Ita apud Matthæū dicebat Christus Deus noster: In qua mēsurā mensi fueritis remetietur vobis.

Psal. 7.
Matt. 7.

Et erunt populi quasi de incendio eius. Hoc est, Vertentur Assyrii in cinerem alicuius magni incendiij, & sic flagrabunt veluti spinæ in ignem coniectæ. Verti potest: Et erunt populi quasi de incendio calcis. Hoc est, similes lapidibus, qui excosquantur, vt fiat calx. Vel sic: Erunt Iudæi erepti quasi de incendio cineris. Quasi dicat Deus: Ego eripiam populū meū de manu hostium suorum, ipsos autem hostes interficiam.

Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortunam meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possessi timor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitauit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem; qui proicit auaritiā ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videant malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. Panis eius datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore videbunt, oculi eius cernent terram de longè, cor tuum meditabitur timorem. Vbi est literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi est doctor paruulorum? Populum imprudentem non videbis, populam alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinem linguae eius, in quo nulla est sapientia. Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ. Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clauis eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rampentur, quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster. Locus fluminiū riuū alij sani & patentes, non transibit super eum nauis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. Dominus enim iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos. Laxati sunt funiculi tui, sed non praeualebunt. Sic erit malus tuus, vt dilatare signū non queas. Tunc diuidentur spolia prædaram multarum. Claudi diripie rabinam, nec dicit vicinus, Elanguit, Populus qui habitat in ca, auferetur ab eo iniquitas.

Psal. 14.

1. Cor. 1.

Audite

Audite qui longè estis qua fecerim. Verba sunt Dei, quibus ostendisse velle, vt omnes suam omnipotentiam perspiciant & cognoscant. Vos inquit, ð Assyrii qui longè estis à me, qui nec fidem habetis, nec meipsum cognoscitis: & vos vicini, vos Iraëlitæ qui ad me acceditis per fidem formatã, audite & agnoscite, quid hac in re facturus sum. Intelligant omnes quomodo potentes & superbos Assyrios sum euerfurus, & afflictos Iudæos de eorum manu erepturus. Inuitat Deus omnes ad tanti facti considerationem. Nos igitur consideremus opera Dei, eaque memoria sepenumero repetamus. Aspiciet hic homines iniustos & impios longè esse à Deo, pios autem & iustos propè. Nam quemadmodum scelera alienat à Deo, sic charitas coniungit. Vnde ait D. Paulus ad Ephesios scribens: Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.

Eph. 2.

Contemti sunt in Sion peccatores. Narrat propheta Iudæorum in obsidione pauorem & calamitatem.

Possedit timor hypoeritas. Nam qui erant verè fideles, in Domino Deo spem suam collocauerant, ideo non timebãt. Si Deus enim pro nobis, vt ait Apostolus, quis contra nos? Id intelligens Dauid dicebat in Psalmo: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Rom. 8.

Psal. 26.

Quis poterit habitare de vobis igne deuorante. Verba sunt quibus potentes ac superbi Assyrii suis viribus fidentes, Iudæos obsessos alloquebantur. Ac si diceret: Quis ex vobis euadet impetum Assyriorum? nemo est qui possit à manu nostra liberari. Ignem deuorantem, & ardores sempiternos vocabant Assyrii exercitum suum, qui Hierosolymæ deflagrationem minabatur: quoniã multa oppida combusserat, & in fauillas redegerat. Cæterum hæc verba possunt esse ipsius prophetæ Assyrios alloquētis, eisque Dei iram & ultionem minantis. Est enim Deus ignis comburens impios, iuxta id quod in Deuteronomio scriptum legimus: Dominus Deus tuus ignis consumens est. Et in epistola ad Hebræos: Etenim Deus noster ignis consumens est. Deus est ignis, vt hic aspicias, homo autem fœnum, iuxta id quod ait alto in loco Esaias: Omnis caro fœnum. Si igitur peccatores fœnũ, Deus autem ignis deuorans & consumens, cur cum Deo contendis? Nonne fœnum comburetur igne? Nonne incendio flagraberis? Quomodo audes aridum fœnum cum igne deuorante pugnare? O audaciam incredibilem, & insipientiã intolerabilem. Vis more gigantũ, quorum inpiũ facinus antiquis

Deut. 4.

Hebr. 12.

fictis

fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Deo ipsi bellum inferre, dæmoni autem te coniungere & sociare. Reuertere ad te ipsum, & considera tuam miseriam & fragilitatem, Dei autem omnipotentiam, & immensam magnitudinem.

Qui proiecit auaritiā ex calumnia.] Hoc est, Qui non vult opes calumnia exquisitas.

Qui excutit manus suas ab omni munere.] Id est, qui à nemine vult munus accipere, vt veritatem abscondat. Sunt enim nōnulli, qui veritatem loquuntur, sed accepto munere statim fi-
lent. Hi sunt similes cani Cerbero, quem finxerunt poëta, qui accepta offa rabeat. Nihil magis iudicium corrumpit q̄ munus. Ideo dicebat Deus, vt in Exodo scriptura cōmemorat; Nec etiam accipies munera, quæ etiam excæcant prudētes, & subuertunt verba iustorum. Potest hoc referri ad iudices, qui ob munus acceptum fauent nocentibus, & amittūt libertatem rectè iudicandī, & sententiam ferendī. Hos redarquit etiā Esaias cap. 1. & cap. 5. vt ibi annotauimus.

Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem.] Id est, ne audiat peccatum. Sanguis enim pro peccato accipitur, vt in psalmo: Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Et in alio: Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. Et explicans Esaias quid sit hoc in loco sanguis, ait: & claudit oculos suos, ne videat malum. Id quod sanguinem appellauerat, modò malum appellat. Fælix conscientia, quæ malum nec audire, nec videre vult. Auerte, ait propheta, oculos meos, ne videant vanitatem. Nam Ieremias ait: Oculus meus depredatus est animam meam. Potest hoc in loco sanguis accipi pro consilio eorū, qui innocentibus interitum ac perniciem moluntur.

Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius.] Habitat in locis altis & munitis, & in asylo, & perrarū propugnaculis. Sensus est, Qui iustus est, sic erit tutus, ac si esset in arce fortissima, in sublimi rupe sita penitus inexpugnabili. Descripsit D. vates virum sapientem & virtutibus septū, nunc ostendit quomodo eum Deus custodiat & seruet.

Aquæ eius fideles sunt.] Id est, perennes, nunquam illi deficientes. Ac si dicat, semper Deus virū iustū nutriet & sustētabit. Poteris per has aquas virtutes intelligere, quæ sunt animi pabulum & nutrimentū, quæ viris iustis nunq̄ defunt, ideo aquæ fideles & perennes appellantur. At sunt nonnulli, qui vt se iustos ostendant, virtutis actiones exercent, quæ cum sint fictæ, parum durat: nihil enim fictum potest esse diutur-

diurnum. Ut torrentes ex pluuia, & aliqua parua terræ *simile.* humiditate producti solū hyemali tempore fluunt, veniente autem feruore solis siccantur, sic hypocritarū & fragiliū hominum virtutes tempore molli, & ad voluntatem fluenti apparent, venienti autem afflictionis aflu penitus arefcunt.

Regem in decore videbunt.] Eſaias in hoc capite deſcribit obſidionem Iudæorum, & victoriā, quam per Dei angelum de Aſſyriis mirabiliter reportarunt. Et occasione ſumpta deſcribit viros iuſtos & pios, ad eos alludēs, qui tempore obſidionis ſpē ſuā in Deo collocauerāt, & ab vrbe ſancā non re ceſſerant. Hos dicit modō euafuros eſſe ab obſidione, & regē Ezechiam, quem antea ſacco indutū viderant, in decore ſuo & maiestate viſuros eſſe. Et qui in obſidione poſiti terrā extra muros nō videbant, eā de longē eſſe aſpecturos, & longinquas regiones intrepidē peragratos. Poſteſt per hunc regem intelligi Chriſtus, quē, qui in hac vita iuſtitia coluerint & pietatē, in æterna beatitudine pulcherrimum videbunt.

Qui modō a longē terrā noſtram, veram illa promiſſionis patriā, celeſtemq; beatitudinem aſpiciunt. Id quod teſte Apoſtolo faciebāt illuſtres illi ac ſancā patriarchæ, de quibus dicitur in epiſt. ad Hebræ. Iuxta fidem deſuncti ſunt omnes iſti nō acceptis repromiſſionibus, ſed a longē eas aſpiciētēs & ſalutātes, & conſitētēs, quia peregrini ſunt & hoſpites ſuper terrā. Vbi vides viros illos fideles, omni ſapiētia & charitate præſtantes, terram hanc illis promiſſam tanquam alienā coluiſſe: veram autem terrā promiſſionis de longē intuiſtos eſſe, ad eamq; incredibili deſiderio aſpirāſſe. Illi quibus Deus terrā promiſerat, cælum aſpiciēbant, nos verō, quibus cælū promittit, terram ſolum intuemur. O amentiam noſtram.

Cor tuum meditabitur timorem.] Poſtquam ereptus fueris ab obſidione, cogitabis & memoria repetes timorem, quo terreſtatur ciuitas, quando erat ab hoſtibus oppugnata, vt contemplanſa quo periculo te Deus eripuerit, illi gratias agās. Vt enim qui ex alto in portum adducti vim tempeſtatis, ac magnam iactationem euafuerunt, ex terra mare intuentes gratias Deo agunt, piētisq; tabulis in templis ad honorem diuorum ſuſpenſis, ſeſe tanti beneficii memores, in Deumque gratos oſtendunt, ſic facerē debent iſi, qui fuerint ab hoſtibus & animi & corporis erepti, & è fluctibus atque procellis tentationum liberati, vt aliquo pio monumento ſe diuino numini gratiam habere teſtificentur.

Vbi eſt literatus? vbi legis verba pandorans?] Dixerat ſuprà,
nunq;

I. Cor. 1.

nuntios pacis componendæ fleuisse, quoniam in Deo spem suam non habebat collocatam postea descripsit iustos: Deoque fidentes. Et quoniam qui missi fuerant ad fœdus faciendum cum Assyriis, erant legis doctores, qui Hierosolymæ euerisionem plorabant, ait Propheta: Vbi sunt doctores illi qui Deo nō fidentes, sed de eius potentia & misericordia desperati, asserabant delendam esse à Sennacheribo ciuitatē sanctam? D. Paulus in epistola 1. ad Corinthios ita ait: Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi? Nōne stultum fecit Deus sapiētiā huius mundi? Quæ verba hunc habēt sensum: Non literati homines, non mundi sapientes, mūdo euangelium annūtiarunt, sed simplices & humiles, & rudes piscatores. Fortasse ad hunc Esaiæ locum alludit, vbi non literati & doctri, sed iusti & piī Deo fidebant, eiusque misericordiam & potentiam prædicabant. Quidam sic hūc locum interpretatur. Cū fueris in obsidione, cor tuum semper meditabitur timorē: existimabis semper adesse publicanum, & exactorem, qui à te tributa exigat. Semper habebis in ore: Vbi est scriba, &c. At Deus te eripiet, & hostes tuos mirabiliter occidet. Hoc dicit propheta, quia Iudæi tyrannidem Sennacheribi magnopere timebant. Literatum vocat eum, qui scribebat nomina eorum, qui tributa solvebant, similiter & scribam. Per legis verbī ponderatorem eū intelligit, qui ponderabat pecuniam, eamq; ad pondus numerare solebat. Per doctorem paruulorum eum existimat intelligēdum, qui numerabat ciuitatis domos ad exigenda tributa. Ego tamē priorem expositionē amplector, quia est planior, & literæ conuenientior, & non recedit à versione communi, & est ea, ad quam Apostolus alludere videtur.

Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis.] Non videbis regnare in ciuitate sancta Assyrios populū barbarum, & sermonis obscuri & abstrusi, quem tu intelligis. Consolatur viros iustos & pios.

Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ.] Postquam fueris è periculo ereptus vir iuste & piē, contemplare ciuitatem sanctam, quam Assyrius non potuit expugnare. Hæc enim non mutabitur, non enim est velut tabernaculū Moysi, quod poterat alio trāsferri. Sed est permanens & firmū tabernaculū, cuius paxilli, clauī, & funes non rumpentur, neque laxabuntur. Nam Deus est circa hanc ciuitatem loco fluuij altissimi, quem ipso protegēte nulla naus neque parua neque magna potest trāucere, quæ possit ciuitatem expugnare. Quis non videt

videt Eſaiam diuino ſpiritu aſſatum hæc non de Hieroſoly
ma illa terrena dixiſſe, ſed de eccleſia, cuius illa imaginẽ ge-
rebat: quæ ab hoſtibus oppugnata vinci nequaquam poteſt,
quia Deus eam protegit & ſeruat.

Laxati ſunt funiculi tui.] Locutus fuerat cum Iudæis, modò
dirigit ſermonem ad Aſſyriorum populum, quem cõparat
naui deſtitutæ malo, rudentibus & velis, quæ arbitrio vento-
rum in mari iactatur, & tãdem procellis obruitur. Eſt igitur
ſenſus: Funiculi tui, hoc eſt, rudentes nauis laxati ſunt, & à
nautis relictĩ quemadmodum fit quando iam nulla eſt ſpes
vitæ: Sic erit malus tuus, vt ne velum quidem poſſit expãdi,
ita vt naufragium vitare nõ valeas. Malus eſt lignum in me-
dio nauis eleuatum.

Tunc diuidentur ſpolia.] Excifis Aſſyriis & ab angelo inter-
feſtis, diuidentur eorum ſpolia. Nullus erit in ciuitate nõ ſo-
lũ agilis & velox, ſed etiam claudus & fragilis, qui non di-
ripiat, & ad prædam celeriter currat.

Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.] Hoc eſt,
ad eccleſiam referendum, vbi ſunt ſacramenta, quibus pec-
cata remittuntur.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXXIII.

Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?] In hebræico eſt
in hũc modum. Hoi xodhedh ve atah lo xadhudh. Verbum
xadhadh ſignificat vaſtare. Ezechie 32. Et vaſtabunt ſu-
perbiam Ægyptiorum. Pro quo noſter interpres in præſenti
vertit prædari, & rectè quidem. Intelligi autem hæc de Aſſy-
riis diximus in explanatione. Verũ ſi volueris hæc verba
reddere Latinè, & verbum è verbo vertere, ita dices: Væ de-
uaſtanti, & tu non deuaſtatus, & contemnti, & tu nõ con-
temptus. Ac ſi diceret: Væ tibi qui alium lædis, nam ille à te
non læditur: & qui alium contemnis, nam ille non eſt con-
temptus. Vult Propheta oſtẽdere neminem lædĩ niſi à ſeipſo.
Vis lædere aliquem, lædis teipſum: illum autem lædere non
poteris, quem lædere contendis. Hoc inrelligentes Septua-
ginta interpretes, hunc verũ in hũc modum tranſtulerũt:
Væ qui vos miſeros faciunt. Vos enim nemo facit miſeros,
& qui reprobant vos, vos non reprobant. Eſt hæc interpre-
tatio Septuaginta mirabilis quidem. Qui te in corpore im-
merito aſſigat, non tibi, ſed ſibiipſi nocet: floret enim ani-
mus

mus calamitate, & illustratur viri iusti dignitas & amplitudo iniuria & iniquitate hominis scelerati, ipse verò sceleratus in animo vulneratur, & grauer offenditur. Et quamuis te occidat, te ipsum non lædit, imò seipsum occidit, quia animā suā occidit, tuam autem occidere nō potest. Ideo dicebat Christus apud Matthæum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Diogenes Laërtius refert dixisse Anaxarchum, cū occideretur à quodā tyranno: Tunde tunde Anaxarchi vasculum, nā Anaxarchū nihil teris. Et Socrates dicebat, vt refert Plato, Anitus & Melitus occidere me possunt, lædere autem non possunt. Epictetus Socraticus, Nemo, inquit, lædit nisi volentem, tunc læsus eris, cū te lædi opinaberis. Hæc ille. At vir virtute ac sapientia excultus nō existimabat se calamitate & iniuria lædi, sed eius calamitatem deplorabat, qui existimabat eum lædere, cū ipse à seipso lædatur. Vt qui manu accipit prunas, vt alium comburat, prius ipse crematur: sic non poteris alium igne afflictionis incendere, quin prius tu ipse incendio flagres. Accenditur candela, vt rē aliquā cōcremet prius ipsa candela exurit & consumitur, quā res alia incēdatur. Imò flamma candelæ alios illuminat, & seipsam consumit, sic iniuria prius eum, à quo est iacta & immissa lacerat & occidit, & postea ad innocentem non peruenit, imò, eum reddit illustriorem. Ex quo colliges veram esse illam præclaram sententiā, quā Chrysostomus in homilia quadam multis comparabat rationibus: Nemo læditur, nisi à seipso, quam hoc in loco Septuaginta amplectuntur.

Angeli pacis amare se debent.] In hebraico est malachei, pro quo noster interpres dixit: Angeli. Potest verti, Nuntii pacis amare se debent, & ita vertit Pagninus. Legati pacis, &c. Quod in idem recidit. Nō igitur intelligas angelos Dei fleuisse, sed Iudæorum legatos, qui ad fœdus faciendum cum Assyriis missi fuerant.

Vt dilatare signum non queas.] Pro signo est in hebræo nes, quæ dictio significat signum & vexillum, & quicquid eleuatur, à verbo nafas, quod significat extollere, efferre, & eleuare. Ideò potest verti: Vt dilatare velū non possis: fracto enim malo naui velum erigi & extendi non potest.

Argumentum Capitis XXXIII.

Superiore capite prædixit Propheta Assyriorum excidium,

dicium, nunc omnium impiorum calamitatem in communi annuntiat, Iudæorum præsertim, qui scelere & maleficio pascabantur, Vaticinatur de euerfione Hierosolymæ per Titũ, & de infidelium Idumæorum pernicie & vastitate.

CAPVT XXXIIII.



Accedite gentes & audite, et populi attendite, audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen eius, quia indignatio Domini super omnes gētes, & furor super omnem militiam eorum. Interficiet eos, & dedit eos in occisionem. Interfecti eorum proiciuntur, & de cadaveribus eorum ascendet fetor. Tabescunt montes à sanguine eorum, & tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu, quoniam inebriatus est in cælo gladius meus. Et super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ ad iudicium. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum & hircorum, & de sanguine medullatorum arietum. Victimam enim domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Et descendunt unicornes cum eis, & tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium, quia dies ultionis Domini annus retributionis iudicii Sion. Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur.

EXPLANATIO.

Accedite gentes & audite. Non vnã gentem & vnum populum, sed omnes gentes, & populos, & vniuersam denique terram vocat Diuinus vates, imo per eum Deus ipse, vt accedant & audiant, & ultionem quam peccatoribus minatur, diligenter attendant. Nõ enim vnum tantum populum, sed omnium gentium & nationũ peccatores ait esse suorum scelerum pœnas duros. Sed aduerte, non dicit audite gentes, sed accedite gentes & audite. Vocat nos Deus vt ad eum accedamus, quo verba eius audire & perpendere possimus. Si propè essemus, non nos vocaret vt accederemus ad eum, vocat vt accedamus, quoniam procul ab eo sumus. Peccata enim nostra nos à Deo separant, & vt alio in loco ait Esaias, diuise *Infra 59.* runt inter nos & Deum nostrum. Et cum nos simus procul ab eo, ipse etiam procul est à nobis. Longè enim vt ait Da-

Psal. 118.
Infra 49.

Psal. 51.

uid, à peccatoribus salus, hoc est, Christus, quem etiam Esai-
as sub persona cœlestis patris salutem vocat, ita dicens: De-
di te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad externum
terræ. Est igitur Christus ea salus, quæ longè est à peccato-
ribus, ad quam oportet nos accedere, quoniam ea ipsa nos
vocat, & ad accedendum horratur: ad quam nisi accesseri-
mus peribimus. Ait enim Diuinus vates: Qui elongant se
Domine à te peribunt. Et in alio psalmo scriptum legimus:
Accedite ad eum, & illuminamini. Et Diuus Paulus. Acce-
damus, inquit, cum vero corde in plenitudine fidei: Acce-
damus igitur ad Deum, & audiamus eum clamantem: Ac-
cedite gères & audite, & populi attendite. Audiat terra. Nos
terra & puluis, audiamus quibus etiã per Ieremiã ait. Terra
terra audi verbũ Dei. Sed audire nõ possumus nisi prius ac-
cedamus. Sed dices: Qui fieri potest vt ego longè existens à
Deo sceleribus cõtaminatus possim accedere ad sanctissimũ
numẽ, ad tam admirabilem maiestatiẽ, & infinitã potentiam.
Respõdebo. Christus Deus noster, qui te vocat, ipse te querit
& adiuuat, ac manum tribuit. Et si volueris adharere, &
vniri, te secũ ad æternam patriam, & gloriosum salutis por-
tum perducet: Scapha remis & velo destituta vagans in me-
dio mari, concutitur ventis & fluctibus, donec naufragium
facit, & funditus obruitur, & ita ad portum peruenire non
valet. Sed si ligatur ad nauem firmam, validam, & excellentẽ
tendit secure cum naue, & ad opratum portum tandem ac-
cedit. Sic peccator nudatus gratia & virtute, ductus appeti-
tibus longius euagantibus, nec rationi parentibus, vi tempe-
statum, ac tentationum concutitur, donec omnes nefariæ co-
gitationes eum iam non resistentem impellunt, & obruunt,
atque ad ima & cœca tartara præcipitant. At si peccator in
mediis tentationum fluctibus Christum ardentè inuocau-
erit, ad eum accesserit, & cum ipsius fauore se ad eum alliga-
uerit & vinxerit, sic vincetus, & cũ Christo cõiunctus trãssibit
tutõ omnia mũdi pericula, donec ad splẽdidissimas illas oras
beatissimũque cœlestis patriæ portum tandem perducatur.

Et omne germen eius.] Thargum Ionathæ habet: Et omnes
qui habitant in eo.

Simile.

Quia indignatio domini super omnes gentes.] Quando iudex
vult nocentem aliquem comprehendere, & in carcerem con-
iicere, nõ illum terret minis, sed occultè querit. Quando autẽ
illi publicè carcerem minatur, non vult eũ punire, imo tacitè
eum minis illis iustitiæ hortatur vt caueat & à maleficio de-
sistat.

sifiat. Sic Deus minatur impiis supplicium & interitum, nō vt eos perdat, sed vt ad penitentiam vocet. Non enim vult mortem peccatoris, vt est apud Ezechielem, sed vt viuat & conuertatur. Considera Dei nostri pietatem. Minatus est hic suam indignationem gentibus, vt eas saluas faceret.

Interfecit eos.] Præteritum pro futuro, vt mos est prophetarum, vt alibi ostendimus.

Et tabescet omnis militia cælorum.] Tanta erit afflictio, tam intolerabilis dolorum angustia, in tantas ærumnas incident peccatores, vt etiam stellæ videantur illis præ mœrore deficere, & lumen suum abscondere. Per militiam cælorum intelligit siderum multitudinem: Vult propheta significare acerbissimas ac luctuosissimas sceleratorum hominū futuras calamitates. Homini enim afflicto & ærumnoso omnia tristitia videtur, etiam ipsum splendidum cælum obscurū apparet. Ideo subiūgit: Et complicabūtur sicut liber cæli. Ac si diceret: Cæli, qui aperti & expansi sunt, & splendidi, videbūtur illis esse complicati veluti liber obfignatus, nullam charitatem ostendentes.

Et omnis militia cælorum decidet.] Id est, omnes stellæ cadent de cælo. Dicuntur autem cadere, quando nullum habent splendorem. Nōnulli hoc intelligunt de cometis. Moraliter per stellas intelliguntur religiosi, quia à terra separati cælo adherent, qui debent dicere cū Paulo: Nostra enim conuersionis in cælis est. Hi seuocantes animum ab omni turbulento negotio, à terra se longissimè efferunt & ad cælestiū contemplationem rapiuntur. Ideo stellis in cælo fulgentibus merito comparantur. At nunc stellæ dicuntur cadere de cælo, quando nonnulli relinquunt religionem & ad seculum reuertuntur. Et quando in ipsa religione manentes orationem, contemplationem, & tranquillam animi ac solitariam quietem contemnunt, & se distrahunt, humanisque negotiis implicat per ciuitates inquietè vagantes, suisque deprauatis moribus sanctæ religioni terram maculam inurentes. Hi dicuntur cadere in terram, & hi sunt stellæ illæ, quas hic Esaias ait, *Philip. 5.* *Matt. 24.* *Et stellæ cadent de cælo.* Perpende obsecro, & alta mente considera, ex quàm alto loco cadit religiosus, qui se sceleribus contaminat, ex cælo in terram, Magna ruina, & valde metuenda. Fœlices illi, qui permanēt in religione & obseruantia, qui quieti erecti & eleuari in cælo versantur. Deū laudantes & negotia humana contemnentes, qui & doctrina & vita

Dan. 12.

alios erudiunt, & ad virtutē cohortātur. De his ait Propheta Daniel: Qui ad iustitiam erūdiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Horum cognosco ego infinitam multitudinem, qui veram pietatem colunt, animi candore conspicui, sapientia præcellentes, cælestiisque immortalitatis amore flagrantes.

Ezecl. 11.

Inebriatus est in cælo gladius meus.] Id est constitui in cælo me interfectorum esse impios, præsertim Idumæos. Hic gladius, quem hic dicit esse sanguine inebriatum, apud Ezechielē contra impios acuitur. Hunc dicit Deus descensurum esse super Idumæam. Ait enim: Ecce super Idumæam descendet, & super populum interfektionis meę ad iudicium. Id est super populum, quem sum interfectorum ad iudicium faciendum, & iustitiam exercendam. Sed quoniam Idumæa sonat terrenam, existimo velle prophetā significare venturā esse hanc perniciem omnibus solam terram colentibus, cælum autem non contemplantibus, de quibus ait Diuus Ioannes in Apocalypsi: Vē vē vā habitantibus in terra.

Apoc. 8.

Agnorum & hircorum & de sanguine medullatorum arietum.] Per hæc animalia intelligit interpret Chaldaicus reges, potentes & dominos terræ.

Victima enim magna in Bosra.] Id est, magna erit interfectio in ea ciuitate Idumææ, quæ dicitur Bosra. Victima & sacrificium pro cæde ponuntur.

Et descendent vnicornes cum eis, & tauro cum potentibus.] Subaudi ad sepulchrū. Quasi dicat: Etiam vnicornes & tauro occidentur. Ionathas sic vertit: Et interficientur fortissimi cum eis, & potentes cum satrapis.

Annus retributionis iudicii Sion.] Non solum euertet Deus gentium ciuitates, sed etiam Hierosolymam per Titum fūdus delebit. Veniet enim tempus, quando Deus Sioni, hoc est Hierosolymæ, retribuet id quod ea iuxta rectum iudiciū meretur. Et tunc cōuertetur torrētes eius in picē. Hoc est: Tēpore Romanæ obsidionis omnia erunt in ciuitate plena picē, sulphure & flammis ardentibus. Succendetur Hierosolyma, & incendio flagrabit. Non extinguetur, veluti si fluuī non essent aquæ, sed picis. Vbiq̄ erit dolor, & incredibilibis afflictio & calamitas.

Et erit terra eius in picem ardentem nocte & die, non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius à generatione in generationem, desolabitur in secula seculorum. Non erit transiens per eam, & possidebunt eam onocrotalus & bericius, & ibis & cor-

aus habitabunt in ea. Et extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendicularum in desolationem. Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius spina, & vrtice, & palurus in munitionibus eius, & erit cubile draconū, & pascha strutionum, & occurrent demonia onocentauris, & pilosus clama bit alter ad alterum. Ibi cubabit lamia & inuenit sibi requiem.

Ibi habuit foueam hericius, & enutriuit catulos, & circumfodit & fouit in ymbra eius. Illic cōgregati sūt milui, alter ad alterū. Requirite diligenter in libro Domini, & legite. vñ ex eis nō defuit, alter alterum non quasit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & spiritus eius ipse congregauit ea, & ipse misit eis sortem, & manus eius diuisit eam illis in mensuram. vsque in æternum possidebunt eam, in generatione & generationem habitabunt in ea.

Et erit terra eius in picem ardentem nocte & die.] Describit euerfionem & vastitatem Hierosolymæ. Et quoniam pix est magnū ignis nutrimentū, dixit terrā vertendā esse in picem inextinguibilem, vt significaret Hierosolymam euertendam esse in æternum: vt nunquam ibi postea esset sacrificiorum templum, nec Iudæorum synagoga. Quod hodie impletum videmus. Postquam enim ciuitas illa fuit per Titum funditus euerfa propter Iudæorum infidelitatē & Christi cædem, nunquam postea fuit eodem loco & situ reædificata: neque ibi Iudæi templum habent nec sacrificia. Ex quo perspicuū est legem veterem cum suis ceremoniis & sacrificiis cessauisse, & antiquatam esse.

Possidebunt eam onocrotalus & hericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea.] Describit solitudinem Hierosolymæ post eius euerfionem. Solent enim hæc animalia in locis desertis habitare. Onocrotalus auis est, quæ cum collum mergat in aquā raditum afini edit: onos græcè significat afinum, & crotalos eum, qui habet vocem tinnulam & sonoram. Hericius est animal feris horrens, de quo alibi disseruimus. Ibis est auis Ægypti, quæ duplex est, altera tota nigra, altera verò ciconie non dissimilis. Coruus auis est per se nota.

Et extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendicularum in desolationem.] Sensus est, frustra conabuntur Iudæi Hierosolymam & templum instaurare. Architecti vtuntur funiculo siue linea & mensura, atque etiam perpendicularo & amussi in construendis ædificiis, vt omnia ad rectam normam dirigantur. At funiculus huius vrbis erit inanis, non enim solum ciuitas non ædificabitur, sed etiam

in nihilū redigetur, & perpendicularum vertetur in euerfionē.

Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum.] Sensus est: Quando Hierosolyma fuerit per Romanos euerfa, non erunt ibi nobiles illius ciuitatis, nempe Apostoli Christi, & viri apostolici, ne simul cum impiis pereant, & eorum excidio coniungantur. Quin potius regem Christum inuocabunt. At principes illius vrbis Scribæ & Pharisæi debentur, suorumque scelerum & aduersus Christum impietatis pœnas acerbissimas luent.

Paliurus in admonitionibus.] Paliurus est herba aspera & spinosa, quæ à nostris appellatur cardo. Struthio est auis magna & vorax quæ ferrū digerit, appellatur Lusitanè ema. Onocentaurum dicunt esse animal monstruosum, representans quandam hominis imaginem à parte superiori, asini vero à inferiori. Pilosus est dæmon in figura hirci. Sunt qui dicant capi hic pro simia Lamiam dicunt esse animal præterdens faciem mulieris, pedes habens equinos Ferunt nonnulli esse auem inuisam & inauspicatam. Significat etiam mulierem, quæ instar strigum, sanguinē infantium fugit. Per hæc omnia voluit propheta vrbis vastitatem & solitudinem significare. Ego existimo per hæc animalia & potentia intelligi Agarenos, & cæteros infideles, vt sit sensus: Expulso Iudeorum populo, habitant in ea regione gentes immanes barbaræ, & superstitiosæ, deditæ pestilentibus sectis & dæmonibus feruientes.

Requirite diligenter in libro Domini.] Vos qui tunc temporis in obsidione Hierosolymæ fueritis, & post vrbis euerfionē euaseritis, legite hanc meam vaticinationem, videte hunc meum librum quæ iussu Domini scribo, & inuenietis omnia hæc vera, & impleta esse.

Quod ex ore meo procedit, ille mandauit.] Nempè Deus.

Spiritus eius ipse congregauit ea.] Nempè animalia & portenta, quæ habent Hierosolymæ. Et ipse Dominus misit eis sortem, hoc est, distribuet eis terram veluti in sortem & hæreditatem. Et ipsa animalia vsque in æternum possidebunt eam. Quasi dicat: templum Iudeorum nunquam edificabitur. Nec Hierosolyma erit sta in loco, quo nunc est, & nunquam in æternum erit ciuitas Iudeorum.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XXXIIII.

Super vniuersam malitiam eorum.] Pro malitia eorum est in He-

in Hebraico tseuam. Dicitio est tsaua, quæ non malitiam, sed militiam significat. Ideo existimo vitium esse Librarium, qui pro militia malitiam scripserunt. Et nonnulli codices habent militiam, & rectius quidē. Septuaginta pro militia verterunt numerum. Potest verti: Super vniuersum exercitum. Significat enim hoc nomen militiam, & exercitum, & pugnam, & tempus statutum, seu terminum destinatum. Vnde in Psalmo 102. Benedicite Domino omnes virtutes eius: poterat verti: omnes exercitus eius, quemadmodum in Psalmo vigesimo tertio: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Virtutes autē in his duobus locis pro angelorum exercitibus sumuntur.

Onocrotalus.] In Hebraico est kaath, quæ dicitio est in Levitico capite vndecimo, pro qua interpres noster onocrotalum vertit, quemadmodum hic & Sophoniæ 2. quanquam in Psalmo, 101. pro eo nos habeamus pelicanum. Vbi versio Diui Hieronymi ex Hebraico habet: Assimilatus sum pellicano deserto. Hac ratione ductus transtulit hic Pagninus pelicanum. Alij dicunt esse monedulam. Vtunque fit ea est auis immunda solita habitare in deserto.

Argumentum Capituli XXXV.

Describit diuinus vates gaudium gentium, quæ erant ad Christi fidem conuertendæ. Prædicat Christi aduentum eiusque miracula & signa, efficit illum viam ad cælestem patriam qua tendunt omnes, qui vitam immortalem consequuntur.

CAPVT XXXV.



Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliū. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decore Chamaeli & Saron. Ipsi videntur gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Consortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimes confortamini, & nolite timere.

Ecce Deus noster visitationem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cernuus elaudus, & aperta erit lingua mutorum, quia scissa sumi in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calani & iunci, & erit illi semita, & via sancta vgcabitur. Non transibit per

ea pollutus: & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Non erit ibileo, & mala bestia non ascendet per eam, nec iniurietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint & redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia sempiterna super caput eorum. Gaudium & lætitiã obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

EXPLANATIO.

Letabitur deserta & inuia.] Dixerat propheta capite superiore euertendam esse Hierosolymam ob Iudeorum perfidiã & nefariam aduersus Christum impietatem & ingratiudinem. Nunc prædicit vocationem gentium, promittitque creditibus in Christum lætitiã & consolationem. Est ergo sensus: Gentilitas, quæ est quoddam desertum absque solidorum virtutum fructu, sine viã quæ ducat ad veram gloriam, lætabitur, & fructum proferet vberimum. Veniet tẽpus illud, quando Deus mittet filiũ suum, vt errantibus viã veritatis ostendat, & tunc conuertentur gẽtes ad fidem, & gaudio magno perfundentur. Et illi qui antea erant aridi, nullis veræ doctrinæ aquis irrigati, sicut liliũ mirabiliter florebat. Hanc vaticinationem icimus esse impletam, & gentes antea charitate destitutas & desertas Apostolorum prædicatione esse conuersas ad Christum. Idem vaticinatur infra noster propheta capite 54. vbi has voces emittit: Lauda sterilis quæ non parit, decanta laudem & hinnai quæ non pariebas, quoniam multi filij deserti, magis quàm eius quæ habebat virũ. Quem locum Apostolus Paulus in epistola ad Galatas de ecclesia interpretatur, quæ antea erat quoddam desertum. De hoc deserto ait propheta in psalmo: Vox Domini concutientis desertum. Vox hæc Domini est Apostolorum prædicatione, quæ gentiũ populum percussit, vt salubriter ad penitentiam conuerteretur. Est enim vox Domini quasi malus conterens petram, vt asserit Ieremias. Hac voce concussum desertũ aridum floruit quasi liliũ. Veros Christianos cõparat liliis, de quibus dicitur in Canticis: Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Vt enim nihil speciosius lilio, sic nihil pulchrius Christiana nobilitate. Titulus psalmi 44. vbi communis versio habet: Pro his qui commutabuntur, potest verti ex Hebraico. Pro liliis. Quod idem est: gẽtes enim ad Christum conuersæ lilia appellantur.

Gloria Libani data est ei.] Nihil erit pulchrius, seracius, & gloriosius ecclesia Christi, quæ antea erat inuium & sterile desertum.

Gal. 4.
Psal. 28.

Ierem. 23.

Cant. 6.

desertum. Habebit enim gloriam Libani, & pulchritudinem Charmeli & Saron. Per Libanum intelligitur templū Salomonis, quemadmodum apud Zachariam capite vdecimo, & apud Ezechielem capite decimo septimo, vt ibi sita tim propheta exprimit. Per Charmelum & Saron intelligitur Iudæorum populus, vt capite 33. explanauimus. Vult ergo Esaias significare omnem candorem, & Dei cultum, & scripturarum scientiam & cognitionem, & fructuum spiritualium fertilitatem, & abundantiam, omnem gloriam & pulchritudinem, & omnes denique virtutes auferendas esse à synagoga, & dandas ecclesiæ. Id significauit Christus Iudæis dicens: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Matt. 21.

Ipsi videbunt gloriam Domini.] Hoc est, Christiani videbunt filium Dei inter eos habitantem, & gloriam eius. Videbunt eum facientem miracula, suumq; diuinum numen significantem. Hoc ita impletum esse ostendit iis verbis D. Ioannes: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriā eius, &c. Veri fideles charitate illuminati Christum videbant non solum oculis corporis, sed oculis fidei, charitate formatæ. Infideles verò, quamuis oculis corporis Christum aspicerent, eum tamen animo non intuebantur: ideo eum nō vidisse dicuntur. Eam ob causam dicebat Christus discipulis suis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Matt. 13. Infideles omnes cæci sunt, & non solum infideles, sed etiam multi ex fidelibus laborant animi cæcitate, qui sceleribus cōtaminati in tenebris versantur: qui quamuis habeant lumen fidei, tamen quoniā hæc fides est mortua, nec habent ignem charitatis, inter cæcos numerantur. Anima nostra est lāpas, oleū est amor Dei, aqua est fides. Et vt lāpas sine oleo extinguitur, quāuis aquā contineat, & extincta lampade tota domus obscura manet, tenebrisq; circūfusa, sic anima charitate destituta, quāuis habeat fidē, amittit ignē & claritatem, atq; ita manens homo cæcus iacet in obscuritate & caligine. Simile.

Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.] Senfus est: Qui antea opera Dei non faciebatis, quod manus haberetis lāguidas & remissas, erigite eas, & roborate, atque ad virtutis actiones extēdite. Et qui erroribus & superstitionibus claudicabatis, estote fortes, via recta incedite & ad veram Dei gloriam tendite. Qui in via veritatis errant, claudī dicuntur. de quibus dicitur in Psal. Claudicauerūt à semitis suis. Videtur propheta alludere ad certandi rationem, sit enim Psal. 17.

nim nonnunquam vt pugnare volentibus brachia ac manus ob nimium timorem languescant, & genua ipsa debilitentur. Hortatur igitur eos ad recipiendū animū, vt intrepidi imitentur strenuos milites, vt brauium consequantur. Ira Apostolus Hebræis, Remissas manus, inquit, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.

Hebr. 12.

Dicite: pusillanimes confortamini.] Postquam confortaueritis manus vestras dissolutas, & genua debilia roboraueritis, alios ad eandem fortitudinem hortamini, & dicite pusillanimis vt confortentur, & ad virtutem accingantur. Perpetue, Non dicit: Vos iacentes in vitis alios ad virtutem excitare: sed, surgite à vitis incumbite fortiter in virtutes, & siccationamini, & alios ad easdem virtutes sectandas admonete. Nam quamuis oratores omnes dicendi artificio facile superiores, quid tibi prodest ad beatitudinem consequendā, si nolueris à sceleribus seiungi, & à vitis separari? Hæc est causa cur multi concionatores non persuadeant, cum dicant aptè ad persuadendum, quia sunt ab omni charitate virtutisque actionibus destituti. Vt enim nihil prodest militibus oppugnare urbem multo puluere sulphureo, si machinæ, quas nostri arcabuzes & bombardas vocant, nō habeant pilas, quas proficiant, quibus muros contendant & euertant, & hostes interficiant, quia tunc nihil aliud efficiunt, quàm consumere puluerem frustra, & aërem sonitu implere. Sic concionatores nec muros superbiæ auditorum, nec pinnas vanitatis eorum euertunt, nec animi hostes vulnerant, nec denique aliquid persuadent, quia sunt à virtute nudati. Concionari sine bonis operibus, est urbem oppugnare sine pilis, est consumere verba, replere aërem tonitruis & clamoribus, & tandē nihil efficere. Menander dicebat, vt refert Plutarchus in Politica ad Traianum mores dicentis esse qui persuadeant, non verba. Quamquam Plutarchus dicat rethoricam, etiam si non suadendi sit opifex, esse tamē adiutricem, quod nos etiā fatemur; dicit enim hic Esaias, vt virtutem amplectamur, & sic alios ad eandem cohortemur.

similitudo.

Ecce Deus noster vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos.] Veniet Christus Deus, & adducet vltionem & salutem: iis qui eum receperint, salutem: illis autem, qui in sua infidelitate manere voluerint, vltionē. Huc pertinent verba eiusdem Prophetæ, quæ supra explanauimus cap. 8. Erit vobis in sanctificationem, in lapidē autem offensionis & petrā scandali duabus domibus Israël.

Tunc

Tunc aperientur oculi cæcorum.] Cùm Christus, inquit, in mundum venerit, aperiet oculos cæcorum, & lucem nõ videntibus reddet. Hoc & omnia alia miracula, quæ sequuntur, fecit Christus Deus noster. Et subindicauit hoc caput de seipso intelligi, cùm interrogatus à discipulis Ioan. Baptistæ, vtrum esset *Mesias* in lege promissus, respondit, vt est apud Matthæum: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, &c. Ac si diceret: Ego sum ille, quem dixit Esaias propheta, hæc signa facturum esse. Voluit Christus non verbis, sed operibus probare se esse *Mesiam*. In Dialectica Aristotelis sunt multa loca à definitione, à diuisionis, à coniuictis, à repugnantibus, & multa alia. In Dialectica Christi vnicus est locus, nimirum ab operibus. Hæc miracula impleta sunt tunc corporaliter, sed quotidie spiritualiter adimplentur, cùm qui prius cæcū habebant intellectu, splendore veritatis illuminentur, & ipsam veritatem aspiciunt, de quibus ait D. Paulus: Eratis aliquando tenebræ, nūc autem lux in Domino. Et qui ad verbū Dei surdas aures habebant, libenter audiant, Et qui in peccatis iacebant, iam currant, vt brauium comprehendant. Et qui muti erant, nunc de peccatis suis confiteantur. Et cùm Christus hæc miracula corporaliter fecit, voluit etiam significare hæc spiritualia, quæ per illa intuebantur. Aperuit cæcorum oculos, vt ostenderet hoc factu fore, vt insipientium cæcarumq; gentium, quæ Deū nesciebant, animos illuminaret luce sapientiæ, & ad cælestia contemplanda interiores oculos aperiret. Verè enim cæci erant omnes idolorum cultores, qui celestem splendorem non considerantes, tenebris ignorantia circumfusi, deos falsos & commentitios colebant, & vero Deo contempto ad res creatas conuertebantur.

Matt. 11.

Eph. 5.

Quia scissæ sunt in deserto aque.] Hoc est, quia in ecclesia, quæ quondam desertum fuerat, erumpet aquæ salutaris baptisimi. & torrentes ac fluuij gratiæ, & euangelicæ doctrinæ. Alludit Propheta ad aquas illas, quæ in deserto de petra virga Moyse percussa fluxerunt. Quæ omnia gerebant figuram eorum, quæ postea futura erant, & quæ completa esse nos assueueranter affirmamus, & firmissimè credimus. D. enim Paulus inquit, omnia illa in figura contigisse, & petram illā esse Christum, ex cuius latere lancea percussio fluxerunt aquæ, quibus ablueremur. At igitur Esaias fore, vt ecclesia, quæ olim fuerat aridum desertum, abundaret aquis, de quibus

Exod. 17.

Nun. 20.

Psal. 77.

1. Cor. 10.

bus supra dixerat cap. duodecimo. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Vbi poteris videre ea, quæ ibi hac de re fusè annotauimus.

In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.] Hoc est, in animis hominum, vbi antea habitabant scelera, errores, superstitiones, cæteræq; pestes, quæ veluti feræ immanes, homines euaserant, habitabunt fides, spes, charitas, prudentia, tēperantia, cæteræq; virtutes. Anima, quæ prius fuerat indomitōrū appetitū & scelerum diuersorū, erit sanctarum cogitationū & virtutum domiciliū & receptaculum. Per dracones vitia, per virorem iunci & calami virtutes intellige. D. Gregorius in Ezechielem homil. 13. per calamum pulchrum & sonorum intelligit euangelicos concionatores, per iuncum verò auditores euangelij: Vt sit sensus: Gentilitas quæ ante Iesu Christi aduentum erat veluti quædam superstitionum mercatura, recepta fide erit sçhola quædā admirabilis & pulchra euangelicæ veritatis.

Ioan. 14.

Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur.] In ecclesia erit Christus, qui dicit de seipso: Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad patrem nisi per me. Ac si diceret: Si volueritis ad patrem cælestem ire, ego vos ducam. Christus nō solum est via per quam ambulare debemus, vt ad patriā ascendamus, sed etiā ipse iuit ad patrem, & secum omnes eum sequentes ad illum perducit. Ait enim: Vado ad eum qui misit me. Cum Christus sit caput nostrū, vt Apostolus asserit, quæ proportio est Christum ascendere ad cælū, nos verò ad infernū descendere? quò tendit caput, eò tendere debēt omnia membra. Eamus cū capite nostro, ascendamus cum Christo, qui ait: Vado ad patrem. Et eamus per eū, qui est via, quæ est in ecclesia, & sancta vocatur. Vnus ex erroribus in quibus homines versantur, est existimare esse in mundo res firmas & stabiles. Si nihil in mūdo stat, si nihil consistit, si omnia cōtinuò currunt, qui fieri potest, vt sit status id quod nunquam stat? Homo, inquit Iob, fugit velut vmbra, & nunquā in eodē fiatu permanet. Perpende obsecro. Non dicit: Homo mouetur, sed fugit, vt eius motus velocitatem significet. Neque dicit, fugit: vt corpus aliquod solidum, sed vt vmbra, qua nihil est inconstantius, nihil leuius, nihil fugacius. Et Dauid, In imagine, inquit, pertransit homo. Non dicit transit, sed pertransit, nec dicit in substantia, sed in imagine. Et Apostolus: Præterit, inquit, figura huius mundi. Non ait substantiam, sed mundi figuram, vmbra, & imaginem præterire.

Ioan. 16.
Ephe. 5.
Col. 1.

Iob. 14.

Psal. 38.
1. Cor. 7.

Et Dauid: Dies mei sicut umbra declinauerunt. Neminem vnquam interrogas quot annos habeat, sed quot annos definat habere. Diuus Augustinus hæc verba scripta reliquit: Res cum crescunt, & tendunt esse, quò magis celeriter crescunt vt sint, eò magis festinant vt non sint. Et D. Gregorius, Viuere, inquit, est à vita transire. Vnde dicebat Seneca: Quicquid vides, currit cum tempore, nihil firmum & stabile. Cù igitur vita nostra sit quidam transitus & cursus, nonne melius ibimus per viam, quæ ducit ad æternam beatitudinem: quàm per desertum & solitudinẽ, & per lucos ad infernum tendentes? Christus est via ducens ad gloriam immortalẽ. Hoc non possumus negare. Ipse, qui est veritas, hanc veritatẽ affirmat. Ego, inquit ille, sum via. Cur hæc viam relinquimus, & in desertis, hoc est, in peccatis & flagitiis aberrantes veramur? Errauerunt & solitudine, & in aquoso, ait diuinus vates, & viã ciuitatis non inuenerunt. Non eam inuenerunt, quia eam quærere non curarunt. Quærite, ait Christus, & inuenietis. Queramus igitur hanc viam, & ambulemus per eã, quoniam hæc est via quæ ducit ad Bethsames, de qua loquuntur, literæ diuinæ in primo libro Regum. Remittentes Philistinim arcam Domini in locum suum quam ob Iudæorum peccata ceperant, posuerunt eam in plauistro, cui iunxerunt duas vaccas, quæ lætabant vitulos, eos autem domi concluserunt, & ait ita scriptura: Ibant autem in directum vacce per viã, quæ ducit Bethsames: & itinere vno gradiebantur pergētes & mugientes & non declinabant nec ad dexteram, nec ad sinistram. Bethsames significat domum solis. Hæc est cœlestis illa gloria, domus illius solis sempiterni, qui homines illuminat, qui luce sua sanctorum animas in oris illis beatissimis & immortalibus diuinitus illustrat & inflammat. Quæ sunt hæc vaccæ, quæ nõ recedunt à via ad gloriã ducente, quæ arcam, vbi erat diuina lex, secum portant, nisi illi qui sanctum euangelium secum portantes, & secundum illud viuentes, nullis esurientium filiorum mugitibus à Dei obsequio reuocantur, nullis humanis negociis impediuntur, sed per Christum veram viam ad cœlestem patrem festinantes currunt? Fœlices animæ, quæ nec ad dexteram declinant, neque ad sinistram sed ad cœlestem domum rectè & celeriter tendunt, ad comprehendendum premium illud, ad quod diuus Paulus festinabat, ita inquit: Quæ quidem retrò sunt obliuiscens: ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinationem persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo

Psal. 101.

Ioan. 14.

Psal. 106.

Matt. 7.

1. Reg. 6.

Phil. 3.

Christo Iesu. Vide ardens desiderium, quo Apostolus cur-
rebat ad gloriã consequendam, qui adhuc non accedens, iã
se ipsum extendebat eorum mors, qui ad rem ipsam dilectã
non dum pedibus accedentes, tanto eius amore flagrant, vt
ad eam præ feruenti desiderio brachia & manus extendant,
Via hæc, qua Apostolus currebat, ac qua nos currere debe-
mus, Christus est Deus noster. Et hæc est via sancta, quam
hoc in loco Esaias in Ecclesia esse asseueranter affirmat.

Apoc. 22. Non pertransibit per eam pollutus.] Sic in Apocalypsi Di-
ui Ioannis: Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.
Quoniam illa particula, eam, potest ibi referri ad eccle-
siam triumphantem.

Sap. 5. Et hæc erit directa via vobis.] Nempe Christianis veram
pietatem colentibus. Nam infideles hac via non ambulant,
neque illi qui sunt sceleribus adfricti, quorum multi in in-
ferno cruciati dicebant: Errauimus à via veritatis, vt literæ
diuina in libro Sapientiæ memoriæ prodiderunt.

1. Petr. 5. Non erit ibi leo.] Hac via, quæ est Christus, non ambula-
bit diabolus, nec eius ministri: sed ambulant per eam qui
liberati fuerint, nimirum à peccatis, & per Christum re-
dempti. Per leonẽ intellige diabolum, de quo ait D. Petrus:
Aduersarius vester diabolus, tanq̃ leo rugiens circuit, quæ-
rens quem deuoret. Per malas bestia, infideles, cæterosq; ho-
mines impios & flagitiosos diaboli satellites & ministros.

Heb. 12. Et venient in Sion cum laude.] Id est, ad Ecclesiam, de qua
ait D. Paulus in epistola ad Hebræos: Accessistis ad Sion
montem & ciuitatem Dei viuẽtis Ierusalem cælestem. Hæc
omnes recipit, qui ad fidem conuertuntur, qui mentis oculis
veritatem aspicientes, & errores ac scelera à quibus liberati
sint contemplantes, gaudio perfunduntur. Appellatur hoc
gaudium sempiternum, quia incipiens hic per gratiam, in
cælesti patria perficitur per gloriam, vbi sine fine manet. Vel
per Sion intellige ecclesiam iriumpphantem, vbi beati Deo
fruuntur, & æterno gaudio replentur. De iis locutus est su-
pra Esaias capite 25 & diuus Ioannes in Apocalypsi capite
vigesimo. Iudæi nostri temporis totum hoc caput ad libe-
rationem à captiuitate, in qua modò detinentur, referen-
dum existimant, & hic sexcentas nugas & nãnias, vt solent
tæci homines in medium proferunt.

Annotationes ex hebræo in
CAPVT XXXV.

Et erit

Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur.] Pro ibi, scribendum est, tibi. Et ita habent nonnulli codices. Nā in Hebraico est xam, quæ dictio aduerbium est, & non pronomen. Pro semita in Hebraico est masul, quod vocabulum significat viā arctam. Hæc est illa, de qua ait Christus: Arcta via est quæ ducit ad vitam. Eam prædicit Esaias vocandam esse sanctam. Fortasse per viam intelligit præceptorum custodiam, de qua ait David: Viam mandatorum tuorum cucurri. Per semitam verò cōsiliorum obseruationem, de qua ait idem Propheta: Dirige me in semita recta propter inimicos meos. Et paulò post in hoc eodē nostro capite, vbi nostra versio, quā vulgatum appellamus, habet: Et hæc erit vobis directa via. Potest veri ex Hebræo: Et ipse cū eis ambulabit in via. Verbū enim halac, quod hic ponitur, significat ambulare, vt in Psalmo 108. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Est igitur sensus: Christus non solum est via, sed ductor ad patriam. Ille est columna illa, quæ Hebræos ad promissionis terrā ducebat. Sed necessariū est, vt abnegemus nosmetipsos & cruces nostras tollentes, sequamur nostrum ducem, vt eo in æterna patria fruamur. Ipse enim ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā & sequatur me.

Argumentum Capitis XXXVI.

Obsessa ab Assyriis Hierosolyma, misit Sennacheribus ad regem Ezechiam Rapsacem hominem superbum & impiū, qui & Ezechia: & cæteris Iudæis triste excidium minaretur, nisi se & ciuitatem traderet, & ad Sennacheribum supplices accederent. Narrat Esaias hanc historiam, quoniam huius obsidionis, & Iudæorū liberationis sæpe meminerat, vt omnes intelligerent vera fuisse ea, quæ literis mādauerat, & hac de re vaticinatus fuerat.

CAPVT XXXVI.



Factū est in quarti odecimo anno regis Ezechia, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iudæ munitas, & cepit eas. Et misit rex Assyriorum Rapsacem de Lachis in Ierusalem ad regem Ezechiam in manu graui, & stetit in aqueductu piscine superioris in via agri fellonis. Et egressus est ad eum Eliachim filius Helchij: qui erat

erat super domum : & Sobna scriba & Ioabe filius Asaph à commentariis . Et dixit ad eos Rapsaces, Dicite Ezechie. Hæc dicit rex magnus rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia qua confidit, aut quo cõ filio vel fortitudine rebellare disponit Super quem habet fiduciam, quia recessisti à me? Ecce confidit super baculum arundineum contra eum istum, super Egyptum, cui si innisus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Sic Pharao rex Egypti omnibus qui confidunt in eo. Quod si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus. Nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Iudæ & Ierusalem, Coram altari isto adorabitis? Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, & dabo tibi duo milia eorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum. Et quomodo sustinebis faciem iudicis vnus loci ex seruis domini mei minoribus? Quod si confidit in Aegypto, in quadrigis & in equitibus, & nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, & disperse eã.

EXPLANATIO.

4. Reg. 18.
3. Par. 32.

Hæc historia narratur lib. 4. Regum, & 2. Paralipomenon, vbi eã poteris plenissimè videre. Hic rex Ezechias fuit filius Achaz regis Iudæ hominis impij, qui regia dignitate ad suum exitium & deformitatem abusus, à vera religione & virtute penitus aberrauit, & deprauatissimis morib⁹ & opinionibus omnem vitæ rationem peruertit. Et quanquam talis esset pater, fuit tamen filius pius & rectus, non solum domi præclarus, sed etiam foris admirandus, virtutumque maximarum gloria præstantissimus. Cum autem Sennacheribus Assyriorum rex cædem immanissimam Iudæis, eorũque nomini obscuritatem moliretur, cepit omnes ciuitates Iudæ, excepta Hierosolyma, quæ vnica stabilis & inuicta permãsit. Et ex quadã ciuitate, quam expugnauerat, quæ appellabatur Lachis, misit ducem Rapsacem cum magno exercitu ad regem Ezechiam, qui Hierosolymæ principatum gerebat, vbi ea facta fuerunt, quæ hoc in loco narrantur. Per Sennacheribum regem impium & elatum, intelligitur diabolus, qui expugnatis vrbibus Iudæ, solam Hierosolymã, quæ est vera Christi ecclesia, vincere non potuit. Quamuis enim ecclesia sit oppugnata, expugnari tamẽ nullatenus potest, quoniã regnat in ea sanctissimus rex ille verus Ezechias Christus Deus noster, qui eam ab hostibus defendit, qui eã non deserit, qui ait: Ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ seculi. Hæc autẽ oppugnatiq; fuit typus têtationũ, quibus exercen-

Matt. 28.

exercen-

exercentur Christiani. Hostes, qui nos conturbant, sunt diaboli, mūdus, & caro. Qui verò ecclesiā magnoperè euertere conantur sunt heretici, qui eā frustra ad vastitatē vocāt. Srat enim ecclesia firma & constans, quā Paulus Apostolus domū Dei appellat, columnam & firmamentum veritatis. Hęc est inexpugnabilis ob inuiolabilem dogmatum certitudinem, & præsidem eius Spiritum sanctum, cuius numine gubernatur. Hęc est nauicula illa, de qua loquitur euangelium, quę licet oppugnaretur fluctibus, non fuit tamen vnquam submersa, quoniam erat in ea Christus, qui eam gubernabat. Hęc est *Matt. 8.* *Gen. 7.* aquę magis crescebant, tantò ipsa magis eleuabatur, & cęlo appropinquabat. Et quemadmodum soli illi, qui erant in arca, salui fuerūt, sic, victis omnibus soli illi qui erāt Hierosolymę cum Ezechia, fuerunt erepti, & victoriam consecuti. Hęc denique est illa ciuitas, aduersus quam ait Christus fore, vt inferorum portę, hoc est, hereticorum impia dogmata & errores nunquam præualeant.

Rasfacem de Lachis.] Hunc Rasfacem dicunt nonnulli fuisse filium Esaie prophetę, aut saltem Iudæum, sed qui à Iudæis defecerat, quoniam linguam Hebraicam callebat. Alij dicunt eum fuisse Samaritanū. D. Cyrillus in dialogo de adoratione & cultu in spiritu, eum Babylonium vocat. Lachis ciuitas erat in tribu Benjamin, non longè à Hierosolyma, Causa autē cur Sennacheribus misit Rasfacē Hierosolymam, ipse autem non venit, fuit quia capta ciuitate illa profectus est in Aegyptū oppugnatū Pelusiū, vt Iosephus scriptū reliquit.

In manu graui.] Id est, cū magnis copiis, vt Iudæos terreret.

In aquæductu piscine superioris.] De hac piscina locuti sumus capite 7.

Et egressus est ad eū Eliachim.] Hic est ille Eliachim, cuius in visione vallis Sion, suprā Esa. meminit. Hic verò Sobna non videtur esse ille, de quo in eodem capite loquitur Propheta. Nā ille erat præpositus tēpli, hic vero scriba, hoc est, legisperitus, aut qui operam dabat sacris scribendis & interpretandis.

A commentariis.] Id est, qui iussu regis commentaria rerum gestarum scribebat.

Dicite Ezechie.] Non dicit, dicite regi, sed Ezechie. Vide superbi hominis insolētiam. Etiam modo loquendi regem cōtemnebat, & indignum regia dignitate iudicabat.

Eccc confidit super baculum arundineum.] Falsum & commētitium est. Nam Ezechias, rex fuit vir omni virtute & pietate

tate præstanti, & nunquam in Aegypto spem ac fiduciam suam collocavit. Sed ex hoc mendacio Rapsacis nonnullâ de promissus utilitatē. Comparavit enim hominū auxiliū baculo arūdiſimo contracto, cui si innixus fueris, vulneraberis, *Reverſ. 17.* Talis est Aegyptus, talis est mundus, talis Pharaon, hoc est diabolus: qui enim mūdo fidit, diabolo seruit. Maledictus homo, ait Ieremias, qui confidit in homine, & ponit carnē brachiū suum, & à domino recedit cor eius. Omnis nostra spes & fiducia est in Deo figenda & collocanda. Ait enim eodē loco idem Propheta: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit dominus fiducia eius. Aspicias hic quemadmodū ex malis quæ sacra scriptura cōmemorat, possimus bonū percipere. Ut enim in aurificis officina etiā sordes & scobes profunt, sic in sacra scriptura etiā ex peccatorū erratis possumus utilitatē aliquam colligere. Tota hæc Rapsacis oratio eodē tēdit, ut Israëlítico populo persuadeat fore illi vtile, si se Sennacheribo tradiderit. Obiicit vanam regis in Aegypto fiduciam, perfidiā, à Deoq; defectionē, obsessorū famem, sui regis victoriam & potentiam. Iraque excellentem eloquentiæ speciem adumbravit, sed mendaciis & impietatibus innixus.

Nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria.] Considera imprudentis & scelerati hominis calumniam, vertit vtiō regi sancto id, propter quod ipse veram laudē fueras consecutus. Sancte quidem & iuxta Dei legem abstulerat Ezechias altaria idolorum, ut errore sublato, deleta superstitio & idololatria coleretur verus Deus in templo sancto suo. Hinc colliges quāta cæcitate laborent impij, quantisque tenebris obscuratum habeant intellectum, ij præsertim qui te odio prosequuntur, qui non solum falsis criminibus, te ad invidiam vocant, sed etiam virtutis actiones, quibus das operam, damnant, & falsis vitiorum nominibus appellant, & quanto maior est tuæ integritatis opinio, tanto acrius eam extinguere conantur. Sed quemadmodum ignis in aquam coniectus statim restinguitur & refrigeratur, sic falsum vitium in vitam integram & laudabilem proiectum illico evanescit & extinguitur.

Coram altari isto adorabis.] Id est, in templo Salomonis.

Non poteris ex te prebere.] Vult Hebræos terrere, ostendens eorum paucitatem, quasi dicat: Cū tanto paruo muniaris exercitu ò Ezechia, ut ne duo quidem milia equitum habeas, quo pacto existimas posse regi potentissimo resistere? Non intelligebat impius plus valere piorum preces, quam

quàm impiorum vires & copias.

Dominus dixit ad me.] O impudentiam inauditam. Non veretur impius asserere esse se misium à Deo ad ciuitatē sanctam delendam. Hoc ideo dixit, vt Iudæorum animos confingeret, vt omnem fiduciam, quam in Deo ponebant, amitterent.

Et dixit Eliachim, & Sobna, & Ioabe ad Rapsaces: Loquere ad seruos tuos Syra lingua, intelligimus enim. Ne loquaris ad nos Iudæicè in auribus populi qui est super murum. Et dixit ad eos Rapsaces: Nunquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, & non potius ad viros qui sedent in muros, vt comedant stercora sua, & bibant vinam pedum suorum vobiscum? Et stetit Rapsaces, & clamauit voce magna Iudæicè, & dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Hæc dixit rex: Non vos seducat Ezechias, quia non poterit eruere vos, & non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino dicens: Eruens liberabit nos Dominus: Non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorum. Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnusquisque vineam suam, & vnusquisque ficum suam, & bibite vnusquisque aquam cisterna sue, donec veniam & tollam vos ad terram, quæ est terra vestra: terram frumenti & vini, terram panum & vinearum. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dii gentium vnusquisque terram suam de manu gregis Assyriorum? Vbi est Deus Emath & Arphat? Vbi est Deus Sepharuaim? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea? Et siluerunt, & non responderunt ei verbum. Mandauit enim rex dicens: Ne respondeatis ei. Et ingressus est Eliachim filius Helchia, quæ erat super domum, & Sobna scriba, & Ioabe filius Asaph à commentariis ad Ezechiam scisis vestibus, & nuntiauerunt ei verba Rapsaces.

Loquere ad seruos tuos Syra lingua.] Timebant ne fortè populus qui erat in muris, intelligens verba Rapsaces caderet animo, & falsis terroribus commotus se illi traderet. Ideo volebant, vt ipse loqueretur lingua Syriaca, quam populus nō intelligebat.

Vt comedant stercora sua.] Urgente fame in obsidione.

Non seducat vos Ezechias.] Ezechias suos hortabatur, vt Deo fiderent: impius autem Rapsaces illis persuadere conabatur, ne in Deo fiduciam collocarent, qui eos liberare non posset. Vide blasphemiam hominis scelerati. Ezechia

Exod. 5.

virtutem dolum appellat, cum id quod Rapsaces diceret merus dolum esset. Eodem modo Pharaon cum Moyses iussu Domini vellet liberare Hebraeos a seruitute Aegyptiaca, in haec verba prorupit: Opprimantur operibus Hebraei, & impleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus. Verba sancti Moysi vocabat mendacia.

4. Reg. 18.

Facite mecum benedictionem.] Pro quo legitur in 4. libro Regum: Facite mecum quod vobis est utile, hoc est, quod vobis proffit, & sit in benedictionem vestram, & egredimini ad me. D. Cyrillus citans hunc locum in lib. de adoratione & cultu in spiritu, legit in hunc modum. Si vultis benedici, egredimini ad me. Ergo facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, id est ac si diceret: Si vultis esse felices, egredimini ex ciuitate, & venite ad me. Vide impuri hominis dolos.

Promittebat Hebraeis benedictionem & felicitatem, si se illi traderent, & sanctum regem Ezechiam relinquerent. Per Israelitas sanctam ciuitatem colentes sub praesidio Ezechiae, in tellige pios Christianos in ecclesia Christi comorantes, veroque regi Christo Iesu adherentes. Per Rapsacem intellige diabolum, qui nobis voluptates, delicias, opes, aliaque mundi bona, aut potius ludibria promittit, dummodo illi insignem ciuitatem, hoc est, animam nostram tradamus, ad eum accedamus, & summum regem Christum saluatorem nostrum aspernemur. At nos ipsos cum in potestate haberet, seducit ac fallit. Eodem modo Pharaon rex Aegypti promissit multa bona Hebraeis, si ad Aegyptum descenderent, sed postquam illuc descenderunt, detinebantur captiui ab Aegyptiis, & acerbissimi me opprimebantur. Surrexit enim, ut ait Scriptura, rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Iosephum. Vbi aspicias quam mobiles & inconstantes sint mundi fauores & prosperitates, Diuitiis, quas Aegyptii promiserant Hebraeis, eos excitarunt, ut ad Aegyptum descenderent, vbi postea fuerunt grauius afflicti, & in acerbis aeternis versati. Allicit nos diabolus illecebris quae nos vndique circumdant, & tandem occidunt.

Exod. 1.

Similitudo.

Vt enim hedera arbores complectitur, & postea eas ipso complexu arctat & necat, sic falsa mundi prosperitas blanditur, sed ipsis blandimentis & illecebris strangulat & perdit. Ea mundi bona quae Rapsaces promittebat Hebraeis, sunt hederae, quibus diabolus nos vult in primis complecti, & blandè delinire, ut opprimat & aridos reddat, ut ad ignem aeternorum cruciatuum tandem perducatur. Et attentè considera. Rapsaces obsedit Hierosolimam, & circumdedit eam, ne per aliquam portam

portam in urbē victus intrarent. Portæ huius ciuitatis sunt sensus nostri, anima est ipsa ciuitas, quam ita obsidet & oppugnat diabolus, vt in eam per sensus nullius spiritualis victus introeat. Hoc moraliter voluit euangelium significare in eis, quos dæmon cæcos, surdos, & mutos faciebat, vt nec per oculos, neq; per os, neque per aures, aliquid ad obsesam animam spiritualis alimenti ingrederetur.

Luc. 16.
Matt. 120

Terram panum & vinearum.] In quarto libro Regum præter ea bona quæ hic narrantur, ait scriptura dixisse Raplacê, & viuetis, & non moriemini. Promittit nobis diabolus vitam si Christū relinquamus, cum Christus sit vita, diabolus autē mors & homicida. De se ipso ait Christus: Ego sum vita. de diabolo autē: Ille homicida erat ab initio. Et D. Ioan. in Apocal. Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eū. Mortem appellat ipsum diabolus. Quis igitur fieri potest vt separatus à Christo inuenias vitā? Si Christus vita est, quomodo reperies vitā separatus à vitā? Quomodo viues, si vitā relinquis, & mortem sequaris? Diabolus est mors & homicida, & tu fugiens vitam vis in domo mortis vitam inuenire, & in domo homicidæ tutus quiescere. Si hominem interroges cur aliena rapiat, cur non obseruet diuinam legem, respondet ideo hoc facere, quia quærit vitam. O hominem insipientem. O responsonem intolerabilem. Quæro vitam. Imò relinquis eam, & mortem amplexaris. Vt enim ille, qui rem in Aquilonari parte existentē it quæsitum ad meridiem, quāto velocius currit, vt eam inueniat, tantò longius fugit ab ea, sic quantò ardentius vitam quæris, tantò longius ab ea separaris. Quære quod quæris, sed non ibi, vbi quæris. Quære vitam, sed in eo qui est vita. Quomodo erit vita in regione mortis? quantò plus ad eam regionem cucurreris ad vitam consequendam, tantò distantius te è vita seiunges. Quære Christum, & inuenies vitam. Sic dicitur in Psalmo: Quærite Dominum, & viuet anima vestra. Si vita est eum quærere, quid erit illum inuenire, eo frui, eumque in æterna gloria semper aspicere & contemplari?

4. Reg. 18.

Ioan. 14.
Ioan. 8.
Apoc. 60

Simila.

Psal. 66.

Mandauerat enim eis dicens: Ne respondeatis ei.] Eam ob causam præcipiebat Ezechias, ne Iudæi responderent blasphemati, vt eū ad maiores blasphemias non prouocarent. Considera iusti regis pietatē & sanctū propositū. Nam vt aqua frigida in feruentē ollam coniecta eā deprimit, feruorēque refri-

Simila.

Ecl. 8.

Psal. 38.

gerat, sic silentiū aduersarij irā mitigat & placat. Vnde scri-

Psal. 140.

Prou. 26.

Rom. 12.

Simile.

ptū est in Ecclesiastico: Non incēdas carbones peccatorum. Et in psal. dicitur: Cū consisteret aduersum me peccator, obmutui & humiliatus sum, & filii d' bonis. Et alio in psal. Pone Domine custodiā ori meo, & ostium circumstantiā: labiis meis. Et in Prouer. Ne respondeas stulto, ne efficiaris ei similis. Et Paul. in epist. ad Ro. Non vosmetiptos, inquit, defendentes charissimi, sed date locum irā: scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Epictetus in hunc modum ait: Si quis ad te deserat: Ille de te malē dicit, ne excuses quę dicantur, sed responde: Ignorat ille & alia quę mihi adfunt mala, alioquin non sola hęc diceret. Hęc ille. At multi sunt, qui vno verbo læsi sex cęta conuicia regerunt. Vt enim porticus Olympię artificio quodā vocem emissam septies reddebat, quam ob causam heptaphorē appellabatur, quod non semel vt echo, sed septies acceptā vocem referret, sic multi vno verbo lacerati maledictis aërem implent, nec faciunt finem contumelias iaciendi. Non sic Ezechias rex illustriſſimus, sed iniuriis & blasphemis Rapſacis lacęsus toleranter eas & patienter tulit, & non solum non respondit, sed etiam ne aliq̄ responderent præcepit.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XXXVI.

Ioabe filius Asaph à commentariis.] Pro à commentariis in Hebræo est ha mazchir in genitiuo, hoc est, commentariensis. Quidam existimant à commentariis & commentariensis idem esse. Est autem commentariensis profectus carceris, Ideo dictus cōmentariēsis, quia vincōs in cōmentariū refert. Et erit C. de iis, quos tenet carcer inclusos, vbi hęc verba habentur: Ante trigessimū diem semper commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorū, clausorum ordinem, ætatemq; victorum. Meminit Vlp. ff. de penis. Quidam commentariensem siue à cōmentariis eū esse putant, qui delinquentiū commentarios scribit, vt in iudicio criminū suberuiat. Ego existimo hoc in loco à commentariis eū esse, qui commentaria & annales scribit, ne memorabiliū rerum scitūq; dignissimarū memoria sensim obſcuretur & cōsumatur. Verbū enim zachar, à quo hęc dīctio deriuatur, significat in memoriam redigere & recordari, vt Ionæ 2. Domini recordatus sum. Vnde zecharon significat historiam & memoriam. Nam historia, vt ait Cic, est vira
memoriæ:

memoria: significat etiam annales & commentaria, quæ sunt historia succinctæ & breues, vt commentaria Cæsaris. Hinc per additionē ¶ in principio fit hoc nomē mazchir, quod significat eum qui scribit annales & commentaria rerum gestarum & factorum insignium, eaq; mandat literis, vt vigeant memoria omnium seculorum.

Quæ est ista fiducia qua confidis? aut quo consilio, vel fortitudine rebellare disponis? ¶ Potest etiam ita verti ex Hebræo: Quæ est fiducia hæc cui fidisti? Dixi, certè in verbo labiorum: sed consilio & fortitudine opus est ad prelium. Vt fit sensus: Tu, inquit Rapaces, tu Ezechia cui rei fidis? sine dubio precationibus tuis: sed falleris, nam ad bellum gerendum consilio & fortitudine opus est, non autem precibus. Vide quemadmodum impij irrideant precationes, quas viri iusti ad Deū fundunt, quæ multo plus valent, quàm omne iniquorū consilium & robur.

Et quomodo sustinere poteris faciem iudicis vnius loci. ¶ Pro iudice poteris vertere ex Hebræo duccem. Et ita vertit Pagninus. Nam in Hebræo est pachah, quod nomen principē & duccem significat, Aggei i. Filium Salatiel duccem Iuda, &c.

Argumentum Capituli XXXVII.

Mittit rex Ezechias nuntios ad Esaiam prophetam, ab eo petitum vt ad Deum pro ciuitatis ab Assyriis obsessæ liberatione preces fundat. Promittit Deus victoriam Ezechia, eumque per Esaiam consolatur. Interficit Dei angelus Assyriorum exercitū, ipse autem Sennacheribus à propriis filiis morte mulctatur. Quæ in hoc capite continentur, per spicua sunt, ideo non egent magna explanatione.

CAPVT XXXVII.



Et factum est, cum audisset rex Ezechias, sci- 4. Reg. 10a
dit vestimenta sua, & obvolutus est sacco,
& intrauit in domum Domini. Et misit
Eliachim, qui erat super domum, & Sob-
nam scribam & seniores de sacerdotibus or-
pertos saccis ad Esaiam filium Amos pro-
phetæ, & dixerunt ad eum. Hæc dicit Eze-
chias: Dies tribulationis & correptionis,

& blasphemia dies hæc: quia venerūt filii vsque ad partum, & vir:

tus non est parienti. Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rapsaces, quem misit rex Assyriorum Dominus suus ad blasphemandum Dominum Deum viuentem, & exprobandum sermonibus, quos audiuit Dominus Deus tuus. Leua ergo orationem pro reliquiis, quae reperia sunt. Et venerunt serui regis Ezechiae ad Esaiam, & dixit ad eos Esaias. Haec dicetis domino vestro. Haec dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quae audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. Ecce ego dabo ei spiritum & audiet nuntium, & reuertetur ad terram suam, & corruiere cum faciam gladio in terra sua. Reuersus est autem Rapsaces & inuenit regem Assyriorum praesentem aduersus Lobna. Audierat enim quia profectus esset de Labbis, & audiuit de Taracha rege Aethiopia dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset misit nuntios ad Ezechiam dicens: Haec dicetis Ezechiae regi Iudae loquentes. Non te decipiat Deus tuus, in quo confidis dicens: Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum. Ecce tu audisti omnia quae fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dii gentium, quos subuerterunt patres mei, Gozam & Aian & Reseph & filios Eden, qui erant in Thalassar? Vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex urbis Sepharphaim, Ana & Aua? Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit in domum Domini, & expandit eos coram Domino. Et orauit ad Dominum dicens: Domine exercituum Deus Israel qui sedes super eberubim, tu es Deus solus omnium regnorum, terrae, tu fecisti caelum & terram. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos suos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quae misit ad blasphemandum Deum viuentem. Verè enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras & regiones earum, & dederunt deos earum igni, non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noster salua nos de manu eius, & cognoscant omnia regna terrae, quia tu es Dominus solus.

EXPLANATIO.

Et factum est cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua.] Solebant Iudaei audita blasphemia vestes scindere. Apud Matthaeum inuenies principem sacerdotum vestes scidisse asserentem Christum blasphemasse, cum Christus veritatem diceret, ipse autem Iudaeus in blasphemiam prorumperet. Habes historiam hanc, quae in hoc capite narratur. 4. li. Reg. c. 19.

Obuolutus est sacco.] Considera pater regis religionem & humilitatem: auditis blasphemias quas impius Rapsaces in Deum iecerat

fecerat, operuit se veste vilissima, qua animi dolorem indicaret, & Deum ad misericordiam moueret. Et statim in iis mœroribus versatus ad templum Dei cucurrit, vt ibi pias læchrymas, & ardentis precationes funderet. His enim armis impios hostes vincere putabat. Oratio enim in terra habitata in cœlum ascendit, & constituta in imis alta pulsata. Oratio humiliantis se nubes penetrat: vt dicitur in Ecclesiastico. Magna est vis orationis, cui nulla locorum interualla sunt impedimento, quæ etiam ore tacente coram Deo clamat. Sic enim dicebat Dominus Moyses: Quid clamas ad me? cum ipse tacitus solo animo oraret. Hoc intelligit Ezechias ad precationes confugit, tanquam ad excellentissimum remedium. Et seipsum indignum existimans qui à Deo audiretur, nuntiis ad diuinum vatem missis ei suum periculum significauit, ab eo petens, vt pro afflicto populo oppugnantique Israël relinqueret, Deum vehementer oraret, quod apud eum magni sint momenti iustorum precationes, non quæ fuit humanum auxiliũ neglecto diuino, sed in primis à Deo opem tulit. Intelligebat enim rex sanctus omne mundi præsidium absque Deo inutile esse & inane. Eodem modo Ioasaphat in ærumnis versatus has voces emisit: Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, vt oculos nostros dirigamus ad te. Nos igitur cum in pericula & calamitates inciderimus, induamur sacco, quod non solum Ezechiam, sed etiam regem Niniue fecisse diuinæ literæ contestantur. Cum enim ad illum peruenisset verbum de euerfione ciuitatis, surrexit de solio suo, abiecit vestimentum suum à se, indutus est sacco, & sedit in cinere. Ergo & nos deponamus preciosas vestes, abiiciamus fastum, confugiamus ad Christum, ab eo lachrymis & precationibus opem petentes, virisque iustis nos ipsos commendantes. Ipse nanque ait in psalmo: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.

Ad Esaiam filium Amos prophetae.] Libro 4. Regum ubi hæc narratur historia, scriptum est: Ad Esaiam prophetam filium Amos. Hic verò quoniam ipse propheta de seipso loquitur, non se vocat prophetam, sed filium prophetae. Ibi autem propheta vocatur, quoniam alter fuit scriptor illorum librorum: quanquam non desint, qui eos velit Esaiæ tribuere.

Dies tribulationis & correptionis, & blasphemie.] Id est, hoc est tempus calamitatis, quia nobis Assyrii vastitatem minantur, & tempus correptionis, quoniam nos corripiunt & increpant, & tempus blasphemie, quoniam in Deum opprobria

Ecci. 35.

Exod. 14.

2. Par. 20.

Ioan. 3.

Psal. 42.

4. Reg. 29.

bria & conuicia iactant.

Quoniam venerunt filii vsque ad paruum.] Sensus est: **Quem** admodum mulieres cum factus peruenit ad locum partus, & ob earum imbecillitatem nasci non potest, maximè torquetur, & summis doloribus premuntur, sic nos maximis angoribus afficimur. Vult propheta significare hac translatione, summum periculum, & letalem calamitatem Hierosolymæ imminere.

Leua ergo orationem pro reliquiis.] Ora pro iis paucis, qui relictæ sunt. Nam magna populi pars excessit è vita. Hoc dixit vt Elaiam ad pietatis lachrymas excitaret, quò vehementiores precatōnes funderet.

Ego dabo ei spiritum.] Id est, dabo ei voluntatem relinquēdi Hierosolymam audito rumore aduentus regis Aethiopiæ contra Assyriam, & redeundi in regionem suam. Quod ita effectū est. Postea tamen rediit Sennacheribus obsesum Hierosolymam, sed potuerunt Iudæi interea sibi necessaria prouidere.

Reuersus igitur Rapsaces.] Soluta obsidione verit Sennacheribus exercitū contra regem Aethiopiæ, quo victo rusus Hierosolymam obsedit & oppugnauit. Cū igitur profectus esset in Syriam, misit nuntios cum literis ad Ezechiā, vt eum saltem verbis terreret.

Gozam.] Goza est in Medorum regione, vt habes lib. 4. Regum cap. 17. Aran & Reseph sunt quædam ciuitates. Filij Edem sunt homines regionem Orientalem colentes.

Libros de manu nuntiorum.] Id est, epistolas de manu tabellariorum.

Ascendit in domum Domini.] Ad assueta arma confugit rex bonus.

Expandit eos coram Domino.] Id est, ante arcam testamēti. Ideo ait: Domine exercituum Deus Israël qui sedes super cherubim. Nam propitiatorium, quod erat veluti sedes Dei, ex quo Deus dabat responsa, erat super alas cherubim. Ostendit igitur epistolam coram Deo, quasi ostendens illi Sennacheribi blasphemias.

Et cognoscant omnia regna terre.] Considera regis religionem. Ideo à Deo victoriam aduersus infideles petebat, vt omnes diuinam potentiam intelligerent. Omnia ad Dei gloriam referēbat. Sic dicitur in Psalmo: Non nobis Domine non nobis sed nomini tuo da gloriam. **Quam etiam petitionem videre poteris in libro Iudith capite. 9.**

Psal. 113.

Et mi-

Et misit Esaias filius Amos ad Ezechiam dicens, Hec dicit Dominus Deus Israël: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum, hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: Despexit te & subsannauit te virgo filia Sion. Post te caput mouet filia Ierusalem. Cui exprobraſti, & quem blasphemasti, & super quem exaltaſti vocem tuam, & leuaſti alitudinem oculorū tuorum ad sanctum Iſraël. In manu seruorum tuorum exprobraſti Domino, & dixiſti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani, & succidam excelsa cedrorum eius & electas abietes illius, & inuolabo alitudinem summitatis eius, saluum Charmeli eius ego sodi, & bibi aquam, & siccavi vestigio pedis mei omnes riuos aggerum. Nunquid non audisti que olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud: & tunc adduxi & factum est in eradicationem collum compugnantiam, ciuitatum munitarū. Habitatores earū breuiata manu contremuerunt, & confusi sunt, facti sicut fenū agri, & gramen pascua, & herba tellorum que exaruit antequam matureſceret. Habitationem tuam, & gressum tuum, & introitum tuum ego cognoui, & insaniam tuam contra me. Cū fureres aduersum me, superbia tua ascendis in aures meas & onam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in via, per quam venisti. Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno que sponte nascuntur, & in anno secunda pomis vescere. In anno autem tertio seminate & metite, & plantate vineas & comedite fructum earum. Et mitte id, quod saluationis fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est, radicem deorsum, & facies fructum sursum, quia de Ierusalem exibunt reliquie, & saluatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet istud. Propterea hec dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam Clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur dicit Dominus. Et protegam ciuitatem istam, ut saluem eam, propter me & propter David seruum meum. Egressus est autem angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque milia. Et surrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum. Et egressus est, & abiit. Et reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & habitauit in Ninive. Et factum est, cum adoraret in templo Nisroch Deum suum, Adramelech & Sarasar, filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Ararath, & regnauit Asarbadon filius eius pro eo.

Et misit Esaias.] Consolatur propheta bonum regē nuntians ei victoriam.

Despexit

4. Reg. 18.

Tob. 1.

Eccl. 14.

Despexi te.] Verba sunt Dei alloquentis Sennacheribum. Quasi dicat: De te ò Sennacheribe reportabit victoriam ciuitas sancta, & te contemnet & irridebit. Filia Sion idem est atque Sion, & filia Hierosolymæ atque Hierosolyma, quæ de re alio in loco disseruimus. Appellatur autem virgo, quia colètibz ceteris ciuitatibus falsos deos, sola ea castitatè, hoc est, verà religionè & cultū seruauerat. Vel quia à nemine nūc fuerat expugnata. Mouere caput est subfannare & irridere.

Et leuasti altitudinem oculorum tuorum ad sanctum Israël.] Hoc est, extulisti fastum & superbiam oculorum tuorū aduersus Deum, qui est sanctus Israël, quem sanctè colit Israël & cuius nomen in Israël sanctificatur.

Ego ascendi multitudinem montium, iuga Libani.] Verba sunt superbi Sennacheribi dicentis : Ego expugnabo arces & loca minora arte vel natura, quæ sunt sita in montibus. Ascendi pro ascendam. Significat se capturum esse totam terram Israël, præfertim eam, quæ erat circa Hierosolymam, quæ est montosa & difficilis expugnata, propter montium altitudinem. Per cedros & electas abietes intelligit nobiles & optimates Hierosolymæ.

Introibo altitudinem summitatis eius.] Hoc est, Hierosolymā in Sione monte alto & feracitatem, quam Sennacheribus captis aliis Iudææ urbibus, existimabat esse vltimo loco expugnandam.

Et bibi aquam, & exciccavi, &c. Tanta est militum meorū copia, vt foderint puteos, & eos statim epotauerint & siccauerint, vt necesse esset alios puteos effodere. Per vestigium pedis sui milites intelligit.

Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei?] Verba sunt Dei Sennacheribum alloquentis, quorum hic est sensus: Nōne audisti ò Sennacheribe ea quæ ego feci hac in re ex antiquis temporibus? Iam hoc constitueram, quod modò efficitur. Et nunc adduco illud, nempe vt eradicentur colles, hoc est, principes & magnates, & euertāt vrbes munitæ, & in acruos redigantur. Hoc ego prædixi per prophetas meos, & nunc illud impleo. Noli igitur gloriam tuarum victoriarum tibi ipsi vendicare, siquidem hæc omnia me permittente facta sunt. Nam habitatores urbium quas cepisti, trepidauerunt, abbreviata manu, hoc est, quia ego manum contraxi, nec illis opem tuli. Vel, abbreviata manu, hoc est, facti sunt animo remisso & eneruato, & languerunt, ac si manus non haberent, quoniam ego illis non dedi fortitudinem. Et in-

star herbæ fragilis facti sunt inualidi & imbecilli. Comparatur eos herbæ tenerorum, quæ statim aret, priusquam ad maturitatem perueniat. Ita dicitur in psalmo: Fiant sicut scœnũ *psal. 118.* tenerum, quod priusquam euellatur exaruit.

Superbia tua ascendit in aures meas] Hoc est, creuit & adaugeta est. Simili modo loquendi vitur scriptura. Ionę 1. c. Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me. Et 4. cap. Genesis dixit Dominus Caino: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et cap. 18. dicitur clamor Sodomorum ad Dominum peruenisse. Debemus igitur omnes contremiscere, cum audiamus hominum scelera ascendere ad Deum, clamare in cœlum, & crescere quotidie.

Ponam ergo circulum in naribus tuis.] Id est, ego te reducam velut hamo, teq; effrenatum, veluti freno domabo. Minitabatur Deus Sennacheribo supplicium & calamitatem, vt se à sceleribus auerteret. Sed hæc minę nihil eum penitus mouerunt, quemadmodum nec peccatores verbis concionatorum mouentur.

Vt enim illi qui eũ locum accolunt, vbi Nilus ad ea quæ Catadupa appellantur, præcipitat ex altissimis montibus, ob sonitus magnitudinẽ nihil audiunt, sic homines vitis imbuti, monitis & minis concionatorũ vsque adeo obsurduerunt, vt sensu audiendi omninõ carere videantur. Et quemadmodũ qui apud fabros ærarios habitant, molleorũ sonitum propter eius frequentiam non sentiunt, sic multi crebris concionibus presentes nihil penitus mouentur.

Sunt similes auibus, quę primo intuitu timent homines fictos, & corpora illa commentitia plena palea, quę in segetibus & arboribus, poma ad maturitatẽ producẽtib; figuntur, veluti terricula ad edaces aues arcendas, sed statim ea corpora contemnũt. Sic multi, quãuis in principio metuant, postea tamẽ timorẽ amittũt, & euãgelicas prædicationes & salutaria monita, minas pœnarum, & exhortationes ad virtutem, perdit homines cõtemnunt, ac si essent res inanes, cum sint maxime & grauissimæ, & quibus illæ deberent moueri & terri, atque ad virtutem excitari. Alij verõ peccatis assueti, flagitijsque contaminati, neque primis minis, neque secũdis, nec vllis denique monitis mouentur, quemadmodum vulnera tabe confecta, & penitus corrupta, quæ sensus stupore iam ferrum chirurgi nequaquam sentiunt. Talis fuit Sennacheribus, qui sceleribus contaminatus & corruptus Dei minas non curauit. Et ita miserẽ periit, pœnas suæ superbiæ acerbas

*Simile.**Simile.**Simile.**Simile.*

bas illas quidem, sed iustas & debitas persoluens.

Tibi autem hoc erit signum.] Conuerit sermonem ad regem Ezechiam. Et est sensus: His duobus annis nihil populus audebit seminare ob metum obsidionis. Sed non deerit alimentum. Nam primo hoc anno terra ob incredibilem feracitatem tribuet ex se frugum abundantiam, quamquam illi nulla femina mandentur. Secundo verò anno tanta erit pomorum copia, vt omnes illis sustententur. Tertio autem anno mortuo iã Sennacheribo, seminabitis & metetis, & plantabitis, & fructus comedetis.

Et mittet id quod saluatum fuerit.] Sensus est: Id quod in agris vel in feminibus relictum fuerit, copiosum fructum proferet, veluti plantę, quę quanto profundiores radices mittit, tantò vberiores fructus producent. Vel ita: Iudæi qui euaserint, tanta rerum abundantia fluent, vt comparentur arboribus in agro feraci plantatis, quę altis defixę ac fundatę radicibus, poma innumerabilia ferunt. Hoc dicebat Esaias de Iudæis illis, qui euaserunt, regemque Ezechiam secuti nõ solum adepti sunt vitam & victoriam, sed etiam hoc aliis annuntiauerunt. At per eos quos hic reliquias appellat, eos intelligit, qui regi Christo adherentes Iudæorum perfidiam declinarunt, & de Sennacheribo, hoc est, de diabolo victoriã reportarunt, quam vniuerso orbi prædicauerunt. Hi fuerunt apostoli, & qui crediderunt ex Iudæis, quos etiam alibi semen & reliquias appellauit. Ideo hoc in loco statim subdit: Quia de Ierusalẽ exiunt reliquię, & saluatio de monte Sion. De illa nanque ciuitate exierunt Apostoli prædicatum euangelii cõctis gentibus. Et de Sione exiuit salus. Ibi enim Deus euangelii docuit, quod euangelium salutis à D. Paulo in epistola ad Ephesios appellatur. Et idem Apostolus illud in epist. ad Hebręos salutem vocat. Et de Sione exiuit, & fuit per totum orbem terrarum nuntiarum, id fuit ab Esaiã nostro capite secundo prædictum, vbi ita inquit: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.

Et propter David seruum meum.] Aspicias, hic defunctorum merita viuus prodesse. Cur igitur diuos non inuocabimus Deo in eterna beatitudine fruentes, cū Deus dicat se propter eos esse in viuos bona collaturum? Sanctorum inuocatio est ab antiquis patribus Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio, Chryostimo, aliisque infinitis viris sanctissimis & doctissimis asserta, atque semper ab ecclesia confirmata. Hęc sanctam doctrinã & consuetudinẽ ab ecclesie initio vsq;

ad nos

Eph. 1.
Hebr. 2.

ad nos propagatam irrident hæretici nostri temporis, quoniam aiunt non esse litteris diuinis conscriptam. Gloriantur enim se solos esse veros scripturæ interpretes & sectatores, cum nihil minus quam ipsam scripturam intelligant & sectentur. Apertè hic ait Deus per Esaiam propter seruum suum Dauidem se ab hostibus Hierosolymam seruaturum. Et per Ieremiam, Si steterint, inquit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populū istū. Et secundo Machabæorum Iudas dux populi vidit Ieremiam qui multis retro annis exceperat è vita, pro populo sanctæque ciuitate Hierosolyma orantem. Qui loci adeo sunt aperti, vt nullis possint argumentis labefactari. At hæretici cum nihil ipsis sit magis in optatis quæ ecclesiã euertere, & Satanicã synagogã constituere, nõ desinunt has aliasq; perspicuas diuinarū litterarū authoritates oppugnare, volentes potius negare veritatem sole clariorem, quam à sua perrinacia desistere.

Egressus est autem angelus.] Euasit Sennacheribus ex hac Assyriorum clade, vt Dei potentiam intelligeret, quam antea contempserat. Sed quoniam noluit à suis flagitiis desistere, fuit in terra sua in templo falsi numinis à suis filiis ignominiose interfectus. Considera terribile spectaculum Occiditur orbis monarcha non in regno alieno sed in suo, non ab extraneis sed à propriis filiis, non ab hostibus sed à suis visceribus, à sanguine suo. Horribile exemplum profectò magnūque Dei in blasphemos iudicium. Eodē modo Pharaon Aegypti rex fuit à decem plagis ereptus, vt postea in mari Rubro miserè corrueret, vt ex aquis ad ignem descenderet, vbi æternis cruciatibus torqueretur.

Et surrexerunt manē.] Nempè Iudæi, vt Assyriorum cadauera nocte interfectorum viderent. Vel surrexerunt nonnulli ex Assyriis qui euaserūt, scēq; cum Sennacheribo fugæ mādārūt.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XXXVII.

Ad Esaiam filium Amos prophetæ.] In nonnullis codicibus est, ad Esaiā filiū Amos prophetam. Sed articulus hebraicus ostendit esse in genitiuo. Est enim in hebræo ha naui à verbo niua, quod significat vaticinari. Ioëlis. 2. Et prophetabūt filij vestri. Correctiores igitur sunt hoc in loco codices, quæ habent: filium Amos Prophetæ. Patrem suum vocauit prophetam, se autē ipsum noluit tam honorifico nomine appellare.

Hec. 1.

lare. Poterat certe hoc nomen assumere & suo iure vindicare, sed voluit diuinus vates illud ob humilitatem suam relinquere, quemadmodum rex Ezechias statim in sequenti versu non regem, sed Ezechiam solum nominatur. Ait enim textus: Hæc dicit Ezechias, sed verbum hoc, rex, non est in hebraico nec in versione D. Hieronymi, nec in correctioribus codicibus. Non ait: Hæc dicit magnus rex Ezechias. Sed, Hæc dicit Ezechias. Vide boni regis humilitatem. Sciebat enim non in titulis & inscriptionibus, sed in virtute & vita honeste acta esse veram mundi gloriam constituendam. Miseram illam nobilitatem quæ se solum titulis, & maiorum opinione defendit: Christus saluator noster cum sit, vt ait Apostolus, splendor gloriæ & figura substantiæ eius, cum sit verus Deus mundi conditor & restaurator, cuius numini cælestium corporum incitata conuersio, & immutabiles siderum cursus obediunt, cuius imperio omnia supera media & infera continentur, sæpissimè his titulis supressis, se filium hominis vocabat, vt euangelica sacra testantur. Filius hominis significat verum hominem, subiectum fame, siti, afflictionibus aliisque laboribus, quibus est hominum genus subiectum. Vide Christi Dei nostri summam humilitatem. Vide quem titulum sibi assumat. Considera quemadmodum falsam gloriam contempserit, quemadmodum in humana forma delitescens non vanos titulos & inscriptiones in hominum aspectum lucèque protulerit, sed ea ornamenta, è quibus verum decus & immortalis honor et floreat. Voluit nos cælestis magister docere cõtenuendam esse superbiam & arrogantiam, nec esse gloriam in titulis collocandam, sed in virtute, quam ita amare debemus, vt ipsa nos trahat ad veram dignitatem & amplitudinem.

Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum.] Pro libris est in hebraico hassepharim, à verbo saphar, quod significat numerare, & narrare. Inde id quod narratur & scribitur, dicitur sopher. Ex quo efficitur vt hoc nomē significet librum, vt Ieremiam, 32. Et scripsi in libro. & paulò post: Et dedi librū possessionis, &c. Eam ob causam Latinus interpres vertit hoc in loco Esaia: Et tulit Ezechias libros. Sed quoniã hoc nomen significat etiam epistolam, poterat etiam verti: Et tulit Ezechias literas. Ita enim hoc idem nomē redditum est Latine Hester cap. 3. vbi cõmunis editio habet: Et literæ signatę ipsius annulo missæ sunt per cursores. Existimo enim libros in hoc Esaia capite significare literas, quas Sennacheribus misit ad

sit ad Ezechiam . Et id quod scriptum legimus Genes. 5. c. Hic est liber generationis Adā, ex illo posse rectissime ver ti, Hęc est enumeratio generationis Adam vel descriptio, vel enarratio . Verbum enim saphar significat enumerare, nar rare, & describere.

Omnes riuos aggerum.] Potest transferri: Omnes riuos munitionis, vel: Omnes riuos qui pro munitione sunt. Que om nia in idem recidunt. Distio enim hebraica matfor significat aggerem, & arcem & locum munitū. & refugium & muni tionem. Igitur per riuos aggerum intelliguntur riuū vrbium munitarum, qui etiam sunt bona munitionis pars . Magna enim munio est ciuitatibus, fontibus abundare. In 4. li. Re 4. Reg. 19. gum vbi scripta est hęc historia, sunt hęc verba : Et siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas, vbi litera he braica habet, fluuios oppugnationis, hoc est, vrbium oppug natarum & obsessarum. Solēt enim vrbes obesse aquas clau dere, seruare, ne siti postea laborent . Et idem potest hoc in loco significare riuus aggerū, hoc est, aquas aggeribus clau sas, & in locis muro septis referuatas.

Argumentum Capitis XXXVIII.

Narrat Diuinus vates ægritudinem, in quam rex Eze chias inciderat, à qua fuit diuinitus liberatus accepto mira culo cœlesti in horologio Achaz, quam ob causam in gratia rum actiones prorumpit.

CAPVT XXXVIII.



*I*N diebus illis egrosauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Esaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hęc dicit Do minus: Dispone domui tue, quia morietis tu & nō viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum & dixit: Obsecro Domine, memēto quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim. Et fletu Ezechias fletu magno. Et factum est verbū Domini ad Esaiā dicens: Vade, & dic Ezechie: Hęc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adii ciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autem tibi erit

Gg signum

fignum à Domino, quia faciet Dominus verbū hoc quod locutus est. Ecce ego reuerſi faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz, in ſole retroſum, decem lineis: Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos descenderat. Scriptura Ezechia regis Iuda cū egrotasset, & conuulisset de infirmitate ſua. Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi, queſui reſidū annorum meorum. Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aſpiciam hominem ultra & habitatorem quietis. Generatio mea ablata eſt, & cōuoluta eſt à me quaſi tabernaculū paſtorū.

EXPLANATIO.

In diebus illis egrotauit Ezechias vsque ad mortem, & intrauit ad eum Eſaias.] Ereptus Ezechias ab Aſſyriis incidit in le talem ægrotudinem. Nec mirum eſt regem ſanctum egrotasse, quoniam vt eſt in Prouerbiis ſcriptum: Quem diligit Dominus corripit. Et Diuus Paulus in epiſtola ad Hebræos, Quem, inquit, diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Egrotabat Lazarus, & miſerunt ſorores eius ad Ieſum dicentes: Ecce quem amas infirmatur. Ille quē ſalus amabat, in infirmitatem inciderat: & quem vita diligebat, à morte rapiebarur. Eſt enim Chriſtus ſalus & vita. At aſſigit ſuos, eoſq; variis, & acerbis caſibus ſæpenu-mero exercet, vt cū doloribus prematur, ſummā & immortalē beatitudinē ardentè deſiderent, & ex periculis erepti in gratiarū actiones prorumpant. Ex quibus facile colliges, quā falſa ſit eorum opinio, qui corporis ægrotudinem tanquam ſummum malum execrantur, in viribus autem & corporis fanitate beatitudinem conſtituunt. Quid eſſe poteſt amantius, quàm hominem, quem Deus cæteris animantibus nobiliorem conſtituit, & vsque ad eod̄ excelsum & excellētem procreauit, vt ad cœlites animi præſtantia proximè accederet, in eo gloriā & beatitudinem ponere, in quo ſi uoluerit pendere; videbit ſe eſſe multis belluis inferiorem? Ne igitur Ezechias eleuaretur admirabili triumpho, ne in animi morbum incideret, corporis morbo à Domino viſtatur, vt ad Deum piās lachrymas & preces ſunderet, & ab ægrotudine liberatus Deum laudaret, tantique beneficii authorem recognosceret. Sunt tamen qui dicant Ezechiam non egiſſe Deo debitas gratias pro victoria de Aſſyriis reportata, imò fuiſſe elatum, & ideo in hęc letalē ægrotudinē incidiffe.

Quia morieris tu & non viues.] Nuntiauit Eſaias mortem Ezechia, & tamen ille liberatus eſt à morbo illo. Audiuit enim

Prou. 7.
Heb. 12.
Ioan. 12.

enim Deus preces & lachrymas. Eodem modo accidit Niniuitis, qui cū eis Ionas propheta excidit & vastitate prædixisset, ad Dominū cōuersi fuerunt misericordiam consecuti. Neq; ideo dicendū est hos diuinos vates Ionā & Esaiam falsum prædixisse, & ita prophetiæ subesse falsum. Nam diuina præsciētia respicit futura, & in seipsis, & in suis causis inferioribus, vidēs ordinē causarū ad effectus. Et quanuis hæc duplex cognitio semper sit in diuino intellectu, nō tamē sēper est in reuelatione prophetica. Et quādo reuelatio prophetica est quædā impressa similitudo diuinę præsciētiæ prout respicit futura cōtingentia in seipsis, tunc ea quę predicuntur, semper eueniunt. Quādo verō prophetica reuelatio est quædā impressa similitudo diuinę præsciētiæ, prout cognoscit ordinē causarū ad effectus, tum aliquando nō euenit id, quod prædicatur: vt in cōminatoriis vaticiniis. Nec tamē propheta falsū vaticinatus est. Nam sensus prophetiæ est, talem esse dispositionē causarū, vt talis effectus eueniat. Et ita intelligitur id, quod dixit Esaias Ezechia: Dispone domui tuæ, quia morieris tu & nō viues. Ac si diceret: Tua egritudo est letalis & incurabilis: dispositio enim corporis tui ordinatur ad mortē. Et re vera morieris, nisi te Deus mirabiliter curauerit. Et moreretur sine dubio, nisi ad Dominum mētis oculos leuaret, ab eoq; ardētissimē sanitatē peteret. Eodem modo est de vaticinatione Ionę dicendū. Erat enim ciuitas illa digna quę euertetur, & hoc scelera eius merebantur. Et euertetur re vera, nisi Niniuite diuinam opem peterēt, pœnitentiā agerent, & ad diuinam misericordiā confugerent. Et quis Deus videatur mutare sententiā, non tamen mutat consiliū. Si milis locus est apud Ieremiā, vbi ita dicit Dominus: Repētē loquar aduersum gentem, & aduersum regnū, vt eracdiem, & destruiam, & disperdam illud. Si pœnitentiā egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiā super malo, quod cogitavi, vt facerem ei. Hæc ibi. Dicitur Deus pœnitentiā agere translaticie, quod ad modū pœnitentis vult aliquando non euenire ea, quæ fuerat mātus. Quemadmodum in negotio Ezechia, cui addidit 15, annos vitæ, cum ei per Esaiam dixisset: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Vtinā hodie tales monitores & cōsiliarios haberent principes Christiani, qui illis suaderent vt se ad mortem præparent, esseque mortales in memoriā redigerēt. Nos etiam omnes disponamus domui conscientię nostrę, quoniam nescimus quando ex hac vita migrabi-

Ierem. 18.

mus. Quis enim est tam insipiens, quamuis adolescētia viribus & pulchritudine floreat, cui sit perspectum & cognitū se ad vesperum esse victurum? Præparemus igitur nosmetipsos, & audiamus vocē Christi dicentis: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Matth. 25.

Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem.] Hoc ideo fecit vt seipsum colligeret ad obsecrandum Deum, vt oraret secretius, & posset plorare liberius & expeditius, ne si hoc faceret corā hominibus, lachrymas suas videretur astantibus ostentare. Vel fortasse ideo se ad parietē conuertit: quia erat ad eam partem templum situm, ad quod ille in periculis confugere solitus erat. Moraliter ita hoc possumus intelligere. Paries peccatum est, siue congeries peccatorum. Hic est paries, qui nos separat à Deo, de quo ait Esaias: Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Hic est paries, quem Deus destruxit sanguine suo, & quem nos erigimus peccata peccatis accumulantes. Sed timendū est ne cadens nos opprimat, quemadmodum super filios Iob parietem cecidisse legitur, & eos omnes interfecisse. Hunc parietem apud Ezechielē perfodere iubemur, vt videamus & cognoscamus scelera intra hunc parietem existentia, magnamque irā Dei pro uocantia. Est igitur sensus. Conturbat Ezechias intellectū ad peccata, quæ admiserat, fixit in illis oculos mētis, & ideo præ dolore lachrymas cōtinere nō potuit. Nos ergo hunc parietē intueamur, & cor nostrū dolorē flagitiorum instillet, & inferentes ac piæ lachrymas cōuerat. Exeat ex oculis nostris mare rubrū lachrymarum, in quo Pharaō ceterique Aegyptij, hoc est, omnia nostra crimina obruantur. Verū illud non est silentio prætereundū, ideo Ezechiam tā vehementer ad Deū confugisse, quia ei dixerat Esaias, vt se præpararet quoniam erat ex vita discessurus: Ex quo colliges quā vtile sit suadere ægrotis vt mortem impendentē considerent, & ad eā se præparent, vt mortē ipsam immortalitas consequatur. Nemo debet ægrotos fallere spe longioris vitæ, cuius ne beneuolentes quidē certitudinē habent. Moriendū enim sine dubio est, & id incertum, an ea ipsa hora, Nihil enim certius morte, & nihil incertius ea ipsa.

Infra 59.

Iob. 1.

Ezec. 8.

Memento queso quomodo ambulauerim coram te in veritate.] Non in simulatione & hypocrisi. Vel capitur hic veritas pro bonis operibus, quemadmodū Exodi 28. Pones in rationali iudicij doctrinā & veritatē. Non enim satis est vt sacerdos sit sciētia excultus, nisi secundū scientiā operetur. Ambulare igitur

tur corā Deo in veritate est, Dei præcepta custodire. Et ita intelligitur, id quod promissit Deus regi Dauid: Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint corā me in veritate in omni corde suo, & in omni anima sua, nō auferetur tibi vir de solo Israël. Quæ verba literę diuine in 3. lib. Reg. memorię prodiderūt. Hoc quod hic dicit Ezech. nō ideo dicit vt se arroganter laudet, sed vt sp̄ suā cōfirmet. Pater eius Achaz Dei cultū abstulerat, & idola adorauerat, ipse autē Ezech. idola cōtriuuit tēplū Baal euerit, & diuinū cultū in statū pristinū reuocauit.

3. Reg. 2.
4. Reg. 16.
4. Reg. 18.

Et fleuit Ezechias fleu magno.] Credibile est cogitasse Ezechia fore, vt morte sua hostes sui lætarentur & dicerēt ob eam causā illū ē vita decessisse, quia abstulisset de medio idolorū aras, & eius mortē p̄cā sacrilegī falso interpretarentur. Ex quo efficeretur, vt offēderētur multi ex fidelib⁹, & omnes infideles superbia elati in pestilētiores errores inciderēt. Videbat præterea se migrare ē vita sine filiis, & tenebat memoria promissionē Dei factā Dauidi, quā, si tunc moreretur, existimabat nō esse fortasse implēdā. expectauerat hæcenus rex Ezechias ex posteritate sua Christū Dominū carnē sumpturū, quoniā esset rex semine Dauidis, cui dixerat de^o. De fructu vētris tui ponā super sedē tuā. Et tanto mœrore ob hæc omnia premebatur, vt vim lachrymarū profunderet. Eo nāq; tēpore filium non habebat. Nam Manasses eius filius erat 12. annorū cū regnare cœpisset. Ex quo cōstat postea esse natū eundem Manassem anno 3. ab hac ægritudine Ezechia.

Psal. 126.

Et factum est verbum Domini ad Esaiam dicens, Vade.] In 4. lib. Re. ita scriptum est: Fleuit Ezechias fleu magno, & priusquam egrederetur Esaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: Reuertere, & dic Ezechia duci populi mei: Hæc dicit dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, vidi lachrymam tuam, & ecce sanauit te. Hic vides quantum valeat apud Deum oratio cum lachrymis coniuncta. Concessit illi Deus quindecim annos vitæ, quod ille nō postulauerat, & promissit liberaturū eū de manu Assyriorū, quod ille nō petierat. Vbi aspicias plus Deū nobis tribuere quā petamus. Narrat D. Matthæus oblatū fuisse Christo paralyticū iacentē in lecto, cui Christus dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et paulō post: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Paralyticus solum corporis sanitatem petebat. At Deus & corporis & animi illi sanitatem tribuit. Mūdus promittit multum, & dat parum; contrā verō Deus plura donat, quā promittit. Pro

4. Reg. 20.

Mat. 9.

Num. 17.

misit Deus se daturum flores virgæ eius, qui dignus esset sacerdotio, & dedit illi flores, & folia, & fructus, & nõ quocumq; fructus viles & abiectos, sed amygdala excellentia. Quid est hoc Domine, nõne promiseras flores? Cur igitur præter flores mirifica poma tribuis, nisi vt summã bonitatẽ tuam, immensãque magnificentiam & amplitudinem hominibus ostendas? Deus promittit flores, & tribuit etiam vberrimos fructus, mundus verò promittit pulcherrimos fructus, & non tribuit nisi flores, instar genistæ, quæ aureos flores & amœnos ostendit, nullum autẽ vtilẽ fructũ producit.

Simile.

Ecce ego reuertí faciam ymbra[m] linearum.] Reuerfus est sol decem gradus in horologio, quod fecerat Achaz. Erat hoc horologium solis in lapide quodam cum lineis signatis, quibus intelligebatur quora hora erat, quando sol radiabat. Nõ nulli per hos gradus siue lineas intelligunt horas, inter quos est Ionathas Chaldæus: Et aiunt vno temporis puncto solẽ conuersum esse retrorsum decem horas. In hortu suo attingebat sol primam lineam, & paulatim descendebat vsque ad vltimam. Sed tunc à decima reuerfus est vsque ad primam. Nonnulli existimant hunc diem creuisse decẽ horas, quoniã existimant solem in cursu suo has decem horas in instanti retro rediisse, & postea à prima hora incõpisse, & paulatim fuisse progressum. Alij arbitrantur creuisse viginti horas, & ita durasse solem triginta & duas. Alij putant hunc diem non fuisse prolixiorẽ alijs, nec solem mutasse cursum suũ, sed solũ hoc miraculum apparuisse in horologio Achaz. Non enim credũt fuisse hoc miraculũ publicum, sed priuatũ, ideo dixisse scripturã fuisse factum in horologio Achaz, vt insinuaret in alijs factũ non fuisse. Quæ sententia est satis probabilis. Sed quoniã in 2. lib. Paralipom. scriptum legimus, missos tunc fuisse legatos Babylonis ad Ezechiam, interrogatum de portento, quod acciderat super terram, & hoc portentum fuit hoc miraculum de quo agimus, existimo solem non solũ in horologio Achaz, sed etiam in cælo retrocessisse, & fuisse visum in Chaldæa, vnde legati Hierosolymam venerunt. Per regem Ezechiam ægrotum intelligitur genus humanum, quod propter peccata morbo laborabat, & æternam mortem merebatur. At misertus illius sol ille summus & sempiternus Christus Deus noster retrorsum reuerfus est. Cũ enim filius Dei esset, verus Deus, æqualis patri, factus est homo, & vt Diui Pauli vtar verbis, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus,

2. Par. 31.

Figura.

Philip. 3.

stis, & habitu inuentus vt homo. Hoc enim est solem reuer
 ti retrorsum, nempe filium Dei humanam naturam sumpsis
 se, quoniam quatenus homo, minor est patre, quemadmo
 dum ipse ait: Pater maior me est. Venit igitur filius Dei, vt E- *Ioan. 14.*
 zechias, hoc est, hominum genus, à morte liberaretur. Ipse *Ioan. 10.*
 enim de se ait: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius
 habeant. Ideò Christus dicitur salutare, iuxta illud: Et vide- *Luc. 3.*
 bit omnis caro salutare Dei. Et id quod dicebat iustus Si- *Luc. 2.*
 meon. Quia viderūt oculi mei salutare tuum, hoc est, eū qui
 salutem & vitam hominibus ægritudine laborantibus attu-
 lit. Ideò seipsum abiecit hominis naturam assumens. Quod *Philipp. 2.*
 volens idem Apostolus amplificare ait: Humiliauit semeti-
 psum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem cru-
 cis. Et secundum hoc minuit eum pater æternus paulò mi- *Psal. 8.*
 nus ab angelis, iuxta id quod dicitur in psalmo: Minuisti eū *Hebr. 2.*
 paulò minus ab angelis. Quæ locum Apostol. in epistola ad
 Hebræos de Christo apertissimè interpretatur. Itaque per
 nouè lineas, per quas Sol reuersus est retrorsū, nouè choros
 angelorum intellige, à quibus Deus Pater filium suum paulò
 minus minuit, & per decimam lineam, in qua Sol ipse se po-
 sedit, intellige gloriosam illā virginē Mariam, in cuius vtero
 sacratissimo clausus est Christus Deus noster, & ex qua car-
 nem assumpsit. Nusquā enim angelos apprehendit, vt ait di- *Hebr. 2.*
 uus Paulus, sed semē Abrahæ, hoc est, nō naturā angelicam
 sumpsit, sed humanam. Fuit ergo Sol in decima linea, vbi
 fuit vmbra, de qua hic dicitur: Reverti faciam vmbra m
 linearum. Quoniam hanc lineam excellentissimā obumbravit
 spiritus sanctus: iuxta id quod illi dixit Gabriel angelus
 apud Lucam: Virtus altissimi obumbrabit tibi. *Luc. 1.*

Scriptura Ezechie.] Pro tam admirabili sanitate à Deo ac-
 cepta, & pro tā insigni beneficio cecinit Ezechias canticum
 hoc, in quo cōmémorat afflictiones, quibus premebatur, au-
 diens esse se à vita discessurum, cum esset in ætate florētī, &
 veluti in dimidio dierum suorū, & sine liberis à vita migra-
 ret. Poterit hoc canticū in mystico sensu accommodari generi
 humano per Christum sanato, vel cuilibet homini, qui velit
 pro recuperata gratia Deo gratias agere, & tristem statum
 ægrotantis animi in memoriā reuocare. Ego tamen illud
 in sensu, quem literalem appellant interpretabor.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.]
 Cū ægrotarem, & mortis meæ imminentis nuntium au-
 dire, tunc dixi ea quæ sequuntur. In ætate mea florētī, in me-

tidie video occidisse solē ætatis meæ, in medio vitę morior, & eo ad portas inferi, hoc est, ad loca mortuorū: secundū corpus ad sepulchrū, secundū verò animā ad limbū, locum sanctorum patrū. Potest hoc ita coniungi. Ego dixi in dimidio dierū meorum: & tunc fiat colon, & sequatur: Vadā ad portas inferi. Quidā pro dimidio vertunt præcisionē. Et tunc est sensus: Ego audies præciosos esse dies meos, dixi: Vadā ad portas inferi. Lugebat Ezechias &angebatur, quod adhuc iuuenis à vita migraret. Nā vt poma cruda & acerba vi ex arboribus auellūtur, matura verò & veluti ad senectutē prouecta, suapte sponte cadunt, sic iuuenes duriter, & veluti vi quadā separantur à vita, senes autem lenius & placidius. Sed mirum videtur cur rex sanctus tam grauitè angeretur morte, cum viri sancti eam libenter amplectātur, & Christi martyres ad locum supplicij alacri animo & erecto accedant, vnde nunquam se redituros esse arbitrentur. Nam vt qui ex magna aliqua & molestia nauigatione ad portum proximè accedunt, gaudio perfunduntur, sic qui morti propinquant, quasi ex magna iactatione erepti, terrā optatam & cœlestem patriam aspicere videntur. Sed pius rex non ideo flebat, quia moriebatur, sed quia sine filio decedebat, ex quo credebatur se descensurum ad locum aliorum patrū. At Christi martyres finita vita, statim ad cœlū ascendunt, & ipsa morte immortalitatem consequuntur. Omnes in fide, spe & charitate à vita migrantes aut illico ad cœlum aduolant, aut ad purgatorium, vnde purgatione cōfecta ad æternam beatitudinem proficiuntur.

Quæsiui residuum annorum meorum.] Hoc est, petij à Deo vt aduceret mihi residuum ætatis meæ. Obsecraui eum, vt mihi vitam concederet.

Dixi, non videbo dominum Deum in terra viuentium.] Tunc dixi: Si ex hac vita nunc migro, non videbo iam Dominum Deum in hoc templo Hierosolymæ. Terram viuentium appellat iudæam, in qua solum erat verus Dei cultus. Hi solum viuunt, qui verum Deum colunt, & ardentè amant. Vnde terra infidelium, terra mortuorum nuncupatur. Et statim subdit: Nō aspiciā hominē vlrā, & habitatorē quietis. Hoc est, Decedens modò è vita, nullū hominē vlrā in hoc mundo video, nec aspiciam populum meū habitatorē quietis, qui deuictō Sennacheribo in pace & securitate quiescit.

Vel

Simile.

Simile.

Vel per terram viuentiū intelligit patriam cœlestem, de qua dicitur in Psalmo: Credo videre bona Domini in terra viuentiū. Et in alio: Placebo Domino in regione viuorum. De qua ait Christus apud Matthæū, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Ideò dicebat, non statim se visurum Deum in gloria, quia descensurus erat ad inferos, & non intraturus cœlum, donec illud Christus suo sanguine aperiret.

Psal. 26.

Psal. 114.

Matt. 5.

Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum.] Sensus est: Ecce morior, & filium non relinquo, qui possit mihi in regno succedere, de cuius semine Christus oriatur. In me finitur generatio mea. Et quemadmodum tabernaculum & tentorium pastorum conuoluitur & complicatur, cum pastores migrant è loco in locum, sic ego ex hac vita migro, & generatio mea conuoluitur ne amplius extendatur & propagetur.

Precisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordiret succidit me, de manè vsque ad vespere finies me. Sperabā vsque ad manè quasi leo sic contriuit ossa mea. De manè vsque ad vespere finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo: meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me: Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee. Domine si sic viuatur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & uiuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autē eruisi animā meā, vt non periret: proiecisti post tergū tuum omnia peccata mea. Quia non infernus confitebitur tibi, nec mors laudabit te: non expectabūt qui descendunt in lacū, veritatem tuam. Viuens uiuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filii uocam faciet veritatem tuam. Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vite nostre in domo Domini.

Precisa est velut à texente vita mea.] Elegans & apta similitudo: Comparat vitam humanam cum tela, quæ etiam in exordio facilè scinditur.

De manè vsque ad vespere finies me.] Sensus est: Tam intolerabilis erat dolor, tam graui ægritudine cruciabar, vt manè existimarem non esse me victurum vsque ad noctem. Et iterum vespere putabam non posse me ad diem sequentem vitam traducere. Nam tãto dolore affigebat me morbus, vt carnem cum ossibus mihi consumeret, instar leonis pecus aliquod discerpentis.

Domine vim patior.] Hoc est, acerbissimè crucior: respō-
de

de pro me, hoc est, refrigera me. Ad te confugio, à te opem peto, præbe mihi quietem & sanitatem.

Quid dicam? aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?] Sensus est: Non possum consequi verbis tā admirabile Dei beneficiū. Si Deum interrogauero quis fuerit meæ sanitatis restaurator, quid respōdebit mihi, nisi eum hoc fecisse? verū potest. *Quid loquar?* vt promisit mihi, sic ipse fecit. *Quasi dicat: Quid faciam?* quibus verbis agā gratias Deo pro tam insigni beneficio? Nō aliud agere possum, quā recogitare tibi ō Domine omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, hoc est, Perpetuū ero memor afflictionū à quibus me mirabiliter eripuisti. Nūquā mihi excidet ex animo memoria tuorum erga me beneficiorū. Et vt cognoscam magnitudinē beneficii, cogitabo magnitudinē calamitatis. Nonnulli codices habēt: Cum ipse fecerim. Et tūc potest esse sensus. *Quid dicam?* aut quid possum pro me aduersus Dominum proferre? Nam ipse mihi respondebit, me hoc fecisse, me ipsū fuisse causam meæ ægritudinis, quod illi debitas gratias non egerim pro victoria de hostibus meis mirabiliter reportata. Sed vt tu Dñe miseriaris mei, ponā ante oculos tuos omne tempus præteritum vitæ meę in afflictionibus & doloribus tranfactum. Vide labores & ærumnas, in quibus ab ineunte ætate versatus sum. Pauci reperietur, qui hoc ipsum dicere nō possint. *Quis est qui nō nascatur plorās, qui à pueritia nō sitim mœroribus & angoribus prematur.* Vt enim fluuius ex alto cacumine fluens, per rupes & montē descendēs semper sonitum efficit, & statim ab ortu veluti raucas voces emittit, & conteritur ac frangitur, donec ad pedem mōtis ingreditur mare, sic homo exit ab vtero matris cum dolore & fetu, vagit in cunis, premitur in pueritiā, & sic ploratus & gemitus tundens, vitā sine quiete & securitate traducit, donec de curso spatio mare mortis ingreditur, quo tandem omnes hominū tā magni quā parui ingrediuntur. *Quod sentiens Iob dicebat: Homo natus de muliere, breui viuens tēpore repletur multis miseriis.*

Simile.

Iob. 14.

Domine si sic viuatur.] Sēsus huius versus est: Hęc ego in ægritudine dicebam: Hęc cecine Domine est vita hominis? Sic cecine viuatur tā breuiter? In talibus est vita, qua spiro? Sicne in tam parua duratione consistit? Dilata mihi dies, siquidem illud poteris facile efficere. Nā tu qui corripis & occidis, poteris vitam dare, & salutem restituere. Adeptus sum victoriā, triūphauit de Sēnacheribo, incipiebam requiescere & gaudere adeptā

re adepta pace, & quādo venit tēpus illud, in quo existimant quietem & tranquillitatem inuenisse, ecce nunc incidi in grauiſſimum morbum, & ita in hac pace premor amaritudine amarissima. Vel sic; Cū amaritudine summa cruciaret, ecce amaritudo hæc versa est in pacem. Nam sequitur statim: Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret, proieciſti post tergum tuum omnia peccata mea. Id est, non amplius meorum peccatorum recordatus es.

Quia non infernus confitebitur tibi.] Id est, illi qui in inferno

cruciantur. Ita dicitur in Psalmo: Quoniam nō est in morte qui memor sit tui. In inferno autem quis cōfitebitur tibi? Et in alio Psalmo. Non mortui laudabūt te Domine, nec omnis qui descendunt in infernum: per mortem & infernum idem intelligit. Est enim tartarus mors, & qui in illis æternis pœnis versantur, mortui dicuntur. Appellatur etiā infernus locus quo scelerati descendunt, vbi nullam à Deo expectabant beatitudinem quoniam in inferno nulla est redemptio.

Viuens viuens ipse confitebitur tibi.] Mortuus te Domine in hac vita non laudat, sed ille qui viuit, te laudibus effert, & si illi filios dederis, ipse eos instruet, docens eos legem tuam, vt eam obseruent, & te singulari amore prosequantur.

Et insit Esaias, vt tollerent massam de ficis, & cataplasma rent super vulnus, & sanaretur. Et dixit Ezechias: Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini.

Et insit Esaias.] Hoc prius fuit quàm canticum, quod modo explanauimus. Nonnulli existimant morbum regis fuisse apostema quoddam, quod ficis ficcis, quos caricas appellamus, curatum est. Nam iuxta artem medicorum huiusmodi morbis sunt caricæ salutares. Ex quo colliges non esse medicinam contemnendam. Alij arbitrantur hos ficus non fuisse siccos, neque naturaliter prodesse vulneribus, imò nocere, sed voluisse Deū rebus noxiis & aduersis vlceri regis mederi, vt euentius potentiam suam declararet. Solet enim Deus rebus hominum iudicio repugnātibus res magnas efficere, vt eius potentia emineat, & clarius illucescat. Sic per Elisæum aquas amaras Iericho, sale dulces reddidit, & quæ noxiæ erāt salubres factæ sunt: cum contra misso sale amariore fieri deberent. Aquæ Marah in deserto cum essent amaræ, ligno in eas coniecto dulces reddite fuerunt, cum lignum illud esset amarum, vt nonnulli referunt. Eodem modo læsi Hebræi à serpentibus viso serpente æneo, quem Deus erectum esse iussit, sanitatem recuperabant, Et aiunt nonnulli noxiū esse

videre

Psal. 6.

Psal. 113.

4. Reg. 2.

Exod. 15.

Nam. 21.

videre æs iis quos serpentes momorderint. Sic Christus cæcum curauit luto, vt humana ratio confunderetur, & Christus suum numen ostenderet.

Quod erit signum.] Hoc interrogauit Ezechias, priusquam Domino pro reddita sanitate gratias ageret. Quod autē signū datū sit iā explicuim⁹. Vel est quedā admiratio visi miraculi. Quasi dicat: quā admirabile est domine hoc signū tuū. Vt intelligas hāc historiā plenissimè, lege 4.li. Reg. & 2. Par.

4. Reg. 20.
2. Par. 32.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT XXXVIII.

Et introiit ad eum Esaias filius Amos propheta.] Potest verti ex Hebræo: Filius Amos propheta. Et ita transtulit Pagninus. Est enim in Hebræo hannauī. Qua de re disseruimus in annotationibus ex Hebræo ad caput præcedens.

Quæsiui residuum annorum meorum.] In Hebræo est pucadhū iæthæ xenorhai. Verbum est phak ad, & est hic pual passiuum in præterito. Significat hoc verbum præter alia visitare, vt Genesis vigesimo primo. Visitauit autem Dominus Satam. Ideo potest verti. Visitatus sum in residuo annorū meorū. Quasi dicat: Puniuit me Deus auferēs residuū annorum meorū. Significat etiam deesse, vt primo Regum vigesimo quinto. Nec aliquando defuit quicquam eis. Vnde potest verti, Defuit residuum annorū meorum. Et quoniam verbum hoc requiro significat non inuenire, & deesse, vt cum dicimus, requiro hominum nostrorum prudentiam, quo quidem pacto Cicero vtitur hoc verbo in primo Paradoxo, significans antiquos in illa re esse prudentia destitutos, idē fortasse posuit noster interpres. Quæsiui residuum annorum meorum, pro priuatus sum residuo annorū meorum. Poteris reddere Latinè: Defuitus sum residuo annorum meorum. Pagninus vertit: Carebo residuo annorum meorum. Septuaginta. Relinquam annos residuos. Quæ omnia in idem ferè coincidunt.

Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium.] Septuaginta habet: dixi, nequaquā vltra videbo salutare Dei in terra viuentium. Satis est perspectum & exploratum dantibus operam literis diuinis, Christū seruatoreū nostrum esse salutare Dei, de quo vaticinatus est Esaias dicens: Et videbit omnis caro salutare Dei. De hoc prædixerat Iacob: Salutare tuum expectabo Domine. Et illud Dauid ardentè desiderabat

Infra 52.
Gen. 49.

derabat dicens: Ostende nobis Domine misericordiam tuā, *Psal. 39.*
 & salutare tuum da nobis. Hoc diuinum salutare ample- *Luc. 2.*
 ctens Simeon ille religione ac pietate præstante, voce ci-
 gnea & charitate ardente cecinit: Nunc dimittis seruū tuum
 Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt
 oculi mei salutare tuum. Cum igitur rex Ezechias intelligen-
 ret filium Dei ex semine suo esse carnem sumpturum, & vi-
 deret se absque filiis è vita migrare, ait si filiū non relinque-
 ret, non visurum Christum in æterna beatitudine, quoniam
 illuc ascendere nō poterat, nisi Christus eius ianuam sangui-
 ne suo aperiret. Est enim Christi sanguis, vt verbis D. Hiero-
 nymi viar, clavis paradisi. Et volens Ezechias significare se
 loqui de Christo, subiunxit: Non aspiciā hominem vltā, &
 habitatorē quietis. Ac si diceret, Si ita decessero è vita, non
 videbo Deum factum hominem, qui est habitator quietis,
 & æternæ beatitudinis. Eum quem Deū vocauerat, & iuxta
 Septuaginta salutare Dei, nunc hominem appellat: quoniā
 Christus est verus Deus, & verus homo, & ipse est gloriæ, &
 quietis verę habitator. Nam in hoc mūdo nulla est vera glos-
 ria, nulla vera quies.

Generatio mea ablata est. ¶ Pro hoc in Hebraico est in hunc
 modum: Dori nissach. Verbum Dur significat habitare, pere-
 grinari, durare: vnde nomen Dur significat ætatem, duratio-
 nem, generationem, habitationem, peregrinationem, & in-
 colatum. Nam omnis nostra ætas & duratio & vita est quæ-
 dam peregrinatio. Quod intelligens patriarcha ille Iacob, *Gen. 47.*
 quo nemo tunc sapientior erat, nemo pietate præstantior,
 interrogatus à Pharaone quot annos natus esset, respondit:
 Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum
 sunt. Vnde dicebat regius Yates: & advena sum ego apud te, *Psal. 38.*
 & peregrinus sicut omnes patres mei. Ex quo efficitur, vt vi-
 ri iusti ex hac vita discedant tanquam ex hospicio, non tan-
 quam ex domo, intelligentes peregrinandi diuersorium no-
 bis Deum dedisse, non habitandi, esse autem veram patriam
 & habitationem nostram in celo: Non enim præstantes vi-
 ri tot labores suscepissent, nisi certissimè crederent, non iisdē
 finibus esse gloriam terminandam, quibus & vitam. Potest
 igitur verti: Peregrinatio mea ablata est: pro quo Pagninus
 trāstulit: Habitatio mea recessit. Dolet igitur Ezechias, quia
 eius incolatus non amplius prolongabatur. Cōtra verò Da-
 uid gemuit ob incolatus sui dilatationem, dicens: Hei mihi *Psal. 119.*
 quia incolatus meus prolongatus est. Idem diuerso medio
 deside.

Simile.

desiderabant. Desiderabat Ezechias Christum videre, id est morte angebatur, quia sine filio decebat, ex quo Christus carnem fumeret. Contrā verō Dauid mortem optabat, ut Christum citius videret. Ut enim duo veloces accipitres a uem altius volantem, seque in sublime ferentem arripere cupientes, ad eam tendunt, sed vnusquisque diuersā via dirigit suum cursum & volatum, efficiens diuersos anfractus, sed ad idem tendentes, sic hi duo illustrissimi reges idem, sed diuersa ratione quærebant.

Tu autem eruisti animam meam ut non periret.] Pro eruere in Hebraico est verbum Chaxac, quod significat præter alia amare, desiderare, coniungere, & cingere. Hinc fluxit interpretum varietas. Septuaginta transtulerunt: Liberaſti animam meam. Vel: Coniunxisti tibi animam meam, ne periret. Qui in charitate est, coniunctus est Christo. Vnde dicebat Paulus: *Quis separabit nos à charitate Christi?* Et alibi: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Et alibi se vincum vocat, quia Deo adhærens vinculis amoris alligatus erat. Potest præterea verti: *Tu autem cinxisti, aut operuisti animam meam.* Hoc est, me veste charitatis induisti. Est enim charitas vestis, quæ operit multitudinem peccatorum, ut ait diuus Petrus apostolorum princeps. Hac veste nudati eiicimur à conuiuio cælestium nuptiarum. At ea induti possumus mentis epulis abundare, & cum vitæ statum adipisci, qui in altissimarum rerum contemplatione consistit. Hæc enim est vestis illa, de qua ait Christus apud Matthæum: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*

Rom. 8.
2. Cor. 6.
Eph. 3.4.
et 4.

1. Petr. 3.

Argumentum Capitis XXXIX.

Mittit rex Babylonis legatos cum literis & muneribus ad regem Ezechiam, quem Esaias reprehendit, quod illis thesauros suos ostendisset, prædicens, esse illos thesauros à Babylonis rapiendos, & in Chaldæam asportandos.

CAPVT XXXIX.



4. Reg. 20.

N tempore illo misit Merodach Baladan filius Balandan rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam. Audierat enim quod egrotasset & conualisset. Latatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnes apothecas supellectilium suarum, & vniuersa

univerſa que inuenta ſunt in theſauris ſuis. Non fuit verbum, quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. Intrauit autem Eſaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri iſti, & unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias, Omnia que in domo mea ſunt viderunt. Non fuit res quam non oſtenderem eis in theſauris meis. Et dixit Eſaias ad Ezechiam. Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, & auferentur omnia que in domo tua ſunt, & que theſaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc in Babylonem. Non derelinquetur quicquam dicit Dominus. Et de filiis tuis qui exiit bunt de te, quos genueris, tollent: & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Eſaiam: Bonum verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit: Fiat tantum pax & veritas in diebus meis.

EXPLANATIO.

In tempore illo miſit Merodach Baladan, &c.] Mortuo Sennacheribo obtinuit regnum Aſarhadon filius eius, & eo tempore incidit Ezechias in morbum, de quo capite ſuperiore diſſeruiſimus. Et quoniam Ezechias mirabiliter conuaſuit, & in eius ſanitatſis ſignum Sol reuerſus eſt retrorſum, & vaga ta eſt ſtatim fama fuiſſe eum huius miraculi cauſam, miſit rex Babyloniſis legatos ad illum cum literis, & muneribus, qui interrogarent de portento quod acciderat, vt verba Paralyp. teſtatur. Et quonia hic rex Babyl. non erat filius Sennacheribi, ſed Baladani, perſpicuum eſt, aliud fuiſſe tunc regnum Babyloniſis, aliud Aſſyriorum. Aſſyrii ceperunt Samariam, Babyloniſis vero Iudam & Hieroſolymam. Exiſtimo tamen regem Sennacheribum, qui tunc monarchiam imperii tenebat, fuiſſe dominum Babyloniſis. Habebat Babylon regem, ſed ſubditum atque Sennacheribo tributarium. Et ob eam cauſam reges Aſſyriorum appellantur reges Babyloniſis. Nam Metatheſtes chronographus Perſa in libro de iudicio temporum ait: Phul Beloochum & Sennacheribum fuiſſe Babyloniſis reges, cum eos ſacra ſcriptura Aſſyriorum reges appellet. Erat enim Babyloniſis ſubieſta tunc Aſſyriis, donec Nabuchodonofor Babyloniſis principatum obtinuit. Hic vicit Aſſyrios, & Babylonem amplis victoriarum ornamentoſis decorauit, & fecit eam caput totius imperii. Ex quo effectum eſt, vt ipſi Aſſyrii Babyloniſis nomen aſſumpſerint, vt ait Solinus. Durauit imperium apud Babyloniſis ſeptuaginta annos, donec Cyrus & Darius eos ſuperarunt, & urbem funditus euerſerunt.

2. Par. 32.

2. Par. 32.

Latus est autem super eis Ezechias.] In libro secundo Paralypomenon ita scriptum est : In diebus illis ægrotavit Ezechias vsque ad mortem, & orauit Dominum, & exaudiuit eum, & dedit ei signum. Sed non iuxta beneficia quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius. Et facta est contra eum ira, & contra Iudam & Ierusalem. Humiliatusque est postea, eò quod exaltatum fuisset cor eius, tam ipse quam habitatores Ierusalem, & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechia. Hæc ibi. Vnde colliges quàm utilis sit afflictio, & quàm periculosa prosperitas. In afflictione confugebat ad Deum, totumque seipsum lachrymis & precibus tribuebat, in prosperitate verò elatus est, Deoque pro acceptis beneficiis debitas gratias non egit. Immo inani gloria captus ob honorem, quem illi rex Babylonis per legatos tribuebat, voluit eis diuitias suas ostentare. Quod non fuit sine culpa iactantia.

Non fuit verbum quod nõ ostenderet eis Ezechias.] Paulò post ait Ezechias : Non fuit res, quam non ostenderẽ eis in thesauris meis. Quod antea appellatum fuerat verbum, appellauit tunc rem. Ex quo constat, verbum hoc in loco pro re accipi.

De terra longinqua venerunt ad me.] Videtur esse iactantia. Quanto longius Babylon distabat à Iudæa, tantò maiorem honorem sibi delatum esse existimabat Ezechias, ob legatos Babyloniorum. Præterea non deberet dicere venerunt ad me, sed venerunt propter Dei miraculum, vt omniã illa non ad se, sed ad Dei gloriam referret.

Auferentur omnia quæ in domo tua sunt.] Ideo Babylonij raperunt diuitias Ezechia, quia ipse eas illis ostendit. In aperto orationis argumento hæc omnia sunt facilia, ideò ad eum sensum, quem moralè appellat, interpretationè cõuertamus. Per diuitias & thesauros intelliguntur bona opera. Quæ enim sunt veræ opes, nisi quæ animum ditant, & præcellentibus ac splendidissimis ornamentis decorat, & admiranda quadam insigni; gloria cumulant? Cùm autè hæc sint virtutes, & opera præclara, & ipsius virtutis actiones, apertè colligitur, eas esse illas excellentes diuitias, cù quibus nulli huius mudi thesauri cõparantur. Vnde constiat verã esse illã Socratis sententiã à Cicerone multis verbis amplificatã, eos solos diuites esse, qui sint virtute præditi & ornat. Has diuitias amittes, si eas Babylonis ostēderis, hoc est, si eas in lucè protuleris, & inani gloria ductus hominibus ostentaueris. Ait enim sancti il-

sanctissimus ille doctor Christus Deus noster apud Matth. Attendite ne iustitiam vestrā faciatis corā hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedē non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Et paulō pōst. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Vult Deus vt opera bona nostra signemus sigillo intentionis in ipsum, nec ea amittamus. Vult nobis merces nostras securas reddere, ne post longam nauigationē in ipsa mercatura spoliemur: spoliabimur autē si bona opera nō propter Deum, sed ad humanā & inanē gloriā captandā faciamus. In moralibus finis, vt ait philosophi, habet eandē vim mouendi, quā habet principii in naturalibus. Cum autem charitas sit finis, vt ait Paulus ad Timotheum, ea nos debet mouere: cum autem charitas nos mouerit, dirigentur opera nostra in Deum, & tunc poterunt perfectē appellari. Perfectio bonorum operū in duabus rebus præcipuē consistit, in directione ad vnum finem, qui realiter sit bonus, & in electione mediōrū illi accommodatorum & conuenientium. Et tunc ille finis est realiter bonus, quando est etiā principium: Vis cognoscere sit ne bonū opus perfectum, considera eius finē ad quem dirigitur: si ille fuerit etiā talis operis principium, & prima causa, poteris quiescere, & tale opus bonum existimare. Ob eam causam asserunt mathematici circulum esse perfectam figuram, quia principium & finis idem est in illo. Cum autem Deus sit principium & prima causa, apertē concluditur, tunc opera nostra esse perfecta, si eorū finis sit Deus, & ad illum fuerint directā, illique dedicata, si Deum quaerimus mediis, opportunis & conuenientibus, si denique sit finis ille, qui est etiā principium. Esse autē Deum principium & rerū omnium primam causam asserit ipse, qui apud Ioannem de seipso loquens, Ego inquit, principium qui loquor vobis. Et idem Ioānes de Deo loquens ita ait. Omnia per ipsum facta sunt. Et diuus Paulus in epistola ad Romanos. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nec solū Theologi, sed etiam Philosophi gentium radio naturali illuminati, Deū esse principium primamq; causam apertissimē testantur. Ideo viri iusti opera sua in Deum dirigunt, eaque propter illum efficiunt. Pugnantes Hebræi cum Amalech, quandiu Moyse manus leuabat, victoriam consequebantur: cum autē eas remisisset, victoriā amittebant. Ita literæ diuinę in Exodo asseueranter affirmant. Quid per manus nisi opera intelligimus? quæ cū leuamus & ad Deum dirigimus, vincimus, & de hostibus

Matt. 6.

1. Tim. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Rom. 11.

Exod. 17.

Figur. 4.

nostris, diabolo, mundo, & carne victoriam reportamus. Sæ autem ea deprimimus in terram, laudem humanam captantes, & inanis gloriæ desiderio flagrantes, ipsam laudem & gloriã amittimus, & ab inimicis superamur. Nulla re clarior gloriã cõsequimur, quã gloriã cõtẽptu. Nam qui appetitu inanis gloriæ ducuntur, & hominũ rumusculos intuentur clarissimis signis ostendũt, ad Deum opera sua non dirigere, nec verã gloriæ amplitudinem contemplari. Quando Christus suis actionibus oculos leuabat in cœlum, nos instruere volebat, vt in nostris actionibus intentionẽ leuaremus in Deũ, ad illumq; mentis acie intenderemus. Quid enim per oculũ nisi intentio significatur? Ita intelligitur id, quod Christus dicebat apud Mattheum: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Hinc effectum est, vt quando dicimus oculũ dextrum, bonam intentionem significemus: quando verò sinistrum, malam. Et vt qui sagittam emittit, vt scopum attingat, claudit oculum sinistrum, aperit dextrum, sic nos in actionibus nostris, si volumus verum scopũ attingere, debemus intentionem sinistram claudere, dexterã verò aperire, debemus inanem gloriam & falsam nominis claritatem paruipendere, Dei autem gloriam nostris actionibus quærere, eãque ipsi Deo dedicare. Et quoniam diabolus intelligit quantum nobis profit bona intentio, summa diligentia conatur eam à nobis auferre. Id significat scriptura in libro primo Regum, dicens conatum fuisse Naam, vt oculos dextros erueret habitatoribus Iabes Galaad. Naas serpentem significat. Quid per Naam nisi diabolus serpentem antiquum, & quid per oculos dextros nisi intentionem ad Christum directã intelligimus? Est igitur summa ope nitendum, vt in nostris actionibus inanem gloriam euitemus instar illius de quo dicitur Nehemix quarto: Vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium. Nos itaque in virtutum actiones toto pectore incumbere curemus, gladiumque ad populi rumusculos resecandos manu teneamus. Magnus Basilius ad hoc propositũ hac eleganti similitudine utebatur. Faber ferrarius quando opus aliquod constat & cudit, debet memoria tenere eũ, à quo instrumentum illud ex pacto accepit, prescriptãq; sibi ab illo formam & magnitudinem in animo versare, vt recte opus efficiat, & iuxta eius voluntatem, qui illud efficit iussit manũ dirigere, alioqui si eius memoriã ex animo patiat excidere, aut aliud quippiã omnino, aut lãgẽ dissimile effi-

Matt. 6.

Simile.

1. Reg. 11.

Figura.

Apd. similitudo.

le efficiet ab eo, quod facere deberet. Eodē modo Christianus dum virtutem exercet, debet ita Deū ante oculos mentis habere, vt nulla eius memoriā deleat obliuio: debet omnes suas actiones ad Deū dirigere, & iuxta eius volūtatē, qui eū rectē operari iubet, manum mouere: debet ipſius in mente infidere Dei voluntas, vt illam intuens, in eāque defixus, omnem curam & cogitationem ad eam implendam conferat, vt concitata multitudinis gloriam contemnens, sit vera gloria cumulatus. Is egregie opus perficit, assidūmque illius memoriā cōseruat, à quo id iussus est facere, verē que illud Dauidicū dicere poterit: *Prouidebā Dominū in cōspectu meo semper, quoniā à dextris est mihi, ne cōmouear.* Hęc D. ille Basilius, qui ab antiquis ob insignē sanctitatē, singulārē eloquentiā, & admirabilē doctrinā, fuit meritō Magnus appellatus. Hęc doctrinā voluit nobis Deus in Exodo significare, quādo Moyſi p̄cepit vt duo cherubim essent in propiciatorio, vnde Deus ipse loquebatur, vtrumque latus propiciatori, alis expāsis tegentes. Deus summē benefactor est, & nihilominus testus, vt nos doceat benefacere, sed nolle ab hominibus videri & gloriā aucupari. Ita locū illum explanat Hieronymus ab Oleastro, vir hac nostra tempestate doctissimus & optimus in eruditissimis suis commētariis in Exodum. Oportet igitur nos solā Dei gloriā in nostris actionibus quærere, & quemadmodum Abram volucres super carnes immolatas descendentes abigebat, sic nos inanē laudē fugere eamq; à nostris operibus abigētes penitus aspernari. Sectemur doctrinam D. Pauli dicentis in epist. 1. ad Corint. Siue māducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Nā si opes & thesauros actionum nostrarum ostentauerimus, amitemus eos, spoliabimur à Babyloniis, & direptioni, animique calamitati commitemur. Ex quo efficitur, vt gloriā quærentes simus omni gloria nudati & destituti, cum ob culpam nostram opes Hierosolymæ sint Babylonem translata. Opes Aegyptias ad terram promissionis asportari permissum erat, Hebræorumque gloriæ tribuebatur, vt in Exodo literæ diuinæ testantur, & similiter Babylonias, vt ex 1. capite Esdræ perspicuum apparet. At nō poterant absque eorum ignominia opes Hierosolymæ Babylonem transferri. Oratorum gentiliū eloquentiam, & salutaria philosophorum p̄cepta, quæ sunt mundi diuitiæ & thesauri, possum⁹ ad religionem pietatis plenissimam adducere, ad ipsius religionis excellentes diuitias amittere, eaq;

*Psal. 13.**Exod. 15.**Gen. 15.**1. Cor. 10.**Exod. 17.**Esd. 1.*

in confuſionem cōuertere nō poterimus, quin ſimus magno dedecore & infamia notati.

Et de filiis tuis.] Hoc eſt, de poſteris tuis. Non enim proprios filios intelligit. Aiunt nonnulli fuiſſe Danielem, Ananiam, Miſaëlem, & Azariam.

Bonum verbum Domini.] Sēſus eſt: Deus eſt æquus & ſermo eius bonus & reſtus. Ego peccaui, & pœna hac dignus ſum. At Deum piū patrem precor, vt in diebus meis in Iudæa ſit tranquillitas, pax & veritas. Hoc dicebat Ezechias, quia ſciebat eo tempore, quo theſauri Hieroſolymæ diriperentur, & Iudæi in Babylonem adducerentur, nullam fore pacem, nec veritatem, nullam quietem, nec in promiſſis conſtantiam, ſed omnia futura eſſe plena contentionibus, & mendaciis. Vel fortasſe hæc dicit Ezechias, cū illi dixit Eſaias hæc trāſmigrationem in Chaldeam non futuram eſſe in diebus ſuis. Quo audito fecit hæc verba Ezechias, ac ſi diceret: Bonus eſt ſermo Domini dicentis, in diebus meis fore pacem & veritatem.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XXXIX.

Miſit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros & numera ad Ezechiam.] Pro libris in hebræo eſt ſepharim, pro quo poſſis vertere literas, & rectè quidē. Significat enim hoc nomen præter alia epiſtolam ſiue literas. Qua de re poteris ea videre quæ ſuprà annotauimus capite 37.

Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias.] Pro verbo in Hebræo eſt dauar, quod nomen ſignificat verbum, vt Heſter 7. Necdum verbū de ore regis exierat, & multis aliis in locis. Significat etiam rem, vt 4. Regum capite 5. Et ſi rem grandem dixiſſet tibi propheta. Et quamuis noſter interpres vertat, verbum, tamen ſæpè capitur pro re, vt hoc in loco, & Deuteronomi 8. capite Non in ſolo pane viuunt homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quem locum citat Chriſtus apud Matthæum: Quasi dicat: Non ſolum homo ſuſtentatur pane, ſed poteſt etiam ſuſtentari quacumque alia re, quam Deus creauit. Et aliis in locis verbum pro re ponitur, quæ breuitatis cauſa omitto.

Matt. 4.

Argumentum Capitis XL.
Conſolatur Deus Iudæorum populum, promittens illis gaudium

gaudium & peccatorum remissionē. Facit propheta loquentem diuinum illum Ioannem Baptistam, Christi Dei nostri præcurforem & annuntiatorem, quo nemo inter natos mulierum surrexit vnquam sublimior, nemo vaticinatione præstantior. Ostendit propheta hominum, eorumque gloriam miseriam, fragilitatem & inconstantiam, Deique nostri summam fortitudinem, infinitam potentiam, & immensam sapientiam, & bonitatem, vt nobis ipsis diffidentes, & opes, magistratus inanem gloriam, cæteraque mundi ludibria, caduca & inconstantia contemnescentes, ea sola ornamenta quæramus, ex quibus vera gloria redundat, & ad ipsum Deum ardentem aspiремus, à quo est verum decus, & omnis dignitatis præstantia.

CAPVT XL.



Consolamini consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad eam Ierusalem, & aduocate eam, quonia completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto. Parate viam domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur,

Matt. 3.
Mar. 1.
Luc. 3.
Ioan. 5.

& omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & reuelabitur gloria Domini, & videbitis omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fenum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fenum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fenum est populus. Exiccatum est fenum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo lenabit, fietas ipse portabit. Quis mensibus est pugillo aquas, & celos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes & colles in statera? Quis adiunxit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi. Cum quo inuit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientia, & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situle, & quasi momen

Eccl. 14.
Iacob. 1.
1. Petr. 1.

Ioan. 10.
Ezecl. 34.
& 37.

Rom. 1.
1. Cor. 3.
Sap. 9.

zum *statera reputata sunt.*

EXPLANATIO.

Consolamini consolamini popule meus.] Prædixerat Esaias capite superiore omnes diuitias regis Iudæ auferendas esse, & à Babyloniis in Chaldæam asportandas, & Iudæos captiuos, & nihil deniq; Hierosolymę relinquendum. Sed ne Hebræi videntes se inter gentes magnis ærumnis, incredibili ignominia, & misera captiuitate oppressos, peccatis suis desperationem adhiberent, & à vera religione deficerent, consolatur eos Deus præceptiq; diuinis vutibus, vt eorum mœrorē verbis cōsolatoriis deliniant, promittentes illis venturū esse Messiam in temporis plenitudine, per quem erant afficiendi lætitia, & remissionem peccatorum recepturi.

Loquimini ad cor Ierusalem.] Vos diuini vates consolamini Hebræos: loquimini illis grata & dulcia. Hebraismus est. Qui mœstū consolatur, eiq; blanditur, dicitur loqui ad cor eius. Id voluit Deus significare per Oseam dicens: Ducā eā in solitudinem, & loquar ad cor eius. Hoc est, alloquar eam verbis blandis illiq; iucundis. Trigesimo quarto cap. Genesis vbi nostra versio habet. Tristēq; deliniuit blanditiis, ait litera hebraica: Locutus est ad cor puellæ. Vbi Chaldæus paraphrastes ait: Locutus est consolationes ad cor eius. Ac si diceret: Sic hē Dinā verbis demulcebat, vt eā ad se alliceret.

Quoniam completa est malitia eius.] Scribendum est, militia eius, & ita habent nōnulli codices correctiores. Appellatur autē militia tempus vitæ nostræ. Nā quid aliud facimus toto vitę spatio, quā militare? Ita enim ait Iob: Militia est vita hominis super terram. Et alibi: Cunctis diebus quibus nunc milito. Vnde Apostolus ad Corinthios scribēs. Arma, inquit, militiæ nostræ non carnalia sunt. Est igitur sensus. Vos o prophetæ mei cōsolamini populū meum, quoniam cōplebitur & finietur tēpus suorū laborum. Et veniet tēpus illud quando perfundatur gaudio, & in Christū credentes remissionē peccatorum consequantur. Capitur igitur malitia pro tēpore captiuitatis Babylonicæ, per quā animi captiuitas, & peccatorū vincula significantur. Vel sumitur militia pro lucta, quæ erat sub iugo veteris legis, quæ tempore Christi finē accepit, de qua ait in Actis diuus Petrus: Quid tentatis Deum imponere iugū super ceruices discipulorum, quod neque nos, neq; patres nostrī portare potuimus? Sed perpende causam consolationis diuinæ, nec esse diuitias, nec voluptates, sed remissionem peccatorū. Nō enim rebus ca-

ducis

Ose. 2.

Gen. 34.

Iob. 7.

Iob. 14.

2. Cor. 10.

Act. 15.

ducis & fallacibus lætari debemus, sed bonis animi, quæ verè bona sunt, Nō solūm verè Christiani, sed etiā gentium philosophi lumine & naturæ & scientiæ illuminati mundi pecunias, sumptuosa ædificia, & eas, quibus maximè improbi & molles homines vincuntur, voluptates, contempserunt, tantum abest, vt eas in bonis connumerādas ducerent. Quippè cum apertè conspicerēt homines harum rerū copia abūdantes, ea tamē appetere maximè, quibus circumfluunt. Quoniā nūquam cupiditas harum rerum extinguitur, imō indies earum sitis augetur, & animū torquet, non solūm appetitu eas amplificandi, sed etiam timore amittendi. Harum rerū contēplatione ductus regius vates dicebat: Redde mihi lætitiā salutaris tui. Et alibi. Renuit cōsolari anima mea. Vbi vides eum petere lætitiā, non mundi, sed Christi, quem Dei salutare appellat, mundi autem lætitiā & inanem consolationem contemnere, & pro nihilo putare.

Psal. 50.

Psal. 76.

Suscipit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vtitur præteritis pro futuris more prophetico. Sensus est: Gaudeat populus Hebræorum, quoniam tempore Messias multa beneficia accipiet. Qui enim in Christum crediderint, magnam misericordiam consequentur. Ponitur numerus finitus pro infinito. Duplicia, hoc est, multa beneficia accipiet pro omnibus peccatis suis, hoc est, non obstantibus omnibus peccatis suis, quoniā ab ipsis redimetur. Vel duplicia, id est, magna dona. Sed quoniā dixerat: Completa est misericordia eius, dimissa est iniquitas illius, existimo per duplicia hæc duo intelligi, nempè impletionem militiæ, & peccatorū redemptionem. Et hæc interpretatio est clara, & satis literæ cōueniens. Poteris per duplicia gratiam & gloriam intelligere. Origines homilia quinta in Matthæū per duplicia duas punitiones intēlligit nō gratiam & gloriam, quem in præsentī secutus D. Hieronymus hoc dicit esse intelligendum de duplici afflictione, quam populus Iudaicus accepit, semel à Babylonis, & iterū à Romanis. Et hæc expositio est satis plena, & probabilis, & munita autoritate grauissimorum doctorum. Martinus Lutherus citat hunc locum in articulo trigésimo sexto, ad probandum non dari gratiā nisi pro peccatis, quod Esaias non dicit. Nam ex sententia veterum interpretum loquitur ad literā de duplici punitione, nō de duplici gratia. Et quamvis hic duplicia possint accipi pro gratia & gloria, non sequitur: Datur hic duplex beneficii gratiæ & gloriæ pro peccatis, ergo gratia nunquam datur nisi

Act. 10.

pro peccatis. Quæ conclusio est hæc? O dialecticum ridiculum. Sed quid ais Luthere? Nonne legisti in Actis Apostolorum Cornelium hominẽ gentilem eleemosynis & precationibus se ad gratiam præparasse, eiusque preces & eleemosynas ascendisse in memoriam in conspectu Dei? Si verum est quod dicis, non potuit Deus Cornelio gratiam tribuere, qui bona opera & Deo accepta faciebat. Sed dices illa opera esse peccata mortalia, quoniam in eodem articulo asseris, liberum arbitrium homini existentis in peccato peccare mortaliter, quando facit quod in se est, vbi asseris hominem peccare mortaliter, etiam quando facit quod in se est, vt se præparet ad gratiam. O horribilem hæresim! Rogo te, Deus incitat & inuitat aliquem ad peccandum? Non quidem, alias non esset iustus, nec Deus. Cur igitur nos Deus incitat & inuitat ad præparationem ad gratiã, si talis præparatio est peccatum mortale? lege Prophetas, lege Apostolos, lege euangelia, lege vetus & nouum testamentum, & totum ipsum inuenies plenum diuinis monitis, quibus misericors ille Deus ac celestis pater inuitat peccatores ad pœnitentiam. Apud Esaiam cap. i. postquam sceleratorũ hominũ flagitia arguit, Lauamini, inquit, mundi estote, auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersẽ, discite bene agere. Quærite iudicium. Et paulò post: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Alloquitur Deus peccatores, quorum impia facinora fuerat detestatus, eosque ad virtutem cohortatur. Et vt liberũ arbitrium ostendat, ait: Si volueritis, &c. Vbi vides in manu peccatoris esse se ad gratiam præparare. Quĩ fieri posset, vt Deus hæc diceret, si conatus peccatoris ad bonũ esset peccatũ mortale? Et alibi apud eundem prophetã: Conuertimini sicut in profundũ recesseratis filiĩ Israel. Et alio in loco: Redite præuarcatores ad vob. Per Ieremiã cap. 3. Reuertere auersatrix Israel, & non euertã faciem meã a vobis: Per Ezechielem 18. Conuertimini & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris. Per Ioẽlem 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Hoc est. Efficitẽ toto conatu quantum in vobis fuerit, vt ad me conuertamini, & ad gratiam veniatis. Per Zachariam: Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos. Quomodo fieri potest vt conatus ad gratiã sit peccatum, si cũ peccator conuertitur ad Deũ, confessim Deus ad ipsum conuertatur? Quorsum Christus omnes peccatores vocaret dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati

Supra 31.

Infra 46.

Zacha. 1.

Matt. 11.

rati estis, & ego reficiã vos? Præterea si eleemosynæ & pre-
 cationes Cornelij erant peccata mortalia, quomodo Deo
 placebant? Lege caput decimũ Actorũ, & videbis angelum
 dicentẽ: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in
 memoriã in conspectu Dei. Deus auerit oculos suos à secle-
 ribus, nec illi vnquã placuerũt. Dies me deficeret si vellẽ om-
 nes rationes, & scripturã loca afferre, quibus possẽ hoc pes-
 silẽs Lutheri dogma refutare. Non. n. ait hoc in loco Esaias
 idẽd populũ Iudaicũ duplicia recipere, quia peccauit, sed
 tantam esse Christi misericordiam, vt quamuis populus pec-
 cauerat, tamen ei & peccata dimitteret, & gloriam tribueret.
 Id quod Christus fecit omnibus iis, qui ad eum se conuer-
 terunt, & vsque ad finem perseuerarũt. Aspicias quãm perpe-
 tam Lutherus hunc locum explanet & citet.

Vox clamantis in deserto. Hebraïsimus est. Idem est, vox cla-
 mantis, ac vox clamãs: quemadmodum terra promissionis
 & terra promissa, vas electionis & vas electum, filius perdi-
 tionis & filius perditus: & multa huiusmodi, quæ passim in
 diuinis literis reperiuntur. Est igitur sensus. Audietur vox,
 quæ clamabit in deserto. Parate viam Domini. Dixerat ven-
 turum esse Christum, nunc dicit prius veturum esse eius præ-
 cursores Ioannem Baptistam. Fuisse autem Diuum Ioan-
 nem hanc vocem, ipse de se asserit apud Ioannem euange-
 listam. Qui interrogatus à sacerdotibus & Leuitis quisnam
 esset, respondit: Ego vox clamantis in deserto, parate viam
 Domini, sicut dixit Esaias propheta. Et diuus etiam Lucas
 & D. Marcus hunc locum de diuo Ioanne Baptista interpre-
 tantur. Appellatur vox primò, quia ex se nihil dicebat, sed
 quæ audierat à Deo. Secundò quia sicut vox præcedit verbũ
 sicut Ioannes Christum. Præibis, inquit Zacharias, ante fa-
 ciẽ domini, parare vias eius. Tertiò, quia vt vox verbum de-
 clarat, sic Ioannes, Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit pec-
 cata mundi. Quartò, dicitur Ioannes vox, ad significãdum
 officium suum esse non mandare literis suas conciones & va-
 ricinia more aliorum prophetarũ, sed voce, ad hoc enim mis-
 sus erat, vt viuã voce cõcionaretur, & Christum ostenderet.
 Quintò, quia quicquid erat in Ioanne, vox erat, totus pen-
 nitentiam & sanctitatem prædicabat. Oculi, manus, vestis,
 quicquid denique in eo erat, clamabat, & totus vox erat. O
 singularem concionatorem, ò admirabilem doctorem vitæ,
 & insignem vitam doctoris. Sunt multi concionatores qui
 quidem habent vocem, sed non sunt vox: quia etsi verbis prædi-

Ioan. 1.

Luc. 3.

Mar. 1.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Similia.

prædicent, non tamen factis: similes aurificibus crucem effici-
 cientibus, sed eam non cõtemplantibus: & vasa ad continen-
 dum sale[m], cum ipsi sint omni sale destituti. Sunt veluti pu-
 teus, cuius aqua abluuntur immunda vasa, cum ipse fit luto
 & spurcitia repletus. Itaq; habent vocem, vox autem nequa-
 quam sunt. At magnus ille præcursor in ventre matris suæ
 sanctificatus totus erat vox, & non quæcumque sed clamans
 non solum loquens, sed vociferans. Tanta enim Iudæorum
 surditas, tantus sensuum stupor, tam arctus eorum & profun-
 dus somnus, magno clamore indigebat. Clamabat igitur D.
 Ioannes, & publicè concionabatur. Hunc imitari debent hi,
 quibus est demandata cura docendi. Quid ad hoc responde-
 bunt illi, qui conciones spernunt: qui cum ad ecclesiasticas di-
 gnitates ascenderint, nihil nisi otium, delicias, voluptates, &
 pecunias querunt. Qui claves thesauri ferunt in brachio, claves
 autè animarum tradunt quibusdã clericis improbis & indoctis.
 Qui non solum populum non docent, sed etiam doctores con-
 temnunt. Hos appellat Deus per Esaiam, non pastores sed ca-
 nes, & non quoscumque, sed canes mutos non valentes latri-
 re, cum eorũ officium sit enumerare euangelium, populũ sce-
 lera reprehendere, & denique subditos suos docere. Legant
 hi antistes diuum Paulum ad Thimotheum & ad Titum scri-
 bentem, & ibi inter qualitates antistitum inuenient debere
 esse concionatores & doctores, Quid plura? Ipse cœlestis do-
 ctor diuinus ille concionator Christus Deus noster eis quos
 præfules constituit, præcipit vt euangelium prædicarent. Nec
 fat est, summissa voce prædicare, sed oportet aliquando clama-
 re instar diui Ioannis, quem hic Esaias vocem esse clamantem
 affirmat. Clamabat igitur Ioannes, & clamore illo etiam si-
 gnificabat, esse euangelij prædicationem longè audiendam,
 lateque dilatandã, iuxta id quod alius propheta prædixerat:
 In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terre
 verba eorum. Illud est præterea aduertendum, hanc vocem
 in deserto clamasse, quia re vera erat Ioan. in deserto. Sæper
 enim viri præcellentes & diuina contemplatione præstantes
 deserta loca dilexerunt. Est enim desertum veluti quædam
 scola paradisi. Ideo dicebat Deus per Oseam prophetã: Du-
 cam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius. Ex quo effectus
 est, vt Anthonius, Hilario, Hieronymus, & innumerabiles alij
 qui præstantibus ingeniis in vita humana diuina studia colu-
 erunt, vrbibus relictis solitudinem colerent, vbi charitate ar-
 dentes, & desiderio æternitatis flagrantes, ad cœlum aspira-
 bant.

Infra 26.

1. Tim. 3.

Tim. 1.

Mar. vii.

Marc. vii.

Psal. 18.

Osee 2.

bant. Et ob eam causam à certu hominum atque familiari-
tate seiuncti, tanquam in portum se in desertum recipiebāt.
Poteris hoc in loco per desertum intelligere mundum, in
quo habitant reptilia, & varia ferarum genera, pauci autem
homines. Qui autem non paret rationi, sed indomitis duci-
tur appetitibus, non homo vocandus est, sed fera. Hoc sen-
tiebat Diogenes ille Cynicus, qui in media luce dici plateam
perambulās cum lucerna quadā in manu, interrogatus quid
quæreret, respondit hominem quære, quoniam eos quos
videbat, non homines esse iudicabat.

Parate vias Domini.] Hoc quidem est quod vox, in deserto
clamabat. Ac si diceret: Expiate animos vestros, vt veniat ad
vos Christus. Expurgate illi viam, vt veniat. Auferte lapides,
lutum, cæteraque impedimenta, hoc est, discedite à peccatis,
& dirigite viam actionibus virtutum. Non dicit parate vias
vestras, sed viā domini. Viæ nostræ sunt peccata, viæ Domi-
ni virtutes. Ideo ait Deus per Esaiā: Non sunt vię vestræ viæ *Infr. 5.*
meæ. Via Domini est quę ducit ad Bethsames, hoc est ad do- *1. Reg. 6.*
mū solis, per quā eunt vaccę legē Dei secū ferētes. De illa di-
cūt damnati, vt in lib. Sapientię scriptura cōmemorat: Erra- *Sap. 5.*
uimus à via veritatis, Hominum autem via est ea, quę ducit
à Hierosolyma ad Iericho, de qua dicunt qui in inferno cru-
ciantur: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambu-
lauimus vias difficiles. Hęc est ea via, de quā ait Salomon in
Prouerbiis: Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruāt. *Prou. 4.*
Et in Ecclesiastico ita scriptum legimus: Via peccantium cō- *Ecc. 21.*
plantata est lapidibus, & in sine illorum inferi, & tenebrę, &
pœnę. Relinquamus igitur vias nostras, nos ad æternos cruci-
atus ducentes, & viam Domini paremus, eumq; ad nos veni-
entem recipiamus. In libro Genesis est memoriæ proditum, *Gen. 41.*
clamauisse præconem, vt omnes coram Ioseph genu flecte-
rent, eumque terræ gubernatorem esse cognoscerent. Quis
est hic Ioseph, qui quærens fratres suos fuit venditus, & a-
cerbis iniuriis affectus, nisi Christus Deus noster mundi ser-
uator & rector? Quis est hic præco, qui præibat, & clamabat
vt eum agnoscerent, & reciperent, nisi Ioannes ille Baptista, *Figura.*
ille gloriosus & admirandus, præcursor & præco, illa magna
vox, quę clamabat vt viam Christo pararent, eumque verū
Dei agnum mundi peccata tollentem intelligerent, esseque
mundi creatorem & restauratorem nequaquam dubitarent.
Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.] Solitudinem
existimo appellari animam sterilem, & incultam, nullis cha-
ritatis

ritatis fructus producentem.

Zuc. 1. *Omnis vallis exultabitur.*] Per vallem intelligit humiles, qui à Domino eleuantur: per montem & collem potentes & elatos, qui à Domino deprimuntur, iuxta illud: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Vel per vallem intelligitur animi fragilitas, & nimius metus, per mōtem verò elatio & superbia. Quasi dicat: Tempore gratiæ auferetur pusillanimitas & superbia. Si superbus vult vt Deus ad ipsum veniat, auferat montem elationis, & imbecillus ac nimium timens impleat sancta securitate & fiducia in Christo vallem timoris & pusillanimitatis.

Supra. 17.

Simile.

Erunt praua in directa; & aspera in vias planas.] Hoc est, qui antea dabant operam iniustitiæ & prauitatibus, qui iura violabant, & fundamenta iustitiæ pervertebant, erūt iusti & actiones suas ad rectam rationis normā dirigētes. Iniustitiā appellat viam obliquam & tortuosam, quemadmodum alio in loco principem iniustum serpentem tortuosum appellauit. Sed ait tempore Christi iniustitiā vertendam esse in æquitatem, & aspera in vias planas, hoc est, homines insolentes, agrestes, elatos, fore modestos, mites & lenes. Sunt quidā homines qui in te conferunt beneficia, sed tam elati, vt prius te asperitate vulnerent, quā beneficia concedant, similes arboribus spinosis, quæ prius te pungunt, quā ab illis fructū euellas. At diuina gratia intractabiles, fiunt lenes & suauēs. Omnis viarum difficultas & deformitas aut est propter altos montes, aut propter profundas valles, aut propter obliquitatem & anfractus, aut propter asperitatem. Omnia hæc impedimenta dicit auferenda esse, & omnes has difficultates & deformitates corrigendas. Voluit diuinus vates & eloquētissimus orator hac metaphora significare fore, vt tempore Christi tolleretur superbia, & nimia trepidatio atque animi imbecillitas, & iniustitia, ac morum asperitas & insolentia, & omnia denique impedimenta tollerentur. Chrysostr. ait hæc metaphora declarari difficultatem veteris legis esse in si dei facilitatem conuertendam.

Et reuelabitur gloria Domini.] Hoc est, apparebit filius Dei, assumpta humanitate, & se mundo visibilem præbebit.

Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.] Hoc est, Et videbunt homines Christum loquentem, & cum hominibus conuersantem. Antea loquebatur Deus per prophetas, sed tunc loquetur ore suo. Os ipsius Christi Domini nostri hominibus loquetur. Pro eo quod Esaias ait. Et videbit omnis

omnis caro pariter quod os Domini locutum est, verit D. Lucas: Et videbit omnis caro salutare Dei. Per dominū ore suo loquentē intelligit Christū, quē appellat salutare Dei, quod diuinam attulerit salutē. Egrotauerat homo propter peccatum, venit salutare Dei Christus Iesus, vt mūdi morbis mederetur, & egrotis salutem tribueret. Mundi egritudines explicat Oseas dicens: nō est veritas, nō est misericordia, nō est sciētia Dei in terra. Maledictū mēdaciū, homicidiū, furtū, & adulteriū inundauerunt, & sanguis sanguinē tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Vbi vides inter egritudines ignorantia connumerari, & Dei sciētia defectum. Hęc est magna phrenesis periculosa paralisis. Ideo venit diuinus medicus ad dandam scientiam salutaris plebi eiui, vt ait Zacharias. Venit ergo curatum genus humanum, de quo ait Esaias: A planta pedis vsque ad caput non est in eo sanitas, hoc est, à plebeio vsque ad principem omnes in erroribus & prauitatibus versantur. Hęc generis hominum egritudo fuit in Ezechia egrotō significata, quādo vt sanitatem recuperaret. Sol reuersus est retrorsum, qui imaginem Christi gerebat, qui vt genus hominum curaret, assumpsit humanitatē & seipsum exinanituit, vt aduentu suo nos à contractis sceleribus expiaret, omniumque virtutum ornamentis decoraret, & in dignitatem ac salutem amissam suo sanguine restitueret. Qua de re poteris ea videre, quę supra explanauimus cap. 38.

Vox dicentis: clama.] Nonnulli totum hoc referunt ad diuum Ioannem Baptistam, dicentes eum esse vocem clamantem & dicentem: Omnis caro scenum, &c. Prædicauit enim D. Ioānes mūdi contemptum, vt homines ad amorem cœlestium excitaret. Potest ad Esaiam referri, vt sit sensus: Ego Esaias audiui Dei vocem præcipientem mihi vt clamarem. Cum autem interrogarem quid essem clamaturus, respōdit mihi diuina illa vox: Clamabis hoc, nempe: Omnis caro scenum, & cætera quę sequuntur. Dixerat propheta populum Dei recepturum esse duplicia dona: sed ne aliquis existimaret se hanc præstitam gratiam simpliciter mereri, dixit omnē hominem, & omnē eius gloriam scenū esse, vt omnes intelligerent seipfos parum valere, esseque à Dei benignitate & misericordia profectam gratiā, quam ipsi sunt consecuti. Nam actiones nostræ quatenus nostræ sunt, & à nostra voluntate profectæ, separatæ à gratia scenum sunt, paruique valoris. Extenuat homines, vt Dei misericordia eos curantis illustri

Simile,
appareat.

appareat. Vt enim peritus & ingeniosus pictor, quando vult
 vt aliquis color emineat & resplendeat, atque insignior appa-
 reat, opponit iuxta illum contrarium colorem, nam vt ait
 Philosophus: Posita iuxta se opposita magis illucescunt, sic
 diuinus vates vt Dei misericordiam splendidissimam esse co-
 gnosceremus, opposuit iuxta illam hominū miseriam. Ideo
 hanc vocem literis mandauit illi dicentem: Omnis caro fœ-
 num, & omnis gloria eius quasi flos agri. O verba gloriosa
 & insignia, digna quę semper sint in nostra memoria impres-
 sa, ex qua nulla vnquam obliuione deleantur. Ea nobis veri-
 tatem aperiunt, nostram miseriam & imbecillitatem ante o-
 culos ponunt, & quid denique simus apertissimè ostendunt.
 Vide aptissimam similitudinem, hominem cum fœno com-
 parat, & eius gloriam cum flore agri. Quid vilius fœno?
 Quid agri flore fragilius? qui frigore arefcit, calore mar-
 cescit, vento rapitur & frangitur, pedibus conculcatur, à
 brutis comeditur, & cum pulchritudinem ostendat, in pun-
 cto temporis consumitur & perit? Ideo dicebat Iob Homo
 quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. Et
 rursus: Contra folium quod vento rapitur, ostendis poten-
 tiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Vbi vides appella-
 ri hominem, folium vento raptum, & aridam stipulam. Et
 Ecclesiasticus, Omnis, inquit, caro sicut fœnum veterascit, &
 sicut folium fructificans in arbore viridi. Et Diuus Iacobus.
 Quę est, inquit, vita nostra: Vapor est ad modicum parens,
 & deinceps exterminabitur. Et Dauid: Dies mei sicut vmbra
 declinauerunt, & ego sicut fœnū arui. Vnde dicitur in Pro-
 uerbio Homo bulla. Est quidem bulla tumor ille inanis, qui
 videtur in aquis subito nascens & statim euanesens. Quo
 Prouerbio monemur nihil esse fugacius humana vita. Ho-
 merus comparat hominis vitam caducis arborū foliis. Euri-
 pedes ait huius vitę felicitatē durare vnum diem, & eodem
 gloriā in ignominiam commutari. Sed reprehenditur à De-
 metrio Phalareo, quod non vnū diem, sed vnū temporis in-
 stans dicere debuerit. Pindarus hominem vmbre somnium
 vocauit. Nihil inanius vmbra, quę cum nihil sit, aliquid esse
 videtur, tamē aliquid inuenit, quod videtur inanius, nimirū
 somnium vmbre. Æschylus apud Stobęū vmbre fumi huma-
 nam vitam comparauit: non solum fumo, sed etiam vmbre
 fumi. Quid igitur superbis homo, quo nihil est fragilius, ni-
 hil vanius? Illud est præterea hoc loco aduertendum, Esaiā
 missum esse concionatū, & tamen à Deo quęssisse quid esset
 dictū.

Iob. 13.

Ecc. 14.

Iacob. 4.

Psal. 103.

dicturus. Ex quibus colliges Christianum concionatorem non debere in suggestum ascendere, nisi mittatur, nisi existimauerit hanc esse Dei voluntatem. Vnde ait Apostolus. Quo modo predicabunt, nisi mittantur: & alibi: Nec quisquam inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Colliges etiam Christianum concionatorem debere à Deo postulari e id, quod est populo suafurus, nec dicere nisi id, quod crediderit Deo placere. Placet autem Deo, vt auditores excitet ad mundi contemptum, & humanæ fragilitatis & miseræ cõtemplationem, vt intuentes esse hominem fœnum, & omnẽ gloriam eius quasi florem agri, inanem mundi splendorem, falsamq; nominis claritatẽ contendant, & ad immortalem gloriam aspirent. Tunc enim concionatores munere suo rectè funguntur, cum auditoribus persuadent, vt considerata humanæ naturæ fragilitate, & misera atq; caduca vitæ cõditione & mundi gloriæ inconstantia, omnia humana despiciant, hominum opes, & rerum gestarum gloria florētium tristes casus, & miserabiles ac subitas ruinas in memoriam reuocantes, abnegent semetipfos, & cruces suas tollentes Christum ducem nostrum sequantur.

Rom. 10.

Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Nōnulli codices habent: tu que euangelizas Sion, vt Sio fit vocandi casus, & ad ecclesiã referatur. Et ita vertit nonnulli ex Hebræo. Et tũc est sensus: Tu ô Sion ô Christi ecclesia diuini verbi annūtiatrix, quoniam es bonũ nuntiũ prædicatura, & de magnis rebus dictura, ascende in montẽ excelsum, eleuaq; fortiter vocem tuã. Faciens mentionẽ euangelij diuinus vates non sat esse existimauit ecclesiam ad vocem efferendam monere, sed etiam ad ascendendũ in excelsi montis cacumẽ exhortari, vbi magno inuictõque animo cõcionaretur. Sin autem legas: Tu qui euangelizas Sion, vt habet Septuaginta, tunc hic est sensus: Tu fidelis cõcio & Apostolorum chore, qui apud Sionem concionaris, ascende in montẽ sublimẽ, & ex eius cacumine annuntia Mesiã. Vbi vides oportere euangelij concionatorem ad eleuatam virtutis montẽ ascendere. Est enim virtus mons altissimus, quãquam à nobis ob eius magnã distantia paruus abiectusq; existimetur. Vt enim Apenninus mons altissimus à Genua nobili Liguria: emporio incipiens paruus apparet mediterraneũ mare procul nauigantibus, illumq; magno interiecto spatio aspicientibus, sic virtus, cum sit adeo sublimis, vt nubes transcendat, minima tamen nobis videtur ob longum interuallũ inter nos & ipsam

Similitudo.

ipsam interiectum. Mundi enim mare nauigantes ab ea longissimè absumus, ob eamque causam aut eam non aspiciamus, aut saltem paruam abiectamque iudicamus. At si ad eam accederemus, non possemus absque dubio eius incredibilem celsitudinem non admirari. Poteris per hunc montem Christum intelligere, de quo supra noster vates 1. cap. vaticinatus est. Oportet euangelicos concionatores esse super Christum firmissimum fundamentum edificatos, quoniam sicut ciuitas illa supra montem sita, de qua ait Christus apud Mattheum: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, Quibus verbis eos excitat ad veritatem forti erectoque animo praedicandam, quod hic fecerat per Esaiam. Ideo sequitur. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Quauis haec expositiones sint rectae, ego tamè ex istimo Esaiam loqui concinatoribus Iudaeorum ante aduentum Christi, quos hortatur, vt annuntient Messiam venturum esse Deum & hominem, propter haec quae sequuntur.

De ciuitatibus Iudae.] Hoc est, Iudaeorum synagoga.

Ecce Deus vester, Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.] Sensus est: Tu qui Hebraeis annuntias Messiam venturum, declara illis eum esse verum Deum & non purum hominem. Dic illis: Ecce Deus vester ipse veniet, qui humanitate assumpta euidentissima miracula efficiet, hominum genus à peccatis expiabit, & à diaboli iugo potenter eripiet. Etsi quatenus homo est subditurus labores, infirmitatibusque subiiciendus, tamen quatenus Deus aequalis est patri, fortis, omnipotens, & sempiternus. Hoc dicebat Esaias Iudaeorum concinatoribus ante Christi aduentum. Indicat aperte hic locus Christum saluatorem nostrum, quem nos venisse credimus esse verum Deum. Et quoniam Hebraei nostri temporis negant Messiam fore Deum, aientes fieri non posse vt finitum sit infinitum, corruptibile sit aeternum, mortale sit immortale, ostendam illis hoc in loco ex lege, psalmis, & prophetarum oraculis & vaticiniis, Messiam esse Deum, vt nos firmiter asserimus. Negant enim illi hoc in sacra scriptura inueniri, multaque in nos iactant conuicia, quod repugnantibus diuinis literis hoc asserimus, magnasque in Christum Deum nostrum blasphemias, quare ego ab illis audiebam, cum Romae, vbi nostri ordinis negotia gerebam, cum illis disputarem. Capite vigesimo sexto Leuitici, alloquens Deus Hebraeorum populum has voces emisit: Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum & scul-

Mat. 5.

& sculptise. Et paulò post. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester. Nemo est qui ambigat hæc verba Dei esse. Deus est qui loquitur, qui promittit se inter homines ambulaturum. Qui fieri poterat, vt Deus, qui spiritus est, gressibus corporis ambularet, in terra hominibus appareret, & cum illis cõuerfaretur, nisi humanam carnem assumeret, in qua se visibilem demonstraret? Hunc locum explanans R. Moyses Gerundienfis, apertè indicat esse de rege Messia intelligendum: asserit enim fore vt Messias sit Deus & homo, inter homines visibilis apparens: quod probat ex hoc loco, & ex cap. 25. Esaiæ dicentis: Et dicent in illa die. Ecce Deus noster iste, spectauimus eum, & saluabit nos Et hæc est multorũ antiquorũ Rabbīnorum sententiā in lib. qui inscribitur Torath choani. Hinc intelliges quantò melius veteres illi Rabbīni sanctam scripturā exposuerint, quā Hebræi nostri temporis. In hac sententiā est Onkelos Chaldaicus, qui illa Dei verba: Respiciam vos, & crescere faciam: quibus in eodem cap. ipse Deus promittit se magnum in Israëlitas beneficium esse collaturum, vertit in hunc modum: Et conuertam me ad vos in verbo meo, vt beneficiam vobis, & crescere faciam vos. Et paulò post vbi communis editio habet: Et non abiiciet vos anima mea: habet ipse. Nec abominabitur vos verbũ meũ. Vbi vides Deum suum verbum hominibus promittere, vt suam erga eos admirabilem charitatem declaret. Hoc Dei verbũ est illud, per quod omnia facta sunt, quod significauit Moyses, quando ita scripsit: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentũ, &c. quæ sequuntur. Si hoc dixit Deus, ergo per verbũ suum. Hoc est verbum illud, de quo cecinit regius vates: Verbo domini cæli firmati sunt. De quo ait Sapientia: Qui fecisti omnia verbo tuo. Hoc Dei verbum est ipse Dei filius verus Deus, de quo ait Diuinus ille Ioannes euangelista: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deũ, Omnia per ipsum facta sunt. Hoc verbum promisit Deus se in mũdum misurũ, vt sumpta nostra humanitate pro nobis moreretur. Nec est ó Hebræe quod magnos aduersus nos & queribundos clamores extoilas, nosque conuiciis atq; maledictis vulneres, dicens velle nos diuinum numen violare, asserentes esse illud cũ infirma humanitate copulatum. Nam deitas filij, quæ illi cum patre est communis, nullum detrimentum omnipotentis subiit, neque Dei formam, serui forma violauit. Duas habet naturas Messias noster, diuinam &

Gen. 1.

Psal. 32.

Sap. 9.

Ioan. 1.

humanam, & in vtraque idē est Dei filius vna persona, vñi suppositum, nostra suscipiens, & sua non amittens. Nec existimes has duas naturas confusas esse, neque eō Christū appellandū esse duos, quōd duas habeat naturas: vnus est enim non confusione substantiæ, sed vnitrate personæ. Qui idē nostram humanitatem assumpsit, cum esset immortalis, vt pro nobis factus homo mortem subiret, quo suam diuinam immensāque bonitatem, singularēque erga nos amoris abundantiam ostenderet. Sed quoniam ὁ Hebræe his nequaquam moueris, ea relinquam, tuisque scripturis tecum agam. In psal. 44. sunt hæc verba literis consignata: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē, propterea vnxit te deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Intelligi hunc psalmum de Messia indicat eius inscriptio, vbi post alia hæc sunt verba. Canticum pro dilecto. Appellari autem in diuinis literis Christum dilectū, quinto capite ostendimus. Præterea in hoc psalmo, vbi nostra editio habet: Speciosus forma præ filiis hominū, habet paraphrastes chaldeus: Pulchritudo tua ὁ Messia excedit filios hominum. Hunc psalmum interpretatur de Christo D. Paulus in epistola ad Hebræos, Sed ipsius psalmi verba ponderemus. Iā vides ὁ Iudæe sanctum regem Dauidem in hoc loco Messiam Deum appellare. Ita enim ait; Sedes tua ὁ Deus in seculū seculi. Et paulō post: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Hoc est tu ὁ Deus, cuius thronus est in seculum seculi, vnctus es à Deo non oleo illo, quo reges puri homines vngi solent, sed oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quid potest esse clarius & lucidius? Vocauerat Messiam Deum dicens: Sedes tua ὁ Deus in seculum seculi, & statim eum iterū Deum appellat dicens: Vnxit te Deus Deus tuus. Nam illa dictio, Deus, est in casu vocandi, Deus autem tuus in casu nominandi. Messias idem est quod vnctus apud Hebræos, quēadmodū Christus apud Græcos. Et volens propheta significare se loqui de Messia, quē Deum vocat, ait: Vnxit te ὁ Deus Deus tuus. Qui essent homines tam obrusi, tantæque ingenij hebetudine laborantes, qui hunc locum videntes, de hac veritate dubitarent, nisi essent impia perniciosa obstinati? In alio psalmo ait Propheta. Deus manifeste veniet, Deus noster, & nō silebit. Et in alio: Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus saluator meus, Et in alio. Nunquid Sion dicit homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Vide quā clarē

Heb. i.

Psal. 49.

Psal. 26.

Psal. 24.

Psal. 61.

clare utramque Christi generationem significauit diuinus vates æternam & temporalē. Et volens rursus ostendere hunc Altissimum Deum, qui Sionē fundauerat, ibi se hominibus sumpta humanitate visibilem ostensurū, ait: Videbitur Deus Deorum in Sion. Quid ad tā aperta loca respondere poteris Hebræe? Non tibi cito nouum testamentum, quoniam illud non recipis, sed tuum vātē, tuas scripturas, quibus te animi cæcitate coopertum, tenebrisque vndique circumfusum conuincio. Ieremias capite 23. & 33. vbi de Mesiæ aduentu loquitur, ita inquit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabūt eū Dominus iustus noster. Hæc Ieremias, Dicit hoc de Dauidē, qui multis retro annis excesserat ē vita, est meriti commentum & pura infania. Sed quoniam Mesiās futurus erat ex femine & progenie Dauidis iuxta illud: De fructu vētris tui ponam super sedem tuā, & illud: Iuravi Dauid seruo meo vsque in æternum præparabo semen tuum. Ideo eum Ieremias Dauidem appellat. Intelligit hoc de Mesiā, indicat paraphrasis Chaldaica. Nā vbi nos habemus: Suscitabo Dauid germen iustum, habet illa statuat iustum Mesiām. Volēs autem Propheta ostendere Mesiām esse Deum, ait eum esse vocandum Dominum iustum nostrum. Et pro Domino est in Hebraico Iehouah, nomen Dei tetragrammaton aliis Dei nominibus illustrius & præstantius, soli Dei tributum, quod Iudæi mirabile ineffabileque appellant. Vocans eum Iehouah indicat eius diuinitatem: dicēs verò esse ex femine Dauidis suscitādū, eius humanitatē. Hæc est clara, distincta, vera, & lucida huius loci explanatio. At Iudæi volunt hunc textum corrumpere in verbo vocabunt, sed Ionathan Chaldaicus & Septuaginta eorum falsitatem ostendunt. Ita enim habent quemadmodum nos habemus. Michæas propheta capite quinto, suarum visionum volens hanc veritatem ostendere, hæc verba literis mandauit, vt essent perpetuis munimētis cōtestata: Et tu Bethlehē Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël. & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Pro, Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, habet Thargū Chaldaicum: Ex te Mesiās egredietur. Quid volunt Propheta significare dicens egressum Mesiæ esse ab initio à diebus æternitatis, nisi eū, qui in Bethleemítico diuersorio natus est

Psal. 131.
Psal. 88.

quem mentis oculis humanitatem sumpturū, aspiciebat, esse verum Deum celesti patri coæternum? Nonne vides hic duas Christi natiuitates, alteram in tempore in Bethleem, alteram verò ab æterno? Et egressus, inquit, eius ab initio à diebus æternitas. Id cecinerat alius vates ita dicens: Ante solem permanet nomen eius, Noster Esaias nonne cap. 9. & 12. & 25 & 45, & 53. ostēdit Mesiā esse Deū? Lege si volueris nostra in hæc loca cōmentaria, & erit tibi hæc veritas p̄specta & explorata. Cū omnibus his locis cohæret id, quòd hic ait Esaias: Ecce Deus vester: Ecce dominus Deus in fortitudine veniet.

Ecce merces eius cum eo. Id est, ipse est merces, quam suis dilectis tribuit, præbet enim seipsum diligētibus eum. Et opus illius coram illo. Id est, videt omnia creata. Quicquid est creatum opus Dei est, semp̄rque coram illo est: Quasi dicat: Christus cū venerit, præbebit seipsum fidelibus, non enim eos ignorabit, quoniam omnia videt.

Sicut pastor gregem suum pascet.] Christum vocat pastorem, qui apud Ioannem de seipso ait: Ego sum pastor bonus & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & animam meam pono pro ouibus meis. Hic est de quo Deus pater ait per Zachariam: Percutiam pastorem, & dispergentur oves: quem locum Christus de seipso apud Matthæum interpretatur. Et apud Ezechielem. Suscitabo, inquit, super ea pastorem vnum, qui pascet ea, seruum meū Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Quæ non de Dauide, quia à vita migrauerat, sed de Christo dicitur, cuius multis in reb⁹ rex Dauid imaginem gerebat. Ideò Apostolus de Christo disse-rens in epistola ad Hebræos eum pastorem magnum appellat, & D. Petrus enim in epistola sua 1. principem pastorū vocat. Hic est pastor ille, qui ouem, quæ errauerat, suis humeris reportauit, vt est apud Lucā. Id quod iam Esaias dixerat hoc in loco iis verbis: In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, factas ipse portabit. Contemplare hanc Dei nostri pietatem, & mansuetudinem. Intueantur præfules pastorē hunc, eumq; imitati conentur. Non dispergit oues, & errare facit, sed cōgregat & adunat, easque errātes ad gregem ducit, in sinu suo leuat, & humeris asportat. ò diuinū pastorē ò cælestē pontificē. Ideo se nō solū pastorē vocat, sed pastorē bonum, qui oues suas vsque ad ò amauit, vt pro illis sanguinem fuderit. Perpende. Non se vocat hic iudicem, quia non venit vt mundum iudicaret: non ducem belli, quia pacem diligit, qui vt nos patri reconciliaret, se salutarē hostiam deu-

Psal. 71.

Ioan. 20.

Zach. 13.

Matt. 26.

Ezec. 34.

Heb. 13.

1. Petr. 5.

Luc. 15.

Ioan. 3.

uit

uit atque constituit, vt inimicitias inter homines & Deū depelleret, genusque humanū à mortis faucibus sua morte liberaret. Non se h. c. vocat regem, quia videtur hoc nomen tū morem inducere, atq; honorem potētiamq; significare: Ipse enim titulos honorificos non appetebat. Nam, vt ipse ait, nō venit ministrari sed ministrare. Ipse nos docuit Christianā philosophiam in humilitate consistere. Vocat se pastorem, rem abiectā. Vult vilem ac contemptū titulum sibi vēdicare, non qui nos terreat, sed qui nos consoletur. Nō quo nos ducat in obliuionem, sed quo nobis in memoriā redigat labores: quos tulit pro nobis, nostram vult vtilitatem & salutem. Cū esset Deus, indutus est veste lanea ex ouibus sumpta, sumpsit naturā nostrā, ne ab eo fugeremus, ne oues exterretur. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt de Christo ait ad Philippenses sanctus Apostolus. O immensum amorem, o admirabilem pietatem huius diuini pastoris, & infinitam charitatis abūdantiā. Quis non desiderabit se esse ouem talis pastoris? Nam qui verā oues sunt, ne timeant, ipse enim est qui pascit & tuetur. Ideo dicebat Dauid in Psalmo illo pleno fiducia Dei: Dominus regit me: aut vt litera Hebraica habet, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquas refectōnis educauit me. Nec mirum est, si ipse modō nos pascat, nam nos suo sanguine emit. Et quoniam ille pro nobis dedit vitam, & tulit alapas, flagella, cruciatus acerbissimos, & indignissimas contumelias, ideo non est mirandum si nos cōgregat suis brachiis, & leuat in sinu, & in humeris, cū tā carē nos emerit. Empti. n. estis precio magno ait Apostolus in epistola 1. ad Corint. Ideo eos custodit & pascit, lupos verō deterret. At hodie multi pastores erga oues sunt leones, erga lupos agni. Lupos nutriunt, oues interficiunt. Optimus nauis gubernator proiicit aliquādo opes ad mare, vt homines salui fiant, at nunc multi præsules proiciunt homines ad mare, vt opes acquirant, & retineant. O scelus inauditum, & incredibilem impietatem. Scio tamen multos esse pastores virtutum magnarum gloria præstantes, & vitæ consilia atque actiones ad rectam rationis normam dirigentes. Sed ego nō loquor nisi de illis, qui actiones suas nō ad ouium salutem, sed ad suam referunt vtilitatem. Quamuis non possit rectē appellari vtilitas, ea quæ est ab honestate seiuncta, illud est præterea hoc in loco aduertendum, ob eam causam Deum nobis nomen ouium imposuisse, vt infirmitatis & im-

Matt. 20a

Philip. 2a

Psal. 22o

1. Cor. 6a

becillitatis nostræ nos admoneret. Oves enim nec se scilicet defendere, nec in fugam conicere, & nisi sit pastoris præsidium facile à lupis rapiuntur, & trucidantur. Sic nos nisi à Deo proregamur, facile à dæmonio interficimur. Est præterea ovis animal mite, subiectum, humile, innocens, vile lana, lacte, & carne. Et tales debent esse Christiani. Oves sint non hirci, non vulpes, non tauri, non ursi, non leones. Sed vide quemadmodum diuinæ literæ sint inter se consonæ & coherentes. Id quod hic Esaias prædixit Christum portare agnos & oves suas in sinu leuare, est in euangelio scriptum in illa historia & parabola de oue perdita, quam pastor quæsiuit, & super humeros imposuit. Et fuerat multo antè in libro Exodi figuratum. Est enim ibi memoria proditum sacerdotè ex iussu Dei portauisse in humeris super pectus suum nomina filiorum Israël scripta in lapidibus preciosis. Quibus verbis voluit scriptura significare fore, ut summus ille sacerdos & pontifex animarum pastor Christus peus noster factus homo, subditos suos in humeris super pectus suum portaret, & ouè veheret ad gregem, quæ antè perierat. Erant hæc omnia scripta non atramento, quod posset deleri, sed stylo ferreo, ut intelligant omnes euangelici pastores & præfules, debere se in animo subditos suos portare, nullamque esse rem, quæ tantam vim habeat, ut possit subditorum memoriam ex eorum animo delere. In lapidibus preciosis intelligant, quam charas Christus habeat oves suas, & quanto amore ipsi præfules debent suos subditos prolequi, pro quibus debeant, si opus fuerit sanguinem suum fundere. Ideo summus sacerdos hos preciosos lapides non in dorso, sed in pectore & in corde gestabat, ut posset eos semper aspicere, & ante oculos habere, quos ardenti charitate diligebat. Hinc discant pastores non debere ab ouibus abesse, sed eas videre, visitare, & cognoscere, & earum necessitatibus consulere, easque & verbo & exemplo docere. Id existimo fuisse significatum in literis illis, quas Deus præcipiebat ut sacerdos haberet in rationali iudicij, nempe doctrina & veritas. Tunc dicitur doctrina & veritas, quando ea quæ ore doces, factis exerces. Appellabatur autem rationale iudicij, quia continebat iudicij Dei que sententiam. Illa verba, si fuerint ex Hebraico reddita in Latinum sermonem, possunt ita verbi illuminationes & perfectiones. Sed in idem concidunt. Nam per illuminationes significatur doctrina, per perfectiones morum integritas & sanctitas. Nam doctrina sine exemplo parum prodest. Qui enim ad virtutem excitant & cohortantur, sed

Luc. 15.

Exod. 28.

Figura.

Exod. 28.

Stultile.

tur, sed in eam non incumbunt, similes illis sunt, qui præmū-
gunt lucernam, sed oleum nequaquam infundunt. Et quem *Simile*
admodum qui theriacam vendunt, eam prius in se experitur,
tur, alioquin nemo eam vult emere, sic qui virtutē docent,
eam in se debent experiri, & id quod aliis dicunt efficere, si
volunt vt aliū ad virtutem moueantur. Nisi theriacæ ven-
ditor in se periculū faceret nihil proficeret. Vis persuadere
virtutem, esto præditus illa. Tunc enim alios incendes, cum
tu ipse flagraueris. Sint igitur pastores ouium suarum chari-
tate inflammati, easq; non dispergant, nec occidant, sed pas-
cant, & brachiis congregent, in sinu leuent, atq; in humeris
imponent: doceāt eas, & q̄ verbis docuerint, factis exerceāt.

Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit. I
His verbis & multis sequentibus vult homines in fide con-
firmare, illisque Dei omnipotentiam ac benignitatem osten-
dere. Dixerat venturum esse Christum, qui viē eius auferen-
da esse impedimenta, & homines visuros esse Christum,
qui quasi pastor in brachio suo congregaret agnos & saluos
faceret fideles, tam ex Iudæis quā ex gentibus congre-
gatos. Et ne aliquis existimaret hoc fieri non posse, describit
Dei magnitudinē, & potentiam, & sapientiam, vt intelligāt
omnes nihil Deo esse impossibile. Est igitur sēsus: *Quis qua-
si pugillo mēsurauit aquas?* Nemo certe nisi Deus, qui earum
copiam vidit, & illis aptum locum parauit. Et quis veluti pal-
mo ponderauit cælum, nisi Deus qui omnia potest? qui talī
bus mensura montis locum assignauit, vt in sua sede con-
sisterent, & totam terræ molem veluti tribus digitis empre-
hendit. Vtitur his nominibus, pugillo, palmo & digitis, vt
Dei potentiam per verba nostra dicamus.

Quis adiuuit spiritum Domini? Nemo Deum docuit: est
enim eius sapientia summa & sempiterna, nec indiget alicuius
hominis consilio & adiūmēto. Imo omnes gentes cū eo
comparatæ, sunt gutta situlæ, & momentum stateræ. Situla
est vas accommodū ad hauriendā aquam, ex quo aliquando
excidit quædam guttula, cui genus humanum comparatur.
Comparatur etiā momento stateræ, quoniam leuissimō pon-
dere in alteram partem inclinatur, quidam enim paruus pul-
uis facit bilancem in alteram partem pendere.

Ecce in sula quasi puluis exiguus, & Libanus non sufficiet ad
succendendum: & animalia eius non sufficiet ad holocaustum. Om-
nes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum &
inane reputatæ sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum? aut quare
A. 7. 17.

imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile constabit faber aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum & impuribile elegit artifex sapiens, quærit quomodo stantur simulachrum, quod non moveatur. Nunquid non scietis? Nunquid non audistis? Nunquid non annuntiati sunt vobis ab initio? Nunquid non intellexistis fundamenta terræ? Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Qui extendit velut nihili cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat seruatorum scrutatores, quasi non sint, iudices terræ velut inanes fecit. Et quidem nec plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum. Repente flauit in eos, & aruerunt, ut turbo quasi stipulam auferet eos. Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Dominus: Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc. Qui e-
ducit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.

Ecce insulæ.] Omnes insulæ cum Deo comparatæ nihil sunt. Extenuat homines, ut Dei potentiam ostendat.

Et libanus non sufficit.] Id est, Si quis vellet Deo pro dignitate sacrificare, oēs arbores nemorosi Libani non possent ad holocaustum igni sufficere, nec oīa animalia ad ipsum holocaustum.

Cui ergo similem fecistis Deum.] Cum infinita sit Dei maiestas & potentia, quomodo audeat homo Dei titulum dare ligno. Cum Deus sit spiritus omnia implens, quomodo eum sculptis quam imaginem illi tribuetis: irridet eos, qui idola constabant, & ipsa ligna adorabant, atque Deos esse censebant.

Nunquid non scietis.] Correctiores codices habent: Nunquid non scitis? Id est, Nunquid non cognoscitis hæc ita esse, ut dixi nempe Deum esse infinitum, & idola esse ligna & lapides? Cur igitur colitis tot simulachra? Cognitione naturali, & audita lectione scripturarum, & antiquorum hominum, traditione, potestis errorem vestrum intelligere.

Nunquid non intellexistis fundamenta terræ.] Hoc est, ipsa elementa, Acti diceret: Elementa & ipsæ creaturæ vos deberent ducere in cognitionem creatoris, quemadmodum riuuli ducunt ad fontem.

Qui sedet super gyrum terræ.] Id est, Qui instar regis sedet super globum terræ. Vult Propheta Dei potentiam & maiestatem, hominisque fragilitatem & miseriam significare. Septuaginta habent: Qui tener gyrum terræ. Quibus verbis significant Deum totum mundum manu tenere. Colliges hinc terram esse globosam & rotundam.

Qui extendit velut nihili cælos.] Id est, qui tam facile cælos expandit, ac si nihili essent. Pro. Velut nihili, vertere poteris: Velut

Velut telam tenuissimam.

Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint.] Per secretorum scrutatores intelligit Philosophos, vel principes, quorum officium est hominū vitam scrutari, vt vnicuique iuxta opera sua tribuant. Vnde Pagninus vertit principes, vbi nos habemus secretorum scrutatores.

Et quidem neque plantato.] Sensus est: Tam facile dissipat Deus potentes, vt dicatur de illis non fuisse plantatos, nec factos, neq; radicatos. Comparat homines arboribus, quæ vento radicitus euelluntur, de quibus dicitur in Psalmo: *Vidi impium super exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Psal. 36.

Ut turbo quasi stipulam.] Comparat homines potentes cū leuissimis stipulis, quæ à vento rapiuntur.

Leuate in excelsum oculos vestros.] Hoc est, Si non creditis meis verbis, certe credite oculis vestris. Ex cælo, terra, & aliis elementis, & ex omni denique creatura creatoris magnitudinē cogitate.

Qui educit in numero militiam cælorum, & omnes ex nomine vocat.] Stellæ appellat militiam cælorum, quemadmodum in 4. libro Regum. Manasse impium regem dicit scriptura adorasse omnem militiam cæli, id est, stellæ more gentium, qui eas Saturnū & Iouē, & innumerabiles alios deos, quos fingebāt esse putabant. Has stellæ creauit Deus certo numero, & omnes eas clarissimè & perfectissimè cognoscit. Voca re stellæ ex nomine, est earum naturam, ac proprietates, & qualitates perspectas & cōgnitas habere. Ita intelligitur id quod dicitur in Psalmo: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnes eas nomine vocat.* 4. Reg. 21. Psal. 146. Poteris per militiam cæli angelos interpretari, & omnes cælitū exercitus. Vnde Deus dicitur Dominus Sabaoth. Quidam hoc intelligunt de viris iustis, qui in ecclesia sunt veluti lumina nostram noctem illustrantia, de quibus ait Apostolus: Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Hæ sunt stellæ, quas Deus numeratas habet, quibus ipse dicebat: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Moysi dixit Deus: Te ipsum noui ex nomine. Contra verò de reprobis dicit: Non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et virginibus fatuis: Amen dico vobis, nescio vos. Apud D. Lucā narrauit Christus historiam de epulone & Lazaro mendico viro iusto, vbi diuitem improbum non appellauit nomine suo, pium autem

autem pauperem nominavit. Ex quibus colliges iniustos & reprobos non habere nomina sua scripta in libro vite, iustos verò & electos esse in eo scriptos & numeratos, eosque esse stellas illas, quas hic ait Esaias esse à Deo suo nomine vocatas.

Præ multitudine fortitudinis & roboris virtutisque eius neque vnum reliquum fuit. Quare dicit Iacob, & loqueris Israël: Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transibit? Nunquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, & non deficiet, neque laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius. Quis dat lassò virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.

Præ multitudine.] Sensus est, Tanta est Dei sapiëntia, fortitudo, robur, & virtus, vt ne vna quidem stella sit, quam non cognoscat & quæ ei non pareat. Id quod nos habemus: Neque vnum reliquum fuit, verti potest: Nulla deest illi. Et sic est sensus. Cùm Deus stellas accersat, nulla deest, omnes illi obediunt. Vel. Vt ne vnum quidem deesset. Id est nullum nomen deest. Nulla est stella, quam Deus nomine proprio non vocet.

Quare dicit Iacob.] Per Iacob intelligit duas tribus, per Israel alias decem. Et est sensus: Si Deus singulas stellas cognoscit, easque suis nominibus vocat, cur tu o popule eius dicit te esse ab ipso Deo absconditum, & iudicium tuum ab eo transire? hoc est, Deum non intelligere tuum iudicium, non cognoscere quid tu iudices & cogites, vel non te iudicare? Qui fieri potest vt te non cognoscat ille, qui omnia sidera cognoscit?

Et non deficiet neque laborabit.] Deus in mundi regimine nec fatigatur, neque vnquam laborem subibit, quoniam est eius potentia infinita.

Neque est inuestigatio sapientiæ eius.] Id est, Dei sapientiæ non inuestigat & ratiocinatur vt sapientiæ humana, sed omnia illi sunt aperta & præsentia. Vel sic: Nemo est qui eius sapientiæ possit peruestigare & cognoscere. Vnde ait Apostolus: Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Non igitur deficit Deus, imo ipse dat lassò virtutem, & iis quos vires deficient, robur abundè suppeditat.

Rom. II.

Deficiens

Deficient pueri & laborabunt.] Fatigantur adolefcentes, & cadunt iuuenes. At qui sperant in Domino, nouas vires recipiunt. Mutare aliquem fortitudinem est nouum robur colligere, & fortiorem euadere.

Affument pennas vt aquila, volabunt & non deficient.] Qui in Deo ponunt fiduciam suam, nouas pennas affument veluti aquilæ, quæ nouis pennis renouantur. Aquila, vt aiunt, postquam ita senectute grauatur, vt nec altè volare possit, quærit fontem, in quem ter mergès seipsam exiit veteribus plumis, & postea induit nouis, quæ illi nascuntur, & ita renouatur, & in pristinum vigorem restituitur. Huic sententiæ videtur fauere D. Hieronymus hoc in loco, & in explanatione primi capitis Michææ prophete. Nos igitur cum nos ita grauatos senserimus, vt alta petere volatu nequeamus, nec mentis obtusam aciem in solis iustitiæ splendorem dirigere, eiusq; radiorum claritatem micantibus oculis aspicere, renouemus nos ipsos in fonte la chrymarum, à vetustate peccati nos ipsos nudantes, spiritusque nouitatem induentes. Et, vt verbis D. Pauli vtar, Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creauit eum. Hæc ait in epistola ad Colossenses. Et ad Ephesios, Deponite vos, inquit, secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Et in epistola ad Romanos ait, Vt in nouitate vitæ ambulemus. Hæc est ea aquilæ renouatio, de qua hic loquitur Esaias, & de qua dicitur in Psalmo, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Scio tamen alios hos duos locos Esaiæ & Dauidis aliter interpretari, sed hanc explanationem existimo esse veram, piam, & à litera non discrepantem, & eam ob causam illam amplectendam esse censeo.

Simile.

*Colof. 3.
Eph. 4.*

Rom. 6.

Psal. 102.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XL.

Consolamini consolamini popule meus.] In Hebraico est nachamu nachamu ammi. Quod poterat etiam ita verti, Consolamini consolamini populum meum. Et ita transfulerunt Septua-

Septua-

Septuaginta interpretes, quos sequutus est Pagninus, Chaldaeus paraphraſtes exiſtimat hæc verba eſſe ad Prophetas directa: ita enim habet: Prophetæ prædicite populo meo conſolationes.

Quia completa eſt malitia eius.] In Hebraico eſt ſeuah, hoc eſt militia eius, non autem malitia. Sed vitio librariorū mutatum fuit i, in a. Quidam verò codices habent militiam & rectè quidem.

Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.] Septuaginta ita tranſulerunt: Quia recepit de manu Domini duplicia peccata ſua. Et tunc eſt ſenſus: Vos o Prophetæ mei conſolamini populum meum, ſunt enim illius peccata dimiſſa quia iam pro illis duplicem pœnam luit. Capitur peccatum pro punitione & pœna peccati, vt quarto capite Genetiſ: Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? id eſt, ſtatim pœnas luēs. Fuerunt autem hæc duæ pœnæ, quas Iudæi perſoluerunt, calamitas à Babiloniis illata & poſteà ab Anthiocho. Vide quantum diſtet hæc interpretatio & verſio à Lutheri expoſitione, de qua in explanatione diſſeruimus.

Quis adiuuit ſpiritum Domini.] Pro adiuuit eſt in Hebraico Thiccen, quod ſignificat etiam expendere & ponderare. Ita enim illud vertit paulò antea noſter interpres, dicens: Et cælos palmo ponderauit. Significat etiam parare & dirigere, vt in pſal. 64. Paraſti cibum illorū, quoniam ita eſt præparatio eius. Et confirmare, vt in pſalmo ſeptuageſimo quarto: Ego confirmaui columnas eius. Et habet etiam alias ſignificationes. Ex quo effectum eſt, vt interpres hunc locum tam variè interpretarentur. Interpres vulgatus vertit, adiuuit, Pagninus, direxit. Septuaginta habent: Quis cognouit mentem Domini? Vult diuinus vates iis verbis ſignificare inſinitam eſſe Dei ſapientiã, & incomprehenſibilia eius iudicia. Ad hunc locum exiſtimo alludere Apoſtolum in epiſtola ad Romanos ita dicentem: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Et in epiſtola 1. ad Corinthios. Ipſe, inquit, à nemine iudicatur, ſicut ſcriptū eſt: Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum? Vbi vides D. Paulum citare hunc locum in eo ſenſu, in quo illum Septuaginta interpretati ſunt.

Argu-

Gen. 4.

Pſal. 64.

Pſal. 74.

Rom. 11.

Argumentum Capituli XLI.

Discepat Deus cum populis & gentibus de potentia & misericordia sua, tanquam coram iudice causam agens. Arguit diuinus vates idololorū cultores, incitat pios homines ad afflictiones erecto & inuicto animo ferēdas. Irridet idololorū vanitatem in annuntiandis futuris.

CAPVT XLI.



Aceant ad me insulae, & gentes mutant fortitudinem. Accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. Quis suscitauit ab orinete iustum, vocauit eum vt sequeveretur se? Dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit. Dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam armis eius. Persequetur eos, transibit in pace, se-

mnia in pedibus eius non apparebit. Quis haec operatus est & fecit, vocās generationes ab exordio? Ego Dominus primus & nouissimus, ego sum. Viderunt insulae & timuerunt, extrema terra obstupuerunt, appropinquauerunt & accesserunt. Vnusquisque proximo suo auxiliatur, & fratri suo dicit, Confortare. Confortauit faber ararius percussiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens glutino bonum est, & confortauit eū clavis, vt non moueatur. Et tu Israël serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terrae, & à longinquis eius vocauit te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortauit te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescunt, omnes, qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos, & erunt quasi non sint, & veluti consumptio hominis bellantis aduersum te, quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manū tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego audini te. Noli timere vermis Iacob, quia mortui estis ex Israël. Ego auxiliator sum tui, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israël. Ego posui te quasi plaustrum trituranis nouum, habens vestra serrantia. Triturabis montes & comminues, & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperges eos, & eos tu exaltabis in Domino, & in sancto Israël lataberis.

EXPLANATIO.

Taceant ad me insulae, & gentes mutant fortitudinem.] Omnes infu-

& 22.

Infra 44.

& 48.

Apoc. 1.

insularum habitatores tacentes me attentè audiant, & gentes terram firmam colentes prodeant fortiores, muniant se responsonibus, accedant ad iudicium, vt mecum disputent & congrudiantur. Ego enim simul volo adesse iudicio, & cū illis disceptare. Vide tumnam Dei clementiam & charitatē. Vult rationibus ostendere errorem, in quo homines versabantur, qui eo ipso relicto, idola colebant. Et hoc vult omnibus esse notum, tam insularibus, quam terram firmam colentibus. Et ne dicerent se non esse paratos ad iudicium, idē eis prænuntiat, vt se parent, & fortitudinem mutent. Est autem mutare fortitudinem hebraismus, pro nouas vires recipere, vt capite superiore explanauimus. Fortasse per insulas intelligit gentes, & id quod sequitur. Et gentes mutant fortitudinem, est explicatio superioris. Appellantur autem gētes insulæ, quoniam amaris salisq; maris huius mūdi agitationibus funduntur. Nam in sequenti capite, vbi vulgata editio habet: Et legem eius insulæ expectabūt, habet versio Septuaginta: Et in nomine eius gentes sperabunt. Quos litera Hebræa appellat insulas, illi gentes appellant. Et hæc Septuaginta interpretum versionem secutus est D. Matthæus cap. 12. vbi citat hunc locum. Pagninus habet hoc in loco. Tacete & attendite mihi insulares.

Qui suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se. Hoc est, Quis excitauit Abram, vt relinqueret terram suam, quæ erat ad Orientalem plagam, & sequeretur eum, nisi ego? Ego sum qui eum vocauit, vt meipsum sequeretur. Per iustum intelligit Abrahamum, cuius admirabilem iustitiam & sanctitatem diuinæ literæ multis in locis contestantur. Vult Deus iis verbis suam potētiam & pietatem significare, ac si dicat: Cūm Abram in Vr Chaldæorum inter idolorum cultores versaretur, nulla erat illustri laude celebratus. At postquā vocem meam audiuit, & relicta terra & cognatione sua iuit, quō ego eum misi, consecutus est nominis celebritatem. Ego eum excitauit, & vocauit, & nobilem reddidi. Cū igitur ego talis sim, cur vos mihi non paretis? cur idola colitis? cur me relicto & contēpto ad falsos ac cōmentitios deos cōfugitis? Quidam per hūc iustum intelligunt Cyrum, quē Deus ab oriente, hoc est, à Perside suscitauit, vt Babylonem euerteret, Iudæosque in suam patriam reduceret. Ego verō existimo hunc iustum esse Christum, qui patrem secutus est, qui loquitur in psal. In capite libri scriptū est de me, vt facerē voluntatem tuā. Quē locum D. Paulus de Christo interpretatur.

Psal. 39.
Heb.

tatur. Hic est iustus ille, qui vt à nobis pestē auerteret, in humana forma delituit, & omnes sceleratorū impetus suo corpore excepit. Hic est de quo dicebāt Iudei, vt est libro Sapiētiæ proditum: Circūueniamus iustū, qui contrarius est ope sibus nostris. Alias interpretationes non improbo, sed hanc libentius amplector.

Dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit.] Hæc, & ea quæ sequuntur, possunt cōuenire Abrahamo, qui vt diuinæ literæ asserunt, de gentibus & regibus triumphauit. Possunt etiam intelligi de Cyro, qui de multis nationibus reportauit victoriam. Ego tamen existimo esse ad Christum referenda, de quo dicitur in Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hic est qui vicit mundum, & gentes idolorum cultrices, earumque superbissimos reges subiecit, vt falsā superstitione repudiata Euangelio parerent, & ipsum Christum regem ac dominū recognoscerent.

Dabit quasi puluerem gladio eius.] Hoc est, Quis nisi ego de di tātā fortitudinem Abrahamo, vt magni reges essent veluti puluis ante gladium suum, & quasi stipula leuis atq; vento rapta coram arcu suo? Cur igitur me non colitis, sed in idolis fiduciam collocatis? Possunt hæc Christo aptissimè conuenire, qui gladio & sagittis, hoc est, potestate sua demones debellauit, ac si coram eo essent parua stipula, & puluis vento ageratus.

Persequetur eos.] Ipse Abraham persecutus est reges, euasit superior, pacificus, & incolumis, & semita in pedibus eius nō apparuit, hoc est, non ambulauit per semitas veluti timidus, non quæsit diuerticula, sed strata publica & via regia ambulabat. Vtitur Propheta futuris pro præteritis. Sed quis nō videt hæc multò clarius & rectius ad Christū referri. Hic est qui contrarias potestates vicit, & persecutus est. Hic est qui trāsiiuit in pace, ascēdens ad patrē, & ideo ait Propheta semita in pedibus eius nō apparebit, quia nō per terrā, sed p̄ aērē iuit. Ita enim ait D. Lucas: Eleuatus est, & nubes suscepit eū ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cælum euntē illi, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quem admodum vidistis eum euntē in cælum. Hæc D. Lucas. De hac Christi ascensione dicitur in psalmo: Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Et alibi. Qui ascendit super

Sapien. 26

Gen. 14.

Psal. 2.

Mat. 1.

Psal. 46.

Psal. 67.

per

per cælum cæli ad Orientem. Hæc est via cuius nulla vestigia remanserunt, de qua in præsentî Propheta nosier loquitur. Ascendit enim gloriosus ad patrem, qui extulit illum, & dedit illi nomen omnibus nominibus excellentius & præstantius, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, & illius virtutem & amplitudinem sentiant cælestes, terrestres, & inferi, atque fateantur omnes esse Dominum Iesum in sempiterni patris gloria constitutum. Et quoniam in hoc capite Deus vult suam potentiam, clementiam, & bonitatem significare, alloquitur homines, se esse eum qui misit filium suum vt mundum vinceret, & de dæmone victoriam reportaret, & tandem ad cælos gloriosus ascenderet. Ac si diceret: Cû ego hæc faciam tam admiranda, & idolis impossibilia, cur me reuicitis & idola adoratis?

Primus & nouissimus.] Id est, sempiternus, qui sum principium omnium rerum, & finis, ad quem omnia creati sunt. In Apoc. D. Ioannis ita ait Deus: Ego sum α , & ω , primus & nouissimus. Hæc duæ literæ aperiunt & claudunt Græcum alphabetum.

Viderunt insula & timuerunt.] Sensus est, Gentes etiam in remotissimis insulis habitantes videntes & audientes Christi & Apostolorum miracula & doctrinâ, timuerunt. Et accesserunt ad veritatem & fidem, qui antè ab ea erant alieni & separati. Et omnes, qui Euangelium recipiebant, opem ferebant indigentibus, etiam homines plebei & indocti. At vos Iudæi, quos ego multis beneficiis ad amplitudinem & celebritatem perduxî, quibus dedi legem & Prophetas, me contemnitis, & in vestra infidelitate pertinaciâque perseueratis.

Confortauit faber ærarius.] Id est, omnes se inuicem adiuuabant. faber ærarius adiuuabat aurificem, qui bracteas aureas super incudè deducebat, quas deinde glutino affigebat imagini, quam clavis roborabat, ne moueretur, & frangeretur, & sic operam perderet.

Et tu Israël serue meus.] Consolatur Deus fideles suos & iustos, monèturque vt aduersa toleranter ferant, quoniam ipse non derelinquet eos. Duplex est Israël alter secundum carnem alter secundum spiritum. De Israël secundum carnem ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios: Videte Israël secundum carnem. Ex quo colliges alterum esse secundum spiritum. Et in epistola ad Romanos ita inquit: Non enim omnes, qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ, neque qui semen sunt Abraham, omnes filij. Sed in Isaac vocabitur tibi semè. Id est,

non

2. Cor. 10.

Rom. 9.

non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimatur in semine. Hæc D. Paulus. Cum autè hoc in loco Deus vocet Israël seruum suum & electum, ad eum hæc dirigit, qui est Israël secundum spiritum. Et huiusmodi Israëlitarum sunt omnes fideles, iustitiam & pietatem colentes.

Ne timeas quia ego tecum sum.] Ille, qui cum Deus est, non debet timere. Ideo dicebat Dauid: Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Vnde dicebat Gabriel angelus virgini Mariæ: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Explicans causam non timendi esse gratiam. Debent ergo illi timere, qui sceleribus astriunguntur. Væ illis, qui cū sint flagitijs contaminati, tam securi viuunt, ac si nunquam Deum offendissent, qui gladium ancipitem super caput suū tenui filo pendentē non considerant. Vt enim miles in bello amissis armis incidit in timorem, & gubernator nauis in medijs fluctibus fracto clauo in magno metu versatur, sic homo sine gratia debet metuere, ne corruat in prælio, & à fluctibus absorbeatur, ex quibus in profundas tenebras relegetur.

Psal. 26.

Luc. 1.

Similia.

Quia ego Deus tuus.] Sensus est: Cum ego sim Deus tuus quid amplius vis? Qui me habet, omnia bona habet. Non igitur declines à rectitudine ad res humanas consequendas, cum ego tuus sim.

Suscipit te dextera iusti mei] Hoc est, Christi. Potest verè dextera iustitiæ meæ. Et tunc erit sensus: Ego te iuuauit dextera, qua cultores meos iuuare soleo.

Noli timere vermis Iacob, quia mortui estis ex Israël.] Per Iacob & Israël intelligit Chorum Apostolorum, aliorumque fidelium, quos appellat vermes, qui erant in mundo abiecti & contempti, magistrum suum imitantes, qui de seipso dicit in psalino: Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: quem psalmum intelligi de Christo Euangelistæ testantur. Appellat etiam fideles mortuos, quibus ait Apostolus: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo. Et ipse Apostolus mortuus erat in mundo, & non quacunq; morte, sed morte crucis. Ira enim ait ad Galatas scribens: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et in epistola prima ad Corinthios Quotidie, inquit, morior. Et ad Galatas: Viuo autem iam non ego, viuunt verò in me Christus. In vnoquoque nostrum est duplex homo, interior, & exterior: homo nouus & homo

Psal. 21.

Colos. 3.

Gal. 6.

1. Cor. 15.

Gal. 2.

Galat. 5.

vetus, homo carnalis & homo spiritualis. Sunt autem verſi Chriſtiani mortui quo ad hominem veterem, qui carne ſua, vt verbis vtar Pauli, crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, ſed viuunt quo ad hominem nouum, viuunt in eis Chriſtus, & eorum vita eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Ita, que in me eſt duplex ego, alter ſecundum carnem, alter ſecundum ſpiritum. Vtinam ego mortuus eſſem ſecundum carnem, & viuerem ſecundum ſpiritum. Vt viuerem iam non ego, ſed viueret in me Chriſtus.

Ego poſui te quaſi pluſtrum triturans nouum. ¶ Alloquitur Deus Apoſtolorum chorum, & eccleſiam primitiuam, quam fecit pluſtrum nouum & dentatum ad triturandum mundi ſuperbiam, & elatos ac potentes homines ſuperandos & humiliandos, & ad veritatis ac fidei horreum ducendos. Appellatur autē illa primitiua eccleſia pluſtrum nouum, & non vetus, quia nō in vetuſtate litere, ſed in ſpiritus nouitate, peccatorū corda duriffima contriuit, purgatumque triticum à cōmīnutis paleis ſeparauit, & montes ac colles, hoc eſt, hereticos in puluere redegit. Sunt qui hoc referunt ad Iudeos, qui poſt captiuitatem præſertim tempore Machabæorum, multos ex hoſtibus ſuis fortiter contriuerunt.

Egeni & pauperes quaerunt aquas, & non ſunt, lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſraël non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fomes. Ponam deſertum in ſtagna aquarum & terram inuſtam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum & lignum oliuae. Ponam in deſerto abietem, vltimum, & luxum ſimul, vt videant, & ſciant, & recogitēt, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hæc, & ſanctus Iſraël creauit illud. Prope facite iudicium veſtrum dicit Dominus, afferite ſi quid forte habetis, dixit rex Iacob. Accedant & nuntient vobis, quacunque ventura ſunt. Priora qua fuerunt, nuntiate, & ponemus cor noſtrum, & ſcietis nouiſſima eorum, & qua ventura ſunt, indicate nobis. Annuntiate qua ventura ſunt in futurum, & ſcietis quia Dei eſtis vos. Bene quoque aut malè ſi poteſtis facite, & loquamur & videamus ſimul. Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum, ex eo quod non eſt. Abominatio eſt qui elegit vos. Suſcitauit ab aquilone, & venit ab ortu ſolis. Vocauit non en meum, & adducei magiſtratus quaſi iuuenem, & vltus plaſtes conculcans humum. Quis annuntiauit ab exordio, vt ſciamus, & à principio, vt diſciamus. Iuſtus eſt. Non eſt annuntians neque prædicens, neque audiens ſermōnes veſtros. Prius ad Sion dicit, ecce ad ſum, & Iſraelem euangelizandam dabo. Et vè di, &

ali, & non erat ex istis quisquam, qui miret consilium, & interrogatus responderet verbum. Ecce omnes inuisi & vana opera eorum ventus & inane simulachra eorum.

Egredi & pauperes. Sensus est: Cum inopes & afflicti aquas quærunt, & non inueniunt, sed siti laborant, etiam videantur de relictis: ego tamen, ait Deus, eos exaudiam, & non derelinquam, sed aperiam illis flumina & fontes, & aquarum abundantiam in montibus & campis, & in terra in via deserta. Per hanc similitudinem intelligitur penuria verbi Dei ante aduentum Christi. At ubi ipse venit, totum orbem terrarum impleuit cōdicatoribus, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Per flumina, & fontes, & stagna, & riuos, intelligitur pura & excellens Christi doctrina, quam ipse, eiusque Apostoli, & viri Apostolici prædicarunt. Hæ aquæ manarunt ab illo fonte, qui per Ieremiam loquitur. Me dere liquerunt fontem aquæ vitæ. Hunc fontem appellat David fontem vitæ: & Zacharias fontem patentes in ablutione peccatorum: & Elaias fontem saluatoris. Unde ipse saluator dicebat: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Mundus fontem habet, sed qui non solis sitim non extinguit, sed etiam bibentes necat. Ut enim nemo quamuis siti laboret, bibit ex fonte in cuius fundo videt lutum, vermes venenosos, & alias pestiferas spurcicias, sic nemo bibit ex mundi fonte nisi qui eius opum & voluptatum, cæterarumque rerum humanarum fundum non aspiciat. Si enim mortales hunc fundum aspicerent, si rerum finem contemplarentur, fugerent absque dubio à fonte mundi, ex quo non aqua sed perniciosa hauritur. Accedamus igitur ad Christi aquas, quas ipse nobis abundanter aperuit. In eo autem quod dicitur darurum aquam, eamque aperturam in montibus, & campis, & desertis, significauit nullam fore nationem, neque humanitatem præditam, nec agrestem & incultam, ubi non prædicanda esset & docenda Christiana veritas & doctrina. Ante Dei nostri aduentum querebant gentes per diuersos magistros, & varia philosophorum dogmata aquas salutes, sed non inueniebant. At non est passus Deus hominem lucem sapientiæ diutius requirentem, in errore versari. Aperuit oculos eius aliquando & errantem ac vagum veritatem docuit, & aquas salutes, atque viam adipiscende eternitatis ostendit. Hoc fuerat multo ante in Agar

Psal. 18.

Ierem. 2.

Psal. 75.

Zach. 13.

Supra 12.

Ican. 4.

Simila.

Gen. 21.

Figura.

erantque in magno vitæ periculo & discrimine cõstituti. At miseris eorũ Deus aperuit oculos Agar, & ostendit ei aquã ex qua biberent, & sicuti satiarent, & creuit puer & fecit eũ Deus in gentem magnam. Quid per Agar nisi gentilitas significatur, quæ infinitis sceleribus implicata in deserto extra viã veritatis degebat, & in erroribus incredibilibus versabatur. Errabat Agar cũ filio suo, errabat etiã gẽtilitas cum sobole sua, & aqua viris quæ aruit, sustentabatur. Habet mundus aquam, sed quæ æstu aret & consumitur, quoniam mundiopes, voluptates, & magistratus pereunt & euanescunt, & omnis eius gloria quocunque afflictionum æstu consumitur, & tandem extinguitur. At Deus ille summus & sempiternus non tulit, vt gentilitas cum sobole sua sibi periret, aperuit illi aquam salutiterã & euãgelicę doctrinę, qua sustentata verã vitam consequeretur, & gentilitatis progenies iis aquis referta multiplicaretur, quo tãdem ad ciuitatem illam cœlestem & triumphãtem perueniret, vbi seipsam aquarum diuinarũ suauitate & abundantia satiaret.

simile.

Dabo in solitudine cedrum & spinam.] Per has arborum varietates intellige gratiarum diuersitatem, aut viros sapientia, virtute, & nobilitate præstantes, in quorum vmbra possent fessi viatores aliquo modo requiescere. Vt enim viã facientes magno æstu & ardore cõbusti, amœna & opportuna alicuius opaci arboris vmbra recreãtur, sic afflicti homines & in ærumnis versati, ope & consolatione virorum iustorũ & sapientium delectantur. Homines igitur iustitiam & pietatem colentes comparãtur magnis & fructuosis arboribus iniqui autem & scelerati vrticis, ad quarum vmbra nulla animalia, nisi parua & vilia confugiunt.

Propè facite iudicium vestrũ, dicit Dominus. Afferte, si quid forte habetis.] In principio huius capitis vocauit Deus idolorum cultores, vt veluti in iudicio cum eo disputarent. Volebat enim rationibus illis ostendere eorum errorem & contumaciam. Et ad hoc ostendit quantam fortitudinem dederat iustis, qui contemptis idolis ipsum solum Deum adorabant. Et quanquam multi viri iusti essent in hac vita vexati, nõ tamen erant ab ipso Deo derelicti. Ex quo sumpsit occasionem loquendi de Apostolis, qui etsi erant pauperes & pauci, tamẽ multos & magnos principes superarunt, & ad ecclesiam cum Dei gratia adduxerunt. Nunc redit ad idolorum cultores, dicens, vt reddant rationem, cur colant idola, vt propè faciãt iudicium suum, hoc est, vt adsint causę suæ, & afferant rationem,

tionem, si eam habuerint, & præcipua argumenta.

Accedat & nuntiet vobis.] Nempè idola vestra: Irridet idolorum vanitatem, quoniam neque futura prædicebant, nec præterita indicabant.

Priora quæ fuerunt nuntiate.] Apostrophe est ad idola.

Ecce vos estis ex nihilo.] Id est, vos idola nihil valeris, non estis dii, imò nihil estis. Idolam nihil est, ait Apostolus ad 1. Cor. 8. Corinthios scribens.

Et opas vestrum.] Id est, responsiones vestræ. Postquam Deus ostendit vana esse idola, nihilque valere neque posse, ostendit ipsius potentiam, vt idolorum cultores confundat. Ideo inquit: Suscitauit ab aquilone, & veniet ab ortu solis. Ac si diceret: Ego sum ille, qui susciturus sum Cyrum regem Persarum, vt bellum inferat Babylonis, eosque superet, vt Iudæos auferat ex captiuitate Babylonica, & in patriam reducat. Persia erat ad partem aquilonarem respectu Iudææ.

Quis annuntiauit ab exordio vt sciamus.] Sensus est, dicite mihi hi dii idolorum cultores, quis est ex diis vestris annuntiauit hæc à principio, vt sciamus eum esse verum Deum?

Primus ad Sion dicit, ecce adsum.] Hieronymus in commentariis legit, ecce adsum. Et ita habent nonnulli codices. Et est sensus: Idola nihil possunt verè nuntiare, Deus est qui primus dicit Sioni, Ecce adsum ea, quæ ab ipso promissa sunt.

Et Ierusalem euangelistam dabo.] Id est, ego Dominus dabo Hierosolymæ euangelistas, qui ei læta pronuntient.

Et vidi, & non erat.] Verba sunt Dei in hunc modum dicentis: Ego vocaui idolorum cultores ad disceptandum mecum in iudicio, sed vidi nullum esse ex illis, qui instructus esset cō filio, qui pro se rationem reddere posset. Imò omnes sunt iniusti, & eorum opera inutilia & inania, & eorum idola ventus & vanitas.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XLI.

Et suscepi te dextra iusti mei.] In hebraico est: aph temachtta cha bemin tsidhki. Quæ possunt ita Latinè reddi: Atque sustentauit te dextra iustitiæ meæ. Hebraismus est hunc habens sensum. Et mea iusta manu dextera te sustentauit. Vnde Septuaginta interpretes verterunt. Et corroborauit te dextera iusta mea. Appellatur autem dextera iusta, quæ unicuique tribuit iuxta opera sua. Verbū teamach nō solū suscipere significat,

Kk 3 sed

sed etiam sustentare, vt Exodi 17. Sustentabant manus eius ex vtraque parte.

Qui mortui estis ex Israël.] In hebraico est dictio methe, que & viros significat, & eos, qui ex vita excesserunt. Ideo potest veriti: Viri Israël. Añt Hebræi ita esse hunc locum vertendū, nam quādo hæc dictio scribitur cum xeua, quemadmodum hic potius viros quā mortuos significat: Quando verò cū tserē, potius mortuos.

In supinis collibus.] Quidam codices habent: In supremis collibus. Pagninus vertit, in excelsis.

Cedrum & spinam.] Hic variant etiā Latini codices, quidā habent spinam, quidam verò pinum. Neque est mirum, quoniam Hebræi in varias circa hanc dictionē sententias distrahunt. Ex nostris nonnulli existimabant per spinos prunos intelligi, iuxta illud Poetæ 4. Georgicorum, Edurāque pyrū, & spinos tā pruna ferentes. Alij per spinas arbores spinosas intelligunt, qualis est malus citrea aut medica. Sunt qui dicant hanc arbore esse spinam Ægyptiā, cuius ligna etiā in aquis incorrupta perseuerāt. In Hebraico est xittah, cuius pluralis est xittim, quod nomē scriptū inuenies multis in locis diuinarum literarum. Pro quo noster interpres vertit sethim, vt Exodi capite 26. Facies & tabulas stantes tabernaculi de lignis sethim, & paulo post: Facies & vestes de lignis sethim. Ex Iudeis nonnulli existimant esse buxum, aliij piceā, aliij cedrum. R. Kimhi asserit esse speciem quandam optimā cedri, cui assentitur noster Pagninus, qui hoc Esaiæ loco proxittah vertit: xittah genus cedri optimæ. Sunt qui dicant hæc ligna excellentium cedrorum fuisse ab Hebræis ab Ægypto in desertum asportata, vt ex illis tabernaculum fabricaretque arcam construerent. Existimo tamen probabiliorē esse Aben Ezre sententiam, existimatis has preciosas cedros circa montem Sinai creuisse. Cui ad stipulatur author Hizcuni, qui ait fuisse in deserto sylvas, vbi hæc arbores oriebantur, iuxta illud Numerorum 25. Morabatur autem eo tempore Israël in Sethim: vbi est hoc idem nomen. Iosephus libro Antiquitatum tertio, capite 6. ait ligna tabernaculi fuisse adeo durabilia, vt nequaquam potuissent putredine violari, & cap. 3. eiusdē libri ita ait: Facta est autem arca Deo ex lignis natura fortissimis, & quæ nequaquam putredinem sustinerent. Huic sententiæ fauet Septuaginta interpretum versio, qui pro lignis Sethim trāstulerunt Ἰβλα ἄσπυρα, hoc est ligna impuitribilia siue incorrupta. Ex quo videtur vera esse eorum

eorum sententia, qui per sethim optimas cedros interpretantur: Constat enim inter omnes esse ligna cedrina incorruptibilia. Narrat Plinius libro de historia naturali 16. fuisse suo tempore Viticæ in Apollinis templo trabes cedrinas incorruptas tantæ vetustatis, vt inter earum collocationem & ipsius Plinij ætatem mille centum & octoginta anni interfluxissent.

Afferte si quid forte habetis. Pro, si quid forte habetis, est in Hebræico vnica dictio atsumothecham, quæ est in numero multitudinis, deriuata à verbo atsam, quod significat preualere, fortem esse, & roborare. Vnde potest verti Afferte firmamenta vestra, hoc est, ea argumenta quæ existimaueritis fore contra me fortissima. Illa igitur dictio, forte, non est aduerbium, sed nomē. Pagninus vertit, fortes vestros: vt ad falsos commentitiosq; Deos referatur. Quasi dicat: Afferte in medium ex vestris Diis eos, quos fortiores esse creditis, & videamus possintne futura prædicere.

Argumentum Capitis XLII.

Inducit Propheta Deum patrem loquentem, & filium suum hominibus nuntiantem. Prædicat esse Christi aduentum in ruinam & resurrectionem multorum, eius denique Christi lenitatem, mansuetudinem, & magnificentiam significat. In fideles Iudæos arguit, eorumque cæcitatem prænuntiat.

CAPVT XLII.



*H*ec seruus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum famigatum non extinguet. In veritate eductus iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius in sula expectabunt. Hæc dicit Dominus Deus creans cælos & extendens eos, firmant terram, & quæ germinant ex ea, dant flatum populo, qui est super terram, & spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocavi te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te. Et dedi te in sædus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conuisione vin-

Mal. 22.

Infr. 42.

Infra 48.

Pfal. 149.

Quam de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus. Hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam seculi pilibus. Quae prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio, antequam orientur audita vobis faciam. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terrae. Qui descendit in mare, & plenitudo eius insula & habitatores earum. Leuetur desertum & citnitates eius, in domibus habitabit Cedar. Laudate habitatores petrae, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nuntiabunt. Dominus sicut fortis egredietur, sicut via praefiliator suscitabit caelum. Vociferabitur & clamabit super inimicos suos confortabitur. Tacui, semper filii, patiens fui, sicut paruriens loquar.

EXPLANATIO.

Ecce seruus meus.] Dixerat Deus capite superiore prope finem, se suscitaturum esse liberatorem, qui principes Babylonis superaret, & fideles in patriam restitueret, per quem intelligitur Cyrus, vt ibi explicuimus. Sed quoniam solent diuini vates quando de aliquo liberatore & seruatore terreno loquuntur, eleuati spiritu, & mentis aciem ad diuinum liberatorem & saluatorem dirigere, eiusque alta mysteria intueri, transferunt sermonem a terreno ad caelestem, & de Christo deo nostro vaticinantur, qui venit in mundum, vt nos e tenebris in lucem & claritatem vindicaret, & ex Babylonica captiuitate, ex peccatorum vinculis ad liberam ac caelestem Hierosolimam perduceret. Id facit modò Esaias, qui de Cyro transfert sermonem ad Christum, de quo in hoc capite aperte vaticinatur. Intelligi autem hoc caput de Christo apertissimè testatur D. Matthaeus capite duodecimo sui euangelij. Sed quid mirum catholicos interpretari hanc de Christo, cum etiam ex Iudaeis multi in hac sententia permanent? Sed differtur in hoc, quod illi dicunt Christum esse venturum, nos autem venisse affirmamus. Loquitur igitur in hoc capite Deus pater, ita inquit: Ecce seruus meus suscipiam enim, &c. Appellat autem Christum seruum secundum naturam humanam, propter ministerium illud, quod nobis exhibuit, missus a patre, sed nunquam separatus ab eo, non enim venit ministrari vt ipse ait, sed ministrare. Et, vt verbis vtar Pauli, Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Non negat Christum esse hominem, de quo dixerat in epistola ad Timotheum: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus

Matt. 20.

Philip. 2.

1. Tim. 2.

stus Iesus. Et ad Corinthios scribens, Primus homo, inquit, 1. Cor. 15. de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Nam nō valet hæc conclusio: Fuit Christus in similitudinem hominum factus, igitur nō est homo. Quemadmodum nec valet hæc, Inuicētilimus Ioannes tertius in similitudinem ceterorum Lusitanæ regum creatus est, ergo non est rex. Imo de rege dicitur: Incedit in similitudinem regis, aut tanquā rex. Et ita intelligitur id, quod ait de Christo D. Ioannes: Vidi-
 eum gloriā eius gloriā quasi vnigeniti à patre. Vbi nō negat eum esse vnigenitū, sed ait talem gloriā habere, qualē decet vnigenitum. Eodem modo dicit Apostolus Christū esse in similitudinem hominum factum, non tamen negat esse hominem. Sed quoniam Christus est verus Deus, & diuinitas ipsa est vnita humanitati, ideo non homo purus appellatur ab Apostolo, sed in similitudinem hominum factus. Vbi vides Christum seruū appellari, & verum hominem esse. Nec mirum est, cum voluerit pro nobis vendi, vt nos suo sanguine emeret. Id autem quod hic dicit Esaias, videtur alludere ad id, quod dixerat Dauid cum Deo patre loquens in psalmo: Beatus quem elegisti & assumpisti.

Ioan. 8.

Psal. 84.

Complacuit sibi in illo anima mea.] Hoc ipsum testata est vox illa patris, quæ in transfiguratione audita est, vt ait D. Matthæus, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, quam refert Petrus Apostolus in epistola secunda. Et eadē vox audita fuit etiam in baptismo Christi, vt refert idē Euangelista. Est igitur sensus: Ecce seruus meus, qui est mihi charissimus.

Matt. 17.

2. Petr. 1.

Matt. 13.

Dedi spiritum meum super eum.] Idem dixerat suprā Esaias: Et requiescet super eum spiritus Domini. Et infrā: spiritus Domini super me, eō quod vnixerit me. Hinc Ioannes Baptista apud Ioannem Euangelistam, vidi, inquit, spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Non intelligendum est Christum tunc primum accepisse spiritum sanctum, fuit enim eo plenus ab instanti conceptionis. Sed declarauit spiritus sanctus tunc præsentiam suam signo exteriori, & in Christo mansit in testimonium veræ eius diuinitatis.

Supra 12.

Infra 61.

Ioan. 1.

Iudicium gentilibus proferet.] Id est, euangeliū quod iudiciū Dei continet. Multis enim in locis euangelij iudicabit Christus bonos esse adepturos gloriam, malos autem esse suorum scelerum pœnas daturus. Vel proferet iudicium extremum. Docebit seipsum venturum esse ad iudicium. Quid significet

cet

cet iudiciū, quomodo in diuinis literis accipiatur, explicum fusc capite 2. Aspicias hic Mesiam nō solum Iudæis, sed etiam gentibus fuisse euangelium daturū. Lex vetus fuit Iudæis lata, noua uerō Iudæis & gentibus.

Non clamabit.] Nempè clamore contemptionis. Nō clamoribus rem ager, sed admirabili quadam modestia ac benignitate homines tractabit. Hoc uoluit Dauid in Psalmo iis uerbis significare: Descendei sicut pluuia in uellus, & sicut stillicia stillantia super terram.

Nec accipiet personam.] Id est, erit rectus & æqualis, & non personarum acceptor. Hoc idem ait Apostolus in epistola ad Romanos, & est multis in locis diuināū literarum scriptū. Iudex qui Christum uoluerit imitari, non debet affectu humano & corrupto duci, si iustitiā in qua uirtutis splendor est maximus, & uitæ quasi cōmunitas continetur, recte exercere uoluerit. Ut enim diameter sic ab angulo ad angulū medium quadrangulū diuidit, ut utrinque spatium relinquat æquale, sic Iudex debet æqualitatem colere, & personarum acceptionem fugere, ne ius humanæ societatis uiolet, & iustitiam peruertat. Cauet Iudex ne sit bilanx, quæ illi parti inclinatur, à qua plus ponderis recipit: ne illi iniuste faueat, à quo maiore munere afficitur.

Non audietur uox eius foris.] Diuus Mātthæus uertit: Nec audiet aliquis in plateis uocem eius. Hoc est, erit pacificus & mitissimus. Id paulò antè significauit, dicens: Non clamabit. Et alibi: Non aperiet, inquit, os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Vnde dicebat Apostolus: Omnis clamor, & ira, & amaritudo, auferatur à uobis.

Calamum cassatum non conteret, & linum fumigans non exinguet.] Sēsus est: Christus cum uenerit neminem contēnet, quamuis sit imbecillus & fragilis: sed omnes ad se allicere conabitur. Nomine arundinis cassatæ & lini fumigantis intelligit infirmos in fide, in quibus tamen relucet aliquid bonæ spei. Diuus Hieronymus in libro quæstionū ad Algasiam, per calamum cassatum intelligit populum Iudaicum, qui antea sonorus laudes Deo concinebat, at postea fractus in angulari lapide uulnerat manū eius, qui in illo uoluerit inniti. Per linum fumigans intelligit populum gentium, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi oculos lædentis inuoluebatur erroribus. Hunc non solum Christus non extinxit, & in cinerem redegit, sed potius insufflauit, & de parua scintilla

scintilla magnum charitatis incendium erexit, atque homines admirabili amoris igne, quæ venit in terram missum, incendit, studioque immortalitatis inflammavit.

In veritate educet iudicium.] Hoc est, verè iudicabit neminem timens. Absque metu euangelium nuntiabit.

Non eris tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium.]

Hoc est, Durabit hæc mansuetudo eius vsque ad mortem: tunc enim ponet iudicium in terra, hominem patri reconcilians, moriens pro peccatis nostris. Vel donec annūtiat euangelium.

Ac si dicat: Erit vsque ad mortem mansuetus & mitis. Nam vsque ad mortem euangelium nuntiavit. Vide obsecro, & alio animo intuere huius præfulis modestiam, lenitatem, benignitatem, tolerantiam, & mansuetudinē. Discant ab eo Christiani principes & præfules, nec velint nimia asperitate subditos perdere. Ut enim qui vasa vitrea maculis cõtaminata volunt mundare, & ad nitorem perducere, non debent duriter

Simile.

applicare manus, ne dũ volunt fordes abstergere, vasa cõtendant & infrigant, sic præfules, qui volunt conquinatos subditos corrigere, summa ope niti decet, vt id efficiant moderate, ne illis perniciem consent, dum eos ad puritatem animique pulchritudinem perducere conantur. Et quemadmodũ

Simile.

dũ inter chirurgos ille est laudabilior, qui lentus tangit vulnera, quàm qui asperè manus imponit, sic ille præful est prudentior censendus, qui potius lenitate & moderatione, quàm nimia securitate animi vulneribus medetur. Et vt chirurgus,

vt in eodem simili verfer, secturus membra corrupta & labefactata, non impletur ira, quin potius tunc maiore tranquillitate ostendit, ne perturbatio impediatur artem, sic præful in reprehensionibus & punitionibus debet magna vti temperantia, ne ira turbatus modum transeat. Nihil enim est præstantius, nihil magno & illustri præfule dignius placabilitate ac clementia. Et tamen ita probanda est mansuetudo, vt adhuc

beatur etiã seueritas, absque qua administrari rectè respublica nequaquã potest. Sed omnis animaduersio & castigatio debet contumelia vacare. Id nos docuit Christus Deus noster, qui eum, quæ reiecit ex nuptiis, quod non haberet vestem nuptialem, amicum vocauit. Cuius mansuetudinem Esaias in hoc capite multis verbis ostendit.

Matt. 22.

Et legem eius insula expectabunt.] Septuaginta habent: Et in nomine eius gentes sperabunt. Et ita citat etiã hunc locũ D. Matthæus. Vbi vides per insulas intelligi gētes, quod cap.

superiore annotauimus. Ita intelligitur id quod est cap. 60.

Matt. 12.

superiore annotauimus. Ita intelligitur id quod est cap. 60.

scriptum;

Gen. 7. 6.

scriptum: Me enim insule expectant. Id quod Iacob, multo antea iis verbis prædixerat: Ipse erit expectatio gentium.

Hec Dicit Dominus Deus.] In principio capituli non explicavit, quis erat ille, qui loquebatur, modò dicit esse Deum, qui de filio suo vnigenito loquitur.

Dans statum populo.] Hoc est, dans hominibus spiritum vite. Id quod statim subiungit: Et spiritum calcantibus eam, est repetitio superioris. Poteris per statum intelligere vitam, per spiritum verò gratiam. Ideò ait Deum dare spiritum calcantibus terram, hoc est, opes & delicias, cæterasque huiusmodi res humanas contemnentibus. Aspicias hoc in loco viros iustos Deoque gratos conculcare terram, at iniusti à suis pedibus conculcantur. Vbi enim est eorum thesaurus, ibi est eorum anima, quoniam anima plus est vbi amat quàm vbi animat. Cum autem auarorum, ambitiosorum, iniustorumque omnium thesaurus sit in terra, ibi est eorum anima. Ex quo concluditur animam scelerati hominis in terra esse. Ideò quidam dicebat:

Matt. 6.

Psal. 117.

Ezec. 2.

Similia.

Adhæsit pavimento anima mea. Cum autem ibi homo esse dicendus sit vbi eius anima est, apertè ostenditur sceleratum hominem esse in terra, & à suis pedibus conculcari. Vnde dicebat Deus: Fili hominis sta super pedes tuos. Non enim iniustus & terrena quærens stat supra pedes, sed sub pedibus. At vir pius & rectus terram conculcat, quoniam ea, quæ præstata mundi amatoribus videntur parna ducit, eaque ratione stabili firmat, negligit, & ad cælestia semper aspirat. Ex quibus colliges cor viri iusti esse ignem ad cælum tendentem, terreni verò & iniusti esse arboris truncum terræ affixum, & intra illam collocatum. Vt enim truncus arboris diuersas habet radices, sed omnes intra terram ad diuersa tendentes sic cor hominis prophani multas habet curas & cogitationes, sed omnes terram spectantes, suas voluptates, dignitates, & diuitias quærentes. Sed hi viuunt absque vita: conculcantibus autem terram tribuit Deus spiritum & gratiam.

Ego Dominus vocavi te in iustitiam.] Id est, vt iustitiam doceas & per te homines iusti reddantur.

Apprehendi manum tuam.] Significat Deus patrem amorem suum erga filium suum vnigenitum. Vel ideò hoc dicit, quia ea quæ operatur filius, operatur pater. Hoc quidè est quod ait Christus apud Ioannem: Pater in me manens ipse facit opera.

Ioan. 14.

Et dedi te in scædus populi, in lucem gentium.] Aspicias hic Christum esse nostrum scædus & nostram lucem. Sine eo nõ essemus

essimus reconciliati patri, nec mentis oculos aperire possemus. Ille est mediator Dei & hominum, & lux illa dicens: Ego sum lux mundi, de qua dixerat Simeon: Lumē ad reuelationem gentium. Erasmus filij iræ: & erant inimicitia inter Deum & hominem, quas homo ipse per se diluere non poterat. Venit fœdus nostrum, filius Dei, vt esset autor nostræ reconciliationis. Ideo Esaias alibi eum vocat principem pacis. Et Malachias ait: Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. Et D. Paulus, ipse, inquit, est pax nostra, qui fecit vtraq; vnū. Et alibi: Et vos, inquit, cum essetis alienari, & inimici sensu in operibus malis nūc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem. Huc pertinet quod ait. D. Ioannes in epistola sua: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi. Huius rei gerebat imaginem propitiatorium, quod erat Christi figura. Erat enim ex auro purissimo super arcam, & tegebatur a duobus seraphim mutuo se recipientibus. Arca illa ecclesiā adumbrabat, super eam erat propitiatorium significās Christū, qui est propitiatio nostra, rectorum & protectorum ecclesiam suam. Duo seraphim erant duo testamenta, quæ summa ac mutua consonantia respondent, docētia esse Christum propitiatorem & reconciliatorem. Docet hic locus Messiam non solum Iudeos, sed gentes etiam fuisse illuminatum.

Vt aperiret oculos cæcorum. Non enim antea Deū videbāt: quoniam non solum erant tenebris circumfusi, sed ipsæ tenebræ. Eratis aliquando tenebræ, ait D. Paulus, nūc autem lux in domino. Aspicias hīc peccatores esse cæcos, de quibus ait Christus: Cæci sunt & duces cæcorum. Claudis diabolus eorum oculos, tenebrisque cooperit, ne suam perniciem intueantur. Vt enim fur nocturnus domū spoliaturus statim extinguit lucernam, & lupus nocte, aut certè tempore obscuro & aëre nebulis & caligine coperto, irruit in gregē, & in aquā inuolutam & turbulentam piscator mittit retia, quoniā tunc ea pisces non vidēt, sic diabolus intellectum hominum tenebris circumfundit, ne suum exitium considerantes caueant, & diabolicas ac pestilentes insidias declinent. Hoc intelligebat qui ait: Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi: Ac si diceret: Meum intellectū demon caligine inuoluit, & me in tenebris posuit, vbi iacent omnes flagitiosi seculum amātes, quos ego mortuos seculi appello. Vt illis, qui non solum sunt cæci, sed etiam alios obcæcāt. Cōtra verò illi sunt fœlices, qui nō solū sunt illuminati, sed alios illumināt, Christū imitātes, qui

Ioan. 3.

Luc. 2.

Supra 9.

Mal. 2.

Ephes. 2.

Col. 1.

1. Ioan. 2.

Figura.

Exod. 25.

Ephes. 1.

Matt. 15.

Simile.

Psal. 142.

*Yoa. 3.
Lac. 1.*

qui de se ipso ait: Ego sum lux mudi. De quo ait Zacharias: visitauit nos oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in via pacis.

Et educeres de conclusione vinculum.] Docet hic locus peccatores esse scelerum vinculis ligatos, in carcere conclusos, & tenebris coopertos. A quibus malis venit summus ille generis humani conditor & conservator nos liberatum, vt nos in amissam dignitatem multis ornamentis amplificatam restitueret. Aspicias hinc Christi officium esse illuminare cæcos, erigere in peccatis iacentes, & vincitos ac ligatos soluere, & ipsum carcerem aperire. Ita enim eum sanctus vates Zacharias alloquitur: Tu quoque in sanguine testamenti tui emissisti vincitos tuos de lacu.

*Zach. 9.
Matt. 23.
Ioa. 12.*

Intelligi autem caput illud Zachariæ de Christo euangelistæ restantur. Sed cæci Iudæi totum hoc intelligunt de terrena liberatione, sperantes Messiam, qui eos eripiat a captiuitate, non animi, sed corporis, nec vident miseri ac cæci homines, redemptionem per Christum non terrenam esse, sed spirituale.

Psal. 129.

Ait enim propheta: Ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius, dicens ex omnibus iniquitatibus eius, aperte vult ostendere Christum fore animorum redemptorem. Iniquitates enim animi sunt vincula, quibus peccatores sub diaboli tyrannide captiui detinentur. Hoc docuit

Ierem. 31.

Ieremias, sic Messiam loquentem introducens: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et paulo post: Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Quem locum D. Paulus de Christo interpreta-

*Heb. 10.
Infra 44.*

tur. Et apud Esaiam ait Christus: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Reuertere ad me, quoniam redemi te. Vide qualis vaticinatus est fore Christi redemptio nem. Et ob eam causam hic idem propheta gladium huius

*Supra 11.
Infra 49.*

regis & redemptoris spiritualem esse dicit, nimirum sacrum Dei verbum, de quo ait: Percutiet terram virga oris sui, & spiritu laborum suorum interficiet impium. Et alibi: Posui, inquit, os meum vt gladium acutum. Hunc existimo esse eum, de quo ait Dauid:

Psal. 44.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Est autem euangelica doctrina gladius, quo fideles defenduntur, demones vero expugnantur. Hic est gladius, de quo ait Ioannes in Apocalypsi: De ore eius, nempe christi, gladius vtraque parte acutus exibat. De quo ait Paulus: Galeam salutis assume, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hæc volui dicere, vt errorem Iudeorum ostenderem

*Apoc. 1.
Eph. 6.*

rem Messiam expectantium, qui eos redimat à terrena captiuitate, de spirituali autem minimè curantium. Cum ipsorum scripturæ testentur, Christum redemptorem esse animum, non, vt ipsi expectant, bellatorem, non diuitiis affluentem, non ascendentem ornatum equum, aut currum triumphalem, non habentem armatos satellites, sed eius apparatū esse spiritualem, cœlestique regi congruentem. Ait enim Zacharias: Exulta fatis filia Sion, iubila filia Ierusalē. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae. Quem locum Evangelistæ de Christo exponunt, & ipse Zachariæ textus aperte testatur. Venit Christus non cum humana pompa & superbo apparatu, sed in humilitate & mansuetudine, quæ admodum ipse de se ait: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Nonne aspicias Hebræe Messiam non venturum fuisse ad humanas opes vobis tribuendas? Qui fieri poterat vt diuini patriarchæ sanctique vates omni sapientia & virtute præstantes eum tam ardentè expectarent, qui humanas tantum opes & dignitates afferret, quas iidem viri contemnebant, & pro nihilo putabant? Quas diuitias allaturus erat ille, quem Zacharias pauperem, & Esaias capite. 52. in glorium appellat, nisi cœlestes & immortales? Hoc intelligens Dauid, Redimet inquit, Dominus animas seruatorum suorum. Et Esaias, Israël, inquit saluatus est in Domino salute æterna. Non loquuntur de salute externa & temporali, sed interna & immarcescibili, & peccatorum carceris apertione: de qua hîc ait noster vates: Et educeres de cōclusionē vincitum.

Zach. 9.

Matt. 27.

Ioan. 12.

Matt. 11.

Zach. 9.

Psal. 33.

Infra 59.

Psal. 67.

Ego Dominus] Prohibet idolorum cultum. Quod autem dicit: Hoc est nomen meum, ita est intelligendum: Nomen meum est Dominus. Ita dicitur in psalmo: Dominus nomen illi.

Quæ prima fuerunt] Id est, quæ ea, prædixi, completa sunt, nunc autem prædico vobis alia, quæ ventura sunt, ideo velim vt mihi fidem adhibeatis.

Cantate Domino canticum nouum.] Omnes vocat ad canendum Deo, & ad gratiarum actionem pro aduentu Messie & humani generis restauratione. Et vult vt sic canticum non in vetustate literæ, sed in spiritus nouitate. Quibus verbis significat in aduentu Christi eius euangelio fulgente abrogandam esse veterem legem, euangelium autē ad omnes gentes propagandū, etiam ad insulas, & ad deserta loca colentes.

Habitatores petrae.] Id est, qui in rupibus habitatis, & in arcibus

arcibus fitis in petris, locis que inexpugnabilibus. Sunt qui dicant Petram esse ciuitatem quandam Palestinæ.

Domini sicut fortis egredietur, sicut vir praeliator suscitabit caelum, vociferabitur & clamabit. Descripsit hactenus primum Christi aduentum in humilitate & mansuetudine: nunc describit secundum in maiestate & potentia, quando venturus est iudicatum vniuersos. Possunt hæc etiam intelligi de primo aduentu Christi, quem comparat viro fortissimo contra hostes pugnaturus. Sed qui fieri potest vt de Christo dicatur: Vociferabitur & clamabit, cum in hoc eodem capite de eo sit dictum: Nō clamabit, neque audietur vox eius in plateis? Hanc difficultatem facile absoluemus, dicentes prius voluisse prophetam Christi mansuetudinem, humilitatem, & patientiā ostēdere, qui suas iniurias toleranter ferens, inimicis suis litē non intendebat: sed sicut agnus ad occisionē ductus silentio vtebatur. Nunc verò facit eū clamantē, & mundi scelera reprehendentem. Vnde colliges debere cōditionatorem contumelias in se iactas æquo animo tolerare, mundi verò scelera queribunda voce arguere, vt non suam, sed Dei gloriam querere videatur.

Tacui, semper silui, patiens fui: sicut parturiens loquar. Verba sunt Dei dicentis: Hactenus continui iram meam, nūc clamaabo, & instar parturientis magnas voces emitram. Loquitur Deus more humano, vt eū intelligamus. Aspicias hic Deū non statim hostes suos siernere, sed aliquando racere atque dissimulare, vt rerum publicarum gubernatores, iudices & præfules doceat declinandam esse iram, impatientiam, & precipitationem, & vt hæc vno verbo comprehendam, animi perturbationem, quæ est auersa à recta ratione contra naturam animi commotio. Hæc enim vt res tetra & detestabilis est omni contentione velis, vt ita dicam, remissique fugienda. Sunt multi qui vitam priuatam & otiosam degentes videntur mites & moderari, sed ad dignitatem & principatum euecti, ira, temeritate, malitia, festinatione, & animi ac corporis perturbatione ducuntur. Vt enim dolium, aut quodcunque vas ligneum & magnum quandiu est vacuum, scissuras suas non ostendit, sed eo pleno omnes apparent, quoniā hac atque illac fluit. Sic nōnulli à negotiis publicis separati, in nullaque dignitate cōstitui, tegunt suam imbecillitatem, iram, prauitatem, & perturbationem, sed rem publicam capessentes statim animi ægritudines & corruptiones ostendunt, hac fluit ira, illac inuidia, hic ostenditur temeritas, illic prauitas.

Simile.

prauitas. Nulla est trāquillitas, nulla securitas, nulla moderatio. Ex quo efficitur, vt nihil dissimulent, neq; vilo silentio vtātur, sed omnia velint statim temerario impetu castigare. Ideo dicebat Pittacus Græcus philosophus, principatū virū declarare. Discant rempublicā administrātes à Christo Deo nostro, qui ait: Tacui semper, filii, patiens fui, vt sciant vti tēpore, & cum animi placabilitate, & moderatione, & consilio gubernare.

Dissipabo & absorbebo simul, desertos faciam montes & colles, & omne germen eorum exiccabo. Ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. Et educam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in rehta. Hæc verba feci eis, & nō dereliqui eos. Conuersi sunt retrorsum. Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt constabili, vos dii nostri: Sardi audite, & cæci inueniunt ad videndum. Quis cæcus nisi seruus meus, & surdus nisi ad quem nuntios meos misi? Quis cæcus nisi qui venundatus est, & quis cæcus nisi seruus Domini? Qui vides multa nonne custodies? Qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit vt sanctificaret eum, & magnificeret legem, & extolleret, ipse autem populus direptus & vastatus. Laqueus inueniunt omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt. Facti sunt in rapinam, neque est qui eruat in direptionem, neque est qui dicat, redde. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat & censelet futura? Quis dedit in direptionem iacob, & Israël vastantibus? nonne Dominus ipse cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. Et combussit eum in circuitu, & non cognouit, & succendit eum, & non intellexit.

Dissipabo.] Euertam inimicos meos. Per montes, & colles, & insulas, & stagna, intelligit impios & infideles Iudeos, de quibus ait se penas sumpturum.

Ponam flumina in insulas.] Id est, subuertam insulas aquarum abundantia.

Et educam cæcos in viam.] Idolorum cultores cæcos vocat. Quasi dicat: Perfidos Iudæos euertam. Gentes autē seruiabo, et que viam veritatis ostendam. Aliis ero in ruinam aliis in resurrectionem. Qua de re alibi disseruimus.

Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.] Hoc est, Id quod dico, nempe esse gentes ad veritatem ducturum, faciam absque dubio, non enim eas derelinquam.

Conuersi sunt retrorsum.] Sensus est: Qui ex idolorum cultoribus

toribus credere noluerint, peiora efficiuntur. Et confundentur in inferno, qui in simulachris & idolis suis fiduciam ponunt.

Surdi audite.] Conuertit Deus sermonem ad Iudæos infideles, qui in sua pertinacia perseuerant. Hos surdos cæcosque vocat.

Quis cæcus, nisi qui venundatus est.] Id est, nisi populus Iudaicus, qui seipsum demoni vendidit. Qui mortiferum peccatum admittit, seipsum diabolo vendit, illique chirographum tradit. Et quoniam ante aduentum Christi venundati eramus, crucifixus est Christus, vt suo sanguine nos emeret. Ait enim Paulus: Empti enim estis precio magno. D. Petrus in 1. epist. sua. Scientes, inquit, quod non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incõtaminati. Chirographum autem decreti, quo eramus demoni venudati, deleuit Christus, teste Paulo dicente: Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.

Quæ vides multa, nonne custodies?] Tu ô Israël, qui vides oracula meorum vatum, cur non custodies ea, quæ tibi præcipio?

Laqueus iuuenum omnes.] Notat Phariseos & scribas, quorum consilio iuuenes decepti & vinciti, Christum recipere noluerunt.

In domibus earcerum absconditi sunt.] Hoc est, detrudentur in æternas tenebras. Erunt in rapinam & direptionem, capiuntur à Romanis quo ad corpus, & à demonibus quo ad animam. & tandem corpore & anima in æternum cruciabitur. In tantam incident calamitatē, vt nec sit qui eos eripiat, nec qui pro illis loquatur, qui dicat raptori vt eos reddat, & reuocet ad libertatem.

Quis est in vobis.] Vult Propheta persuadere Iudæis, vt audiret & futura cognoscant, mentēque percipiant peccata sua esse causam suarum calamitatum, quoniam Christum occiderunt. Et concludit Propheta, asserens miseros & infideles Iudæos comburendos esse à Romanis, & penitus euertendos, & nec ita intellecturos in tot arumnas ob suam infidelitatem & impietatem incidisse.

Annotationes ex Hebræo in
CAPVT XLIII.

Ecce seruus meus suscipiam eum.] Pro suscipiam, est in Hebraico æthimoch à verbo thamach, quod significat suscipere, vt cap. superiore. Suscepit te dextera iusti mei. Significat etiam sustentare, vt Exodi 17. Sustentabant manus eius ex utraque parte. Ideo poterat hic verti: Sustentabor in eo, aut vt vertit Pagninus: Innitar ei. Solet enim seruus inniti seruo fideli & charo. Significat iis verbis Deus pater fuisse Christum illi obedientem, fidelem, & dilectum. Chaldaeus paraphrastes transfuit: Ecce seruus meus Melsias, ego adero ei. Vbi aspicias eum hoc de Christo intellexisse.

Et non accipiet personam.] In Hebraico est, ve lo iissa: à verbo nasa, quod significat sumere, leuare, ferre, efferre, portare. Vnde Pagninus vertit: Et non eleuabit, subaudi vnum, deprimedo altum, pro quo noster interpret vertit: Non accipiet personam, Aduertant hoc, qui non æquabilitate sed affectu ducuntur. Vt enim falsa & inæqualis statera, æqualibus ponderibus non ad libellam & æqualiter conficit, sed alterum deprimat, alterum eleuat, sic nonnulli alios laudibus efferunt, alios verò pares vita & moribus maledictis vulnerant, de eorum sancta detrahentes, eorumque splendorem maculantes. Potest verti: Non efferet, subaudi vocem. Vel, Non vociferabitur. Pro quo Septuaginta verterunt: Neque dimittet, subaudi populum suum.

*Supra 47.
Exod. 17.*

Simile.

Argumentum Capitis XLIII.

Consolatur Deus ecclesiam suam, promittens se eam esse protecturum, & populum Iudaicum arguit, & ad iudicium vocat.

CAPVT XLIII.



Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combueris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel Saluator tuus. Dedi propitiationem tuam Aegyptum, Ethiopiam & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, & ego dilexi te. Et dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli

timere.

timere, quia ego tecum sum. Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni da, & austro noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrae. Et omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam creavi eum, formam eum & feci eum. Edux foras populum caecum & oculos habentem, surdum & aures ei sunt. Omnes gentes congregatae sunt simul, & collectae sunt tribus. Quis in vobis annuntiet istud, & quae prima sunt audire vos facies? Dent testes eorum, & iustificentur, & audiant & dicant: Vere vos testes mei dicit Dominus, & seruus meus quem elegi, ut sciatis & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum. Antequam me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator. Ego annuntiaui & saluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos testes mei dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud? Haec dicit Dominus redemptor vestester sanctus Israel.

Osca 13.

EXPLANATIO.

Et nunc haec dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel. Duplicem esse Iacob & Israëlem, alterum secundum carnem, alterum secundum spiritum, satis à nobis explicatum arbitror capite 41. Eorum multitudo, & congregatio qui Euangelium receperunt, & Christo se dedicauerunt, Israel spiritualis dicitur, eorum verò qui in sua infidelitate & contumacia permanserunt, carnalis Israel appellatur. De hoc dictum est capite superiore: Ipse autem populus direptus & vastatus, laqueus iuuenum omnes. Et paulò post. Et noluerunt viis eius, nimirum Christi, ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & cetera quae sequuntur. Vbi Propheta aduersus pertinaces Iudeos fuit aperte varicinatus. Nunc autem ad veros Israelitas conuertit sermonem, praesertim ad Apostolos, & primitiuam ecclesiam, quae in principio tormentis ac cruciatibus tyrannorum fuit crudeliter vexata & afflictà. Solet aliquando scriptura nomine Iacob & Israel, Christianos intelligere.

Supra 42.

Noli timere, quia redemi te.] Verba sunt Christi ecclesiam suam alloquentis, ac si diceret: Ego qui te tanto precio emi, qui pro te sanguinem fudi, nunquam te derelinquam, ideò ne timeas, sed in me spem tuam firmiter colloca, quoniam ego te in periculis omnibus seruabo.

Vocaui te nomine tuo] Hoc est, te dilexi, & signa dilectionis ostendi. Tunc rex charum sibi esse famulum significat, cum eum

eum nomine proprio vocat. In libro Exodi scriptum reperimus dixisse dominum Moyſi, te ipſum noui ex nomine. Cōtrā verò de reprobis dictum eſt: Nō noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis. Ideò narrans Chriſtus hiftoriam de Lazaro & de diuite epulone, nomen Lazari explicuit, epulonis autem ſupreſſit.

Cum tranſieris per aquas, tecum ero] Sēſus eſt: Ego te ab omnibus periculis liberabo. Eſſi viri ſancti propter Chriſtum & Euāgelicam veritatem torquerentur, & in ſummum capitis periculū vocarentur, non tamen animo frangebantur. Tāta enim erāt fide ac cōſtantia muniti, tanta charitate inſiſſimati, vt multò preſtantius & illuſtrius exſiſtmarēt pro Chriſto occumbere, ſēque hoſtium telis obiicere, quā Chriſtum Saluatorem noſtrum relinquere & negare. Neque dicendum eſt eos à Chriſto derelinqui, cum torquerēt & occumberent, quoniam eſſi corpus pateretur, animus tamen gaudio perſiſdebatur. Sed nec tormētis eccleſia ſubuerſa eſt. Licet enim nauicula, cuius Chriſtus nauclerus eſt, fluctibus agitetur, nūquam tamen peribit.

Cum ambulaueris in igne, non combueris.] Aſpicias hic iuſtum in medio afflictionum non comburi, quoniam Deus cum illo eſt: Vt enim rubus Moyſi oſtenſus ardebat, ſed non conſumebatur, quia in eo erat Deus, ſic vir verè Chriſtianus & optimus in calamitatibus verſat⁹ igne afflictionum incēſus, ſpinis erumnarum compūctus, refrigeratur animo, & placida tranquillitate conſiſtit, quoniam Deum ſecum habet: Nō eſt miſer nec ærumnoſus, qui pro Chriſto affligitur, ſed qui eum affligit, qui tantò eſt miſerior, quanto ſibi videtur beator. Qui enim fieri poteſt, vt non ſit miſerrimus ille, qui viros pio & iuſtos vexat, illiſque perniciem machinatur, cum illius motus turbulēti iactationeſque incitate, omnem rationem repellant, nullāque partem tranquillitatis animi relinquant? Cōtrā verò fieri nullo pacto poteſt, vt miſer ſit ille, qui pro Chriſto cruciatur, in cuius animo nulla eſt ægritudo peſtilēſ, nulla tetra pernicioſa labes, ſed Chriſti gratia & ſecuritas placidiſſima. Hic eſt vir ille, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, de quo loquitur Chriſtus apud Matthæum, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram. Hic eſt ille, de quo ait Deus per prophetam: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eū, & glorificabo eū. Viri enim iuſti & charitate preſtantes afflictionibus exercen

Psal. 65.

tur, vt pottea diuino gaudio fruantur. Ideo dicebat Dauid: Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerarium. Vbi vides ignem & aquam, hoc est, mundi afflictiones, esse viam ad æternas voluptates. Sic tñ velim existimes me non ita laudare afflictiones, quin intelligam multos in illis corruiere. Vt enim in mari Rubro Hebrei fuerint erepti, Aegyptii verò obruti & submersi, sic in afflictione, quæ est veluti mare Rubrum quidam liberantur, quidam verò corruiunt & franguntur. Fuit mare Rubrum aliis in gloriam, aliis in ignominiam, aliis aperuit iter ad terram promissionis, aliis verò in mediis fluctibus vitam eripuit. Et ita miseri perierunt suorum scelerum & facinorosa debitas pœnas luentes. Contemperate & intentè considera vim afflictionis, & inuenies eam esse cum mari Rubro merito comparatam. Sed ab ea ait hoc in loco Deus per Esaiam se esse suos liberaturum. Nam per aquas & flumina, ignem & flammam, intelligit afflictiones,

Simile.

Prou. 11.

[Dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam et Saba pro te.] Quando Hierosolyma fuit seruata, & è Sennacheribo erepta, iuerunt captæ hæc prouinciæ, quas hic numerat Propheta. Ideo ait Deus: Ego vt te seruarem, volui vt hæ gentes punirentur. Similis locus est in Prouerbiis, vbi ita scriptum est: Iustus de angustia liberatus est, & traderet impius pro eo. Vel sic. Ego ò ecclesia mea in propitiationem tuam, vt tibi sim propitius, pro infidelibus Iudæis dabo tibi alias nationes, nempe Aegyptum, Aethiopiam & Saba, & ex omnibus denique mundi partibus multi ad te conuenient & conuenient. Septuaginta habent. Feci commutationem tuam Aegypti. Et est sensus. Ego ò popule Iudaice infidelis dedi pro te ecclesie meæ Aegyptios, Aethiopes, & Sabæos. Est enim monumentis mandatū, has nationes statim post Christi passionem Matthæi & Marci predicatione fuisse ad fidem conuersas.

[Ab Oriente adduxam semen tuum et ab occidente, etc.] Hunc locum afferunt Iudæi, ad probandum Christum saluatorem nostrum non esse Messiam, quoniam eosdem per mundum dispersos in promissionis terram non congregauit. Aiunt Messiam Hebræos omnes per vniuersum orbem terrarum diuisos esse Hierosolymam reducturam, quos hic semine suum & filios appellat. Nec vident cæci homines ex hoc capite suo errorem & pertinaciam conuinci, cum apertè degentibus, quæ erant ad Christum conuertendæ loquatur, non solum autem de Iudæis, vt ipsi existimant. Nam statim ait Deus: Et omnem qui inuocat nomen meum. Qui omnem dicit, neminem excludit.

claudit. Et Paulò pòst: Omnes, inquit, gentes cōgregatæ sunt simul. Nōne vides planè ò Hebræe tuam cæcitatē? Perspicuè indicat Deus se in hoc capite de fidelium omni multitudine tractare, siue sint gentes, siue Iudæi. Eos omnes filios appellat, quos suo sanguine generauit, de qua generatione ait alio in loco Esaias. Generationem eius quis enarrabit? *Infra 53.*
 Et paulò pòst: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. Ideò ait diuus Ioannes: Quotquot *Ioan. 1.*
 autem eū receperūt, dedit eis potestatē filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. Congregauit autem Christus omnes fideles nō localiter in vna prouincia, sed in vnitae fidei. Ideò ipse aiebat apud Marthæum: Dico autem vobis, quòd *Matt. 23.*
 multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cælorum. Hos vocat filios quos ait de lōginquo, hoc est, de peccato, quo homines longè à Deo distant, esse ad gratiam ducendos.

Educ foras populum cæcum, et oculos habentem.] Foras, hoc est, extra errorem. Omnes infideles cæcos vocat & surdos. Particula, Educ, refertur ad Christum, quem pater alloquitur. Septuaginta habent: Eduxi, vt sit vox ipsius Dei.

Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus.] Ex gentibus & Iudæis fuit Christi ecclesia congregata. Et cum dicit, omnes gentes, distributio est pro generibus singulorum, non pro singulis generum.

Quis in vobis annuntiet istud?] Nullus est inter vos ò gentes, qui hoc possit enuntiare, & vobis priora dicere.

Dent testes eorum et iustificentur.] Id est, Afferant gentes testimonia, videamus verū idola sua illis vètura prædixerint, & si hoc probauerint, iustificentur. At hoc ostendere non poterunt. Ideò audiant me, & dicant vera esse, quæ ego dico.

Verè vos testes mei, dicit Dominus.] Alloquitur Deus Prophetas & Apostolos. Et seruus meus quem elegi, id est, Esaias.

Ante me non est formatus Deus.] Ostendit in Deo nec esse principium nec finem,

Ego annuntiaui.] Subaudi futura: Et saluauit, Id est, vos ab hostibus & mentis & corporis eripui. Et non fuit in vobis alienus: nimirum Deus.

Propter vos emisi Babylonem, et detraxi vesicles vniuersos, & Chaldeos in nauibus suis gloriantes. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel Deus vester. Hæc dicit Dominus qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam & equum, agmen & robustum. Simul abdormierunt nec resurgent.

2. Cor. 5.
Apo. 21.

construuntur quasi linum, & extincti sunt. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina? Et glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones, quia de di in deserto aquas & flumina in inuio, ut darem potum populo meo electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, in victimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione, neque laborem tibi prebui in thure. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, prebui- sti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul, narra siquid habes vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui preuaticati sunt in me. Et contaminaui principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

Propter vos emisi Babylonem.] Id est, vt vos liberem a captiuitate, mittam Cyrum, qui Babylonem capiat, & vos in patriam vestram reducat. Et detraham vestres vniuersos, hoc est, aperiam ciuitatem, & detrahis vestibus a portis ingredientur Persæ. Et detraham a ciuitate Chaldaeos qui nauibus suis gloriari solebant.

Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam.] Quasi dicat: Ne existimetis Deum hæc facere non posse. Nam ipse, qui hæc dixit, ille est qui aperuit mare Rubrum, & Iordanem vt vos liberaret in exitu ab Aegypto, & in ingressu terræ promissionis. Qui currus & equos, & omnem exercitum Pharaonis demersit in mare, vbi Aegyptii fuerunt obruti, & nunquam ad æternam vitam resurgent. Ne intelligas Aegyptios non esse resurrecturos ad extremum iudicium. Nam vt ait Apostolus, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Sed quoniam qui in inferis cruciantur, nunquam consequentur vitam æternam, quæ est vera vita, ideo damnati non dicuntur resurgere. Et ita potest intelligi id, quod dicitur in psalmo: Ideo non resurgunt impij in iudicio. Vera enim resurrectio est a morte ad vitam.

Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua.] Sensus est: Et si magna pro vobis feci temporibus preteritis, tamē multo maiora sum pro vobis facturus, quorum respectu ea quæ præterita sunt non debent in memoriam reuocari. Nam ponam in deserto mundi viam, hoc est, Christum,

Exod. 14.
Iosue 3.

2. Cor. 13.

Psal. 7.

stum . Et erunt gratiæ flumina, quæ non corpora, vt antea in deserto, sed animas abluant & reficiant . Et tunc videbitis admirabilia : Nam bestiæ agri, dracones & struthiones, hoc est, variæ gènes diuersis rebus deditæ quæ in deserto gèrilitatis habitant, idolis ac superstitionibus relictis me colent & laudibus efferent . Quid sit struthio diximus alibi . Colliges hinc neminem debere de misericordia diuina desperare , quantum instar belluæ vitam degat, quoniam potest eum Deus à feritate & scelere conuertre , eique gratiam & gloriam tribuere . Possunt hæc verba intelligi ad literam de abrogatione sacrificiorum & ceremoniarum legis veteris, & de institutione sacramentorum legis gratiæ . Et hæc est vera huius loci interpretatio . Lege diuinas literas , & videbis apertè esse hoc multis in locis prædictum . Ieremias ita ait : *Jerem. 31.* Ecce dies veniēt dicit Dominus , & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum . Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti . Et paulò pōsti : Hoc inquit, erit pactum, quod feriam cum domo Israël . Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum . Vide quàm apertè abrogationem veteris legis prædixerit, & noui testamenti institutionem . Ita hūc locū interpretatur Apostolus in epistola ad Hebræos . *Heb. 2.* Et quāuis illum Apostolus non interpretaretur, tamen ipse seipsum declarat . Et infert Apostolus : Dicendo autem nouum, subaudi testamentum, veterauit prius : Et reuera hæc est testamentorum lex, vt nouum defruat vetus . Hæc promissionem confirmat Deus per Baruch prophetam ita dicens : *Baruc. 3.* Et statuum illis testamentum alterum sempiternum, vt sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum . Et quoniam noua lex nouum populum constituit , novos mores, novos pōstices, nouas ceremonias, ideo dicit hoc in loco Deus : Ecce ego facio noua . Et capite secūdo, & quinquagesimo quinto & sexagesimo quinto, & aliis in locis, hanc noui testamenti institutionem prædicat . Qua de re vide ea, quæ in sequētibus an notabimus .

Populum istum formauit mihi .] Habes hîc apertum & perspicuum locum contra Iudæos, quos Deus reicit ob eorum infidelitatem & contumaciam, & eorum abrogat sacrificia, *Non me inuocasti iacob .*] Ac si diceret : Dracones, struthiones, cæteræ feræ, me laudibus efferent , tu autem ô popule Iudæice,

claiice, quem ego enutriui, & ad magnum vexi honorem, de
meis laudibus conticefcis, cæteris me inuocantibus, tu taces.

*Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in
thure.*] Sensus est: Nunquam te coegi, vt mihi offerres sacrificia,
nec te fatigauit, vt mihi thus & thymiana incenderes. Nō
exegi à te vt argento mihi emereres calamum, cuius odorifero
fumo delectares, nec vt mihi victimas offerres. Reicitur sa-
crificium sine fide & charitate. Nā sacrificia veteris legis per
se Deo non placebant, vt ipse ait in Psalmo, cum patre ita lo-
quens: Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem per-
fecisti mihi. Holocaustum & pro peccato nō postulasti, tunc
dixi ecce venio. Quem locū D. Paulus de Christo apertè af-
ferit esse intelligendū. Est enim Christus vera hostia, quæ de-
let nostra crimina. Et quoniam sacrificia legis peccata nō de-
lebant, venit Christus vt nostra scelera expiaret, & inuetera:
tam maculam sanguine suo deleteret. Nemo est in literis diui-
nis vel mediocriter versatus, qui nō videat prædixisse Deum
per diuinos suos vates esse legis sacrificia abroganda. Nam
per Amos ita ait. Si obtuleritis mihi, holocaustomata & mu-
niera vestra non suscipiam. Et per Oseam: Misericordiam do-
lo & non sacrificiū. Et per Danielem: In dimidio hebdoma-
dis deficiet hostia & sacrificium. Lege totum illud caput, &
vobis Danielē vaticinantē de morte Christi, & de cessatione
legalium. Per Malachiā iis verbis Deus Iudæos alloquitur:

Psal. 39.

Heb. 10.

Amos. 5.

Osee 6.

Dan. 9.

Mal. 1.

Infra 53.

Psal. 9.

Psal. 83.

Non est mihi voluntas in vobis, & munus non accipiam de
manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum
est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur
nomini meo oblatio munda. Non vult Deus vt offerantur
illi hirci & boues, sed munda hostia & purissimum sacrificiū
quod est Christus Deus noster, qui vt ait Esaias, oblatus est
quia ipse voluit, vt in ara crucis crimina nostra deleteret, in cu-
ius memoriam cotidie in ecclesia consecratur. Cum Christo
autem mortuo mortua fuerunt legis veteris sacrificia, & cere-
monie & iudicia. Quibus mortuis perspicuum est nouam le-
gē succedere debere, de qua Ieremias & Baruch, quos paulō
antē citauit, vaticinati fuerunt, quæ est Christi legislatoris no-
stri Euangelium. Hoc præuidens regius vates canebat. Con-
sistite Domine legislatores super eos, vt sciant gentes quo-
niam homines sunt. Et in alio psalmo: Etenim benedictionē
dabit legislator. Qua de re ea poteris videre, quæ 1. & 2. cap.
litteris mandauimus.

Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis.] Sensus est: sacri-
ficia

ficia veteris legis non debebāt peccata, ideo ego veni vt ea de-
 kerem. Peccata mundi in causa fuerūt, vt ego formā serui ac-
 ciperem, ingentes labores subirem, & meipsum immolarem.

Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.]
 Sensus est: Tu me seruire fecisti, & ego propter me, quia mi-
 sericors sum, deleo peccata tua. Ideo D. Ioannes dicebat de *Ioan. 1.*
 Christo: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Reduc me in memoriam, et inducemur simul.] Sis memor mei,
 & vide habeasne aliquid contra me, & affer illud in mediū:
 contendamus iudicio, & inter nos disceptemus. Vide dei cle-
 mentiam. Idem licet aliis verbis dicit per Michæam: Popule *Mich. 6.*
 meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respōde mihi.

Qua de re disseruimus capite 5.

Pater tuus primus.] Nempe Adam peccauit, cum funestum
 pomum comedit. Interpretes tui, nempe Moyses & Aaron.
Quasi dicat: Non poteris mihi maiorum tuorum sanctitatē
obscure, cum etiam ipsi peccauerint. Per interpretes poteris
legis doctores intelligere.

Et contaminaui principes sanctos.] Hoc est, contaminatos o-
 stendi, vel contaminari permisi Moysen & Aaronem.

Dedi ad internecionem Iacob.] Id est, Occidi Hebræos in de-
 serto ob eorum crimina, permisi que vt probri afficerentur,
 & vt gentes in eos blasphemias iacerent. Vel sic: Dimisi eos,
 vt in peccata mortifera & blasphemias inciderent.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XLIII.

Detraxi vestes vniuersos.] Pro vestibus in Hebraico est ba-
 richim, a verbo barach, quod significat claudere. Vnde bari-
 cha quod est nostrum nomē, significat vestē, quo ostiū clau-
 ditur. Quid autē sit detrahere vestes vniuersos, diximus in
 explanatione. Sed quoniā verbum hoc barach significat etiā
 fugere, verterit Septuaginta: Et suscitabo fugientes vniuer-
 sos. Et pro eo quod nos habemus, & Chaldæos in nauibus
 suis gloriātes, habēt illi. Et Chaldæi in nauibus vincētur. Vt
 fit sensus: Ego propter vos o Iudæi mittā Cyrū Babylonē, &
 omnes Babylonios excitabo, vt fugiant. Chaldæi que erunt in
 suis nauibus vincēt, vt ita captiui & ligati ad alias gētes tran-
 ferantur. Cum hac Septuaginta interpretū trāstione vide-
 tur coherere versio Pagnini, quæ habet: Et descendere faciā
 fugitiuos vniuersos. A h̄ vertit descendere faciā in nauibus
 omnes

omnes ipsos. Et deriuant nomen hoc à verbo rauach, quod significat respirare, dicunt enim naues appellari banchim, quod vento ducatur. Ab hoc enim verbo deriuatur rauacha, quod significat ventum & spiritum.

Adipe victimarum tuarum non inebriasti me.] Septuaginta habent: Nec adipem hostiarum tuarum concupiui.

Interpres tui.] In Hebræo est meli tsecha. Pro quo Septuaginta verterunt: Principes tui. Quos secutus est postea Pagninus. Potest verti: Dulces tui. Debent enim principes & presules diuinam legem subditis interpretari, & dulcedine quadam ac lenitatem cum castigatione miscere. Ob eam causam, idem vocabulum & dulces principes significat.

Et contaminaui principes sanctos.] In Hebræo est, kodex, quod etiam significat sanctuarium. Ideo potest verti: & contaminaui principes sanctuarij. Ac si dicat: Ego ô Iudæi abieci vestros sacerdotes, vestras ceremonias & oblationes. Pagninus pro contaminaui vertit, occidam, & rectè quidè. Potest etiã rectè transferri: & cessare faciã magistris sanctuarij. Nomen enim sare, quod hic est, magistrum significat, vt Genesis cap. 41. Magister pincernarum. Habes in hoc capite multa loca aduersus Iudeorum infidelium contumaciam. Septuaginta verò habent: Contaminauerunt principes sancta mea. Et vide quid sequatur. Dedi ad internecionè Iacob, & Israel in blasphemiam. Nam cum principes & presules contaminant religionem, & in diuina lege violada tetras fraudes concipiunt, quid sequitur, nisi populi perniciës, & certissima euerfio atq; confusio? Vt enim ex eclipfi & defectu solis magna mortalibus gignitur perniciës, sic ex principis & presulis deprauatione magnum in subditis oritur excidium.

Gen. 41.

Simile.

Argumentum Capitis XLIIII.

Facit Propheta Christum seruatore[m] nostrum loquentem, & ecclesiam suam consolantem: inuehitur in idolorum cultores. Promittit liberationem à Babylonica captiuitate.

CAPVT XLIIII.

*Ierem. 14.
et 46.*



*E*nne audi Iacob serue meus, & Israel quem elegi. Hæc licet Dominus faciens & formans te ab vtero, auxiliator tuus? Noli timere serue meus Iacob, & rectissime quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, & fluentia super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictio.

uedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas,
 quasi salices, iuxta praterfluentes aquas. Iste dicit, Domini ego sum,
 & ille uocabit in nomine iacob. Et hic scribet manu sua Domino, &
 in nomine israel assimilabitur. Hec dicit Dominus Deus israel, &
 redemptor eius Dominus exercituum. Ego primus & ego nouissimus, &
 absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet, annuntiet, & ordi-
 ne exponat mihi. Ex quo constitui mihi populi antiquum. Ventura &
 que futura sunt annuntiet eis. Nolite timere, neque conturbemini. Ex
 tunc audire te feci, & annuntiaui. Vos estis testes mei. Nunquid est
 Deus absque me, & formator quem ego non nouerim? Plasti & ido-
 li omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi
 sunt testes eorum, quia non uident, neque intelligunt, ut confundan-
 tur. Quis formauit Deum, & sculpsit conlatus ad nihil uitae? Ecce
 omnes participes eius confundentur, fabri enim sunt ex hominibus.
 Conuenient enim omnes, stabunt & pauebunt, & confundentur simul. *Sap. 15.*
 Faber ferrarius lima operatus est, in prunis & in malleis formauit
 illud, & operatus est in brachio fortitudinis suae. Esuriet & efficiet,
 non bibit aquam & lassescet. Artifex lignarius extendit normam,
 formauit illud in runcina. Fecit illud in angularibus, & in circino tor-
 nauit illud, & fecit imaginem uiri, quasi speciosum hominem habi-
 tantem in domo. Succidit cedros, iulit ilicem & quercum, quae stete-
 rat inter ligna salus. Plantauit pinum, quam pluuia nutrit, & fa-
 cta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, & calefactus est, & suc-
 cendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus est Deum, & ado-
 rauit, fecit sculpsit, & curuatus est ante illud.

EXPLANATIO.

Et nunc audi iacob serue meus, & israel quem elegi.] Vide
 quanta uerborum lenitudine Deus ecclesiam suam alloqua-
 tur? Ac si dicat: O iacob secundum spiritum, o israel electe
 mi, hoc est, o ecclesia mea audi me, qui te creauit, & ad hono-
 rem dignitatisque amplitudinem euexi. Si tibi hostis aliquis
 loqueretur ut falleret, non deberes audire. At cum ego sim
 Deus qui in te summa contuli beneficia, debes me attentis
 auribus audire.

Formans te ab uero.] Videtur alludere ad id, quod ait Deus
 per Malachiam Prophetam, Dilexi iacob, Esau autem odio
 habui. Quia de re D. Paulus in epistola ad Romanos ita ait: *Mal. 1.*
 Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, *Rom. 9.*
 ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex
 operibus, sed ex uocante dictum est ei: Quia maior seruiet mihi
 auri, sicut scriptum est: iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Religiosissime

Rectissime quem elegi.] Rectissimā appellat ecclesiam, quod fit, ut ait Paulus, columna & firmamentū veritatis, & quod in ea recto animo colatur Deus.

Effundam enim aquas super sitientem.] Eos appellat Deus sitientes & aridos, quos ipse vocauit ad fidem, qui antea erant sine gratia, & sine cognitione Euangelicæ doctrinæ, quibus aquas gratiæ & spiritalium donorum promittit.

Similitudo. *Quasi salices iuxta præterfluentes aquas.*] Comparat viros iustos arboribus iuxta riuos aquarum plantatis. Nam ut aqua arborem nutrit & confirmat, eamque in sua viriditate conseruat, sic vir iustus satus ad excellentes aquæ diuinæ fluuios, verūque diuinarum meditatione rigatus alitur ad æternitatem, nullaque aëris siccitate, nullo calamitarum ardore fidei viriditatem amittit. Eam ob causam in psalmo vbi vir rectus & pius describitur sic scriptum est: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Contrā verò impius pulueri arido à vento proiecto in eodem psalmo comparatur.

Psalm.

Iste dicit.] Sensus est: Vbiq̄ue erunt fideles, qui Christiano nomine gloriantur, & Israëlitas se esse dicent, etsi ex gentibus nati sint. Est enim Christi ecclesia Israël secundum spiritum. Quidam dicit se esse Christianum, alter fatebitur se esse de ecclesia. Hic scribet manu sua domino. Id est, profitebitur se esse Christianum, & in nomine Israël assimilabitur, hoc est, cognominabit se Israëlitam secundum spiritum, id est, in Christum credentem.

Hæc dicit Dominus Deus Israël.] Loquitur contra idolorum cultores, eos arguit, suamque ipsius potentiam ostendit.

Vocet & annuntiet.] Si aliquod idolum Deus est, clara voce dicat & annuntiet ea quæ præterierunt, narret mihi ordinatim ea quæ facta fuerunt à mundi principio, ex quo constitui mihi populum antiquum, hoc est, Adam & filios eius. Quidam per populum antiquum, angelos intelligunt.

Nolite timere.] Ne pauereis vos fideles mei, nulla vos teneat conturbatio. Nam ego sum qui hæc omnia nota vobis feci: & vos testes estis & scitis me ea prædixisse.

Plasta idoli omnes nihil sunt.] Id est, fictores & formatores idolorum vani sunt, & nihil valent. Et amantissima eorum, hoc est, simulachra, quæ vnice diligunt, non proderunt eis.

Quis formauit Deum?] Subaudi nisi deus aliquis, qui lignū & ferrum: colit vt Deum. Non prohibet Deus pingere aut fabricare diuorum imagines ad rudes docendum, animique deuotionem

deuotionem & pietatem excitandum: sed eas imagines ad
rare, illis latrium cultum tribuere, easque ad hunc finem effi-
cere, est in diuinis literis prohibitum.

Conuenient omnes, stabunt & pauebunt, & confundentur simul.]
Omnes idolorum fictores & artifices in ultimo iudicio erunt
congregati, & timentes suam damnationem erunt confusi.
Vel loquitur de aduentu Christi, & tempore euangelicę prę-
dicationis, quando idolorum cultores suam dementia in-
telligentes confundebantur, & repudiatis idolis ad veritatem
conuertebantur.

Faber ferrarius.] Ad confusionem idolatrarum profequi-
tur quomodo idola formentur. Et vt eorum ostendat vani-
tatem, eorumque artificum vilitatem, ait eos ipsos Deos,
quos efficit faber ærarius, non posse reficere eum, nec dare,
ei potum, licet faber indigeat, eturiat, sitiat, & prę fame
atque siti lassescat.

Formauit illud in runcina.] Runcina est fabrile instrumentũ
ad leuiganda ligna. Apud Plinium est magna serra, qua arbo-
rum moles secatur. Pro angularibus quidam vertit, securi-
bus. Circinus est instrumentum quo circuli vertendo desig-
nantur. Appellatur à Lusitanis compasso. Vel capitur hic
pro torno.

Medium illius combustum igni, & de medio eius carnes comedit.
Coxi pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit:
Vah calefactus sum, vidi focum. Reliquum autem eius Deum fecit,
& sculpitile sibi. Curuatur ante illud, & adorat illud & obsecrat,
dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. Nescierunt neque intelli-
gerunt corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, ne-
que sentiunt vt dicant: Medietatem eius combustum igni, & coxi su-
per carbones eius panes, coxi carnes & comedi, & de reliquo eius
idolum faciam. Ante truncum ligni proiciam. Pars eius cinis est.
Cor insipientis adorabit illud, & non liberabit animam suam, nec di-
cet: forte mendacium est in dextera mea. Memento horum Iacob,
& Israël, quoniam seruus meus es tu. Formasti te, & seruus meus
es tu Israël, non obliuiscaris mei. Deleui vt nubem iniquitates
tuas, & quasi nebulam peccata tua. Reuertere ad me quoniam re-
demi te. Laudate cęli quoniam misericordiam fecit Dominus iubilare
extrema terra. Resonate montes laudationem, & saltus & omne
lignum eius. Quoniam redemi Dominus Iacob, & Israël gloriatur.
Hec dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero. Ego
sum Dominus faciens omnia, extendens cęlos solus, stabiliens ter-
ram,

ram, & nullus mecum. Irrita faciens signa diuinorum & ariolos in
furem vertens, conuertens sapientes reiror sum, & scientiam eorū
stultam faciens, suscitans verbum serui sui, & consilium nuntiorum
suorum complens. *Qui dico Ierusalem, habitaberis, & ciuitates Iudæ
ædificabimini, & deserta eius susciabo. Qui dico profundo, desolare,
& flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem
volutatem meam complebis. Qui dico Ierusalem, ædificaberis, et
templo fundaberis.*

Medium illius combustit.] Irridet in multis verbis idolorum
artifices & cultores.

Obliti sum.] Non à verbo obliuiscor, sed à verbo obliuo,
Quasi dicat, sunt eorum oculi circumscædati, Habent intel-
lectum tenebris circumfusum.

Neque dicit, forte mendacium est in dextera mea.] Tam cæ-
cus est idoli artifex, vt non cogitet, nec secum dicat, id quod
efficit esse idolum, & mendacium, & meram vanitarem.

Non obliuiscaris mei] Exigit à nobis Deus, vt eum in an-
mū teneamus, ne suorum erga nos beneficiorum memoriā
vlla vnquam delect obliuio. Cur excidit ex animo nostro e-
ius memoria, qui nos non obliuiscitur? Qui ait per hunc eū:

Infra 49.

Nunquid obliuisci potest mulier infantem
suum, vt non misereatur filij veri sui? Et si illa oblita fuerit,
ego tamen non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi
te. Id intelligens Dauid dicebat in psalmo: In æternum non

Psal. 118.

obliuiscar iustificationes tuas. Omnes qui Deū obliuiscuntur,
in æternas tenebras relegantur. Ideo dicitur in psalmo: Con-

Psal. 9.

uertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obli-
uiscuntur Deum. Sed quoniam multi Deum obliuiscuntur,

Ierem. 2.

ait Deus per Ieremiā: Populus meus oblitus est mei diebus
innumeris. Vult Deus vt eius mysteria cogitemus, & memo-

Simile.

ria sæpenumero repetamus, vt ex hac meditatione fructum
salutarem comparemus. Vt enim medicæ portiones tum sani-
tatem conferunt, cum in stomacho calore naturali digerun-
tur: sic diuina mysteria tum maximè medentur nostris ani-
mis, cum in ipsis meditationis ac memoriæ calore veluti
concoquantur.

Reuertere ad me, quoniam redemi te.] Quoniam ego sum
Deus delens iniquitates tuas, & te ipsum redimens, reuertere
ad me, falsosq; deos derelinque, quoniam vnus est tantum
Deus. Summa totius huius captis est ostendere vnicum esse
Deum. Sunt quædā specula tali artificio fabricata, vt vnus
tantum rei multas imagines repræsentet. Talis erat gentiliū
opinio

Simile.

opinio & secta, quæ cum vnus tantum sit Deus, multos ac varios deos esse dicebat: nostra autem fides est verum ac fidele speculum, quæ proprium Deum vnicum & verum ostendit, trinum in personis, vnum in essentia. Si gentium Philosophi & poëtæ hoc speculū haberent, nunquam multos esse Deos affirmarent. Videmus nunc per speculum in ænigmatē, ait Apostolus, tunc autē facie ad faciem. Att igitur Christus: Cur ò homo me dereliquisti, cur à me animū alienasti? Si vis viuere, ego sum vita: si comedere, ego sum cibus: si bonum, ego sum summum bonū. Reuertere igitur ad me, quoniam te redemi, quoniam te summo precio comparauī, quoniam pro te alapas, flagella, acerbissimos cruciatus tuli, quoniam pro te vitam fudi, & me in arā crucis hostiam deuouī. Cur igitur me fugis? cur ad me non reuerteris? Vide Christi Dei nostri immensam pietatem & infinitam charitatis abundantiam. Hic locus docet apertissimè falsum esse, semper in homine esse & manere peccatum, etiam post baptismum, cum hic Deus dicat: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.

Laudate cæli.] Meminit propheta redemptionis humanæ per Christum, nunc ob tam insigne & admirabile beneficiū inuitat creaturas ad Dei laudem, & gratiarum actionem concinendam.

Extendens cælos solus.] Ex hoc loco colligunt nonnulli, angelos non fuisse creatos antequam cælum & terra crearentur. Sed ego non video quonam modo hoc colligatur. Imò Gregorius Nazianzenus & Diuus Hieronymus asserunt, angelos fuisse creatos ante mundi creationem, quam Moyses literis mandauit. Alij aliter sentiunt. Quæ nam autē harū duarum opinionū sit vera, ego me ingenuè fateor ignorare.

Conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultitiam faciens.] Facio vt sapientes mundi suis consiliis frustrerentur, eorūque scientia in stultitiam vertatur. Ostendit Deus potentiam suam, & nullam esse sine eo veram sapientiam. Id quod Diuus Paulus apertè asserit in epistola prima ad Corinthios cap. 1. & 3. Qua de re ea poteris videre, quæ supra annotauimus cap. 5. & cap. 24.

Suscitans verbum sui serui.] Bona quæ propheta, & qui libet seruus Dei loquitur, Deus ea inspirat. Quasi dicat: Deus sapientiam mundi stultam facit, & suos seruos veram sapientiam docet. Et consilia atque vaticinia suorum nuntiorum, hoc est, suorum prophetarum complet & perficit.

Qui dico, Ierusalem habitaberis.] Quando Esaias hæc literis mandauit, nondum Hierosolyma erat euersa à Babylonis. Et iam prædicebat eam esse reædificandam, quoniam prædicebat eam esse euertendam.

Qui dico profundo desolare, & flumina tua arefaciam.] Sensus est: Ego sum ille, qui dico mari vt areseat, & qui sum eius flumina siccaturus. Nomine profundi siue maris intelligitur Babylon, quæ ita dicta est, quod abundaret aquis, & in valle sita esset, aut certe propter eius magnitudinem, vt alibi annotauimus. Per flumina Babylonis, mundi opes, & deliciae significantur, quæ instar fluminum mouentur & fluunt, nec in eodem statu permanent, donec in mari mortis finiantur. Nos autem iuxta hæc flumina non gestiamus lætitia & falso gaudio, sed recordatione cælestis Sionis vim lachrymarum fundamus. His verbis prædicit propheta euersionem Babylonis per Cyrum, eiusque opum & imperij naufragium. Ideo subdit: *Qui dico Cyro: pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis:* Ac si dicat: Ego sum Deus qui inspiro Cyro regi Persarum, vt Babylonem euertat, & Hebræos in patriam suam liberos mittat. Hæc omnia impleta esse liber Esdræ testatur. Huius Cyri meminit Xenophon, Herodotus, Iustinus, & alij antiqui Historiographi. Eñ vocat hoc in loco Deus pastorem suum, quoniam Israëlitas congregauit, & in patriam suam honorificè reduxit. Ille nanque potest pastor appellari, non qui subditos dispergit, sed qui eos congregat, & in patriam suam, cælestem Hierosolymam ducit: qui eos non Babylonis, sed Sionis facit esse cultores, non in ima confusione, sed in alta specula habitantes.

Esai. 2.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XLIIII.

Rectissimè quem elegi. Septuaginta habent: Dilecte Israël quem elegi. In Hebraico est vixurum, à verbo iaxar, quod significat rectum esse. Sed Septuaginta intelligentes eos esse à Deo dilectos, qui recti sunt, & ad rectam rationis normam actiones suas dirigunt, pro rectissimo dilectum posuerunt. Ille autem est à Deo odibilis qui spiritu curuo, obliquo & rectorio ducitur. Ideo Dauid spiritum rectum in visceribus suis inuouari à Deo vehemèter petebat. Ille spiritus dicitur curuus, qui peccatorum pondere effrenatique appetitus tractu ac consensu deprimitur & inclinatur & malitia regyratur, & con-

Psal. 50.

torquetur. Ex quo fit, vt nihil rectè iudicet. Vt enim qui per
 scalam cochleæ ascendit, licet sit rectus, tamen quoniam per
 circuitū ambulat, videtur esse circumflexilis, sic quicquid in-
 tabe rectum cōtortum & regyratum ingreditur, licet sit rectū,
 iudicatur retortū. Est enim spiritus icclerati & malitiosi ho-
 minis cochlea, quia nihil rectè potest ascendere. At vir re-
 ctus rectè iudicat & incedit, estque Deo dilectus. Vnde verbum
 hoc iaxat, quod significat rectum esse, significat etiam placere.
 Ita capitur primo Regum capite. 18. Placuit sermo in o-
 culis Dauid. His rationibus adducti Septuaginta pro rectis-
 simo dilectum verterunt.

Formauit illud in runcina.] Pro runcina est in Hebræo,
 særad, quod nomen teste Reuchlino significat etiam cre-
 tam, hoc est terram tenacem, qua vestes mundantur. Hac
 ratione ducti quidam vertunt: Designat illud rubrica, hoc est
 filio rubrica aut creta infecto. Pro quo Pagninus dixit: For-
 mauit illud filo Phœniceo, hoc est, purpurei coloris, quo fa-
 brt lignarū signant ligna incidenda.

Pars eius cinis est.] Potest etiam verti: Pascit cinerem. Et
 ita vertit Pagninus. Ac si diceret, Qui constat idolum, frustra
 laborat. Illi cinerem pascunt, qui rem inanem & inutile mo-
 liuntur, in eamque studium & operam conferunt. A quibus
 natum est id, quod iam tritum est vetustate Prouerbiū, A-
 renæ semina mandant.

Qui dico Cyro: pastor meus es.] In Hebræo est, Qui dico
 Cyro roi, à verbo rāah, quod significat pascere, vt Esaiæ. 5.
 Et pascentur agni iuxta ordinem suum. Vnde in psalmo vi-
 gesimo secundo: Dominus regit me & nihil mihi deerit, po-
 test rectissime verti: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.
 In loco pascuæ ibi me collocauit. Diuus Hieronymus tran-
 stulit: Dominus pastor meus, &c. Cum autē hoc sit perspi-
 cuū, mirandum videtur cur Septuaginta nullam hoc in loco
 pascenti nec pastores mentionē fecerint. Ita enim habet: Qui
 dico Cyro vt sapiat. Sed existimo eos, hoc ex industria & nō
 sine mysterio fecisse: Quoniā qui pastor est, sapiēs esse debet.
 Ideo Deus per Oseam prophetā ita ait: Quia tu scientiā re-
 pulisti, repellā te, ne sacerdotio fungaris mihi. Numerat eo-
 dem capite Deus mundi ægritudines, & inter eas ponit
 ignorantiam sacerdotum & pastorum. Hęc est magna & pe-
 riculosa phrenesis & mortifera ægritudo. Quoniam enim
 modo alios leuabit, qui iacet in erroribus prostratus? Qui
 fieri potest vt alios illuminet, qui est cæcis tenebris circumfu-

Osee 4

fus? Quomodo erūt riuī puri si fons est tetra sp̄ticitia & pe-
 stilente veneno coinquinatus? Sed de iis hactenus: Quoniā
 satis explanatum esse à me arbitror aliis in locis huius ope-
 ris, quā sit pastoribus necessaria scientia, & diuinarum liti-
 rarum cognitio.

Argumentum Capitis XLV.

Prædicat Esaias liberationem Iudeorum à Babylonica cap-
 tuitate per Cyrum regem Persarum. Et assumpta occasione
 aperit mysterium liberationis humanæ à peccato per Chri-
 stum Deum nostrum.

CAPVT XLV.



Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, & vi subiticiam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam. Et aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas aereas comeram, & vestes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel, propter seruum meum Iacob & Israel electum meum. Et vocauit te nomine tuo, & assimilauit te, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est amplius. Extra me non est Deus. Accinxi te, & non cognouisti me, ut sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniā absque me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc. Rorate celi de super, et nubes pluani iustum, aperiantur terra et germinet saluatorē. Et iustitia oriatur simul. Ego Dominus creauit eum. *Ve* qui contradicit factori suo, testa de Samiis terre: *Nū*quid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus suum absque manibus est. *Ve* qui dicit patri quid generas? & mulieri, quid parturis? *Hæc* dicit Dominus sanctus Israel, plasles eius. Ventura interrogat me super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creauit. Ego & manus mee descendunt cælos, & omni militiæ eorum mandauit. Ego suscepi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. Ipse edificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.

Rom. 9.
 Ierem. 18.

EXPLANATIO.

Hæc dicit Dominus Christo meo cyro.] Volens Deus Babyloniam euertere ob eius superbiam, intemperantiam, effrenatas cupiditates, cæteraque vitia, & Hebræos, qui ibi captiui detinebantur liberare, & in pristinâ dignitatem reducere, euexit Cyrum ad regiam dignitatem, vt eo ministro compleret suû consilium, quo Hierosolyma esset restaurata, & templum ad pristinû statû restituru. Et quoniâ solebant Iudæi reges suos vngere, & hæc vnctio erat apud eos insigne regiæ dignitatis, quemadmodum apud nos sceptrum, & diadema seu corona, ideò Deus hoc in loco appellat Cyrum Christum, hoc est, vnctum, & appellat eum suum, quoniam ipse eum extulit, & ad hunc affectum eum ad regiam dignitatem perduxit.

Cuius apprehendi dexteram.] Præteritum pro futuro. Nam inter hanc Esaiæ vaticinationem & ortum Cyri multi annû interfluxerunt. Est igitur sensus. Ego eum adiuuabo, vt vincat gentes & reges. Lege historias Græcorum & Latinorû, & inuenies impletam fuisse hanc vaticinationem.

Dabo tibi thesauros absconditos.] Faciam vt potiaris thesauris in vrribus, quas tuo imperio subieceris, absconditis. Et arcanasecretorum, hoc est, ea, quæ in secretis locis abstrusa sunt. Hoc refertur ad eos thesauros, quos victi fugientes abscondebant, ne à Cyro inuenirentur. Testantur historiæ Cyrum potitum fuisse thesauris Cræsi regis magni, & diuitiis affluentis, ad quos fortasse hæc referuntur. Lege Herodotum libro primo suæ historiæ.

Qui voco nomen tuum.] Subaudi priusquam nascaris. Nartrat Iosephus lib. 11. Antiquitatum legisse Cyrum prophetiâ hanc, vbi suum nomen multis annis antequam nasceretur, à propheta prædictum vidit, & eam ob causam Iudæos quasi Dei familiares amore profecutum fuisse.

Vocaui te nomine tuo.] Ostendi velle me tibi fauere. Assimilauit te nonnullis seruis meis, quos priusquam nascerentur nominauit. Vel assimilauit te, hoc est, cognominauit te. Non solû te vocauit Cyrum, sed etiam regem antequam esset editus in lucẽ. Tu autẽ nõ cognouisti me: quin potius idola coluisti.

Accinxi te.] Id est, dedi tibi fortitudinẽ, vt magna & excelsa tibi proponeres.

Vi sciant hi qui ab ortu solis, & ab occidente, &c.] In Esdræ volumine scriptum legimus scripsisse Cyrû ad regna sua, Deum Israël esse Deum cœli. Et ob restorationem Hebræorum fuit Deus multis gentibus notus.

Formans lucem & creans tenebras faciens pacem & creans malum.] Sensus est: Ego, ait Deus, sum ille qui facio diem & noctem, pacem, & bellum: Poteris per diem prosperitatem intelligere, per noctem verò aduersitatem. Sed aduerte. Non dicit, faciens pacem & creans bellum, sed faciens pacem & creans malum. Bellum appellat malum. Quid enim melius dulci pace? quid peius crudeli bello? Dicitur aurem Deus creare malum, quia permittit illud fieri, non quòd Deus malum culpæ efficiat. Dicitur tamen facere malum pœnæ, quòd puniat delinquentes. Sic intelligitur id quod ait Amos propheta: Si erit malum in ciuitate quod Deus non fecerit? Ait igitur Deus: Ego qui Iudeos affixi, eos recreabo, & ad antiquum decus restitutam. Fuerunt in tenebris, nunc erunt in luce. Oppressi sunt bello, nunc desectabuntur pace.

Amos. 7.

Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.] Prædicebat diuinus vates venturum esse Cyrum, qui Babylonios propter eorum scelera, & in omni vitiorum genere effrenaram immanitatem, & superbiam euerteret, & oppressos ab illis Israëlitas atq; ab importuno tyranno exagitatos eriperet, atq; ad patriam reduceret, ex qua fuerant pulsi & egressi, magnis tempestatibus iactati, & à Babyloniis in miseram feruituram adducti, propter eorum deprauatos mores & neglectam pietatem. Cum enim Deum, qui in eos summa & innumerabilia beneficia contulerat, colere deberent, eo derelicto in rebus humanis spem posuerunt rerum suarum, suamque ipsorum dignitatem, & nominis amplitudinem & splendorem maculare voluerunt. At miseratus eorum Deus voluit eos per Cyrum regem Persarum ad pristinam dignitatem reuocare. Cum autem diuinus vates, loqueretur de Cyro liberatore, eleuatus est spiritu, & vidit mentis oculis alium liberatorem, qui multo illustrior & excellentior venturus erat, cuius umbram in Cyro contemplabatur. Et de terreno, de quo vaticinabatur, se transfert ad cælestem, ad filium Dei unigenitum, qui sumpta humana carne ex sacratissimo admixtione virginis vtero nasceretur, & genus humanum propter peccatum à cælesti Hierosolyma pulsum, & in regione Babylonica, hoc est in mundi huius confusione constitutum eriperet eiusque res afflictas & iacentes erigeret, illudque ad æternam Hierosolymam veram promissionis patriam reuocaret. Cum igitur propheta hæc animo cõspiceret, has voces emisit: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiat terra, & germinet saluatorem. Ac si diceret: Ardenter desidero huius diuini seruatoris aduentum. Ideo emittite vos de cæli rorem illum, qui terram

rā prae nimia siccitate sterilem humectet, & frugiferā reddat.
 Veniat iam Christus, qui terrā infœcundam, qui peccatores
 sine virtute, nullum fructū pietatis ac religionis ferentes fœ-
 cundet. Et nubes pluāt iustum, nimirum illum, qui homines
 iustificet. Hic est iustus ille, de quo alio in loco per hūc eundē *Infra 53.*
 prophetā ait Deus: In scientia sua iustificabit ipse iustus ser-
 uos meos multos, & iniquitates eorū ipse portabit. De quo
 ait Apostolus in epistola r. ad Corinthios: Factus est nobis sa- *1. Cor. 2.*
 pientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Pluāt igitur
 nubes iustū, & aperiatur terra, & germinet saluatorē. Terra
 illa sanctissima Maria semper virgo aperiatur aratro Spirit⁹
 sancti, consentiat & dicat Gabrieli angelo: Ecce ancilla Do-
 mini, fiat mihi secundum verbū tuum, & sic germinet & pa-
 riat saluatorē Christi verum Deū & verum hominē. Offen-
 dunt hęc verba quanto desiderio aduentus Christi flagraret
 Esaias. Lege diuinās literas, & videbis quā ardentibus suspi-
 riis ab imo pectore eductis petebant antiqui patres aduen-
 tum Christi saluatoris nostri, in quo omnis eorum spes erat
 constituta. Apud hunc eundem prophetam dicebāt: *Infra 64.*
 dirumperes cœlos, & descenderes. Et Dauid. Ostende, inquit *Psal. 84.*
 nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da no- *Cant. 1.*
 bis. Et eius filius Salomon in Canticis facit congregationem
 fidelium loquentem, & iis verbis Christi aduentum deside-
 rantem: Osculetur me osculo oris sui. Id quidem est, quod
 dicebat Christ⁹ discipulis suis. Dico enim vobis, quod multi *Luc. 10.*
 prophetae & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non
 viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Erat prius
 vêtura illustriſsima illa virgo summis laudibus efferēda, quæ
 vniuersi creatorem & conseruatore[m] mundum pugillo con-
 tinentē mirabiliter conciperet, & pareret, fuisse, brachijs am-
 plecteretur. Vnicornis est animal admirabile, quod cornu suo
 aquas veneno contaminatas attingēs salubres reddit, & valet
 ad diuersa morborū genera depellenda. Narrātq; autho-
 res cōgregari multos venatores ad vnicornē capiendū, qui eū
 clamoribus obtundunt; at non posse capi nisi quēdā pulchra
 virgo sedeat in campo, ad quam vnicornis veniat, in cuius
 sinu quiescat, & ita capiatur. Christus est cœlestis vnicornis,
 iuxta id quod dicitur in psalmo: Et dilect⁹ quemadmodum *Psal. 22.*
 filius vnicornis. Quem locū Diuus Augustinus de Christo
 interpretatur. Et Origines in commentarijs in librum Nu-
 merorum per vnicornem Christum intelligit, quemadmodū
 etiā per leonem, agnum, & ouem, significatur. Est igitur

Christus ille diuinus vnicornis, qui cornu suæ potentia venenum depellit, qui morbis animi medetur, in quo habemus promptum & salutare remedium ad ægri tudines omnes curandas. Venatores fuerunt viri illi illustres veteris testamenti, qui ad eum clamabāt vt veniret. Quemadmodum facit hoc in loco Esaias. At non sat erat eos vociferari, & ad cælū ex inflammato peccatore ardentes voces emittere, sed ventura erat pulchra illa virgo sanctissima Maria, hominum generis reparatrix, in cuius utero Filius Dei summus ille vnicornis reclinaretur. Hæc est terra illa sacratissima, de qua dicitur in psalmo: Et terra nostra dabit fructum suum. Et de qua hoc in loco ait Esaias: Aperiatur terra, & germinet saluatorem.

Psal. 84.

Et iustitia oriatur simul.] Sensus est: Oriatur iustus & statim pariter oriatur hominū iustificatio. Natus Christus cepit statim homines iustificare. Et confestim adduxit pastores ad præsepium, & Magos ab oriente, qui eum adorarent, eique munera offerrent.

Ego Dominus creavi eum.] Ostendit Deus his verbis Christum concipiendum de Spiritu sancto absque opera viri. Ponitur præteritum pro futuro, more prophético. Quasi dicat cælestis pater: Ego Dominus creaturus sum mundi seruatorē. Loquitur de Christo secundum humanitatē. Nam secundum diuinitatem filius à patre est, nō factus, nec creatus, sed genitus. Et quanquam sit minor patre secundum humanitatē, est tamen æqualis illi secundum diuinitatem. Hic igitur qui conceptus est de spiritu sancto, & natus de Maria semper virgine, fuit in illo lapide adumbratus, qui, vt est apud danielem, abscissus est de monte sine manibus, de quo hic ait Deus: Ego Dominus creavi eum.

Dan. 2.

Ve qui contradicit factori suo.] Postquam propheta clamauit, & ardens desiderium apertè, quo aduentus Christi tenebatur, eos arguit, qui factis Dei offenduntur, & cum eo cōtendunt, diuinam prouidentiam calumniantes, eisque æternam damnationem minatur.

Testa de Samiis terre.] Alludit ad vasa Samia à Samo insula dicta. Nonius inquit Samium esse testum. Aspicias quā fragilis & imbecillus sit homo, qui teste figuli comparetur. Vnde Ieremias ait: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israël in manu mea. Et Dauid: Tanquā vas figuli cōfringes eos. Et Apostolus scribens ad Corinthios: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Ait ergo propheta: Nunquid dicit lutum figulo suo: Quid facis? Quasi dicat non

Ierem. 18.

Psal. 2.

1. Cor. 4.

opus

opus tuum absque manibus est, hoc est, non dicit opus esse absque manibus factum, nec insurgit in artificem. Cur tu igitur homo cōtendis cū Deo, qui te fecit, illiq; contradicis.

Ne qui dicit patri.] Sic filius non debet dicere patri aut matri, Cur me genuisti, multo minus vilis creatura summa creatori.

Ventura interrogate me super filios meos.] Quærite à prophetis meis ea, quæ ventura sunt Israëlitis filiis meis. Et super opus manuum mearum mandate mihi, hoc est, præcipite prophetis meis, vt vobis ea, quæ ego feci, annuntient. Cū igitur ego per viros sanctos vobis dicam ea, quæ præterierūt, & ea, quæ futura sunt, quod idola facere non possunt, quare mihi contradicitis, illis autem acquiescitis?

Ego sum qui impero cœlorum exercitui. Per militiam cœli poteris intelligere angelos, vel sydera, vt sit sensus: Ego sum syderum moderator & rector, mihi obediunt. Ego illis præcipio vt orbem suum, circuloque conficiant celeritate mirabili, & suos certos & æquales motus immutabili constantia conseruent. Vel sic: Ego sum ille, qui stellas omnes feci, iussi enim, & factæ sunt. Qui igitur cœlos feci, & stellas in illis miro ordine collocaui, cur non potero creare Cyrum qui Babylonem euertat, & voluntatem meā adimpleat? Vel sic, & melius: Ego qui mundum creare potui, potero eum etiam redimere. Ideo nemo existimet impossibile me mittere filium meum, qui mundum confusionem euertat, & homines ad cœlestem Hierosolymam reducat.

Ego suscitavi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam.] Dixerat fore, vt Cyrus euertat Babylonem, & Hebræos captiuos in libertatem vindicaret? Nunc aliis verbis hoc significat. Ait igitur Deus, Ego suscitavi eum, nimirum Cyrum ad iustitiam. Et omnes eius vias planas faciā & expeditas. Hic edificabit mihi Hierosolymam, & populum meum captiuum, in patriam liberum mittet. Hoc autem faciet ille nullis muneribus adductus, sed quia ego hoc illi inspirabo. Hæc quæ aliquo modo ad Cyrum possunt referri, multo melius & clarius ad Christum referuntur, qui captiuos scelerumque vinculis ligatos liberavit, & Hierosolymam militantem, hoc est ecclesiam, super firmam petram construxit: qui Babylonem eiusque tyrannum, hoc est, mundum & diabolum vicit, & de morte triumphauit. Hæc intuebatur propheta, cum hæc diceret, & hæc præcipue intēdebat, Nā si attentius volueris considerare,

siderare, videbis hæc nõ de Cyro sed Christo apertissimè cõuenire. Quonam modo enim fieri potest vt Cyrus sit iustus ille, de quo hic vaticinatur Esaias, quando dicit ex persona Dei: Ego fuscitavi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, cum ipse non fuerit iustus, nec omnes eius viæ directæ.

Quanquam in Hebræos magna contulerit beneficia, ob que non solum in diuinis literis commendatur, sed in humanis à gentilibus à quibustandiu laudabitur, quandiu veterum animalium monumenta permanebunt, tamè ad extremum vertit omnia, quoniam fuit in Deum impius, & in homines crudelis, & iniuriosus, incidens in imperiorum inanisque gloriae cupiditatem. Et eam ob causam fuit miserè in bello quod iniuste parauerat, extinctus, cui quidem ad summam, sed inanè & falsam mundi gloriae, florenti ferro erepta vita est. Et ad maiorem eius ignominiam non fuit occisus ab aliquo viro fortitudine præstante, sed à quadam muliere Scytharum regina, quæ Tomyris appellabatur. Et ferunt fuisse eius caput in vtram plenum humano sanguine proiectum, eique reginam dixisse: Implete sanguine sibi bundum caput. Diodorus & Trogus & alij hanc Tomyridem Scytharum reginam dicunt fuisse. At Herodotus Massagetarum reginam eam appellat, ait tamen esse nonnullos afferentes Massagetas esse quandam Scythicam nationem. Hic aspicias quàm malè mundus respondeat hominum spei & desiderio. Volebat Cyrus alteram Babylonis turrim construere, hoc est, mundi gloriae comparare, eamque in sublimè efferre, sed confusæ sunt linguæ. Nam quando à mundo vnum petebat, alterum modus illi dabat. Petebat gloriam, & mundus porrexit illi infamiã: petebat vitam, & tulit mortem. Et ita cecidit ædificium contra cælum erectum & constructum. Tales sunt omnes, qui honores & dignitates iniuste quarunt. Nã ea, quæ hoc modo consequuntur, postea ignominiosè amittunt. Sunt enim mudi status veluti puerorum ludus. Vt enim pueri constituunt regem, cui obediunt, sed finito ludo eum irrident, & alapis perunt, sic mundus multos eleuat ad honores & dignitates, sed sublatis illis eos miserè deprimunt, nullum illis vestigium pristinae gloriae relinquens. Et ita obscuratur mundi gloria, & in ignominiam conuertitur. Quod Cyro accidit ob eius superbiam & immanitatem. Ex quo apparet hæc non de eo sed de Christo Deo nostro intelligi, quæ hoc in loco Esaias noster literis mandauit, vt paulò post clarius innotescet.

Hæc dicit Dominus: Labor Aegypti & negotiatio Aethiopiae,

o Sa

Simile.

Simile.

Et Sabaim viri sublimes ad se transibunt, & tui erunt. Post te ambulabunt, vinciti manibus pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te. Verè tu es Deus absconditus Deus Israël saluator. Confusi sunt & erubuerunt omnes simul, abierunt in confusione fabricatores errorum. Israël saluatus est in Domino salute aeterna. Non confundemini, & non erubescitis vsque in seculum seculi, quia hæc dicit Dominus creans caelos. Ipse Deus formans terram, & faciens eam ipse plastes eius: Non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam. Ego Dominus & non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco tenebroso. Non dixi semine Iacob frustra, querite me. Ego Dominus loquens iustitiam, annuntians recta, Congregamini & venite & accedite simul, qui saluati estis ex gentibus. Nescierunt qui leuant lignum sculpturae suae, & rogant Dominum non saluam eam. Annuntiate & venite, & consilianini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio? Et tunc prædixi illud: Nunquid non ego Dominus? Et non est vltra Deus absque me. Deus iustus & saluans non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non alius, tu memetipso iuravi: Egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicit: Mea sunt iustitiæ & imperium. Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israël.

Rom 14.
Philip. 2.

Hæc dicit Dominus: Labor Aegyptii.] Promittit Deus his verbis Cyro imperiū Aegyptiorum, Aethiopū & Sabaimorū. Est autem Sabaim trans Aethiopiam. Sed hoc ad Christum potius refertur, cui cælestis pater promittit, has regiones, & per eas intelligit alias omnes euangelium suscepturas, eiusque imperio subiiciendas. Id etiā dicit in Psalmo. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminis terræ. Sed aduerte, & verba Prophetæ perpende. Poterat quidè dicere: Aegyptus & Aethiopia ad te venient, te adorabunt, & deprecabuntur. Sed ait: Labor Aegypti & negotiatio. Aethiopiæ ad te transibunt. Ac si dicat: Qui Aegyptii laboribus fatigantur, & Aethiopiæ negotiationes exercēt, ad te transibunt. Vt ostēdat graue esse iugum diaboli, & eos, qui sub eo militant labore & negotiatione opprimi & vexari. Sed repudiatis idolis & sceleribus ac superstitionibus relictis, labor peccatorum conuertitur in illam requiem, de qua Christus ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meū suauē est, &

Psal. 2.

Matt. 11.

est, & onus meū leue. Et negotiatio Æthiopiæ in negotiatio-
nem Hierosolymæ conuertitur, hoc est, mundi, humanarūq;
rerum negotiatores ad animorum, rerūque cælestium ne-
gotiationem se transferunt. Est enim omnis bonus Chri-
stianus negotiator, de quo Christus ait apud Matthæum: Si
mille est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bo-
nas margaritas: inuēta autem vna preciosa margarita, abiit,
& vendidit omnia quæ habuit & emit eā. Et apud Lucam:
Negotiamini dum venio. Nō igitur Christus à peccatoribus
auferet officium, sed mutat materiam. Qui erant sub iugo
diaboli, sunt sub Christi iugo. Qui negotiabantur, non desi-
nunt officium, sed mutant negotiationem. Matthæus nego-
tiator erat rerum corporearum. At fecit eum Deus negotia-
torem animorum. D. Petrus erat piscator piscium, sed fuit
factus hominum piscator. Non ei Christus abstulit officium,
sed materiam mutauit, Magdalena nō amisit officium amandi,
sed amorem humanum in diuinum conuertit.

*Tantum in te est Deus, & nō est Deus absque te. Verè tu es Deus
absconditus.*] Hic aspicias apertissimè Prophetam à Cyro libe-
ratore terreno se transfuisse ad Christum liberatorem diui-
num, quod antea dixeramus, perspicuum est enim & clarius
luce meridiana, hoc non de Cyro dici, sed de Christo. Ille est
enim Deus, & absque eo non est Deus, & Deus est in eo. Ipse
enim ait apud Ioannē: Non credis, quia ego in patre, & pa-
ter in me est? Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor,
pater autem in me manens ipse facit opera. Et alio in loco,
Ego, inquit, & Pater vnū sumus. Sed vide quàm planè, quàm
apertè Esaias hoc in loco affirmet Christū esse Deum. Verè,
inquit, tu es Deus absconditus. Poterat quidè dicere: Tu es
Deus absconditus. Sed apposuit particulam affirmantē, verè,
vt dilucidè firmiter & asseueranter Christi numen ostende-
ret. Appellatur autem Christus Deus absconditus propter
assumpti corporis sacramentum. Voluit enim Deus in huma-
na forma delitescere & abscondi, vt corpore suo impetus se-
leratorum hominum ferret, & morte sua nos è mortis vincu-
lis liberaret. Hic est illa sapientia, de qua ait Apostolus: Lo-
quimur Dei sapientiam, in mysterio, quæ abscondita est. Hic
est ille Dei filius, de quo ait diuinus psaltes in noni psalmi in-
scriptione: Pro occultis filiū: Occultabatur enim diuinitas in
humanitate. Hic est thesaurus ille absconditus, de quo ipse
ait apud Matthæum: Simile est regnum cælorum thesaurus
abscondito in agro. Et de quo ait Abacuc propheta. Ibi, ni-
mirum.

Matth. 13.

Luc. 19.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

1. Cor. 2.

Abac. 2.

mirū in cruce, abscondita est fortitudo eius. Et quoniam bonum est communicabile, vt ait Dionysius, sui ipsius diffusiuum, voluit summum bonum summē se hominibus cōmunicare. Sumpsit nostram naturā, versatus est inter homines, mortuus est pro illis, & seipsum in admirabili eucharistię sacramento nobis reliquit, vt semper nobiscum esset, & summē seipsum nobiscū communicaret. In illa hostia consecrata verē est Deus absconditus. Quē poterat maior excogitari cōmunicatio? Quod maius beneficium? quā maior amoris abundantia? Quod munus aut magnitudine admirabilius, aut fructu salutaris, aut amplitudine magnificētius? Adoro te hostia consecrata, adoro te Christe fili Dei viui, qui te pro salute nostra hostiam salutarem deuouisti, & vt tuam erga nos immensam charitatem demonstrares, corpus tuum sanctissimū in cibum & sanguinem tuum pretiosissimum in potum, sub specie panis & vini sumendum nobis reliquisti, & sub modici panis specie tu Christe sancte verus Deus & verus homo contineris. Ideo ego dico cum Propheta: Verē tu es Deus absconditus. Tu es sub accidentibus absconditus, & inuisibilis visibiliter à nobis sumeris aliena specie occultatus. Et ita sumptus peccata deles, animā expias, gratiam tribuis, virtutes auges, & sumētes admirabilibus gratiarū ornamentis decoras, & ad veram dignitatis amplitudinem perducis. At qui māducat & bibit indignē, vt verbis Paulinis vtat, iudicium sibi manducat & bibit. Vt enim incensus ignis in stagnum gelidarū aquarū coniectus nō inflamat aquas, quin potius earum frigiditas & regelatio ignem extinguit, sic qui ignē illum excellentissimum summi amoris Christi, qui in illo admirabili sacramento realiter continetur, coniuicit in frigida & regelata viscera animæ suę, non seipsum inflamat, nec prunæ illæ diuinæ in tali anima ignem claritatis accendunt, quin potius scelerum frigiditas ignem extinguit, hoc est, quantum in se est, impedit effectum sacramenti, quod est animas diuino amore incendere, studioq; immortalitatis inflammare, atq; vitam æternam tribuere. Ipse enim Christus apud Ioannem capite 6. ita ait: Ego sum panis viuis, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vta. Ne existimes Christum contaminari, quando ab iniquis impurisq; hominibus sumitur. Nā, vt diui Athanasii vtat similitudine, quemadmodum Sol etsi immunda loca attingat, nequaquā tamen immundus manet, sic Christus etsi ab impiis

1. Cor. 11.
Similitudo.

Impiis manducetur, tamen in se nequaquam contaminatur. Et quoniam Deus in hoc sacramento occultatus, ait diuinus vates hoc in loco: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator. Hic est Dei & hominum mediator: & vt Diui Cypriani verbis vtar, hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius & gloria, & ideo eum dignè æstimamus, dum in æstima bilem dicimus. Hunc Esaias appellat Saluatorem, quoniam venit in mundum vt homines saluos faceret, quod est eius nomine significatum. Nam Iesus Saluatorem significat, Ita enim dixit angelus iusto Ioseph: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Matt. 1.

Confusi sunt & erubuerunt omnes simul.] Sensus est: Omnes qui te ô bone Iesu non receperint, confundentur & pudebunt, & fabricatores eorum, hoc est, idolorum opifices & cultores cum obstinatis Iudæis erunt à te alienati. Israel autem æternam salutem consequetur. Sepe diximus nomine Israël is fideles significari, siue ex Iudæis, siue ex Gëtibus. Omnes enim qui fide, charitate formata, excedunt è vita, qui sunt vere Israël itæ, proficiscuntur ad cælam, vbi Deo fruuntur, eiusque inenarrabilibus bonis in æternum satiantur. Eoq; si non statim, aliquando tamen deuentur.

Non in abscondito.] Dæmones respondent in locis occultis & obscuris, Deus apertè in monte Sina. Aut potius hæc intelliguntur de Christo, qui de seipso ait apud Ioannem: Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.

Ioan. 18.

Non dixi semini Iacob, frustra querite me.] Dixi quidè vt me quærent, sed non frustra, imò proposito præmio. Lege diuinas literas, & passim inuenies propositum præmium quærentibus Deum. Per Amos prophetam ait ipse Deus: Querite me, & viuetis. Dauid ait in quodâ psalmo: Querite Dominum, & viuet anima vestra. Et in alio. Lætentur in te omnes qui quærant nomen tuum. Et alio. Querite Dominum, & confortamini.

Amos 3.

Psal. 68.

Psal. 69.

Psal. 104.

Congregamini & venite.] Dispersi enim & discordia segregati, ad Deum ire non possumus. Charitas cõgregat & vnit, odium dispergit & dissoluit. Qua de re latè disseruimus cap. 11. & decimo nono.

Nescierunt qui leuant lignum sculpture sue.] Id est, stulti sunt qui ligneu idolum extollunt, vt adorent illud, & preces fundunt.

dunt ad Deum falium & commentitium, qui neminem potest saluum facere. Cum Deus hæc verba dixisset, inuehitur in idololatrias, dicens illis, vt annuntient & adducât, quæ ex istimauerint esse aduersus ipsum Deum. Ac si diceret: Vos qui idola colitis, quid contra me habetis? Contendite mecum, in te pariter consiliû, & rationes vestras in lucem proferte. Nõne videtis idola vana esse, & nihil vobis prædixisse? Ego sum qui ventura prænuntio, qui solus sum Deus.

Conuertimini ad me, & salui eritis.] Salus nostra est in auersione à mundo, & conuersione ad Deum, & perniciës nostra prouenit ex auersione à Deo & conuersione ad mundum.

In me metipso iuravi.] Sensus est: Iuramento assero, & id quod dico, ira sine dubio erit, quia verbum quod de ore meo exit, est iustum, & non vertetur retrò, nec erit irritum & frustraneum. Id autè quod iuro, est omnes in die extremi iudicij esse coram me apparituros, & mihi velint nolint parituros. Et tunc ego reddam unicuique iuxta opera sua. D. Paulus in epistola sua ad Romanos citans hunc locum ira ait: Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim. Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Hæc D. Paulus. Vbi vides eum de extremo iudicio hunc locum interpretari. Pro eo quod Esaias ait, Et iurabit omnis lingua, ait Apostolus, Et omnis lingua confitebitur Deo. Ac si dicat. Et tunc in illo terribili iudicio omnis homo confitebitur Christum esse Deum, Aspicias apertissimè Apostolum de Christo hæc verba intelligere, quæ Esaias dicit esse Dei, & ex consequenti confiteri Apostolum Christum esse Deum.

Rom. 14.

Ergo in Domino dicet, Meæ sunt iustitiæ & imperium.] Sensus est: Cum igitur in die extremi iudicij omnis lingua fastura sit me esse Deum, dicet etiam meas esse iustitias, & me esse imperium, fatebitur me esse iustum regem.

Ad eum venient.] Nimirum ad Christum, qui sunt æternam vitam consecuturi. Contra verò flagitiosi Deo ipsi repugnantes in æternum confundentur.

In Domino iustificabitur & laudabitur omne semen Israel. Per semen siue filios Israelis intellige fideles, qui ex Iudæis crediderunt, de quibus dixerat Propheta noster cap. i. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissetus, & quasi Gomorrha similes essemus.

Supra.

Anno.

Annotationes ex hebræo in

CAPVT XLV.

*Infra et.**1. Reg. 6.**1. Reg. 24.*

Christo meo Cyro.] In Hebræo est limxicho le Corex. Et potest verti, Melsiæ tuo Cyro. Verbū maxach significat vngere, vt Esaiæ 61. Spiritus Domini super me, eò quod vnxit me. Vnde maxicha significat vnctum, quem Græci appellāt Christū, *Χριστός* enim vnctionē significat. Igitur Christi⁹, Melsias, vnctus, idem sunt. Quo vocabulo reges nominantur, quoniam vngi solebant, vt cap. 6. lib. 1. Regum, & aliis in locis ostenditur. Ideò Saul Christus vocatur libro 1. Regum cap. 24. & aliis in locis, quemadmodum Cyrus hoc in loco.

Assimulavi te.] In Hebræo est achanneca, à verbo chānath, quod significat etiam nominare. Ob eam causam vertit Pagninus: Et cognominavi te.

Testa de Samiis terræ.] Pro testa & Samiis in Hebræo est vnum atque idem vocabulū, nempe cheres. Ideò potest hoc ita verti: Testa cum testis terræ, vt fit sensus. Qui testa est, vt aliæ testæ terræ, audet cum opifice suo disceptare.

Omni militia eorum mandavi.] Militia aliquando pro caelorum sideribus accipitur, vt alibi ostendimus. Hac ratione ad ductū Septuaginta verterunt: Omnibus stellis mandavi.

Fabricatores errorū.] Pagninus vertit: Fabricatores sculpturæ: Nomine errorum idola intelliguntur, quæ in literis diuinis variis nominibus appellantur, quæ sunt vanitas, nihil, dolor, mendacium, error, & similia.

Argumentum Capitis XLVI.

Prædixerat Propheta capite superiore euertendam esse à Cyro Babylonem. Nunc prosequitur idem argumentum, & in eadem euersione prædicit confringenda esse cum impiis idola & simulachra sua. Quibus verbis voluit diuinus vates significare fore, vt mundus à Christo vinceretur, qui de seipso ait: Ego vici mundum. Quo victo cessaret idololorum cultus, & gentes repudiatis falsis Diis ad veram Christi religionem conuerterentur.

CAPVT



Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestiis & iumentis.

Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portantem, & anima eorū in captiuitatem ibit. Audite me domus iacob, & omne residuum domus Israel Qui portamini à meo vtero, qui gesta-

mini à mea vulua. Vsque ad senectā ego ipse, & vsque ad canos ego portabo & saluabo. Cui assimilastis me et adequastis, & cōparastis me, & feistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, & argentum Baruch. 6. statera ponderatis, conducentes aurificem, vt faciat Deum, & procedunt & adorant. Portans illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo. Et stabit, ac de loco suo non mouebitur. Sed & cū clamauerint ad eum, non audiet, de tribulatione non saluabit eos. Memēto istud, & fundamini: redite prauaricatores ad cor. Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est vlt. à Deus, nec est similis mei amūians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt, dicens. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluistis meæ. Et locutus sum, & adducam illud: creauit, & faciam illud. Audite me duro corde qui longè estis à iustitia. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.

EXPLANATIO.

Confractus est Bel] Hoc erat idolum, cui Babylonij primas deferrebant, secundas autem Nabo. Diuus Hieronymus ait Bel esse eum, quem Græci Belum appellabant, hoc est Saturnum, cui gentes non solum quoscunque homines, sed proprios etiam filios immolabant.

Facta sunt simulachra eorum bestiis & iumentis.] Subaudi similia. Ad tantam enim insaniam deuenerunt, vt simulachra colerent belluarum. Possunt hæc verba ita explanari, vt subintelligatur, onus. Et tunc vertentur hoc modo: Facta sunt simulachra Babyloniorum onus bestiis & iumentis, quoniā ad Persidem transferentur. Persę enim idola Babyloniorum aurea & argentea iumentis imponebant, vt ea in patriam suam transferrent. Ideo sequitur.

Onera vestra] Profopocia est. Alloquitur enim statuas mutas, & idola insensibilia. Quasi dicat: Iumenta vestra &

idola vestro pondere fatigabuntur. Onusque enim bestiarum, quæ vos portauerint, lassabuntur, & cadent, ac deficient, tantum onus ferre non valentes. Miseri dii ac infelices, qui eas bestias quæ ipsos portauerint, seruare non potuerunt, & miserum atque ærumnosi, quærales Deos colunt, quoniam cum ipsis ibunt in captiuitatem. Tam enim dii quam eorum cultores à Persis capientur, & in Persidem captiui portabuntur. Ea verba, Anima eorum in captiuitatem ibit, possunt referri ad idola, quasi Propheta dicat: O dementes homines, qui lapidea & aurea simulachra animam habere putatis. Idolorum anima asportabitur in Persidem captiua. Irridet gentes simulachra prædita esse animo existimantes.

Qui portamini ab utero meo, qui gestamini à mea vulua. Id est, quos foueo & protego, acsi in meo utero velut mater eos portassem, & ipse eos concepissem. Vide Dei nostri summam erga homines clementiam.

Qui confertis aurum de sacculo. Id est, qui coniungitis aurum quod de thesauro extrahitis, & argentum ponderatis, ad idola vestra facienda. Eos arguit, qui aurum & argentum in simulachris fabricandis contumunt.

Fundamini. Nimirum in fide. Est enim fides fundamentum. Nam, ut ait Diuus Paulus, sine fide impossibile est placere Deo, Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Gentiles credunt multos esse Deos, ideo nullum habent fundamentum, quia nullam habent fidem, fides enim est, ut credamus vnum solū Deū. Et quoniam sine fide nemo fundatus esse dicitur, vocat Diuinus noster vates omnes ad fidem, dicens Mementote istud, & fundamini. Vel ideo cohortatur homines ut fundentur, quoniam peccatores nullum habent firmum fundamentum. Nituntur enim in deliciis, voluptatibus, opibus, & mundi dignitatibus, quæ omnia flexibilia sunt imbecilla, varia, incerta, caduca, falsa, inconstantia, posita non in nostris consiliis, sed in mundi temeritate. Sola vera virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nulla vnquam vi euelli potest, nec labefactari.

Redite prænauaricatores ad cor. Reuertimini ad vos ipsos à quibus vos alienastis, Nihil tam longè à vobis quàm vos. Hic videt homines sceleribus implicatos, & mundi vanitatibus delectos extra se esse, & in mundo vagari. Ideo in Euangelio filius prodigus dicitur in se reuersus, suam cognouisse infelicitatem, & ita ad patrem rediisse, In se reuertitur, qui à se fuerat alienatus,

Heb. 11.

Zec. 15.

notus,

nat^o. exierat extra se, & seipsū relinquēs reliquerat patrē. Sed
 aliquando reuersus ad se inuenit seipsum, qui perditus erat.
 Non enim poterat ad se redire, nisi qui à seipso abierat. Et in
 se reuersus excitat seipsum memoria preteritę felicitatis, & in
 spē veniæ erigitur. Et tunc cognouit nō fuisse secum, cum in
 se esse videretur. Qui extra se est, dicitur esse extra cor, idē
 peccatores corde carere, & sine corde esse dicuntur. Apud
 Ieremiam ait Deus: Audi me popule qui non habes cor. Et
 in hoc nostro capite paulō pōst, vbi nostra versio habet. Audi
 te me duro corde, habent septuaginta: Audite me qui perdi- *Ierem. 7o*
 distis cor. Et Dauid ait: Et cor meum dereliquit me. Et ali- *Psal. 39.*
 bi: Super sanctos suos, inquit, & in eos, qui conuertuntur ad *Psal. 84o*
 cor: Si ad cor conuertuntur, ergo antea extra cor vagaban- *Eccle. 21.*
 tur. Et Ecclesiasticus. Qui, inquit, timet Dominum, conuer- *Eccle. 30o*
 tetur ad cor suum. Et alibi: Collige & congrega cor tuum.
 Et hīc Deus per Esaiam: Redite p̄uaricatores ad cor. Iubet *Matt. 10.*
 Deus vt ad nos ipsos eamus. Idem apud Matthæum voluit *Luc. 15.*
 Christus significare, cum nos ad vineā ire iubeat. Cum enim
 nos simus ipsa vinea, ad nos ipsos mittit nos. Mulier illa,
 apud Lucam, quæ inuenit drachmam, quā perdiderat, est ec-
 clesia. Drachma sumus nos. Cum autem nos ipsi sumus ec-
 clesia, apertē concluditur nos querere atque inuenire nos ip-
 sos, qui perditī eramus. Sed fieri nō potest, vt queramus nos
 ipsos, nisi nos esse perditos intelligamus. Primus quidē gra-
 dus salutis est cognoscere nos ipsos, & videre vnde excideri-
 mus. Hac ratione ducti antiqui dicebant hanc sententiā,
 Cognosce te ipsum, non humanam esse sed diuinā, nec
 esse mortali alicui, sed Deo ipsi tribuendā. Vis redire ad cor,
 cognosce te ipsum. Cogita & tecum ipse reuolue, & interro-
 ga hęc omnia teipsū: Ego vbi sum? Quomodo viuo? Quid
 ago? Quid spero? Quid desidero? Quid erit si sic moriar?
 Quō ibo? Et quas tandem p̄nas meorum scelerum persolu-
 am? Ex huius considerationis defectu nascitur humanorū
 flagitiorū colluuio. At nos vt alios cognoscamus, nos ipsos
 cognoscere negligimus. Vt enim sartor occupatus aliorū ve- *Simile.*
 stibus sarcinēdis, suas habet sciētias, sic multi impediti in alio-
 rum vita cognoscenda, suam ignorant. Inquirunt aliorum
 mores, volunt aliēnas cogitationes, intentiones, & consilia
 diuinare, seipsos autem derelinquunt, & à corde suo p̄gri-
 nantur. Idē ait Deus per Ezechielem Prophetam. Fili ho- *Ezec. 2o*
 minis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes
 in eo ciuitatem Hierusalem. Quis est hic later, quæ est hęc
 terra

terra tam dura & cocta, nisi cor nostrum? Hoc nobis præcipit Deus vt sumamus, & quod extra nos erat, iuxta nos colloce mus, & in eo ciuitatem æternam cœlestem Hierosolyman describamus, vt in ea sit nostra cogitatio collocata, & conseruata. Et vt qui ab arce sibi à rege tradita egreditur, eamque hostibus tradit aut relinquit, traditor dicitur, sic qui à corde à Deo sibi tradito exit, illudq; in manu tyrannici appetitus, ceterarumq; indomitarum cogitationū relinquit, præuaricator appellatur. Ideo ait Deus: Præuaricatores redite ad cor.

Vocans ab oriente auem.] Hoc est Cyrum à Perside, qui Baby lonem euertat, & Iudæos in patriam reducat. Vocatur auis ob velocitatem, qua venit in Chaldæam.

Audite me duro corde.] Alloquitur Deus Hebræos, qui non credebant se liberandos esse à Babylonica captiuitate, quos ob eorum contumaciam duros corde appellat. Hoc secutus Diuus Stephanus, eos in oratione, quam apud illos habuit, duros ceruice, & corde atque auribus incircuncisos vocauit. Vsq; adeo fuerūt indurati, vt in Christi morte, vbi lapides se sciderunt, & fregerunt, ipsi in sua duricie & integra pertinacia permanerent. Tale cor appellat Ezechiel laterem, terram duram & coctam.

Qui longè estis à iustitia.] Hoc est, à Christo, eum enim Diuus Paulus iustitiam appellat. Eam promittit pater factu rum propè, neque esse elongandā, ille propè accedit & nos cotidie vocat. Nos sumus qui eum fugimus, & quantò longius ab eo separamur, tantò proprius accedimus ad infernū, & fugientes vitam incidimus in mortem. Vita peccatoris duris cordis & obstinati est auersio à Christo, propinquitas inferni, mors animæ, victoria appetitus, triumphus voluptatis. Hæc etsi ad literam de Cyro intelligantur, quem Deus promissit missurum, vt Iudæos in pristinam libertatem reuocaret, ad Christum tamen multò melius referuntur. Eum promissit pater venturum fuisse hominum genus liberatum, illudque ad cœlestem patriam perductum. Ideo ait. Dabo in Sion salutē, & in Israël gloriam meam. Nam vera anime salus & gloria quæ in hac vita potest esse, solum in Sione & Israël, hoc est, in Ecclesia reperitur.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT XLVI.

Facta sunt similitudina eorum bestiarum.] Nonnulli codices habent:

bent: Fracta sunt. Vt sit sensus, fracta fuisse simulachra, quando super iumenta ponebatur, & funibus astringebantur. Nō enim Perse curabant imaginum formam, sed materiam, hoc est, aurum & argentum. In Hebraico est, haiu, à verbo haiah quod significat esse, & est verbum substantiuum. Significat etiam corrumpere, & frangere, & fugere. Ideo vtraque littera potest defendi. Poterat etiam verti: Fugerunt idola eorū in bestiis imposta. Vt idola ac deos irideat, qui se eripere non potuerint, nisi se in fugam conicerent.

Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua.] Potest totum hoc ita verti ex Hebræo. Qui portamini à me ab vtero, qui baiulamini à me à partu. Ac si dicat: Qui à principio, à vestra natiuitate à me nutrimini, & veluti infantes in meis brachiis baiulamini. Itaque ab vtero & à vulua significat ab instanti natiuitatis. Quemadmodum in psalmo: *Psalm.* Ali enati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, hoc est, ab eo puncto, quo nati sunt.

Et fundamini.] In Hebraico est velithoxxaxu à verbo axxai, quod significat fortem & firmum esse: vnde axixe fundamenta, & capitur pro viris fortitudine præstantibus, vt ait Kimhi vir doctus inter Hebræos, quod hi sint regni fundamentum. Potest esse ex significatione ix, que dicitio verum significat: Quasi dicit, Estote viri. Ideo potest verti: Præstate vos viros. Ac si diceret: Ostendite vos valere fortitudine & iudicio recto. R. Ioseph deducit ab ex, quod nomen ignē significat. Vt sit sensus: Estote rubei velut ignis, erubescite & confundamini, vestras insanias & vanitates & scelera aspicientes. Hac ratione adducti quidam pro fundamini posuerunt confundamini, vt in multis codicibus licet videre. Et vtraque lectio est recta, & proposito prophetæ satis conueniens. Septuaginta habent in hunc modū: Ingemiscite, agite pœnitentiam, qui erratis. Pro quo quidam dixerunt: confundamini. Indicat apertè hic locus à Septuaginta interpretibus translatum, vtilem esse & salutarem peccatoribus pœnitentiā, vt ad charitatem perueniant: & pœnitentiam non esse nouā vitam, sed ingemiscere & peccata deplorare. Non enim solū hic ait Esaias. Agite pœnitentiam: sed ingemiscite, agite pœnitentiam. Ostendit hic locus falsum esse id, quod ait Lutherus, nempe contritionem ante charitatem esse execrabilem, & non solū non esse vtilem sed perniciosam. damnat enim gemitum, & fletum, & omnem pœnitentiam, quæ fit per diuisionē & detestationē peccatorū. O hæreticū detestabile.

Quid potest esse hoc tuo dogmate pestilentius? Quid perniciosius? Quid veritati repugnātius? Si gemitus & pœnitentia nihil profunt peccatoribus, cur Deus hic per prophetam eos ipsos peccatores sceleratos & impios alloquens, hortatur ad gemitum & pœnitentiam? Quorsum sanctificatus ille Baptista has voces emitteret? Genimina viperarū quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, iam enim securis ad radicem arboris posita est, Quorsum verus ille ac cœlestis doctor Christus Deus noster laudaret pœnitentiā Niniuitarū? Quorsum toties gehennā, & ignem æternum minitaretur peccatoribus, vt eos ad pœnitentiam & contritionem induceret, si talis pœnitentia & contritio essent res inutiles & inanes, & vt tu Luthere ais, perniciosæ? Sapientissimus ille Dauid quo nullus alius fuit suo tempore illustrior, nullus charitate ardentior, nullus iustitia præstantior, nobis pœnitentiæ perspicuam formam descripsit. Circumdede runt, inquit, me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis, in tribulatione meâ inuocaui Dominum. Et alibi, Laboraui, inquit, in gemitu meo, leuabo per singulas noctes lectam meam, lachrymis meis sitatum meum rigabo. Aspicias regem peccatis atrictum pœnitentiam egisse, Dominum inuocasse, vim lachrymarum profundisse, & fuisse gratiam consecutum. Ait enim paulo post: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Vbi aspicias fuisse gemitum Dauidis Deo gratum & auditum. Ideo in inscriptione huius psalmi meminit octauæ. Erat enim octaua instrumentum octo fidibus ornatum, quo canere solebant carmina triumphalia, vt colligitur ex primo libro Paralipomenon. Canit igitur victoriam Dauid quâ de peccato reportauit, ideo psalmum in gaudio & exultationis tripudio finiuit. Et si quæras arma, quibus hanc victoriâ obtinuit, & veniam ac gratiam impetrauit, ipse explicat esse gemitus & lachrymarum abundantiam, & denique pœnitentiam. Hæc enim sunt arma quibus de peccato consequimur victoriâ, & gloriosum de illo reportamus triumphum. Eam ob causam ait hoc in loco diuinus noster vates iuxta Septuaginta translationem. Ingemiscite, agite pœnitentiâ, qui erratis. Vide Luthere quomodo hæc concordant cum tuo articulo, in quo asseris pœnitentiam nihil aliud esse quàm nouam vitam, & veram pœnitentiâ damnas & detestaris.

Audite

Luc. 3.
Matt. 11.

Psal. 17.

Psal. 6.

1. Par. 13.

Audite me duo corde.] Septuaginta habent, Audite me qui perdidistis cor. Videtur alludere ad id, quod paulo antea dixerat: Redite præuaricatores ad cor.

Et vocans ab oriente auem.] Nonnulli codices habent: Et vocans ab oriente iustum. Sed correctiores habent auem. Et ita est in versione cui Diuus Hieronymus adiecit commentaria. Et ita est etiam in Hebræo. Dicitio enim, ait, quæ est in Hebræo, auem significat, vt apud Esaiam: Et relinquentur simul auis montium. Sed quoniã vir iustus alta petit, & ab imis eleuatur, ideo nomine auis significatur. Id voluit scriptura quintodecimo capite Genesis significare, quando, inquit, sumpsisse Abrahamum vaccam, capram, arietem, turem, & columbam, & diuisisse animalia terrena, aues autem non diuisisse. Per terrena animalia significantur homines appetitu ducti, à Deo & à seipsis diuisi: per aues verò spirituales homines secum & cum Deo vniti, quorum vnus dicebat. *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Supra 18.

Gen. 15.

Rom. 8.

Argumentum Capituli XLVII.

Vaticinatur Esaias de superbæ Babylonis per ineptos astrologos seductæ excidio & euersione.

CAPVT XLVII.



Descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra, nõ est solum filia Chaldeorum, quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura, transi flumina. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, vltionẽ

capiam, & non resistet tibi homo. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israël. Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldeorum, quia non vocaberis vltra Domina regnorũ. Iratus sum super populum meum, contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tua, non posuisti eis misericordias, super senem aggrauasti iugum tuum valde. Et dixisti: In sempiternum ero Domina, non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es nonisisti tui. Et nunc audi hæc delicata & habitans confidenter, que dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebis vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die

Nabum. 2.

Apo. 18.

Infra 14.

una sterilitas & viduitas. Vniuersa venerunt super te, propter multitudinem malefactorum tuorum, & propter duritiam incantationum tuorum vehementer.

EXPLANATIO.

Descende, sede in puluere virgo filia Babylon.] Tribuit Babylonem personam superbæ reginæ delicias deditæ, & more tragico eius calamitatem describit. Vocat eam virginem, quòd nondum fuisset euerfa; Vel ob teneras delicias. Filia Babylonis & Babylon more Hebraico idem valet. Vitur propheta imperatiuis pro indicatiui futuris. Ac si diceret: Descendes ab altitudine tua Babylon regina potentissima. Amittes gloriam tuam, sedebis in puluere dolore affecta. In tantam incidet calamitatem & miseriam, vt non in folio & throno regio, sed in terra fedear abiecta, captiua & afflicta. Non iam versaberis in deliciis & voluptatibus, sed duram captiuitatem sustinebis. Vocatur Babylon filia Chaldaeorum: quia erat sita in Chaldæa, vt Mela, & Solinus, & alij Geographi testantur. Et ex sacris literis apertè colligitur.

Tolle molam, & mole farinam.] Solebant captiua molere farinam, & erat hoc extremæ seruitutis iudicium.

Denuda turpitudinem tuam.] Duceris captiua, & flumina pedibus transibis. Et quoniam neminem habebis qui te bas tulet, tu ipsa nuda transibis aquas. Ex quo efficietur, vt & crura & verenda discooperias.

Vltonem capiam.] Quoniam tu ô Babylon populum meum affixisti, affigã ego te ipsam. Lues pœnas tuæ immunitatis, nec erit qui mihi possit resistere.

Redemptor noster.] Subaudi, hæc dicit.

Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldaeorum.] Tu quæ antea gloriari solebas, tacebis non audens loqui, & ob confusionem & ignominiam tuam quæres loca abscondita, & hominum cœtum ac frequentiam fugies.

Contaminauit hereditatem meam.] Id est, permisi contaminari Hebræos.

Non posuisti eis misericordias.] Quoniam poterant fortasse deo obicere Babylonis: Si tu iratus populo tuo ob eius scelera eum à nobis capi, & in ætumnas incidere permisisti, quare nos affligis quòd eos, qui te offenderant, vexauerimus? Respondet Deus huic tacitæ obiectioni, se fuisse iratum populo suo, nihilominus tamè deliquisse Babylonios, quòd in Iudæos fuissent immanes, eosque vulneribus lacerarent, & iniuste

iniuste opprimerent. Non distat ab hoc id, quod dicitur in psalmo, Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet, quonia quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Aspicias hic non excusari eos, qui humanitatem exuentes illos vulnerant, quos Deus ob aliquam causam permittit vulnerari. Voluit celestis pater vt filius suus vnigenitus se in crucis ara pro nobis hostiam constitueret, & sanguine fuso hominum genus expiaret, ni hilominus tamē peccauerunt. Iudaei Christum ad eadem vocantes, eumque pestilenti atque effrenato impetu cruci affigētes. Illud est etiam aduertendū, ideo Babylonios in miseris calamitates incidisse, quia nulla erga Hebræos misericordia vsi fuerant, præcipue erga senes. vbi aspicias, quam grata sit Deo humanitas & misericordia etiam erga inimicos, præsertim erga senes. Ideo ait hoc in loco Deus: Non posuisti eis misericordias, super senem *Leuit. 19.* aggrauasti iugum tuum valde. Et in Leuitico: Coram cano *Tbren. 4.* capite, inquit, confurge, & honora personā senis. Et in Threnis plorans Ieremias. Facies, inquit, sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. Et in epistola prima ad Timotheum ait Apostolus: Senem ne increpaueris. Chilo Lacedæmonius, vt refert Plutarchus, docebat eam esse debere reuerentiam iuuenum erga senes, quæ est filiorum erga parentes. Et ob eam causam Sparta censebatur olim quoddam virtutis domicilium, quia omnes suspiciebant senes, & magno honore ac veneratione prosequerantur.

Et dixisti, In sempiternum ero domina.] Illa pars vite est periculosior, quæ ob nimiam securitatem videtur esse tutior. Multi ex magnis periculis liberi euaserunt, & in magnis procellis & tempestatibus tam constantem vitam cursum tenuerunt, vt nunquam exciderint, sed aduerso vento sequente ad optatos exitus perueniunt. Nam videntes rerum humanarum varietatem & imbecillitatem, non illis fidebant, quin potius munientes se virtute & consilio, in Deo spem omnem collocabant. At postea obtinentes res prosperas & ad voluntatem fluentes, existimantes se esse securos, desiderunt se otio & inertia: ex quo effectum est, vt miserè perirent, & in grauissimam calamitatem & ignominiam incurrerent. Ideo oportet vt in prosperitate meminimus aduersitatis, ne turpiter excidamus. Ait enim Ecclesiasticus: In die bonorum ne immemor sis malorum. *Ecccl. 11.* Hoc significare volens Apostolus dicebat Corinth. Qui gaudent tanquam non gaudentes. Videns Iesus Hierosolimam *1. Cor. 7.* *Luc. 19.* quietē

quietē diuitiarū affluentia videntem, & venturas illi miserias ignorantē, eā deplorauit, & in illo magno triumpho lachrymas profudit. Nos igitur non ita gaudeamus, vt tutos nos esse existimemus: quin potius cogitemus fieri posse, vt ex letitia excidentes subito in lachrymis & mœrore versetur, & à potentia ad miseriam recidamus. Id quod euenit Babylo- niis, qui perpetuum principatum, & nominis celebritatem, & propagationem, sibi ipsis pollicentes in captiuitatem, & perpetuam infamiam incurrerunt.

Neque recordata es nouissimi tui.] Septuaginta habent: Neque recordata es nouissimorum. Ac si dicat: Ideo capieris, & in ærumnas incredibiles incidēs, quia nouissimorum tuorū non meministi. Aspicias hīc quā vtile sit finem rerum memoria tenere, earūque imbecillitatem & interitum contēplari. Ideo Ecclesiasticus, Memorare inquit nouissima tua, & in æternū non peccabis. Et Moyses, vt in lib. Deuteronomij diuinæ literæ commemorant, Gens, inquit, absque consilio & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ieremias propheta in suis Lamentis, ubi eueris Hierosolymæ & peccatricis animæ miseram captiuitatem deplorat, has voces emittit: Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis suis. Nomine pedum intelliguntur affectus, quibus anima mouetur, qui tunc dicuntur sordibus contaminati, cum non ratio tenet imperium, nec pro dignitate quæ sunt pulchra & appetenda, quæ verò terra & aufugienda præscribit, sed effrenatus appetitus cæco impetu rationis arcem oppugnans animam ducit, eique solum opes, & mundi voluptates proponens, sine vlla mortis & finis cōtemplatione. Hoc sentiens Ieremias & sordes pedum animæ & finis oblivionem lamentabatur. Ideo Christus Deus noster cum ei discipuli de magnifico Salomonis templo loquerentur, eius sumptuosi ædificij pulchritudinem admirantes, respondit, vt Diuus Lucas testatur. Hæc quæ videtis, veniēt dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat. Illi de re illa magna ante oculos posita loquebatur: Christus verò eis illius rei finem & vastitatem in memoriam reuocat. Voluit nos docere cælestis magister, cum cogitauerimus rem aliquam humanam insignem & amplam, oportere eius finem in animo versare, & memoria repetere. Nihil nobis est salutaris ad coercendas vagas & inanes cogitationes, turbidisque motus acerrimè propulsandos, quàm finem animo intueri. Nam vt vinum purum iudicium

Ecl. 7.

Deut. 32.

Thren. 1.

Luc. 21.

Similitudo.

cium

cium turbat & perdit, at aqua temperatum non nocet, sic rerum humanarum pulchritudo, generis nobilitas, nominis claritas & amplitudo, prosperitas honorum & magistratuum, diuitiarum abundantia, & cætera huiusmodi, ad quæ perique mortalium cæca auuiditate inflammati rapiuntur, per se intemperanter sumpta sunt vinum, purum illud quidem, quod humanum iudicium lædit & perturbat. At si omnia hæc fuerint temperata memoria finis, & consideratione inconstantiæ & imbecillitatis, ita possunt sumi, vt nequaquam noceant. Quin etiam in ipsorum affluentia poteris in tranquillitate viuere, cupiditatum ardore sedato. Est enim mortis memoria aqua salutaris vini humanarum rerum moderatrix, quæ non finit vt effrenati ac concitati motus auersi à ratione animū perturbent, & è sua sede & situ deiciant. Venit tibi in mentē res quedam, qua nimium oblectaris, sed quæ te suis illecebris potest à Deo abducere & separare, cogita statim quam cito res illa finietur, quæ etsi aliquādiu durauerit, euanescet tamen, & penitus tandē extinguetur. Et considera quā stultū erit, pro breui voluptate, pro re caduca, incerta, & mortali, velle amittere summam illam inenarrabilem, ac æternam beatitudinem, vbi viri sancti, qui è corporum vinculis tanquam ex carcere euolauerunt, summo illo ac sempiterno bono fruuntur. Peritus gubernator nauis non in principio & in medio ambulat, sed in fine, hoc est in puppi fedet, ex quo loco, totam nauem regit, eamque paruo clauo moderatur, & ita ad optatum portum tandem peruenit. Vis totam vitam tuā ita gubernare, vt salutis portum consequaris? Non quiescas in medijs solum cōsiderandis, sed respice finē. Sede cum cogitatione in exitu & fine rerum humanarū, & ita transibis mundi mare, gubernans ac moderans vitæ nauē clauo rationis, donec ad portū beatitudinis peruenias, & patriam obtineas, vbi in æternum conquiescas. In libro Leuitici scriptum legimus, præcepisse Deum vt plumæ auium, quæ illi in holocaustum offerebantur, proiicerentur in locū in quem cineres effundi solebant ad orientālē plagam, Aues Deo hoc modo oblatæ sunt Christiani, qui non in quocūque sacrificio sacrificium, sed in holocaustū, quod est totum incensum, se debent alto Deo immolare. Plumæ in altum volitantes & aues ipsas in sublime efferentes sunt diuitiæ, potentia, cæterque mundi vanitates, quibus homines efficiuntur elati, superbi, & inanes. Has præcipit Deus vt in locum cineris proiciantur: Est autē cinis id, in quod versum est id, quod antea fuerat.

Similitudo.

Leuit. 1.

Figura.

fuerat. Ex quo efficitur, vt cinis pro fine & rerum exitu & interitu accipiatur. Quid voluit Deus hac excellenti figura significare? Quid voluit nobis præcipere, nisi vt rerum humanarum finem contemplemur, & id, in quod tandem vertitur, perpendamus? vt memoriam diuitiarum, humanæ potestatis & amplitudinis cū cinere misceamus, vt cū nobis mundus potentiam & opes, caro, voluptates & delicias, diabolus ad hæc obtinenda tetra flagitia & nefaria scelera suggererit, & ante oculos posuerit, statim cinerem, in quem hæc omnia redduntur, animo complectantur? Et quoniam finis omnium nostrarum actionum debet esse Deus, ad quem eas debemus dirigere, præcipitur hoc in loco, vt non ad occidentem, sed ad orientem respiciamus. Non enim sine mysterio dicitur prociendas esse plumas prope altare ad orientalem plagam. Occidens est mundi gloria, quæ occidit, & tandem finitur, & penitus obscuratur. Ergo in contemenda mundi gloria, ne hominum gloriam queramus, sed gloriam Dei: respiciamus ad orientem, dirigamus omnia facta nostra ad Christum, ad summum illum Orientem, de quo apud Lucam ait Zacharias: Visitauit nos Oriens ex alto. De quo dixerat Deus per alterum Zachariam: Abducam seruum meum Orientem. Et alibi: Ecce vir Oriens nomen eius. Aspicias quemadmodum hac figura monemur, vt finem rerum memoria teneamus. Id fuerat etiam adumbratum in Iacob, qui, vt diuinæ literæ commemorant, Esau fratris sui vterini plantam pedis manu arripuit. Esau qui quadam significatione idem est quod vanus, qui vocatus est Edom, hoc est terrenus, humanarum rerum imaginem gerebat, per plantam autem pedis finis significatur. Vnde Hebraicè idem nomē Iacob significat plantam pedis & rerum finem, quod planta sit vltimum corporis. Ille qui est verè Iacob, qui est verè supplanrator, Deo gratus & acceptus, plantam pedis mundi, hoc est, rerum humanarum finem & interitum comprehendit, & animo intuetur. Ex quo efficitur, vt animum habeat promptum & paratum ad legem diuinam adimplendam. Et id fortasse voluit significare Diuinus vates ac illustrissimus rex, cū dicebat in psalmo: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum Iacob, pro quo noster interpretes vertit: propter retributionem. Et rectè quidem, hæc enim vox retributionem significat, & plantam & finem. Quam ob causam potest hic verus ita rectè conuerti: Inclinaui cor meum ad implenda præcepta tua in æternum propter finem. Ac si diceret: Ego rerum finem ani-

Luc. 1.
 Zacha. 3.
 Zacha. 6.
 Gen. 25.

Figura.

Psal. 138.

mo con-

ino contemplans, mundi gloriam contempſi, quam vidi fugacem eſſe, & caducam, & tandem conſumi atque penitus interire, & te ſolum Deum queſiui, atque ad legem tuam cōplendam animum præparavi. Noſ igitur finem humanarum rerū alta mente perpendamus, ne nobis dicatur id, quod hoc in loco Deus obiicit Babyloſi: Neque recordata es nouiſſimi tui.

Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem.] Id eſt, non priuabor gloria mea: Habebo ſemper regem, & populos ſubiectos.

Et fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti: Non eſt qui videat me. Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum & præter me non eſt altera. Veniet ſuper te malum, & nescies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet ſuper te repente miſeria quã nescies. ſ. ita cum incantatoribus tuis, & cum multitudiſe maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi forte quid proſite tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. Deceſiſti in multitudiſe conſultorum tuorum: ſient & ſaluent te augures cœli, qui contemplantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis amuniarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſti eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ, non ſunt pruna quibus caleſiant, nec focus vt ſequent ad eum. Sic facta ſunt tibi, in quibuscuſque laboraſti: negotiatores tui ab adoleſcentia tua vnusquisque in viam ſuam errauerunt, non eſt qui ſaluet te.

Et fiduciam habuiſti in malitia tua.] Ideo corrues, quia fiduciam tuam in malitia fixiſti. Vt enim domus in arena ſita quanquam à ventis non ſit agitata, ipſa tamen per ſe ruit, ſic fiducia fundata in flagitiis etiam à nemine oppugnata ipſa per ſe dilabitur & euaneſcit.

Simile.

Sapientia tua & ſcientia tua hæc deceperunt te.] Stulta eſt illa ſapientia, quæ non ſolum veritatē non docet, ſed etiam fallit. Loquitur de mundi ſapientia, quã D. Paulus dicit eſſe ſtultitiam apud Deum. Vnde quidam ait: Infœlix qui omnia ſcit, te autem Domine nescit.

Et nescies ortum eius.] Præ ſubita & repentina celeritate. Vel ponitur ortus pro cauſa. A cœli dicat: Malum tuum eſt incurabile, quoniam nec cauſam eius intelligis.

ſ. ita cū incantatoribus tuis.] Abundante Babyloſis incantatoribus & auguribus, quos reges conſulebant, liber Dant. elis prophetæ aperte oſtendit.

Dan. 2.

In quibus laboraſti ab adoleſcentia tua.] Id eſt, Quorum cōfilio à

filio à regni tui constitutione cuncta gubernas.

Augures cali] Septuaginta habent, Astrologi cæli, Quiddam vertunt Astrologos : ita enim augures cæli appellântur, Irridet propheta astrologos, non eos, qui scientia præditi cõsiderant cæli conuersionem, ortum, occasum, motum & cursum astrorũ, suspiciunt ac polos, hemisphæra, climata, diersũ ac temporum rationem cõtemplantes. Est enim hoc vile & licitum: Sed eos arguit & contemnit qui scire asserũt omnia humana gubernari iyderibus, qui omnia futura gloriantur, & fataliter ventura prænuntiant. Qua in re & ipsi falluntur, & alios fallunt. Et videntes se id nec arte neque scientia consequi posse, ad dæmones confugiunt, qui cùm multa ignorant, eos decipiunt. Non itaque eos irridet propheta, qui astrologia vtuntur, sed qui ea abutuntur,

Non sunt prunæ] Augures tui & astrologi incendio terribili flagrabunt. Non enim erunt temperatæ prunæ, ad quas accedunt, qui volũt se calefacere, nec moderatus ignis, iuxta quem solent sedere frigore laborantes, sed erit ingens flamma omnia consumens. Vel sic: Ita astrologi tui comburẽtur, vt nullẽ ex illis remaneãt prunæ, quibus se homines possint calefacere, sed subito in fauillas conuertentur. Hunc finem habebunt ea, in quæ incubuisti, & quibus operam nauasti: hoc est, astrologi, & astrologia.

Negotiatores tui] Qui negotiari apud te consueuerant, ab eo tempore quo regnare cõpisti, fugient. Et tã subita erit fuga, vt vnusquisq; percurrat suã partẽ, errans, & à recta via discedens. Nec erit qui illis opem ferat, illosq; à Perfis eripiat.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT XLVII.

Tolle molam & mole farinam] Pro molere est in Hebræo verbum tachan, quod significat tundere. Et quoniam hoc in loco sequitur statim: Denuda turpitudinem tuam, existimat D Hieronymus hoc in loco tollere molam & molere, actum turpem significare. Huic expositioni fauet Scriptura xi. cap. Iob. Nam vbi vulgata versio habet: Scottũ alterius sit vxor mea, & super illã incuruentur alij: habet litera Hebræa: Molat alteri vxor mea, & subigant illam alij. Est enim idẽm verbum in vtroque loco, & hic apud Esaiam, & illic apud Iob.

Denuda turpitudinem tuam] In hebraico est, Denuda staminathec. Hæc dictio staminathec significat fasciã, in qua capi

pilli innectuntur. Significat etiā ipsos capillos. Vnde Pagnin⁹ vertit: Denuda cincinos tuos. Septuaginta habent, Reuela operimentum tuum. Ac si diceret Esaias. Aperi ligamen capillorum. Nam statim sequitur in eorum versione: Denuda canos, pro quo nostra editio habet: discooperi humerum.

Sede tacens.] In Hebraico est: Sede dumam. Potest esse à verbo diuā, quod significat tacere: quā significationem secutus est nosier interpres. Et potest esse à verbo damam, quod significat deficere, & compungi. Quā significationē lecuti Septuaginta verterunt: Sede compuncta, Potest verti: Sede deficiens. Et quoniam verbum hoc significat iubiui, Potest Latinē reddi, Sede subiecta. Ita in Psal. 67. Veruntamen Deo subiecta esto anima mea. Pro quo Diuus Hieronymus vertit: Veruntamen Deo tace anima mea. Verbum enim hoc etiā tacere significat, & quiescere, & expectare. Qui vere subditus est tacet & quiescit, nullāque suis calamitatibus adhibet desperationem. Et quando loquitur, statim verbis ostendit se non esse fractum sed integrum. Vt enim vasa sonitu ex percussione effecto ostēdūt sint ne integra an rupta. *simile.* sic verbis in afflictione prolatis ostēdunt homines sint ne tolerantia & virtute muniti, an indomiti & deprauati. Vis cognoscere vas? t̄gatur manu: vis cognoscere hominē? percutiatur afflictione. Est enim afflictio excellētissima probatio.

Argumentum Capituli XLVIII.

Inuehitur Propheta in Iudæos, qui virtutis simulatione terra flagitia tegentes, nomine Israël gloriabantur, cum vere Israëlitarū non essent, quod innumeris sceleribus implicati & constricti nec Israelem imitarentur, qui fuit & religione & pietate integerrimus, & virtutum maximarū gloria præstantissimus, neque in facta tanto nomine digna incumberent. Aperit mysterium sanctissimę trinitatis. Vaticinatur de liberatione à Babylonica captiuitate, & hortatur homines ad gratias Deo pro eius beneficiis agendas.

CAPVT XXXVIII.



Videte hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israël, & de aquis Iuda existis, qui iuratis in nomine Domini, & Dei Israël recordamini non in veritate neque in iustitia. De civitate enim sancta vocati sunt, & super Deū Israel constabiles sunt. Dominus exercituum nomen eius. *Priora ex tunc*

tunc annuntiasti, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repenti
operatus sum, & venerunt. Scio enim quia durus es tu, & nervus
ferreus ceruix tua, & frons tua erea. Prædixi tibi ex tunc, antequam
veniret indicaui tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, &
sculptilia mea, & constatilia mandauerunt ista. Quæ audisti, vide om-
nia. Vos autem num annuntiastis? Audita feci tibi noua ex tunc, &
conseruata sunt quæ nescis: nunc creata sunt, & non ex tunc, & au-
te diem, & non audisti ea, ne forte dicas: Ecce ego cognoui ea. Nec
audisti neque cognouisti, neque ex tunc aperta est auris tua. Scio enim
quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex viro voca-
ui te. Propter nomen meum longè faciam suorem memm, & laude
mea infrenabo te, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum
elegi te in camino pauperatis. Propter me propter me faciam, vt
non blasphemem, & gloriam meam alteri non dabo.

Supra 42.

EXPLANATIO.

Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.] Israël
sonat principem cum Deo, vel prævalentem Deo, vel, vt alii
dicunt, videntem Deum. Textus Genesis capite 32. innuit
Iacob sonare fortem contra Deum. Nam cum angelus lu-
ctaretur cum eo, & non posset eum superare, Nequaquam,
inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam
si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines
preualebis? Hoc tam illustri nomine gloriabantur Iudei, me-
moriam suæ nobilitatis ex scripturarum vetustate eruentes,
eamque in splendore nominis, non in virtute collocantes. At
sapientium est non niti opinione maiorum, sed omnem am-
plitudinem & dignitatem in virtute atque in propriis rebus
gestis positam existimare. Est igitur sensus: Audistis ô Iudei
qui solo nomine, non autem re appellamini Israelitæ, ea, quæ
aduersus Babylonios prædixi, nunc autem tribuite mihi si-
lentium, & ea, quæ de vobis dicturus sum, attentis auribus
audite.

Et de aquis Iudæ exististis?] Hoc est, qui egressi estis ex semi-
ne Iudæ, Semen hominis aquas vocat. Ionathas vertit: De
cognitione Iudæ. Lustrari volentes significare aliquem esse
similem patri suo aiunt, habere quosdam aquas sui patris.
Et à contrario sensu exire ab aquis Iudæ, seu nihil aquarum
Iudæ habere, est ab eo penitus discrepare, nullamque cum eo
habere similitudinem. Att igitur propheta: Vos ô Iudæi glo-
riamini Iudæ, sed eum imitari nō vultis. Ego verò existimo,
Exire ex aquis Iudæ, esse ex eo tanquam ex fonte emanare,
ita vt

ita vt aquæ non capiantur pro semine, sed pro eo, ex quo familia aut genus sumit exordium. Hac exortatione vius est Dauid dicens in psalmo: Benedicite Deo Domino de fontibus Israël. Ac si diceret: Vos Iudæi qui ab Israele tanquam à fonte dimanastis, benedicite Christo in ecclesia, qui est Dominus Deus. Vbi pro, De fontibus Israël, potest verbi, Vos qui estis de vena Israelis, hoc est de fonte, siue de aquis. Ergo totum hoc, Vos qui existis de aquis Iudæ, est periphrasis Iudæorum, quemadmodum hoc: Vos qui ex Israele tanquam ex fontibus dimanastis.

Qui iuratis in nomine Domini.] Id est, qui Deum habetis in ore per ipsum iurantes, cum ab eo animum alienaueritis. Nō vt eum venerimini, per eum iuratis, sed vt eius cultores vos esse simuletis, eumque vestrorum mendaciorum testē faciatis.

De ciuitate enim sancta vocati sunt.] Vocantur filij Hierosolymæ, vbi est templum Dei, & verus Dei cultus. Sunt eorum fundamenta iacta non in idolis, sed in vero Deo. At illi his rebus tam amplis & aptis ad suā vtilitatem, & virtutis splendorem, abutuntur ad suam deformitatem & perniciem.

Priora ex tunc annunciaui.] Ego prædixi ea quæ euenerūt. Ex ore meo egressæ sunt prophetiæ. Deceui me ea facturum esse, & protinus feci.

Sciti enim quod durus es tu.] Arguit Iudæorum duritiem, de qua loquitur scriptura Exodi trigesimo secundo, & Deuteronomij trigesimo primo, & Actuum septimo, & multis aliis in locis. Appellat eorum ceruicem æreum ferreū, hoc est, inflexibilem, quod essent duri & obstinati: & eorū frontem æneam, hoc est, impudentem, quod nullam haberent vberitatem. Qui enim pudore non mouentur frontem æneam habere dicuntur.

Prædixi tibi.] Volebat Deus multa Iudæis ventura prædicere, ne hoc suis idolis tribuerent.

Vos autem non annuntiaueris.] Quasi dicat, non. Sensus est: Ego sum qui futura annuntio, vos autem non. Potest etiam ita explanari: Vos nō estis annuntiatori miracula mea, quoniam gloriam meam non queritis. Quod est vestræ ingratitude apertissimum signum. Vbi aspicias velle Deum ne eius beneficia & mirabilia silentio prætereamus, sed ea prædicantes, non ipsius memores ac gratos demonstramus.

Andia feci tibi.] Sensus est: Nonnulla prædixi tibi, priusquam euentrent, vt meam videres potentiam & sapientiam. Quædam verò ventura tibi nolui indicare, ne diceres te omnia

nia scire, & incideres in superbiam, non mihi sed tibi scientiarum futurarum tribuendo. Scio enim te esse prauaricatorum, & à principio inditum est tibi hoc nomen ob tuum deprauatum animum. Vbi nostram uersio habet, conseruata, uerti potest abstrusa. Quasi dicat: Tu audisti à me aliquas nouas res, quæ uenturæ erant, sed apud me abstrusæ & absconditæ sunt aliquæ, quas tibi nolui reserare, quæ nunc creatæ, hoc est in effectum productæ sunt: quas non ex tunc & ante diem tibi aperire uolui, ne gloriarieris te eas sciuisse. Vide Dei misericordiam, omnia quæ illis aperiebat, & quæ illis occultabat, ad eorum uilitatem referebat. Sciebat Iudeos esse prauaritatores à principio & ingratos, sed nec ideo cessabat in eos magna conferre beneficia. Eodem modo qui uoluerit Deum imitari, in benefacta & uirtutis actiones incubant, uirtutur benignitate, beneficentia, & misericordia, nec ob aliorum ingratitudinem & nefaria scelera ab incepto desistant. Ut enim ferri acies & durities tarandi cutem mollem, lenem, & flexibilem secare non potest: est enim impenetrabilis ferro, sic dura sceleratorum ingratitudo & immanis pertinacia non debent officiosi hominis benignum animum transfigere, & ab officio abducere, sed debet talis animus impenetrabilis existere, & in uirtute atque incepta beneficia perseuerare. Ut enim sol non desinit terras suis calidis & fulgentibus radiis illustrare, quamuis illis lutum obdurecat, sic uir pius & rectus non debet à rectè factis & beneficiis desistere, quamuis illis iniquorum animus durior, & in sua ingratitudine pertinacior indies reddatur.

Simile.

Simile.

Propter nomen meum longè faciam furorem meum.] Ut glorificetur nomen meum, differam meum furorem: non te statim delebo, sed ad penitentiam expectabo, ut omnes uideant meam infinitam benignitatem. Hinc discant principes & principes in castigandis subditis non duci ira, & furore & impetu. Vacandum est enim animi perturbatione, ut tranquillitas animi adsit, & securitas, quæ afferat tum moderationem, tum etiam dignitatem. In regione aeris altiore, ubi aer ipse est purior & excellentior, nulla est nubes, nulla vis fulgurum & procellarum, nullus caliginosus & nebulosus vapor, sed tota illa regio nitescit, & splendidissimo candore elucet. Infra autem generantur tui bines, tempestates, & tonitrua. Eodem modo princeps, qui excelsam & superam partem obtinet, debet in sedatione & animi tranquillitate consistere, contrahere iram, continere furorem, seque moderatione & plac-

Simile.

placabilitate munire, & in fratione quieta collocare. Tolera-
buntur aliquo modo in subditis & obscuris hominibus per-
turbationes. At in principibus sunt omnino intollerabiles.
Nemini licet nec honore insigni, nec obscuro & ignoto, fu-
rore duci, & temerario impetu præcipitari: sed qui sunt in
dignitate constituti, quanto sublimiore locū obtinent, tanto
perniciosius offendūt. Cum enim sint in vrbis oculis aut reg-
ni, in eosque se omnes conuertant, illōsque intueantur & i-
mitentur, sunt eorū scelera cum aliorum pernicie coniuncta.
Nec solū obsunt, quōd ipsi corrumpuntur, sed etiam quod
alios corrumpunt: neque minus exemplo, quā peccato a-
liquando nocent. Et vt turpis cicatrix deformior est in fa-
cie, quā in aliis corporis partibus, quōd facies sit magis
conspicua, in quam oculi intuentium statim coniciantur,
sic flagitium & dedecus in principe fœdius apparet:
Quemadmodū tetra macula in panno candido & pretioso
insigniore deformitatem ostendit, quā in pullo & vili. Cō-
primant igitur furorem, qui alios gubernant, imitantes Deū
hoc in loco dicentem: Longè faciam furorem meum.

Simile.

Simile.

Et laude mea in fræno te, ne intereas.] Vt lauder ob popu-
lum seruatum, tibi frænum iniiciam, ne curras ad tuam per-
niciem. Vt peritus miles effrænatum & indomitum equum
fræno moderatur, & in gyrū ducit, sic nos Deus afflictionis
fræno cōprimit, ne cōcitatis & perniciosis appetitibus duca-
mur. Aspicias hīc afflictionē esse frēnū ad pestilētes cogitatio-
nes, tarpes voluptates, & falsas mundi vanitates cōercendas.

Simile.

Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino pau-
pertatis.] Non te statim interficiam, sed affligam te, & in fors-
nacem calamitatis & paupertatis mittam, vt tibi purgeris. Nō
omnino purificaberis vt argētum, in quo nulla manet rubi-
go, neque te tam duriter tractabo, vt tu mereris, alioquin te
perderem omnino: sed probabo te, & calamitatibus exerce-
bo, ne pereas, tibi que excidium compares. Et hoc faciam, ne
nomen meum blasphemetur inter gentes, & me ipso contē-
pto idola laudibus efferantur, nolo enim gloriam meā alteri
tribuere. Vide Dei clementiā, ideō nos in frænā, ne ad exci-
dium curramus, ideō nos affligit vt emendemur. Et ne peni-
tus consumamur, non tractat nos duriter, sed leniter affligit.
Docet hīc locus præfules & iudices, vt cum iustitia lenitate
coniungant, & afflictionem esse fornacem, cuius igne exer-
centur. Hæc est illa Babylonica fornax ignis ardentis, in qua
iusti exercentur, & Deum laudant: iniqui autem si nulla sint

Simile.

tolerantia muniti, incēdio flagrant. Docet præterea hic locus quanti Deus faciat gloriam, quã alteri tribuere nõ vult.

Audi me iacob, & Israël quem ego voco. Ego ipse ego primus & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est caelos. Ego vocabo eos, & stabunt simul. Congregamini omnes vos & audite. Quis de eis annūtiabit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldeis. Ego ego locutus sum, & vocaui eum, adduxi eam, & directa est via eius. Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israël. Ego Dominus Deus tuus docens te vilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris, & fuisset quasi arena semen tuum, & stirps vteri tui vt lapilli eius: non interisset, & non fuisset atritum nomen eius à facie mea. Egredimini de Babylone, fugite à Chaldeis, in voce exultationis annuntiate, auditum facite hoc, & efferte illud vsque ad extrema terræ. Dicite: Redimit Dominus seruum suum Iacob, non sitierunt in deserto cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ. Non est pax impiis dicit dominus.

Audi me iacob & Israël quem ego voco.] Voco vos ad penitentiã, voco vos vt ad me accedatis, voco vos ad beatitudinẽ, idẽo me audite, circumspecte celeriter animo Dei erga homines immẽsam pietatem, eos, quos modò in hoc capite hypocritas & transgressores appellauit, vocat & excitat ad penitentiam, & vt se disponãt ad gratiam. Si disponere se ad gratiam esset peccatum mortale, vt Lutherus asserit, non Deus nos ad hoc vocaret, & excitaret. Qua de re videre poteris eaq̃e suprà annotauimus capite 40. Colliges hinc neminem debere desperare de beatitudine, quamuis sit infinitis sceleribus implicatus, cum habeat Deum qui eum ad penitentiam vocat. Sed heu quã surdi fumus ad voces diuinas. Veritæ sunt aures nostræ in duriciem & furditatem. Idẽo queritur Deus per Esaiam dicens: Vocaui, & non erat qui audiret. Et per Ieremiam: Audite vocẽ meam, & non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed abierunt vnusquisque in prauitatem cordis sui mali.

Ego vocabo eos, & stabunt simul.] Cæli mihi obediunt, si eos vocaui, illico stabunt, & mihi peribunt. Intuere quẽs hominis duritiẽ, Cæli insensibiles, animæ & intellectus expectes

Supra 41.

¶ 44.

Exod. 17.

Nom. 21.

Infra 57.

Infra 50.

Ierem. 11.

partes Deo parent, homo verò rationis particeps, ad imaginem Dei factus, ipsi Deo non solum non obtemperat, sed resistit. Non sydera clarissima, non solem reliquorum luminum facile principem, omniaque sua luce complementem, non cælos ipsos admirabili conuersione & celeritate concitaros, & excellentibus astris distinctos, sed solum hominem scimus fuisse ad Dei imaginem & similitudinem procreatum. Et tamē solus ille Deo non parat, & obtemperantibus aliis, ille resistit. Vocat Deus cælos, & obediunt: Vocat hominē, & obedire non vult. Tempore Iosue stetit Sol iussu Dei, demisso cursu suo: at peccator à Deo vocatus nec vult stare neque quiescere. Venti & mare obediunt Christo, nos verò eius verba cōtemnimus, & pro nihilo putamus. Sumus multò leuiores vento, omni nimbo & procella furiosiores, omni maris mobilitate inconstantiores. O amentiam, ô duriciem, ô pertinaciam. Elementa naturaliter indomita obediunt creatori, solus homo resistit.

Iosue 10.

Matt. 8.

Luc. 5.

Congregamini omnes vos, & audite.] Nā qui discordes sunt, nulla vniri charitate, verba Dei audire non curant. Vide quē admodum nos Deus ad concordiam vocet. Est enim eius officium congregare, vt alibi fusc ostendimus.

Dominus dilexit eum.] Subaudi Cyrum, qui Deo morē gessit, euertens Babylonem, exercens brachium suum in Chaldaeis, & liberans Hebræos. Ei Deus locutus est, eumque vocauit, & fuit via eius recta & plana. Hæc quamuis de Cyro dicantur Hebræorum liberatore, ad Christum tamen mundi saluatorem conuenientius referuntur, quem Esaias cum ea literis mandaret, contemplabatur. Porrò Iesus Christus est ille, quem Deus pater dilexit, de quo ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipse est, qui fecit patris voluntatem, qui de se ipso ait in psalmo: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Quem locum Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos de eodem Christo explanauit. Hic est qui Babylonem, hoc est mundi confusio-nem subuertit, brachiumque suum, hoc est, potentiam suam in demones Chaldaeorum nomine significatos ostendit. De eo ait in Apocalypsi D. Ioannes: Vicit leo de tribu Iuda. Hec igitur Christo conueniunt, ad eumque cum his, quæ statim sequuntur sunt absque dubio referenda.

Matt. 17.

2. Petr. 1.

Psal. 39.

Heb. 10.

Apoc. 5.

Non à principio in abscondito locutus sum.] Hoc est, ego à meæ prædicationis exordio palam docui. Verba sunt Christi, qui apud Ioannem, Ego, inquit, palam locutus sum mundo. Ego

Ioan. 18.

semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt. & in occulto locutus sum nihil. Potest hoc referri ad legis latonem in monte Sinai. Et hæc est meo iudicio germana huius loci explanatio. Ita hunc locum exponunt antiqui Hebræorum Rabbini in commentariis in decimum nonum caput Exodi, illa verba interpretantes: Venerunt in solitudinem Sinai Quorum ad literam hæc sunt verba. Data est lex in publico, vt omnis qui voluerit, eam recipiat, & ideo Deus sanctus & benedictus ait per Esaiam 48. Non à principio in abscondito locutus sum. Hæc illi. Ex hoc loco probatur falsum esse & commentitium id, quod Iudæi dicunt de Cabala. Aiunt enim Deum in monte Sinai præter legem scriptam aliam dedisse Moyse verbatantum, quam Moyse successori suo reuelaret, & ille posteris suis, vt ita per aliquos successores de manu in manum seruaretur. Huius figmenti author fuit quidam Idumæus magnus nomine Mair, quæ Iudæi post templi incendium Hierosolimæ per Titum Vespasianum euersionem & vastitatem in suam societatem receperunt, eum Melsiam esse affirmantes. Hic cum videret Iudæos veteris testamenti authoritatibus à Christianis cõuinci, cum esset astutus & uaser, hanc malitiam inuenit, vt hac lege secunda se aduersus Christianos defenderet, asserens Deum multa in ea docuisse, quæ ex diuerso legi scriptæ repugnarent. Hanc legem appellant Hebræi Cabalam, hoc est traditio, quòd fuerit oretentus à patribus tradita filiis, & ita ad eos propagata. Nec solum hic quieuit eorum infania, sed etiã fuit longius dilatata. Nã surrexerunt multi ex Hebræis, qui totum legis scriptæ sensum negarunt, asserentes eius verum intellectum ex literarum nominumque combinatione deprobi, atque in ingenij subtilitate consistere. Et hi Cabalistæ nominantur. Cuius sectæ & vanitatis author est Simonem quendam esse tradiderunt. Hanc falsam inuentionem & impietatem refutat hoc in loco Deus per Esaiam dicens: Nõ à principio in abscondito locutus sum. Ac si dicat: Ne dicatis me legem aliquã in abscondito tulisse: omnia enim, quæ vobis præcepti in monte Sinai, fuerunt à Moyse ad vos relata, publicæque mandata monumentis. Ita enim capite 24. Exodi scriptum legimus: Venit ergo Moyse & narrauit plebi omnia verba Domini atque iudicia Respon ditque cunctus populus vna voce. Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyse vniuersos sermones Domini. Hæc ibi. Aspicias igitur nullã aliã legem Deum Moyse dedisse, nisi eã, quam scriptam habemus, à Moyse quin-

que

que suis libris mādaturam: & ex consequenti falsam esse impij Cabalistarum opinionem, & merum figmentum.

Nec tempore antequam fieret, ibi eram] Id est à principio, quādo pater meus dedit vobis legem in monte Sinai, ibi erā ego cum patre, dans vobis legem ipsam,

Et nunc Dominus Deus misit me & Spiritus eius.] Conne-ctuntur in hunc modum verba hæc cum præcedentibus. Ego ait Deus, nullam vobis legem dedi in occulto, in mōte Sinai plane locutus sum. & ibi eram cum patre & Spiritu sancto in legislatione. Sed quoniā legis ceremoniæ sacrificia, & iudicia non erant nisi vsque ad euangelium duratura, ideo nunc misit me pater & spiritus sanctus, vt vos euangelium doceam, à peccatis tenebrisque ad gratiam claritatemque vindicem, atque pro mundo me in crucis ara hostiam deuoueam atque constituam. Hæc est perspicua, vera, & germana huius loci intelligentia. Non torqueo nec corrumpto literā, sed vt iacet, & verè sonat, atque est, eam interpretor. Dicebat paulò antè deus, Ego primus & ego nouissimus, manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos. Quæ quidem verba nemini præter Deum conuenire possunt. Ipse enim est

α & ω. principium & finis, totius vniuersi creator & rector. Et continuans sermonem suum ait post pauca verba: Accedi te ad me, & audite hoc. Non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nūc dominus Deus misit me, & spiritus eius. Et volens diuinus vates clarius ostēdere Deum esse hunc, qui loquitur, subdit statim: Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israël. Afpicis planè Deum esse qui ait, se esse à patre, & Spiritu sancto missum. Distinctè hic loquitur propheta. nulla vtens implicatione, nulla obscuritate. Hic qui loquitur est missus à Deo, atqui hic, qui loquitur, est Deus, ergo Deus est missus à Deo. Duo ex hoc loco colligimus, prius est Mesiā Deū esse, postea rursus verò Deū, qui est in essentia vnus, esse in personis trinū: Prius ita ostēdo. Qui mittendus erat à Deo in hominū generis redemptionē, est Mesiās, atque ille, qui hic loquitur, fuit à Deo missus ad humanam redemptionem, est igitur Mesiās. Tū sic. Hic est Deus, & hic est Mesiās, ergo Mesiās est Deus. Quis non videt esse validissimas has ratiocinationes: Sed quoniā capite 40 multis verbis Christi diuinum numē ostendimus, ad secundum propositum nos conferamus. Hebræi nostræ memoriæ non possunt ferre trinitatis mysterium. Aiuat enim Deum esse vnum, in quo nulla pluralitas, nulla

Apo. 1.
c. 22.

personarum distinctio reperitur : nec posse probari ex veteri
 testamento esse in Deo aliquam distinctionem . Eam ob cau-
 sam opere precium esse duxi , mysterium trinitatis illis hoc lo-
 co ostendere , orationemq; longius , quam fortasse par erat ,
 dilatare . Moyses in Genesis exordio ita inquit : In principio
 creauit Deus cœlum & terram , & pro Deo posuit Elohim ,
 quod est nomen pluralis numeri à singulari eloha , quan-
 quam non desint qui asserant , eius singulari esse el , inter quos
 est R. Aben hezra in sua huius loci expositione . Quare Moy-
 ses voluit hîc Deum numero multitudinis appellare , nisi vt
 in diuinis personarum pluralitatem ostenderet ? Et quare dix-
 it , creauit , in singulari , nisi vt essentia vnitatem demonstra-
 ret ? Voluit sanctissimus vates sapientissimusq; Diuinæ legis
 scriptor statim in eius frontispicio sanctissimæ trinitatis ad-
 mirabile sacramentū significare . Et paulò post : Dixit Deus ,
 inquit . Fiat lux : Quibus verbis innuit verbum Dei per quod
 omnia facta sunt , quod verbum nos dicimus esse filium : quæ
 etiam ostendit , dicens : In principio creauit Deus cœlum &
 terram : Est enim filius principium , per quod omnia facta
 sunt . Et paulò post ait : Et spiritus Domini ferebatur super
 aquas . Vbi vides trium personarum distinctionem . Per De-
 um intelligit patrem , per principium & verbum filium , per
 spiritum Dei spiritum sanctum . Intelligi autem per spiritum
 Dei spiritum sanctum indicat Thargum Hierosolymitanū
 ita vertens : Spiritus misericordiarum siue gratiæ flabat su-
 per facies aquarum . Vt sit sensus : Spiritus sanctus illam mo-
 lem fouebat , illicque incubabat , vt gallina suis ouis , quæ ea
 calore suo calefaciat & animet . Ita illum locum Magnus
 Basilius interpretatur . Has duas personas alloquitur pa-
 ter , dicens paulò post in eodem capite . Faciamus hominem
 ad imaginem & similitudinem nostram . In verbo , faciamus ,
 innuitur personarum pluralitas : in verbo imaginem essen-
 tiæ vnitatis . Capite decimo octauo eiusdem Geneleos sunt
 hæc verba ad literam : Apparuit autem ei , nimirum Abraha-
 mo , Dominus in conualle Mambrae sedenti in ostio taber-
 naculi sui in ipso seruore diei . Cūque eleuasset oculos , ap-
 paruerūt ei tres viri stantes prope eū . Quos cū vidisset , cu-
 rrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui , & adora-
 uit in terra , & dixit : Domine si inueni gratiā in oculis tuis ,
 ne transeas seruum tuum , &c . Vbi nos habemus , Dominus ,
 est in Hebraico Iehouah , nomen Dei Tetragrammaton ,
 quod soli Deo conuenit . Ideò poterat rectissimè verti : Ap-
 paruit

paruit autem ei Deus. Et paulò pòst in eodem capite. Vbi nos habemus: Dixit autem Dominus ad Abraham: **Quare risit Sara vxor tua?** Pro Domino est etiam in Hebraico idem nomen Iehouah. In hac visione essentiae diuinæ vnitatem, tria nãmque personarum distinctionem, altè spectare si voles, mētis oculis perspicies. Quid enim voluit scriptura significare dicens, Abrahamum tres vidisse, & vnum adorasse, nisi vnam esse atque simplicissimam deitatem, tres verò personas distinctas? Id in principio capitis ostenditur, cum dicitur apparuisse Abrahamo Deum, & statim tres viros. Si Abrahamus in illis tribus personis vnicam essentiam non cognouisset, non dixisset quidem: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, sed Domine si inueni gratiam in oculis vestris. In Deuteronomio sunt hæc verba capite sexto mandata. Audi Israël: Dominus Deus noster Dominus vnus est. Quæ verba ita possunt verti ex Hebraico: Audi Israël: Deus Deus noster Deus vnus est, nam pro domino in vtroque loco est in Hebraico Iehouah, Nominans scriptura Deum ter, indicat esse trinum, & volens vnam eius essentiam significare, ait esse vnum. Et aduerte. Nec Deo, qui primo loco ponitur, neque qui vltimo, sed tantum qui secundo loco est, additur, noster: quia nec pater, qui prima persona est in trinitate, neque Spiritus sanctus qui tertia est, sed solus Filius, qui est secunda eiusdem trinitatis persona, per nostræ humanitatis assumptionem & participationem noster futurus erat. Hunc locum explanans Rabbi Simeon Hebræus, fatetur nobiscum ex eo probari trinitatis sacramentum. Cum hoc loco maximè cohæret id quod dicitur in Psalmo: Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Non ait: Metuant eos, sed eum, vt eius vnitatem ostenderet, cuius trinitatem significaret. Hanc veritatem voluit ostendere idem vates, dicens in psalmo: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Per Dominum Pater, per Verbum Filius, per Spiritum oris eius Spiritus sanctus intelligitur. Verbum Græcè λόγος, logos, dicitur, quod multa significat, nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt. Probat ex hoc psalmo, totam trinitatem mundum creauisse, quoniam trinitatis opera ad extra sunt indiuisa. Hoc verbum est Sapientia illa increata, quam Salomon in Prouerbiis ita facit loquentem: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret:

Psal. 66.

Psal. 52.

Prou. 8.

fieret: Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.
 Et paulo post: Quando appendebat fundamenta terræ cum
 eo eram cuncta componens. Hoc trinitatis mysterium signi-
 ficauit Esaias capite sexto, dicens Sanctus, Sanctus, sanctus,
 Dominus Deus Sabaoth. Cui simile est testimonium hoc,
 quod aserit in præsentī, ita Christum loquentem indu-
 cens: Et nunc Dominus Deus misit me & spiritus eius. Vbi
 etiam vides Filium fuisse à Patre & ab Spiritu sancto missum,
 quod alibi annotauimus. Hæ tres personæ operatæ sunt in-
 carnationis mysterium, sed solus Filius sumpsit humanā car-
 nem. Tres virgines efficiūt quādam vestem, sola vna eam in-
 duit in die suarum nuptiarum. Ita in nuptiis Christi cum hu-
 mana natura, in magno atque admirabili sacramento inter
 Christum & Ecclesiam tota trinitas operata est incarnatio-
 nem, sed solus filius hanc vestem nostræ mortalitatis induit,
 vt maculas nostras abstergeret, viamque æternæ beatitudi-
 nis consequendæ aperiret. Ille nobis hoc trinitatis sacramen-
 tum ostendit, dicens: Euntes ergo docete omnes gentes, bap-
 tizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. In
 nomine vtique ait, non in nominibus, vt cum trinitate perso-
 narum vnitas essentia ostendatur. Non tibi cito ò Hebræe
 Euangelium, vt eo te conuincam, quod nequaquā admitis,
 sed vt videas quemadmodum vtriusq; testamēti testimonia
 sint sibi consona & cohærentia. Nec solum diuinæ literæ, sed
 etiam gentiles Philosophi personarum distinctionem in di-
 uinis tuo modo cognouerāt. Plato in epistola quadā ad Di-
 onysium hæc verba scripta reliquit: Omnia sunt apud regem
 mundi, & propter eum est quicquid est creatum, qui est om-
 nium bonorum causa. Et mox post hunc regem est totum
 in secundo, & post illū in tertio. Plotinus ita ait in libro triū
 substantiarum: Si quæsieris quis genuerit exemplar & sapi-
 entiam, huiusque mundi opificem, dico illum fuisse simpli-
 cem, qui in causa est, vt hic genius sit talis tantæque magni-
 tudine præditus. Et Paulō post comparat filium respectu cæ-
 lestis patris cum splendore respectu Solis. Aemilius loquens
 de filio Dei, ait hoc esse verbum, per quod omnia facta sunt,
 vt Heraclit⁹ asserbat. Philo Platonicus in libro de bonis ir-
 risis à malis, appellat Dei filium eius imaginem, & verbum
 sacratissimum, à quo ait fuisse mundum formatum. Aspicias
 Hebræe non solum literas diuinas, sed etiam humanas
 distinctionem in diuinis, quam tu tantopere refugis &
 detestaris, affirmare. Nos verò credimus in sanctana
 trini.

Supr. 6.

Simile.

Matt. vii.

trinitatem, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Vnum Deum omnipotentem, vnius essentia, vnius potentia, creator omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: æternum, incommutabilem, qui totus ubique est, totus ubique præsens, non per partes diuisus, sed totus in omnibus locis, non localiter, sed potentialiter, qui absque sui munitione cuncta mirabilia creauit. Huius filius venit in mundum, qui ait hoc in loco: Et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.

Facta fuisset quasi flumen] id est, abundans, & perpetua.

Et non fuisset attritum nomen eius à facie mea.] Hoc est, non fuisset nomen Israël vtile coram me.

Egredimini de Babylone, fugite à Chaldeis.] Vaticinatur propheta de Iudeorum liberatione à Babylonica captiuitate. Facit Deum loquentem, Hebræis que ad egressionem & fugam à Chaldæa exhortantem. Et quanquam hæc de Babylone illa in Chaldæa sita intelliguntur, existimo tamen Esaiam respexisse præcipuè ad communem Babylonem, hoc est, ad confusionem mundi, ad quam fugendam Christus nos hoc in loco hortatur, omnibus præcipiens, vt seruent mandata absque quorum obseruatione nemo potest vitam comparare. Illi egrediuntur à Babylone, fugiuntque à Chaldeis qui contemptis pestiferis voluptatibus, relicti que turbulentis negotiis, se dedunt Christianæ philosophiæ, qua animis medetur, inanes cogitationes detrahit, effrenatas cupiditates sedat, aut longius pellit. Ait igitur: Egredimini de Babylone vos qui in confusione & perturbatione hæcenus vixistis. Habetis animum excelsum & altum, contemnite infima, fragilia, & caudate & aspirate ad sublimia, cœlestia, & immortalia. Relinquitte mundum. Fugite à Chaldeis, fugite ab animæ hostibus, fugite à falsis appetitibus, reuocate mentem à sensibus, cogitationem à deprauata consuetudine abducite: fugite à vobis ipsis: nam hac in re egredi est vincere, fugere est triumphare. Egrediamur igitur & fugiamus, vt consequamur victoriam, & non solum de hostibus extraneis, sed etiam de nobis ipsis honorifice triumphemus. Dauid ille regum illustrissimus in 3. psalmo Deum in hunc modum alloquitur: Quoniã tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum cõtriuisti. Quibus verbis cum aliis concinit victoriam, quã de hostibus suis reportauit. Et in principio psalmi hæc verba literis mandauit: Psalmus Dauid, cum fugeret à facie Absolon filij sui. Hęc est psalmi descriptio, Parauit Absolon bellum

lum aduersus patrem suum regem omni virtute ac laude præstantem, voluit per summum scelus ius diuinum & humanum violare & peruertere, atque de regni pernicie & ignominia cogitare: Quoniam ad principatum, & ad falsam inanissimam diuinitatem cupiditatem incredibiliter exardebat. Cum autem Dauid intelligeret filium suum contra eum surrexisse & coniuurasse, aufugit, & hunc Psalmum literis mandauit. Quid est hoc rex illusterrime; Canis victoriam tuam, & in principio, statim in frontispicio Psalmi ais te fugisse. Non hæc videntur inter sese cohærere, nempe fugere & superare. Si psalmum tuæ victoriæ componeres, quando cum magno triumpho ingressus es Hierosolymam pro victoria quam de Goliath fortissimo Philistinorum mirabiliter reportasti, nulla occurreret dubitatio. Solent enim victores carmina atque cantica suarum victoriarum canere, memoriæ proderent, & literis consignare. At cum dicas psalmum hunc composuisse, cum fugeres à facie Absolon filii tui, videris à te ipso dissentire. Hæc sunt quæ prima fronte se offerunt. Sed si ea voluerimus altè perpendere, & attentius intueri, videbimus aperte nullam hic esse repugnantiam. Omitto illam interpretandi rationem, quam literalem vocant: venio ad moralem. Per hunc Absolon filium Dauidis intelligitur appetitus, qui ab eo generabatur. Quid est fugere Dauidem à filio suo qui contra eum insurgere, eique bellum parabat, nisi fugere ab appetitu, à turbido motu, à confusione, à peccandi occasione, & à mundi vanitate? Hæc est illusterrima victoria, excellentissimus triumphus, præstantissimum monumentum, & amplissimum rerum gestarum trophæum. Quæ potest esse gloriosior victoria quàm vincere ipsum? atqui in hoc bello à seipso fugere, seipsum vincere, & carnem, dæmonem, & mundum superare. Vincere alios est humanum, at vincere hominem seipsum est diuinum. Hæc inquam, hæc est victoria illa, quæ gloriam illam consequitur, quæ viget memoria omnium seculorum, quam posteritas alit, quæ omnes intuentur & admirantur. In libro Iosue scriptum legimus, fugisse Israëlitas ut vincerent, & hæc fuga de rege Hai ciuitatis victoriæ reportasse. Fugiebant ab inimicis, relinquebāt ciuitatem, & se in solitudinem recipiebant, & erat Iosue cum fugientibus. Hai idem est quod chaos, siue confusio. Vis vincere tuorum appetituum confusione, fuge ab illis, fuge à teipso, & vices teipsum: fuge à mundi confusione, derelinque mundum, & vices eum, & erit tecum Iosue, hoc est, Iesus, cuius ille Iosue imaginē gerebat. Quid igitur

Iosue 8.

igitur facimus? cur non fugimus mundum, cur in eo detine-
mur, cur cupiditatibus obtemperamus? Audiamus Christū
dicentem: Egredimini de Babylone, fugite è Chaldeis, Et in
Euāgelio. Si quis vult, inquit, venire post me, abneget semet-
ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et Apostolo
rum princeps, Per hoc, inquit, efficiemini diuinæ confortes
naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est cōcupiscentiæ cor-
ruptionem, Et Ioānes in Apocalypsi: Facta est, inquit, Baby:
lon habitatio dæmoniorum. Et paulò post: Et audiui aliam
voce[m] de cælo dicentem: Exite de illa populus meus.

Luc. 9.

2. Petr. 1.

Apoc. 18.

Dicite: Redemit Dominus seruum suum Iacob.] Intelliguntur
hæc de beneficiis, quæ Deus contulit in Hebræos, sed melius
ad redemptionem generis humani per Christum referuntur,
ad quam Propheta cum hæc scriberet, respiciebat.

*Non fuerunt in deserto, cum educeret eos, quam de petra pro-
duxit eis.*] In hoc capite vaticinatur Esaias de liberatione ex
Babylonica captiuitate, & de Iudæorū reditu ad patriam suam
sub Esdra & Zorobabele, & excitat eos ad agendas Deo gra-
tias pro tam insignibus beneficiis, & ad ea prædicanda & ce-
lebranda: inter quæ beneficia numerat hæc, quæ hoc loco cō-
tinentur. Sed si præteriti temporis memoriam respiciamus,
& sacrorum librorum historias replicemus, nō inueniemus
hęc in reditu è Babylonica captiuitate cōtigisse. Sed dici pos-
sunt instar prioris felicitatis, quando ab Aegyptiaca serui-
tute reuertebantur. At cum per Babylonicam liberationem
generis humani per Christum redemptio significetur, existit
inno absq; dubio Prophetam hæc ad tempus gratiæ retulisse.
Liberans enim Christus à mundi confusione homines in tes-
nebris vagantes, non permisit vt in deserto siti perirēt. Dedit
illis gratias aquas gratiæ & doctrinæ, quarū haustu atq; potu
concepti visceribus sitim sedarent, ardoremq; refinguerent.
Scissa fuit petra, & fluxerunt aquæ: Petra autem erat Chri-
stus, vt vas electionis ad corinthios scribēs apertissimè testa-
tur. Fuit igitur hæc petra aperta in latere virga Moyssi, hoc est
militis lancea, à cuius vulnere exiuit sanguis & aqua, quibus
nos redemit & abluit.

1. Cor. 10.

Ioan. 19.

Non est pax impiis, dicit Dominus] Dixerat liberandos esse
Hebræos à captiuitate Babylonica, & Hierosolymam reuer-
suros. Sed quoniā sciebat multos malfuros esse in Chaldæa,
qui nollent ad patriam redire, nec pace gaudere, ideò ait. Nō
est pax impiis. Sed potius existimo Prophetam ad eos respi-
cere, qui post Christi mortem nec voluerūt bibere de petra,
nec

nec Babylonem, hoc est, mundi perturbationem relinquere, nec in spiritali pace & trāquilla animi securitate viuere, sed in pristino errore permanētes, Hierosolymā, hoc est, visionē pacis contempserunt. Ob eā causam ait: Non est pax impiis, dicit Dominus. In animo enim impiorū nulla est pax, nulla quies. Gignuntur enim ex appetitione impia turbidi & concitati animorum motus auerſi à ratione, inimici pacis vitē tranquillæ, qui animum inflammant bello intestino, & quodam furore à pace & temperantia plurimum disſidente. Ex quo efficitur, vt impij in medio pacis etiā sine pace viuant: contrā vetō iusti & pijs in medio belli pace oblectētur. Zenophon dicebat pacem videri esse maximum hominibus bonū bellum maximum malū. Hæc animi pax est illa *εὐθυμία*, hoc est animi tranquillitas, quam Democritus dixit esse summā mundi felicitatem. Sed hi adhuc in tenebris versabātur, nec vera animi pace gaudebant. Vera, dulcis, ac cœlestis pax est ea, quā Christus attulit mundo, de qua ipse ait apud Ioannē Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. De eo regius vates multo antea fuerat iis verbis vaticinatus. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. Qua de re capite 2. & 9. & 26. & alijs in locis latè disseruimus.

Isa. 24.
Psal. 45.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XLVIII.

Propter nomen meum longè faciam furorem meū, & laude mea infranabo te, ne intereas.] Septuaginta habent: Propter nomē meū ostendā tibi furorē meū, & glorioſa mea inferā super te, vt nō te interficiā. Vbi aspicias Deū gloriā suā ostēdere in sceleratorū castigatione, & idē nos castigare, ne nos interficiat. Cōsidera q̄ vtile nobis & salutare sit à Deo puniri, cum idē nos puniat, vt saluos faciat. Qua de re alibi disseruimus. Ceterum pro eo quod Septuaginta dixerunt, Ostendam tibi, in Hebræo est aarich, à verbo aarach, q̄ significat prolōgare, vt Deuter. 6. vt prolongentur dies tui. Vnde aerech significat, longum, & longanimum, pro quo nosier interpres vertit misericordem, vt in psalmo. Misericors & miserator Dominus. Vnde apparet meliorem esse hoc in loco versionē communem, quam Septuaginta interpretationē: significat enim hoc verbū prolongare, & longefacere, & dimittere. Sed quoniam qui rē prolōgat, eam extendit, & quo magis eā extendit, eo mā-

Dent. 6.

Psal. 102.

eo mā-

eo magis eā ostendit. Verterūt Septuaginta: Ostendā tibi, & rectē quidē. Pro quo Pagninus vertit: Propter nomen meū elongabo furorem meum. Quod potest habere vtrumque sensum & versionis communis, & septuaginta interpretum. Nam elongare furorem dicitur, qui furorem longum facit, & iram vehementer ostendit, & qui furorem à te elongat & dimittit.

Et laude mea infranabo te ne intereas.] Pro infranare est in Hebraico verbum chatā. Ita enim scriptū est echehetam lac. Quod potest rectissimē ita verti: O laudem meam infranabo tibi iram meam, ne intereas. Pro quo quidam vertūt: Propter laudem meam frēnum iniiciam mihi tui causa, ne te omnino excindam. Verbum hoc refertur ad iram & furorem, quem status narium indicat, vt de equis scribit Vergilius 3. Georg. Collectumq; premens voluit sub naribus ignē. Vno enim vocabulo Hebrēi & nares & furoris fremitū significāt, nempe aph. Et eam ob causam Iudæorum Rabbini ita hunc locum vertunt: Et ob laudem meam obturabo nares tibi, tei causa tui. Quasi dicat: furorem meum continebo, ne te penitus euertam.

Ece excoxi te.] In hebrēo est hinneh tseraphitica, à verbo tseraph, quod significat coquere, fundere autē ad purificandum illud, purgare, & examinare. Fundit nos Deus, vt nos afflictionibus purget ab scoriis, & nitidos efficiat. Vt es quādo funditur non perditur, quoniam ex eo elegās statua efficitur; quā nisi æs fundatur, confari non potest, sic quādo nos Deus igne calamitatū fundit, non nos perdit, sed vult ex nobis, ex rudi, misto, impuro metallo preciosam statuam conficere, ad quos oportet, vt, in fornace fundamur & purificemur. Illud Psal. Eloquia Domini igne examinata, poterat etiā verti: Eloquia Domini igne concocta & purificata: *De Psal. 17.* ducitur enim ab hoc nostro verbo cuius deriuata significāt etiam probationem & soliditatem.

Ego primus & ego nouissimus.] Septuaginta habent: Ego sum & primus, & ego in sempiternum.

Argumentum Capitis XLIX.

Inducit diuinus vates Christum loquentem, & ad gentes, vt eius verba attentis auribus percipiant, clamantem. Nam vocatis reliquiis Israelis, & abiectis contumacibus Iudæis in sua perfidia manentibus, transit ad gentium vocacionem,

nem. Prædicit Christianos educandos esse animorum pabulo & aquis gratiæ doctrinæq; reficiendos. Ostendit Deū non esse oblitum suorum, nec eos derelinquere, etiam cum maxime derelicti, & periculis vndique cincti videntur. Promittit Christum spolia à dæmone ablaturum, & Israëlī libertatem donaturum.

CAPVT XLIX.



Infra 32.

V dite insula, & attendite populi de longè: Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam in phareta sua abscondit me. Et dixit mihi: Seruus meus es tu in

Israhel, quia in te glorior. Et ego dixi, in uero laboraui, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo: Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex utero seruum sibi, ut reducam Iacob ad eum, & Israhel ad eum congregabitur, & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & facies Israhel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terre. Hæc dicit Dominus redemptor Israhel sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum: Reges videbunt & consurgenti principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israhel qui elegit te. Hæc dicit Dominus. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, ut dices his qui uincti sunt: Exite: & his qui in tenebris, reuelamini.

Supra 42.
Act. 13.

2. Cor. 3.

EXPLANATIO.

*A*udite insula & attendite populi de longè.] Nomine insularū gentes intelligit. Nam explicans quæ sint hæ insulæ dicit statim: Et attendite populi de longè: Hoc est, qui procul abestis: aut, Attendite gētes, ut Septuaginta uerterūt. In hoc eodē capite prope finem, ubi nostra versio habet. Ad populos exaltabo signum meum. habent Septuaginta: Super insulas leuabo signum meum. Vbi uides per insulas populos significari. Appellantur gentes insulæ, quia priusquam Euāgelium reciperent,

perent, maris huius mundi fluctibus parebant, & à vitiiis & erroribus vndique agitabatur. Vel per insulas intelligit insulares. Ac si dicat: Audite me etiam vos gentes remotissimæ, quæ in abstrusis insulis lœgæque distantibus habitatis. Non solum alloquor Iudeos, sed gentes etiam remotissimas.

Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris mee recordatus est nominis mei. Verba sunt Christi, quem Deus pater ab utero matris sue ordinauit, & ad hoc destinauit, ut esset redemptor noster. Indicant hæc verba Christum esse verum hominẽ, cuius nominis recordatus est Deus. Sic enim dixit angelus Ioseph: Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. Et sanctissimæ virginis Mariæ: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.

Mat. i.

Luc. i.

Et posuit os meum quasi gladium acutum. Ut spiritu oris mei interficiam impium. Hic gladius est verbum Dei, de quo ait Apostolus: Et gladius spiritus, quod est verbum Dei. Et Ioannes in Apocalypsi: De ore eius gladius vtraque parte acutus. Huius gladij meminit multis aliis in locis scriptura.

Eph. 6.

Apo. 10.

In umbra manus sue protexit me. Septuaginta habent: Sub protectione manus suæ abscondit me. Vbi aspicias nomine vmbre protectionem significari. Ita in psalmo: In umbra alarum tuarũ sperabo, donec transeat iniquitas. Et in psalmo, vbi vulgata editio habet: Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur: vertunt quidam: Qui habitat in latibulo Altissimi, in umbra omnipotentis commorabitur, vbi nostra versio sic habet: Protexit me, posuerunt Septuaginta, abscondit me: quoniã Deus iustos abscondit, quemadmodum dicitur in psalmo. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Psal. 56.

Psal. 99.

Psal. 30.

Et posuit me sicut sagittam electam. Omnes sancti concionatores dicuntur sagittæ per orbem discurrentes. Et de illis intelligunt nonnulli id, quod dicitur in psalmo. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Non solum os concionatoris dicitur sagitta, sed totus ipse sagitta est, si verè concionator est, tota enim eius vita debet hominum corda penetrare. Non solum verbis, sed etiam factis debet concionari. Sermo concionatoris comparatur gladio, quoniã propinquos tantum vulnerat, & solum auditores attingit; at exemplum vitæ bene actæ est sagitta, quæ non solum præsentis, sed etiam abien-

Psal. 44.

Simile.

Pp virtutum

virtutum ornamentis exculti, verbo & exemplo Christum prædicauerunt. At inter omnes sagittas vna est electa omnium absque vlla comparatione excellentissima: quæ nunc ait: Et posuit me sicut sagittam electam. Filius Dei vnigenitus Christus Deus noster est, qui hoc de seipso asserit, qui veritatem docuit, qui seipsum proposuit exemplum, qui mortem pro veritate sustinuit à perfidis Iudæis illatam, quorum odia in illum incredibiliter ardebant, quoniam eorum sagittia vituperabat, qui morte sua tyrānidem antiqui hostis extinxit, & hominum genus sanguine suo expiauit. Hac sagitta, vulnerata sponsa, hoc est, anima Deo deuota, dicebat in Canticis: Percussit me & vulnerauerunt me. Hac sagitta vulneratus Petrus fleuit amarè. Hac percussa Magdalena fluuio profundebat lachrymarum: erant enim eius lachrymæ sanguis cordis vulnerati, qui per oculos fluebant. Quam beatum est hac sagitta transigi. Vtinam Domine Iesu animam meam hac sagitta percuteres vt tui amore transfixa diceret cum spōsa: Aduro vos filij Ierusalē si inueneritis dilectum meum, vt annuntietis ei, quia amore langueo. Fuit hæc sagitta diuina abscondita in carne humana, quæ est pharetra, de qua hoc in loco dicit: In pharetra sua abscondit me. Appellat se Christus sagittam, & supra os suum cum gladio acuto comparauit, quoniam eius sermo cum ab eo proferebatur solum à præsentibus audiebatur, sed erat ipse sagitta, quæ per vniuersum terrarum orbem & scurrēs etiam gentes à terra sancta longè remotissimas charitate vulnerauit.

Cant. 5.

Matt. 27.

Luc. 7.

Cant. 5.

Philip. 2.

Psal. 56.

Seruus meus es tu.] Appellat Deus pater Christum seruum suum, quo ad humanitatē, Et de eo Apostolus. Semetipsum inquit, exinaniuit formam serui accipiens.

Quia in te glorior.] In psalmo alloquens Pater filium suum, Exurge, inquit gloria mea, exurge psalterium & cithara, hoc est, omnium virtutum harmonia. Potest ita explanari: In te gloriosus apparebo. Vel, Tu gloriam meam quæris.

Et ego dixi in vacuum laboraui.] Pater me misit, vt ego homines vocarem, & ad ipsum adducerem. Et dixit mihi: Seruus meus es tu Israël, quia in te glorificabor. Et tamen magnam partem hominum ad ipsum non reuocaui: Vocauit eos, mortuus sum pro mundi salute, sed illi noluerunt à sua infidelitate discedere. Hæc ostendunt libertatem arbitrii. Nā si necessario damnandi erant, quorsum eos vocabat Christus, & pro eis laborabat, vt eos ad se traheret? Vocauit eos Christus, & non venerunt, quia noluerunt, habebant enim liberum arbitrium.

arbitriū. Si facerent quod in se erat, Deus qui eos vocabat, iſ
ſis gratiā tribueret. Sed voluerūt potius creaturā q̄ creatorē
diligere: & ſe ad gratiā nō diſpoſuerūt. Et quoniam Chriſtus
omnia fecit, quę pro eis facere debuit, ait: Ergo iudiciū meū
cum domino & opus meum cum Deo meo.

Et Iſraēl ad eum congregabitur.] In Hebraico eſt: Et Iſraēl ad
eum non congregabitur. Et ita habet verſio, cui Diuus Hieronymus
adiexit commētaria. Et codices Latini correkti vul
garę editionis habēt ad marginem particulam, Non Pagni
nus verit: Iſraēl non congregabit ſe. Chriſtus diſperſos ac er
rantes Iudæos congregare volebat, ſed illi noluerunt congre
gari. Oſtendit hic locus contumaciam & perfidiam Iudæo
rum, qui tantis Chriſti miraculis, tot diuinis beneficiis nolue
runt deliniri nec conuerti, ſed in ſua duricie permanferunt.

Dedi te in lucem gentium.] Hebræi noſtri temporis aiunt ſe
ſpectare Meſiā illis promiſſum, qui eos à captiuitate in qua
detinentur, liberet, externorumq; aſſuentionem illis largiatur.
Aiunt enim in ſuis contineri ſcripturis eſſe Meſiam pro eis
tantum venturum, non autem pro gentibus, quas cæcæ eſſe
exiſtiant, ſemp̄que in tenebris eſſe permanſuras. At eorū
ſcripturę locis prop̄ infinitis illis contrarium oſtendunt. Nō
vident cæci homines, Deum hic per Eſaiam ita Meſiæ dicē
tem: Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitādas tribus Iacob
& hæc Iſraēl couertēdas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis
ſaius mea vſque ad extremum terrę. Duo hic ait Diuinus va
tes, alterum eſt, paucos ex Iudæis fuiſſe conuertendos: alte
rum verò infinitas gētes à principio ad finem vſque terrę fu
iſſe per Chriſtum illuminandas. Id quod ipſis oculis aſpici
mus manentibus enim plerique Hebræorum cæcis, denſaq;
caligine circumfuſis, fuerunt gentiles per Chriſtum animi
lucem veramque ſalutem & immortalitatem conſecuti. Ipſe
Meſias apud hunc noſtrum vatem capite 45. Conuertim
ni, inquit, ad me, & ſalni eritis omnes fines terrę. Non ait:
Et ſalua eris tu o Iudæa, ſed omnes fines terrę dixit eſſe ſalu
tem conſecuturos, ſi ſe à vitis abducerent, verumque Chri
ſtum hominum generis ſaluatorem rectperent. Id intruens re
gius vates præcinebat: Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, *Pſal. 97.*
in conſpectu gērium reuelauit iuſticiam ſuam. Et paulò poſt
Viderunt omnes termini terrę ſalutare Dei noſtri. Hanc ver
ritatem prædixit Eſaias capite quinquageſimo quinto in hæc
verba prorumpens: Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, *Infra 55.*
& gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current pro
pter

Zach. 2. pter Dominum Deum tuum. Zacharias capite secundo, Applicabuntur, inquit, gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Oseas capite secundo: Et dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicit: Deus meus es tu. Quem locum D. Paulus ad hoc propositum citat in epistola ad Romanos, & Diuus Petrus in sua prima epistola canonica. Esse autem ex Hebræis paucos conuertendos ostendit Esaias cap. 1. & 10. vbi eos semen & reliquias vocat, & cap. 17. & 65. tam paucos dixit esse Mesiã recepturos, vt paucis racemis post vindemiam in vitibus relictis granoque in botro manenti comparentur. Et hic ait Israellem non fuisse ad Mesiã congregandum, a quo Gentēs erant illuminandę. Et paulo post vocat Hebræos populũ contemptibilem, abominatum, seruum Dominorum, quem prædicit in sua infidelitate permansurũ, reges autem & principes gentiles animi visum recepturos, & a somno peccati excitatos Christum adoraturos.

In tempore placito exaudiui te.] Verba sunt Dei Christum alloquentis. Diuus Paulus hoc tempus a Propheta prædictũ refert ad tempus gratiæ. Ita enim ait in epistola secunda ad Corinthios: Adiuuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis. Et in epistola ad Hebræos de Christo loquens, Qui in diebus, inquit, carnis suæ preces supplicationisque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Vbi vides fuisse Christum tempore placito exauditum, quod hoc in loco Esaias prædixerat, & eos in errore versari qui totum hoc non ad tempus aduentus Christi referunt, sed ad tempus Esaiæ.

Seruaui te] Morte superata te a mortuis suscitauit. *Dedi te in fœdus populi.*] Aspicias Christum esse nostrum reconciliatorem. Qua de re capite 42. disseruimus, & alius in locis.

Vt suscitares terram] Hoc est, vt a somno peccati, & a morte animæ peccatores excitares. Solet scriptura peccatores terram appellare, vt alibi annotauimus.

Et diceres his qui vincli sunt.] Nempe funibus ac vinculis peccatorum. Exite, nimirum a peccatis & a carcere demonis. Aspicias hic peccata suis vinculis ligare.

Super vias pascenur, & in omnibus planis pascua eorum. Non a surienũ

2. Cor. 6.

Heb. 7.

esurient nec sitient, & non percutiet eos aestus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam eos montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi. Laudate cæli, & exultet terra, iubilante montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui destruentes te, & dissipantes à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos: & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vno ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua, & solitudines tue, & terra ruinae tuae nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui absorbebant te.

Apo. 7.

Infra 60.

Super vias pascetur.] Qui receperint euangelium, & fuerint Christum secuti, non extra viam errabunt, sed in viis veritatis & salutis pascetur. Erat ante aduentum Christi genus humanum ouis, quæ errauerat in dumis perdita & lupis exposita. Sed quæsiuit eam Christus, & super humeros suos alportauit, & ad ecclesiæ gregem adduxit, eamque in loco pascuæ non in rupibus & asperis montibus, sed in plano campo collocauit. Et quoniam Christus suis tribuit aquas gratiæ & doctrinæ, subdit: Non esurient nec sitient. Totum hoc fatetur ecclesia fidelium, quam Dauid in psalmo in huc modum facit loquentem: Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectiōnis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.

Psal. 22.

Et ponam omnes montes meos in viam.] Id est tollam à viis omnia impedimenta, vt omnes possint ambulare, & ad cælestem gloriam venire. Et semitæ meæ exaltabuntur, hoc est erunt pulchræ, strætæ, & munitæ. Itaque montes conuertam in stratas planas, & semitas muniam & complanabo.

Ecce isti de longè venient.] Multi venient ad ecclesiam de remotissimis regionibus, quidam à longè, hoc est, ab oriente: quidam à mari, hoc est, ab occidente: alij ab aquilone, hoc est à septentrione: alij ab austro, hoc est, à Meridie. Prædicat diu uinus vates id, quod impletum videmus, nempe ex omnibus mundi partibus fuisse homines ad ecclesiam venturos. Vel

Pp 3 idem

ideo dicit peccatores venturos de longè, quoniam qui flagitijs sunt implicati & conficti, longè à Deo esse dicuntur: & ob eam causam quando ad Deum conuertuntur, de longè dicuntur venire. Id volebat Christus significare dicens apud

Luc. 15. Lucam, filium prodigum profectum esse regionem longinquam, quæ, vt ait Diuus Augustinus, est Dei obliuio. Quid prodest adesse corpore, & animo distare? Qui turrim Babylonis edificarunt, de longè venerunt: ait enim scriptura eos profectos fuisse de Oriente. Reliquerunt orientem, hoc est, Christum, discesserunt longè, & turrim Babylonis construxerunt. Qui se à Christo separant & seiangunt, sunt exules à patria, & mundi ciues, cōstruentes turrim ex lateribus & bitumine, ex terra & puluere, non ex quadratis lapidibus, quæ Deus destruit, quoniam non est ad eius normam & amulsim constructa. Et cum sint longè à Deo, est etiam Deus longè ab illis. Quemadmodum dicitur in psalmo: Longè à peccatoribus salus. Et in Prouer. Longè est Dominus ab impijs. Regio longinqua in qua habitant, qui mortiferis peccatis implicantur, appellatur vmbra mortis: iusti autem viuunt in vmbra vitæ, hoc est, Christi, de qua in Canticis ait sponsa: Sub vmbra illius, quem desideraueram sedidi. In vmbra mortis, in regione longinqua sedebat ante Dei aduentum humanum genus, sed Christus illud ad se congregauit. Quod intelligens Diuinus Paulus dicebat ad Ephesios scribens: Vos qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Verùm cum mortiferis flagitijs contaminamur: nos à Christo longè separamus. Vnde dicebat in libro 7. confessionum Augustinus: Inueni longè me esse à te Domine in regione dissimilitudinis. Appellat regionem longinquam regionè dissimilitudinis, quoniam ob admissa scelera deturpatur in nobis Dei similitudo. Et nō solum peccatores longè sunt à Deo, sed etiam à seipsis maximè distant. Quid lōgius, ait Diuus Ambrosius, quam à se recedere? Vnde Seneca, Mali, inquit, vbique sunt præter quam secum. Cū igitur deprauati homines sint procul & à Deo & à seipsis, & tales essent gentiles, qui se humanis vitijs contaminauerant, seque totos libidinibus dederant, & in iure diuino & humano violando teterrimas fraudes conceperant: merito de illis dixit Esaias: Ecce isti de longè venient: hoc est, à sceleribus suis separabuntur, & ad Christum conuertentur.

Quia consolatus est Dominus populum suum. } Pro consolabitur. Præteritū pro futuro, more prophetico. Que maior potest

potest esse hominibus consolatio, quàm scire filium Dei vni-
genitum sumpsisse nostram naturam, vt nos è tenebris ad lu-
cem, & è morte ad vitam vindicaret.

Pauperum suorum miserebitur.] Peccatores appellat pau-
peres, vt pote religione, fide, & bonis animi carentes. Nam
mundi opes incertæ & caducæ non sunt diuitiæ habendæ,
nec in bonis numerandæ. Loquitur de iis, qui repudiatis i-
dolis se ad fidem conuerterunt. De quibus dicitur in psalmo:
Edent pauperes & saturabuntur. Explicans autem scriptura *Psalm.*
qui sint hi pauperes, subdit: Reminiscetur & conuertentur
ad Deum vniuersæ fines terræ: vbi gentium salus prædicatur.
Colligis hinc omnes infideles esse pauperes, licet mundi o-
pibus vndique circumfluant. Qui enim virtute præditi sunt,
soli sunt diuites. Non est autem perfecta virtus ea, quæ est
à fide seiuncta.

*Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est
mei.*] Per Sionem intellige congregationem fidelium, qui in
virtutis specula sunt constituti. Hi cum in lachrymis sepe
versentur, variisque calamitatibus oprimantur, possunt co-
gitare, & secum dicere esse Deum oblitum eorum. Quibus
respondet Deus tantum ab esse, vt eorum obliuiscatur, vt e-
tiam eos in manibus suis habeat descriptos corâ oculis suis.
Connectuntur autem sic hæc verba cum præcedentibus. Dix-
erat diuinus vates venturos esse ad fidem gentiles, qui falsos
& commentitios Deos colebant, vt in vera religione viuen-
tes æternam beatitudinem tandem consequerentur. Hos dix-
it Deus se esse consolaturum. Sed quoniam eos intuebatur
eos esse non solùm ab infidelibus tyrannis torquendos, sed
etiam à multis, qui fidem profitebantur, vexandos, & tam æ-
cerbos cruciatus, tam graues iniurias propter Christum pas-
suros, vt posset humana ac fragilis ratio fluctibus calamita-
tum obruta vacillare, & existimare se esse à Deo derelictos,
corroborat eos Deus, ne animis cadant, ne ingrauescente
rerum aduersarum mole debilitentur, & eorum tolerantia
ac constantia frangatur. Et asserit se nunquam eos esse dere-
licturum. Vult Deus his verbis piorum hominum animos as-
sistitos & propè labentes erigere & consolari, & vtitur hac
naturali similitudine: Vt mater non est immemor filij sui,
quem genuit, & portauit in utero, & aluit, & in brachijs suis
gestauit, (non enim potest partum suorum viscerum obliu-
isci) sic nec ego tui oblitus ero. Plus dicam, etsi ab illa memo-
riam filij aliqua vnquam deleuerit obliuio, ego tamen nun-

quam te obliuiscar. Pende quæso, & altè considera immensam Dei misericordiã. & admirare diuini numini summam ac infinitam erga homines pietatem. Aspicis hic viros iustos & pios, qui se diuinæ misericordiæ committunt, nunquam à Deo relinqui, etiam quando magis abiecti & derelicti videntur. Deus enim ille misericordiæ parens suorum salutem tuissimam custodia regit ac munit, nec eos vnquam negligit aut derelinquit. Poteris hîc per Sionem intelligere cõgregationem fidelium Iudæorum. Dixerat Deus vocaturum gentiles ad fidem, & ne Iudæi existimarent se esse penitus derelictos, eos his verbis consolatur.

Ece in manibus meis descripsi te.] Qui domi alicuius personæ, quam diligit, habet in tabula imaginẽ pictam memoria est eius, quàm diu eam videt: sed cum discedit à loco, vbi est imago, fieri potest, vt eius, cuius est imago, obliuiscatur. At si eam habeat in manibus descriptam: nunquam illi excidet eius memoria. Hac similitudine vritur Deus, ostendens se nõquam esse oblitum suorum, cū eos habeat in manibus suis sculptos, & non blandis penicillis, sed duris clauis, quibus eius manus fuerunt crudeliter vulneratæ & transfixæ. Descripsit eos non atramento nostro, sed sanguine suo. Ideo Dominus post resurrectionem loca clauorum in manibus habere voluit: ac parens suis discipulis dixit Thomæ: Insuper digitum tuum huc, & vide manus meas. Dixerat enim: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.

Muri tui coram oculis meis semper.] Id est, in perpetuum muros tuos conseruabo. Ostendit Deus apertè non loqui de Sione & terrena illa Hierosolyma, sed de spiritali, hoc est, de ecclesia militante. Quis enim fieri potest vt muri illius Hierosolymæ, quam Christus deplorauit, muri illius ciuitatis ingrata, quæ non solum prophetas, sed Dominum prophetam occidit, sint semper ante oculos Dei, & tam chari, vt semper eos custodiat, si scimus eos esse euersos, & totam ciuitatem fuisse vastatam, & funditus deletam? Fieri non potest vt de portis Sionis, quas scimus fuisse incendio consumptas: & in fauillas cõuersas, illud intelligatur, quod dicitur in psalmo: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Hæc Sion est ecclesia sua, tã à Iudæis quàm à gentibus cõgregata, quã Deus diligit super omnia tabernacula Iacob.

Vesperum fructores tui: destruentes te & dissipantes à te exierunt.] Alloquitur ecclesiam, quorum fructores venerunt ad eam,

Joan. 20.

Luc. 19.

Psal. 86.

eam, & in ea permanferunt, destructores autem & dissipatores ab eo exierunt. Constructores sunt Apostoli & viri apostolici. euerfores autē heretici, qui omnes extra ecclesiam sunt. Vt enim mare non sustinet cadauer, sed illud prouicit in littus, sic ecclesia hereticos in se non continet, sed tanquam corpora mortua, & corrupta, & pestilentia execratur. Appellat Propheta hereticos destructores & dissipatores, quoniam in ecclesia nutriti eam postea suis hæresibus euertere conantur. Id quod modò contigit Luthero, qui in Germania genitus & educatus eam corrupit & peruerit. Vt enim *Simile.* tinea in pãno gignitur, & eū abrodit, & teredo in ligno nascitur, & illud terit & consumit, sic Lutherus in Germania na tus eã suis erroribus & pestilētibus dogmatibus deprauauit.

Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi.] Hoc est, Vide circumquaque ð ecclesia gētū multitudinem ad te ipsam uenientium. Prædixit conuertendam esse ad fidem magnam infidelium multitudinem.

Omnibus his uelut ornamento uestieris.] Venient ad te multi ð ecclesia, quibus eris ueluti ornamento quodam amicta, & decoraberis illis, ut spōsa solet annulis & monilibus adornari. Aspicias hęc viros iustos & sanctos esse ornamenta, annulos, & monilia, quibus ecclesia decoratur. Nec est mirū quoniam ipse Deus apud Ieremiam, Si fuerit, inquit, Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Vbi uides uirum sanctum & rectum non solū esse anulum in ecclesia, sed etiam in manu Dei, ex qua, eicitur, si sceleribus implicatur. Quā preciosum monile est quidam sanctus, quot gemmis, quātis uirtutum ornamentis decoratum, quantis miraculis admittendum? Imitemur sanctorum uirtutes, & admiremur eorum miracula. Vt in mensa principis apponuntur preciosa uasa aurea & argentea mirabiliter elaborata, & epulæ splendide & suauis, uasa ut admireris, dapes ut eas sumas, sic in uita sanctorum proponuntur miracula ad admirationē, uirtutes uerò ad exemplū: miracula, ut eorum admirabilitate tenearis, uirtutes, ut eas miteris.

Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tue: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuos: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua: & istos quis enutriuit? Ego destituta & desolata: & isti ubi hic erant? Hęc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes numerum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ylnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt re-

ges na-

Ierem. 22.

Simile.

ges nutritiū tui, & regina nutrices tuas, vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum. Numquid tollitur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? Quia hec dicit Dominus. Equidem & captiuitas à forti tollitur: & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur. Eos vero qui iudicauerunt te, ego indicabo, & filios tuos ego saluabo. Et tribabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ.] Id est, filii tui, quæ antea sterilis eras. Alloquitur ecclesiam primitiuā, eique congratulatur de multitudine eorū, qui ad eā cōuertebantur.

Angustus est mihi locus.] Ostendit tantam fore fidelium multitudinem, vt eos locus capere non posset.

Ego sterilis.] Sensus est: Tu gaudio perfusa videns fidelium multitudinem dices in animo tuo Quis mihi tot filios genuit? Nam erā sterilis, exul, & captiua, & destituta. Quomodo ergo tot filios habuit? Iam diximus gentilitatē fuisse sterilem, sed post conuersionem ad fidem multos filios habuisse, de qua dicitur in psalmo: Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

Ecce leuo ad gentes manum meam.] Id est, Ecce ego voco gentes ad fidem. Solemus enim, quando aliquē à longē vocamus, manum extendere, & signum facere. Ecclesiæ dicenti: Quis mihi tot filios genuit cum ego sim sterilis & captiua? respondet Deus dicens: Ne mireris: Nam ego sum, qui voco gentes ad fidem. Et ad populos exaltabo signum meū. Hoc dicit, quia solent, qui milites congregant, & parant ad bellum, vexillum erigere. Potest hīc signum pro cruce accipi, quam Christus extollit, vt contra mundum, carnem, & dæmonem sub illa militemus. Hoc est, gloriosum vexillum à Christo duce nostro erectum, præclarum signum nostrarum victoriarum, cuius cap. u. meminit Esaias.

Et afferent filios tuos in vlnis.] Nempe Apostoli mei. Vnde dicebat quidā ex illis ad Thessalonicenses scribens: Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderātes vos cupidē, volebamus tradere vobis non solum euangeliū Dei, sed etiā animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.

Et erunt reges nutritiū tui.] Reges alent electos tuos. Id quod fecit Constantinus & multi alii principes Christiani. Et nunc nostro tempore Dominus Ioannes huius nominis

tertius

Psal. 112.

1. Thes. 2.

tertius rex Lusitanie inuictissimus, qui pius religionū pater, modo non sine magno luctu totius regni ex vita migravit.

Super quo non confundentur, qui expectant eum.] Aspicis hic non confundi eos, qui omnem spem tuam in Deo habent fixam & constitutam. Vis esse Dominus mundi, colloca in Deo omnem spem tuā. Est naus in mari: si anchora sit fixa in terra, tenet nauem: si est in aqua, mare eam exagitat, & nauis eam fert secum. Naus in medio mari est mūdus, anchora est spes: si anchora est iacta in terram stabilem, id est, in gloriam cœlestem, si est in Christo collocata & constituta, tenes totum mundum. Vnde D. Paulus iis, qui non in rebus humanis spem posuerunt rerum suarum, sed in Christo eam totam firmiter collocarunt. Omnia, inquit, vestra sunt, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Sin autem spem tuā non in terræ firmitudine ponas, sed in aquæ mobilitate, in profuente & fluminis pro cursu, hoc est, in rebus fluxis nullam certitudinem habentibus, nullam perpetuitatem, mundus te abripiet, & secum ducet. Itaque si spem posueris in mundo, mundus te tenebit: si eam eleuaueris, & à mundo se iunxeris tu tenebis mundū. Hoc sentiens D. Paulus in epistola ad Hebræos has voces emittit: Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. Vbi per interiora velaminis cœlum voluit significare. Nos igitur in Christo Deo nostro totam nostrā spem ac fiduciam collochemus, quoniā, vt hoc in loco ait propheta, non confundentur qui expectant eum.

Nunquid tolletur à forti præda?] Est quædam obiectio, quæ fieri Deo poterat. Si tanta est diaboli vis ac fortitudo, quis poterit ab eo prædā tollere, hoc est, homines ab eo captos eripere? Cui respondet Deus, se esse eum, qui erat eos à dæmonis potestate liberaturus. Docet hic locus sceleratos homines esse prædā diaboli, & ab eo captos & victos. O infelicem captiuitatem, miseram & ærumnosam hominum conditionem. Docet præterea fortem esse diabolum, sed fortorem esse Christum, qui eum ligauit, & ab eius tyrannide peccatores eripuit. Quod idem Christus apud Euangelistas significauit. Sed dices: Si diabolus est alligatus, cur nos lædit? Ad quod potest hac similitudine responderi. Vt canis ligatus te mordere non potest, sed si accesseris ad ipsum, in te irruet, teque rapidis dentibus lacerabit, sic diabolus nisi ad illum accesseris te lædere non potest: sed si incautè vixeris, si

Simile.

1. Cor. 3.

Heb. 6.

Mar. 3.

Luc. 11.

Simile.

te illi

te illi commiseris, eris legaliter vulneratus. Christus venit ut diabolum alligaret. Eam ob causam vidit beatus Iohannes in Apocalypsi angelum descendentem de caelo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, qui apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Sathanas, & ligauit eum per annos mille. Hoc est, eius potestatem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerunt liberandi, cohibuit ac frenauit. Mille annos posuit pro toto tempore, finitum pro indefinito. Ita illum locum Diuus Augustinus explanat.

Edhef. 4.
Psal. 67.

Et captiuitas à forti tolletur.] Ideò ait Apostolus: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Quod iam multò antea prædixerat Dauid. Hæc captiuitas non solum refertur ad sanctos patres, qui in limbo derinebantur, sed communiter ad vniuersum genus humanum. Sunt autem arma diaboli, doli, voluptates, deliciae, opes, & cætera alia, quibus homines quotidie oppugnant.

Eos verò qui iudicauerint te, ego iudicabo.] Sensus est: Cum eis, qui tibi litem intenderint, ego contendam: eos qui te oppresserint, ego opprimam. & filios tuos seruabo.

Et cibabo hostes tuos carnibus suis.] Non solum liberabo te ecclesia mea, ait Deus, sed tantam in aduersarios tuos famam ac sitim emittam, ut carnem propriam comedant, & sanguinem suum bibant. Vult Deus his verbis significare hostes ecclesiae esse suorum scelerum poenas daturos.

Et redemptor tuus fortis Iacob.] Iacob est nominandi casus.

Annotationes ex hebræo in CAPVT XLIX.

Audite insule, & attendite populi de longè: Dominus ab vtero vocauit me. De ventre matris meae recordatus est nominis mei.] Septuaginta habent: Audite me insulae & attendite gentes. Post multum temporis stabit, dicit Dominus: de ventre vocauit me, &c. Aspicias hic hanc prophetiam non referri ad tempus illud, quo eam Esaias literis mandauit, sed Christi aduentum. Verum pro insulis vertit Pagninus insulares. Dictio tamen Hebraica iim insulas significat, ut apud Ezechielem: Et turbabuntur insulae in mari.

Ezec. 25.

Ad contemptibilem animam.] In Hebraico est liuzoh nephex. Verbum est bazah, quod significat contemnere: & ut ait R. D. Potest esse macor. Et tunc potest verti: ei qui paratus est

tus est contemnere vitam: anima enim pro vita ponitur. Ve referatur totum hoc ad Christū. Cui expositioni fauet trālatio Theodotionis habens in hunc modum. Et qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui seruus est principū. Quæ omnia Christo apertissimè conueniunt. Ipse vitam pro ouibus posuit, vt ipse apud Ioannem testatur. Ipsum *Iohn. 10.* gens Iudæorum execratur, ipse stetit tanquam seruus coram principibus, Anna & Caipha, Herode & Pilato. Huic interpretationi fauet etiam versio Septuaginta, quæ ita habet: Sanctificate eum, qui despicit animam suam, qui abominationi est gentiū, qui seruus est principum. Possunt igitur hæc verba esse patris ad filium. Sequitur enim: Reges videbunt, & consurgent principes, &c. Quasi dicat: Iudæi te contemnent & crucifigent, at reges gentium tibi seruient, teque repudiatis idolis adorabunt.

Ecce in manibus meis descripsi te.] Pro in manibus est in Hebraico *alcapaim*, nomen est cath quod significat manum, quam significationem secutus est noster interpret. Significat etiam nubem. Ideo potest etiam verti, Ecce supra nubes ordinavi te. Et ita hunc locū explanant R. Ioseph filius Kimhi, & R. Sadias. Ionathas tamen cum versione nostra vulgata consentit. Et in Ieremiæ Lamentis, id quod nostra versio *Tbren. 3.* habet, *Leuimus corda nostra cum manibus: potest verti, Leuimus corda nostra versus nubes. Quasi dicat: Erigamus ad cælos corda nostra, non terrena quærentes, sed ad cælestia aspirantes.*

Argumentum Capitis L.

Inducit Propheta Christum dicentem Iudæos esse suam ob culpam reiectos, quod ipsi se ab eo separauerint, & ipsum Christum non receperint. Fecit Christus pro Iudæis omnia, quæ ad eorum perfectionem pertinebant: cum autem videret eos nequaquam velle à sua perfidia desistere, eos abiecit, in calamitosamque exilium disspauit.

CAPVT L.



Et dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris vendidi e vobis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, & non erat vir: vocaui, & nō erat qui audiret. Nunquid abbreviata & paruula facta est manus mea, & ve

Infra 59.

non possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? Ege-
te in increpatione mea deseruiam faciam mare, ponam flumina in ste-
cum, compatreseunt pisces sine aqua, & moriuntur in siti. Indaam: o-
los tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit
mibi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, ver-
bo. Erigit manū, manū erigit mihi aurem, ut audiam quasi magi-
strum, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contra-
dico, retrorsum non abii.

EXPLANATIO.

Hec dicit Dominus: *Quis est hic liber repudii matris vestre?*]
Intuebatur mentis oculis propheta esse Iudæos à Deo rei-
ciendos, quòd non essent Christū recepturi, idè postquam
capite superiore prædixit gentiū vocationē, nunc facit Chri-
stū dicentē, ipsam synagogā se vèdidisse, & ab eo seipsum se-
parasse: Ait igitur: *Quis est 6 Iudæi libellus repudiū, quo ma-
trem vestram synagogam dimisit? Quasi dicat. Ne dicatis me
duritie & austeritate repudiasse synagogā, illa enim se à me
abstraxit, & sceleribus suis à me recessit. Hoc dicit quia so-
lebant Iudæi vxores dimittere, eisque libellum repudiū dare;
vt videre licet Deuteronomij 24. & Matthæi 19.*

Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis.] Docet hic
focus hominē cūm mortifero peccato astringitur, seipsum
vendere dæmoni & à Deo alienari. Seipsum vendit, quē Deus
magno precio emit, nō argēto & auro, sed vita & sanguine.
Empti enim estis pretio magno, ait Apostolus. Et sequenti
capite: Precio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominū.
Ioannes in Apocalypsi, Nemo, inquit, poterat dicere cāticū,
nisi illa 144. millia, qui empti sunt de terra Petrus Apostolo-
rum princeps in epistola sua, Scientes, inquit, quòd non cor-
ruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra
conuersione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine
quasi agni immaculati Christi, Quæ igitur amentia est cūm
simus serui Dei, cui seruire regnare est, vendere nos dæmoni,
& fieri tam abiecti & reprobi Domini vilia mancia, & pro-
rebus fluxis velle amittere æternas? An nescitis, inquit, Pau-
lus, quoniam cui exhiberis vos seruos ad obediendum, serui
estis eius cui obeditis? Si igitur seruis christo, serui es Chri-
sti: si mundo, seruus es mundi. Sed dicit aliquis: Ego seruam
Christo & mundo. Cui respondet Christus fieri non posse,
quoniam nemo potest duobus Dominis seruire. Stultum est
velle homines habere rationem cum mundo, qui cum nemi-
ne ratio.

1. Cor. 6.

1. Cor. 7.

Apoc. 14.

2. Pet. 1.

Rom. 6.

Mat. 6.

ne rationem habet: & nolle habere rationem cum Deo, qui cum omnibus habet rationem: seruire mūdo, qui neminem ynquam remunerauit: & non seruire Deo, qui nunquam de-
 finit præmia largiri. Gaudia mundi quinquaginta annis cō-
 parata possunt vno die numerari, at molestias & afflictiones
 vnus diei quinquaginta annis numerare non poteris. Et ni-
 hilominus tanta est hominū infania, vt velint mūdo, potius
 quàm Deo seruire. Cū oporteat seruire, cui potius seruiem-
 us, quàm ei qui se pro nobis seruum fecit: de quo ait Apo-
 stolus: Exinanīuit semetipsum formā serui accipiēs. Cur igitur
 seruius mūdo? Cōsideremus quis est Deus, à quo defici-
 mus, & quis est mundus, cui obtēperamus. Quid facimus?
 quē sequimur? quid sepāramus? Cur nō videm⁹ nos cœlo cō-
 tempto ad infernum properare, spreta vita mortē amplecti,
 derelicta gloria in dedecus incurrere? O amentīā intolerabili-
 lem, o summā abiectionem & incredibile cœcitatē. Quid est
 mundus, cui seruius, nisi sepulchrum mortuorum, carcer
 viuorum, officina vitiorum, contempus virtutum, carnifex
 ac cruciātor vitam ad rationis normam dirigentium, fautor
 ad malitiam vigilantium, inimicus præsentium, obliuio præ-
 teritorum, rerumque præclarē gestarum splendoris macula-
 tor & extinctor? Reuertamur igitur ad nos, & cōtempto ac
 neglecto mūdo, christo seruiamus, & ad cœlestia aspiremus.

In sceleribus vestris dimisi matrem vestram.] Nempē syna-
 gogam. Dimittit nos Deus, quoniam nos ab eo discedimus
 & nostras inuentiones & effrenatas cupiditates sequentes,
 sceleribus implicamur. Ideo ait ipse in psalmo: Dimissi eos se-
 cundum desideria cordis sui, ibunt in adinventionibus suis.
 Tunc nos Deus magno supplicio afficit, cū nos finit nostris
 deprauatis desideriis obtemperare, nosque in manu nostro-
 rum appetituum relinquit.

Quia veni, & non erat vir.] Verba sunt Christi, quasi dicat:
 Vt videatis dimissionem & abiectionem synagogæ debere
 eius sceleribus tribui, audite quæ dico: Ego veni in mūdum,
 natus sum in Iudæa, feci ibi diuina miracula, & non erat vir
 qui me reciperet, exceptis paucis, qui in me crediderunt. Nō
 inueni virum in synagoga. Multi ibi erāt, sed nullus dignus,
 qui vir appellaretur. Docet hic locus homines impios non
 homines appellandos esse, sed feras: ea enim scelera concipi-
 unt, vt bruta animalia feritate, stoliditate, & maleficio su-
 perent. Phariseos appellauit Ioannes Baptista progeniem
 viperarum. Quibus Christus dixit: Serpentes & genimina
 vipera-

Philip. 2.

Psal. 80.

*Mat. 23.**Luc. 13.**Ierem. 5.**Mat. 7.**Ioh. 3.**Euc. 2.**Mat. 17.**Psal. 68.**Ioh. 12.**Mat. 26.*

viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Herodem propter malitiam appellauit Christus vulpem. Ite, inquit, & dicite vulpi illi. Libidini deditos appellat Ieremias equos amatores. Voluptuosi appellantur porci: impudentes verò canes, iuxta id quod ait Christus. Nolite dare sanctum canibus nec mittatis margaritas vestras ante porcos. Venit igitur Christus ad homines, & nō inuenit hominem. Inuenit feras quæ eum innocentem agnum lacerarunt. In propria venit, vt ait Diuus Ioannes, & sui eum nō receperunt. Venit enim vt hic ait per Esaiam, & non erat vir. Non immeritò Diogenes philosophus lucerna quadam meridie plateam perlitans, interrogatus quid quaereret, respondit, hominē, quoniam quos videbat, non homines esse iudicabat. Quot ciuitates plene sunt hominibus, qui homines dici nequaquā merentur. Pro re magna ait D. Lucas esse Hierosolymæ quendā hominem, ita enim ait: Homo erat in Ierusalem cui nomen Simeon.

Vocani, & non erat qui audiret.] Clamabat Christus dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & non erat qui audiret. In psalmo eum inducit propheta in hunc modum loquentē. Laboraui clamans, rauce factæ sunt fauces meæ. Qua de re alibi disseruimus.

Nunquid abbreviata & parua facta est manus mea.] Ne existimetis me non posse miracula efficere: possum enim iterū diuidere mare, quemadmodum feci in exitu Israël de Aegypto: & fluuios, quemadmodum feci Iordani: & corrumpere pisces, ac caelos tenebris cooperire, quemadmodum feci in Aegypto.

Dominus dedit mihi linguam eruditam.] Hæc dicit Christus iuxta dispensationem corporis assumpti: quemadmodū multa alia. Apud Diuū Ioannem ita ait Christus: Qui misit me pater, ipse mihi mādatur dedit, quid dicam & quid loquar. Et paulo post: Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

Erigit manū, manū erigit.] Id est, semper & assidue pater mihi erigit aurem, vt eum quasi magistrum audiam.

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? Strenus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus, auxiliator

tor meus, quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, timea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui sui, quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei. Speret in nomine Domini, & inuitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lamina ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

Corpus meum dedi percipientibus.] Christus est qui loquitur, qui fuit percussus, flagellatus, alapis cæsus, vulneratus, & eandem occisus, vt & nos firmiter credimus, & Euangelia cōtestantur. O rem dignam magno gemitu, & omni lachryrarum abundantia.

Et genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.] Hoc est, paraui barbas meas euellentibus eas, & non auerti faciē meam à perfidis Iudæis, qui me calumniabantur, & sputis suis meum vultum contaminabant. Fuit Christus Deus noster positus direptioni. Vt enim castellum à militibus & hostibus captum diripitur, & in illa expugnatione & direptione nulla est in militibus pietas, nulla misericordia, sed hic deiicit, ille subleuat, & quidā frangit, quidam pedibus conculcat, quidam rapit, quidam secum affert, & omnes truculento vultu omnia furibundis clamoribus implent, sic lata à Pilato horribili illa inmanissima atque iniustissima sentētia, vt Christus crucifigeretur, & Iudæorū voluntati traderetur, omnes in eū irruerunt & impetum fecerunt. Hic eum alapis cædebat, ille capillos extirpabat. Quidam eum proiciebant in terram, alij eum cōculcabant pedibus, quidam sputis preciosissimā ac pulcherrimā eius faciem deformabant, ac alij eius barbas euellēbant, & in manibus eas asportabant, & omnes denique vociferabantur suam impiā immanitatē exercentes, & innocentissimū agnū ad crudelissimā, & acerbissimā mortē vocātes. Quid plura? fuit Deus noster cōmissus direptioni, & voluntati iuorū hostium traditus, & in medio luporum mitissimus agnus cōstitutus. Quid vnquā sub sole factum fuit indignius? Quod fuit vnquam tam impiū facinus? Lege Euangelicam historiam, & videbis indignissimas contumelias, acerbissimos cruciatus, quibus homines sceleratissimi Christum sanctissimum affecerunt. Verū id quod hęc scribitur, nempē, Genas meas dedi vellentibus, non memini legisse in Euangeliis: sed credendum est factum fuisse, quoniam fuit in hoc loco à propheta sancto prædictum. Multa enim perpeffus est Christus

Simile.

Luc. 21. quæ Euangelistæ particulariter non expresserunt. Satis factum dixisse Diuum Lucam, Pilatum tradidisse Iesum voluntati eorum. Cogita igitur quot & quàm immantia supplicia iis verbis comprehenduntur. Si Iesus crudelissimorum hostiis suorum voluntati tradebatur, qui in illum inaudito odio ardebant, perpende quot vulneribus, quibus iniuriis, qualibus opprobriis eum afficerent, & quàm impiè & immaniter eum ad supplicium raperent.

Ioan. 8. *Sitemus simul: Quis est aduersarius meus? accedat ad me.*] Si aliquis habet aduersum me aliquid, ostendat illud, intendat mihi litem, & disceptemus simul. Idem apud Ioannem his verbis dicebat *Quis ex vobis arguet me de peccato? Ostendit Christus suam innocentiam, & Iudæorum malitiam.*

Infra 51. *Tinea comedit eos*] Comparat sceleratorum conscientiam tinea eorum corda rodenti. Et sequenti capite, sicut vestimentum, inquit, sic comeder eos vermis: & sicut lanam sic deuorabit eos tinea. Id quod nascitur intra cor impij, ipsum rodit & interficit. Viperam concipit, vt aiunt, filios, qui corrosis lateribus exeat cum matris interitu, sic homines impij eas cogitationes & scelera concipiunt, quæ illis perniciem machinantur.

Matth. 10. *Quis ex vobis timens Dominum.*] Sensus est: Nullus ex vobis est, qui si timeat Dominum, & audiat vocem Christi, quæ formam serui accepit, ambulet in tenebris, sitque lumine præuatus. Qui igitur Deum timet, & audit, innitatur in eo, nõ autem in spe mundi, quæ est fragilis, & fracta arundo & baculus imbecillus. Id fortasse voluit Christus significare, quando vt est apud Mattheum, dixit discipulis suis, ne vellent virgâ portare. Deus enim est ille, in quo niti debemus tanquã in validissimo firmamento. Ideo dicebat diuinus Psaltes: Dominus firmamentum meum & refugium meum. Et alibi: Firmamentum est Dominus timentibus eum. Et hoc in loco Esaias: Innitatur super Deum suum.

Psal. 17.
Psal. 24. *Ece vos omnes accedentes ignem accincli flammis, ambulat in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.*] Sensus est: Ego veni, & me non recepistis, sed falsis criminibus ad capitis periculum vocastis, & in perfidia vestra permanetis, scelerata indices sceleribus addentes, & odio in me flagrantes. Ideo vos accincli flammis odij, inuidiæ, impietatis, cæterorumque flagitiorum, quibus rebus accenditis ignem, in quo estis in æternum comburendi, ite in ignem vestrum in flammis æternas, quas vobis succendistis, nolentes vocem meam audire,

dire, neque meis monitis acquiescere. Hic est ignis, quæ Christus apud Matthæum appellat æternum, & apud Marcum inextinguibilem. Quo etiam nomine eum Diuus Ioannes Baptista appellauit. Aspicias hoc in loco peccatores sibi ipsis æternam perniciem moliri, & quoties mortaliter peccant, ignem sibi infernalem accendere.

Matt. 24.

Mar. 9.

Matth. 3.

Annotations ex Hebræo in

CAPVT L.

Vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo. Id est, vt verbo sciam reficere eum, qui est fatigatus & afflicus. Vbi vides donum esse Dei scire mæstos consolari, & iacentes erigere. In Hebræo est: Vt sciam lauth ethiazeph danar. Quæ verba si, vt iacent, in Latina conuertas, ita dices: Vt sciam in tempore lassum verbo: Subaudi reficere, vel sustentare. Vel vt sciam in tempore lasso verbū: subaudi dicere. Pro lasso poteris etiā vertere sitibundum, hoc est eum, qui verbum Dei arden ter sitit. Et ita vertit Pagninus: & rectè quidē. Ita etiam hūc locum R. D. interpretatur. Magnum est enim scire tempore opportuno concionari, & verbum Dei sitientibus illud distri buere. Si enim diuina mysteria hominibus impiis illaque fastidientibus referare volueris, nulla habita temporis ratio ne, non solum fortasse nullum afferes commodum, sed affe res detrimentum. Vt si quis in altum puteum cornu plenum aquam purā, nitidam, & excellentē effuderit, nihil aliud effi ciet, quā cœnū turbare, & aquā amittere, sic qui apud impios & flagitiosos homines orationē de diuinis arcanis habuerit, in eosq; clarissimam & purissimam doctrinæ aquam infude rit, tali tempore id faciet, vt nihil illis proficit quin potius im puriores reddatur: Eam ob causam dicebat Christus: Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos. Diuus Cyrillus in tertio tomo explicās illam Pytha goræ sententiam, nempe Dei imaginem non esse in annulo ferendam, ait etiam significare, non esse omnibus diuina my steria referanda.

Simile.

Matt. 7.

Genas meas vellentibus. Septuaginta habet, Genas meas ad alapas. Fuit enim Christus indignissimis alapis percussus. Sed in Hebræo pro vellentibus est in hunc modū lemoretim, à verbo marat, quod significat decaluare & pilos euellere. Ideo existimo meliorem esse hoc in loco vulgaram edi tionem. Inuenies enim hoc verbum apud Esdram cap. 9. vbi

Qq 9 etiam

etiam vertit Latinus interpres: Et euulsi capillos capitis meï. Sed quoniam hoc verbum significat etiam polire, & qui vasa ærea poliunt, ea percutiunt, poterit etiam accipi pro percutere. Qua ratione fortasse ducti Septuaginta verterunt: Et genas meas ad alapas siue ad percussiones. Venit Christus in mundum, docuit veritatem, ostendit viam æternæ salutis consequendæ, præbuit se vitæ exemplum, edidit miracula, nihil omisit quod esset ad nostram beatitudinem necessarium, & ob hæc omnia eius barbas euulserunt, eumque ad crudelissimum excidium impij homines vocarunt.

Argumentum Capitis LI.

Promittit Deus se resecutum & recreatum Sionem, & euangelium darurum. Hortatur fideles ne hominū iniuriis terrentur, sed in sua constantia permaneant, quoniam omnes scelerati pereunt, virtus verò viget memoria omnium seculorum, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur. In fine capitis pollicetur ereprurum esse Iudæos à Babylonica captiuitate, & calicem calamitatum eorum Babyloniis propinaturum.

CAPVT LI.



*A*udite me, qui sequimini quod iustum est, & queritis Dominū. Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci de qua praecisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarā, quæ peperit vos, quia vnum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum. Cōsolabitur ergo Dominus Sio, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinē eius quasi hortum Domini. Gaudium & letitia inuenietur in ea, gratiarū actio, & vox laudis. Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite, quia lex à me exiit, & iudicium meum in lucem populorum requiescit. Propter est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt, me insula expectabūt, & brachium meum sustinebūt. Leuate in cælū oculos vestros, & videte sub terra deorsum, quia cæli sicut fumus liquefcent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis iustum, populus meus lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominū,

Et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis. Et sicut lanam, sic deuorabit eos tinea, salus autē mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum. Consurge consurge, induere fortitudinem brachium Domini, cōsurge sicut in diebus antiquis in generationibus seculorum: Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & letitia sempiterna super capita eorum, gaudium & letitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego ego ipse consolabor vos Quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis qui quasi fœnum arefcet?

Exod. 14.

EXPLANATIO.

Audite me, qui sequimini quod iustum est.] Postquam in fine superioris capitis minatus est Deus impiis æternos cruciatus: nūc consolatur fideles ereptos è Babylonica captiuitate, ne cadant animis, sed in fide, rerūque aduersarum tolerantia permaneat. Ideo eos vocat, vt erigant mentes & aures, eūque dicentem attendant.

Attendite ad petram vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua precisi estis.] Hoc est, Considerate & ante oculos ponite Abrahamum & Saram, ex quibus geniti estis. Ne frangatur spes vestra ob paucitatem vestram. Senex erat Abrahamus, & sterilis Sara, & tamen ex eorum semine geniti sunt innumerabiles filij. Deus enim, qui potuit ex illis excitare tantam hominum multitudinem, poterit etiam vos multiplicare in immensum. Ego existimo Esaiam cū hæc diceret, Apostolorum congregationem intueri. Hi enim cū essent pauci, innumerabiles filios in toto orbe terrarum spiritualiter genuerunt, quorum vnus dicebat: Per euangelium ego vos genui. Et alibi. Obsecro, inquit, te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesimo. Eum, quem cū esset inclusus in carcere ad fidem conuerterat, esse à se genitum affirmabat. Vocatur hoc in loco Abrahamus Petra, ob eius firmitudinem & constantiam, vel quia ad generationem non erat aptus, & ob eā causam vocat Saram cauernam laci, hoc est, sterilem, & spe gignendi destitutam. Vel ideo eam appellat cauernam laci, quia cū antea eius vterus esset clausus, Deus eū aperuit. Honesta quidē allegoria. Et quoniam videbatur difficile per petram intelligere Abrahamum, & per cauernam laci Saram, voluit seipsum Propheta explicare, subdens statim: Attēditē

1. Cor. 4.
Philem.

ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. Hanc existimo esse veram huius loci interpretationem. Puto tamen posse verè & rectè per hanc petram intelligi Christum, & per cavernam lacu, ex qua geniti sumus, vulnus eius sacratissimi lateris. Alludit propheta ad historiam quæ scripta est in Exodo & in Numeris, ubi ex petra percussa fluxerunt aquæ abundantes, quibus refectus est populus. Quæ petra, ut Apostolus ait, Christi imaginem gerebat. Ex Christo enim in latere percusso exiit sanguis & aqua, ad generis humani redemptionem & abluionem. Est igitur sensus: Estis numero estis pauci vos ô Apostoli, qui sequimini iustum illud ex cœlis missum, & quæritis Deum, tamen ne diffidatis, sed respicite ad Christum, qui vos genuit sanguine suo, & ad latus eius percussum, unde fluxerunt sacramenta gratiam ac vitæ conferentia. Qui enim Abrahamo seni, & Saræ sterili dedit prolem, quæ innumerabili sua multitudine implevit orbem, ipse propagabit filios, quos per Euangelium generabit, & ecclesiam suam per totum mundum dilatabit. Ideo enim mortuus est Christus, ut multos generaret. Eam ob causam dicebat alio loco Esaias de Christo loquens: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Id voluit Christus significare, quâdo dixit Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Id fuerat in Ioseph figuratum. Ut enim mortuo Ioseph creuerunt filii Israël, ut literæ diuinæ testantur, sic mortuo Christo creuerunt fideles, qui fuerunt ipsius Christi sanguine generati.

Consolabitur ergo Dominus Sion.] Hæc videntur referri ad tempus Zorobabelis: Promisit enim Deus tunc post Babylonicam captiuitatem instauraturum se esse Sionem, templi quæ ædificaturum, ut ibi esset gaudium, & læticia & gratiarum actio. At per Sionem Ecclesia Christi intelligitur. Sunt igitur in primis hæc dicta à propheta sancto, de ædificatione ecclesiæ, & regno Christi, quarum rerum umbre erant, ea quæ de Sione in hoc capite dicuntur. Cum enim Deus Hebræorum populum eriperet ex dura Babylonicorum captiuitate, significabat se hominum genus à crudelissima sæmonum tyrannide, & à scelerum vinculis quibus erat assectum, liberaturum. Instauratio verò Hierosolymæ & templi figura erat constitutionis ecclesiæ, in qua futura erat vera religio, & Deus abiecta gentium superstitione colendus.

Populus meus & tribus mea] Poteris per populum gentes, per

Exod. 17.

Num. 20.

1. Cor. 10.

Joan. 19.

Infra 53.

Joan. 12.

Figura.

Exod. 1.

per tribum verò Iudæos intelligere.

Quia lex à me exiit] Promittit Deus daturum se legē Hoc non intelligitur de lege Moyſi, quia iam lata erat in monte Sinai: Sed de lege Euangelica, quam Chriſtus dedit: de qua dixerat 2. capite: De ſton exiit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Vide quā apertè Deus hic promiſerit nouum teſtamētum, ex quo colligitur veteris abrogatio. Hęc eſt enim teſtamentorum proprietas, vt ſecundum deſiruat primum. Intelligi autem hoc de Chriſti euangelio indicat id quod ſequitur: Et iudicium meum in luce populorum requieſcet. Eſt enim perſpicuum legem Moyſi vni populo latam fuiſſe, ab eoque tantum fuiſſe quo ad ceremonias, iudicia, & ſacrificia, acceptā & obſeruatam. At Chriſti euangeliū in populorum luce requieuit, quoniam per vniuerſum orbem terrarū fuit prædicatum, & in hominum cordibus ſcriptum. Quod intuens animo regius vates præcinebat: In omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. De lege autem veteri aiebat: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Pſal. 18.

Pſal. 147.

Propè eſt iuſtus meus.] Dixit Deus daturum ſe eſſe euangelium, quo mundus illuminaretur. Sed ne exiſtimaret aliquis id quod promiſit futurum eſſe poſt longum tempus, addit: Propè eſt iuſtus meus. Ac ſi dicat: breui mittam filium meū, qui non ſolum iuſtus eſt, ſed etiam mundum iuſtificabit. Et ipſe dabit legem euangelicam. Quid ſperatis cæci Iudei? cur hunc locū nō aſpicitis? Sed hoc in loco promittit Deus miſſurum breui Meſſiam, & iam propè eſſe, quomodo poſt duo millia annorum eum expectatis? ab hac Eſaiæ prophetia ad hoc noſtrum tempus longiſſima tempora interfluxerunt. Non eſſet Chriſti aduentus propinquus, ſi eſſet poſt duo millia annorum expectandus. At Eſaiæ ait iam ſua ætate eſſe propinquum.

Egreſſus eſt ſaluator meus.] Ieſus idem eſt quod ſaluator, qui apud Ioannē de ſe ait: Exiit à patre, & veni in mundū. *Ioan. 16.* Ideo hic ait Pater: Egreſſus eſt ſaluator meus.

Ei brachia mea populos iudicabunt.] Hoc eſt, mea fortitudine iudicabūtur populi. Nomine brachiū fortitudo ſignificatur. Fortaſſe per brachia Apoſtolos intelligit, quibus dixit apud Matthæum: Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudican. *Matt. 19.* tes duodecim tribus Iſraël.

Me in ſula expectabunt.] Per inſulas gentes intelligit, vt alibi expoſuimus. Aſpicis Chriſtum eſſe gētium expectationem.

Q9 4

Id quod

Gen. 48. Id quod prædixerat Iacob: Et ipse, inquit, erit expectatio gentium.

Matt. 24. *Cæli sicut fumus liquefēs, & terra sicut vestimentū atteretur.*] Ita ait Christus: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Magni doctores autē in fine mundi cælum & terram transituram esse quo ad figuram, non quo ad substantiam. Quod videtur significare Dauid dicens in psalmo: Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Explicans enim

Psal. 101. Propheta quis esset cælorum interitus. Sicut opertorium, inquit, mutabis eo, & mutabuntur. Vbi innuit cælorum transitum esse mutationem figuræ, non simplicem interitum. Id quod ait D. Petrus in epistola sua 2. cælos in tempore extremi iudicij magno impetu transituros, interpretatur D. Augustinus 20. lib. de ciuitate Dei de aëre, qui in diuinis literis sæpe cælum appellatur, non de corporibus cælestibus: sed quâuis de corporibus cælestibus intelligatur, referri potest ad motū, non ad substantiam. Potest hic locus Esaiæ ita explanari: Prius cælum & terra vastabuntur, quàm vt ego non præbeam mundo salutem, & promissa mea non adimpleam.

Audite me qui scitis iustum.] Alloquitur Deus nascentem ecclesiã, suosque fideles preparat ad tolerandas hominū contumelias, cæteraq; res aduersas, quibus sciebat esse iactandos.

Lex mea in cordibus eorum.] Non satis est habere diuinã legem in ore, sed in corde. Ideo dicebar regius vates: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et in alio Psalmo, Lex Dei eius, inquit, in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius: Loquitur Esaias in hoc capite de noua lege per Christum data, quæ non in tabulis lapideis, sed in hominū erat cordib⁹ scribēda. Ideo ait Lex mea in corde eorum. Id prædictum fuit iis verbis per Ieremiam: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorū, & in corde eorum scribam eam & ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populū. Hoc est Christi euangelium, lex gratiæ, amoris, & gaudiij, lex aquarum salutarium, de quibus dixerat Esaias capite 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Pro quibus aquis Thargum nouam legem interpretatus est.

Nolite timere opprobrium hominum.] Ita Christus apud Matthæum: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animas autem non possunt occidere. Et alibi apud eundem: Beati estis

Psal. 118.

Psal. 36.

Ierem. 31.

Supr. 12.

Matt. 10.

Matt. 5.

estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint. Vnde Apostoli ibant gaudetes à conspectu concilii, quoniam digni essent qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur. *Act. 5.* Diuus Hieronymus dicebat in quadam epistola. Grati-
as ago Deo meo, quia dignus sum, quem mundus oderit. Vt dete honores & dignitates ob quas vir sanctus Deo gratias agit, ob iniurias in se iactas. Non te laedit, qui vult tuam gloriam obscurare, & virtutis florem infringere, sed seipsum.

Vt enim pyrausta volens extinguere lucernam, seipsam com-
Simile.
burit, manente integro candelæ lumine & splendore, sic qui in te contumeliam iacit, & vult nomini tuo terram inmaculam iniurere, & tuæ gloriæ splendorem penitus extinguere. Ipse odit ac malitiæ incendio flagrat, & virtutis splendore ac ornamento destitutus in scelere & ignominia versatur. Et tantum abest, vt tuam amplitudinem scelerati hominis iniuria obscuret, vt eam potius mirabiliter illustret. Sed quoniam Christus sciebat discipulos suos esse impiorum hominum iniuriis afficiendos, & grauiter vexandos, eos antea præparat, & ad tolerantiam exhortatur. Nemini enim tam nocet calamitas quam ei, qui felicitatem, rerumque humanarum prosperitatem expectabat, illis maxime est grauis afflictio, quibus est repentina & inopinata. *Quam sententiam ferunt imperatorem Adrianum in annulo aureo scriptam portauisse.*

Consurge consurge, induere fortitudinem brachium Domini.] Hortatus fuit Deus suos fideles præcedentibus verbis, ad iniurias impiorum hominum æquo animo tolerandas, quoniam ipsi tyranni & impij erant mortales, salus autem, quam ipsi fideles erant consecuturi, erat sempiterna. Et quoniam hæc salus danda erat per Christum, ideo inducit hic propheta populum hanc salutem postulantem, precantemque, vt brachium Dei, hoc est, Christus adueniat, ad ostendendam ac apprehendam viam gloriæ immortalis consequendæ. Ait igitur, Christe sancte consurge, venique, vt nobis salutem tribuas, & mundum è tenebris inexplicabilibus ad veritatis splendorem adducas, & à misera ac Babylonica captiuitate vindices ad veram ac Evangelicam libertatem. Tu es enim ille, qui quondam populum tuum, ab Aegyptiaca seruitute mirabiliter liberaisti. Quidam hoc referunt ad Iudæos in Babylonica captiuitate detentos, & reditum ad patriam. Quam interpretationem non reicio, dummodo concedant hæc à Propheta in primis esse dicta generis humani per Christum redemptionem.

Nunquid non in percussis superbum, vulneras in draconem?]
Intelli.

Ezec. 29.
Psal. 73.

Intelligit Pharaonē regem Aegypti, quem Ezechiel appellat draconem magnum, Et David in psalmo in quo interitū Pharaonis describit, Tu inquit, confregisti capita draconis.

Psal. 113.

Nunquid non tu siccasti mare.] Subaudi Rubrum. Vt Hebræi ab Aegypto transirent ad desertum, fugit mare: vt autem à deserto transirent ad terram promissionis, Iordanis conuersus est retrorsum. Ita dicitur in psalmo: Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? Magnum quidem spectaculum, & omni admiratione dignissimum, fugere mare & Iordanē retrorsum cōuerri. Vis videre mare fugiens, transi ab Aegypto ad desertum, transi à mūdō ad teipsum. Cū ad teipsum transferis, eris eremi cultor, & penetrans secretiora cordis, intelliges te esse desertū, & lo cum horroris & vastatē solitudinis diuersis ferarū generibus repletū. Relinque mundū, & redi ad teipsum, & fugiet mare. Quid est mare nisi perturbatio? Penetra teipsum, & audies Christū dicentem: Non turbetur cor vestrū nec formidet. Et id quod modō per Esaiam dicebat: Nolite timere opprobrium hominum, &c. Dices cum Propheta. In pace in id ipsum dormiam & requiescam. Aufugiet mare, aufugiet iracūdia, & turbulentus morus, ita vt dicas cum Paulo: Maledicimus & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obicramur. Redi igitur ad teipsum, audi Deū per Esaiā dicentem: Redite prauaricatores ad cor, transi ad cor tuū, penetra desertū tui ipsius, & dic cum propheta: Elongauī fugiens, & mansi in solitudine, & ita videbis superbiam, inuidiam, cupiditatem, cæteraque falsas maris aquas fugientes. Et hic est primus transitus. Sed progredere vterius & à deserto transi ad terrā promissam. Ne maneat in deserto, ne quiescas & moreris in teipso, quia morieris, & miserē in deserto peribis. Perge quære summū bonū, da operā ne animi praesentia turpi dedecore cōtamines. Transi à deserto, ne feræ consurgant, & in te irruentes omnibus virtutū ornamentis te spolient, grauissimisque vulneribus faucū & deformatum relinquunt. Transi ergo ad Deū, qui ait: Transite ad me omnes, qui cōcupiscitis me. Et hic est secundus & gloriosus transitus. Et ita dulces Iordanis aquæ conuertentur retrorsum. Nullam aliam dulcedinem quæres præter Christum, omnes deliciae & oblectationes retrogredientur, & tuum dulcissimum Christum mirabiliter cōcupisces, & suauissimè amplexaberis. Hæc est allegoria illi⁹ diuisionis maris Rubri in exitu Israël de Aegypto, cuius in præsentia

Ioan. 4.

Psal. 4.

2. Cor. 4.

Supr. 46.

Psal. 54.

Ecc. 24.

meminit

meminit Esaias. Inducit itaque pios homines in hunc modū loquentes: Libera nos à mundo Christe sancte, quoniam tu es ille, qui homines demoni in mundo seruiens liberaas, & ab Aegypto ad seipfos reuocas, siccatis amaris ac turbulentis aquis scelerum animos perturbantium, vt à seipfis ad te ipsum conuertantur, & repudiatis omnibus voluptatibus, tuis tota eorum dulcedo, te solum querant, tuo iuauissimo amore ducti & ardentissima charitate inflammati.

Et venient in Sion laudantes, & letitia sempiterna super capita eorum. 7. Describit reditum Iudæorum à Babylonica captiuitate. Sed mentis oculis intuebatur eos, qui è diaboli captiuitate venturi erant ad ecclesiam, ex qua profecturi erant ad æternam beatitudinem. Nam hæc letitia sempiterna hic incipit, sed in cælo realiter & perfectè possideretur. Vtitur Propheta metaphora sumpta à re bellica. Nam vt illi, qui in preliis hostes superat coronantur, sic qui in spiritali certamine inimicos anteq̃ vincunt, finita hæc mortali vita accipiunt in gloria coronam letitiæ sempiternæ. Id voluit D. vates iis verbis significare: Et letitia sempiterna super capita eorū. Quasi diceret: Coronabuntur iusti non lauro, non robore, non gramine, quæ omnia marcescunt, & vetustate cōsumuntur, sed gaudio immarcescibili & sempiterno. Id appellat D. Paulus coronam iustitiæ. In reliquo, inquit, reposita est mihi corona iustitiæ. Hanc appellat Iacobus Apostolus coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et Petrus Apostolorū princeps immarcescibilem gloriæ coronam.

Ego ego ipse consolabor vos. 7. Orantibus Deum vt confurgeret eosque consolaretur, respondet ipse Deus hæc verba. Vide eius clementiam.

Et obliuisceris Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram: & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te iri- bulabat, & parauerat ad perdendum. Vbi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradens ad aperiendum, & non interficiet vsque mer- uerionem, nec deficiet panis eius. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & inuoluescunt fluctus eius, Dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo, & in um- bra manus tuæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad sion: Populus meus es tu. Eleuare eleuare, conurge te- rusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem ire eius, vsque ad fundum calicis saporis bibisti. & potasti vsque ad faeces. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit: & non est qui apprehēdat manū eius ex omnibus filiis quos enutrit. Duo sunt quæ

2. Tim. 4.

Iacob. 1.

Supra 49.

Supra 47.

occurre.

occurrerunt tibi. quis contristabitur super te? *vasitas & cōtritus & famēs & gladius.* Quis consolabitur te? Filii tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata: Pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui, idcirco audi hæc pauperula, & ebria non à vino. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui propugnauit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ: non adicies vt bibas illum vltra. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ: Incuruare vt transeamus: Et posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

Et oblitus es Domini factoris tui.] Sælus est: Si me habes Deū & consolatorem, cur hominem times, qui vt fœnum confunditur, & Deum obliuisceris cœli atque terræ effectorem, qui te creauit, & potest ab omnibus inimicis tuis te facile eripere?

Cito veniet gradiens ad aperiendum.] Id est, filius meus vni-genitus non tardabit, sed cito veniet in mundum ad aperiendam viam æternæ beatitudinis. Et non interficiet, non enim veniet vt perdat, sed vt saluos faciat, vult enim, vt ait Diuus Paulus, omnes homines saluos fieri. Et ipse Christus apud Ioannem: Non veni, inquit, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Venit igitur vt vitam daret, nō vt occideret. Non enim vult, vt est apud Ezechielem, mortem peccatoris. Nec deficiet panis eius, hoc est, eius doctrina quæ animam reficit, & eius gratia, qua anima viuuit, & velut suauissimo pabulo sustentatur. Hic est panis, quem petimus in oratione dominica, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. De quo Dauid, Aruit, inquit, cor meū, quia oblitus sum comedere panem meum. Potest totum hoc ita explanari, vt dicat Christus fidelibus suis: Vbi est nunc furor tribulantis vos? Ecce ille, qui vos affligit, veniet cito ad aperiendum vobis ostium carceris, in quem vos coniecit, & conuertetur ad fidem, vōsque nutriet & sustentabit. Potest hoc referri ad Cyrum, vt sit sensus. Ne cadatis animo ô Hebræi in Babylonica captiuitate cōstituti: Nam cito veniet Cyrus, qui vobis ostium aperiet, & ad patriam mittet. Existimo tamen referendū esse in primis ad Christum, qui carcerem peccati, in quo mundus continebatur, aperuit & cœlum suo sanguine referauit. Est enim Christi sanguis clavis apriēs scelearum carcerem, vt inde exeamus: & cœlū, vt illud penetremus.

Ego autem sum Dominus Deus tuus.] Alloquitur pater filium, iuxta carnis assumptæ dispensationem.

Posuisti

I. Tim. 2.
Ioa. 12.
Ezec. 8.

Psal 107.

Posui verba mea in ore tuo.] Verba quæ loquitur Christus, patris sunt. Ipse enim apud Ioannem, Sermo, inquit, quæ au- *Ican. 14.*
distis, non est meus, sed eius qui misit me patris.

Vt plantes cælos & fundes terram.] Christus constituit alterū mundū. Apostoli viri apostolici cæterique viri illustres, qui in terra fuerunt vitam cælestem imitati, appellantur cæli, vt alibi docuimus, alij verò fideles minus dediti contempla-
tioni terra vocantur.

Eleuare eleuare, consurge Ierusalem.] Verba sunt Prophetæ cō solantis ecclesiam, eamque ad tolerantiam rerum aduersarū cohortantis. Eleua te, inquit, ô Ecclesia à tyrannis afflicta. Excitamihi fideles, qui iacetis in lachrymis, qui de manu Do mini bibistis calicem iræ eius vsque ad fundum, hoc est, affli-
ctiones diuina permissione incidistis, & in summis acerbi-
tibus versamini. Christus Deus noster afflictionū calicem bibit, & illū suis electis porrigit & propinat. Hic est calix ille, *Matt. 20.*
de quo ipse dicebat filiis Zebedæi: Potestis bibere calicem *Ioan. 18.*
quem ego bibiturus sum? Et paulò pōst: Calicem quidem meum bibetis. Et alibi, Calicem, inquit, quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?

Simile.

Solent magni ac nobiles viri, quando suam erga familiares & amicos beneuolentiā ostendere volūt, illis calicē suū tradere, vt ex eo bibant. Sic Christus Deus noster viris piis dilectis suis calicem suarum afflictionū propinat, vt suam erga eos charitatem ostendat. Sed considera Dei pietatem. Permittit vt sui calamitatibus premantur, sed in medio illarū eos consolatur, ne timore debilitentur, & corruāt, hortans eos, vt erigant animos, & ad cælum aspirent, ipsūque Deum contemplantur. Illud est aduertendū, duos esse calices, alterum Christi, alterum mundi. Calix Christi est gustui amarus, sed animæ saluberrimus, cōtrā verò calix mundi est gustui suauis, sed magnam animæ affert perniciē. Est foris aureus, sed intus habet pestiferū venenū. Qui ex eo bibunt pereūt, & ruunt in interitū voluntariū. Sed tanta est hominū infania, vt non defināt hoc venenū obbibere, quanquam intelligant eos, qui illud portant, cōceptam mortem in anima continere. Si adesles conuiuio, & *Simile.*
hausto poculo moreretur ille qui biberat, & quotquot biberent mortui caderent, nōne iudicares illud esse venenū? iudicares equidem, & ex eo nihil sumeres, nisi penitus iudicio careres. Nunc quanta est amentia? quanta animi cæcitas, id velle quod semper detrimentum attulerit: & existimare fore vt ipse non pereas, cum alios perire videas? Hic est calix, de quo Io-

Apos. 14. quo Ioannes in Apocalypsi. Cecidit inquit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ porauit omnes gentes. Fugiamus calicem Babylonis, detestemur calicem mundi, & Christi calicem amplectamur. Christus bibit, priusquàm nobis illum propinaret. Ceterùm hæc verba Esaiæ eleuare, eleuare, confurge Ierusalè, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, possunt rectè referri ad populum Iudæorum in Babylonica captiuitate constitutum, quem Deus excitat, vt videat se esse ob sua scelera meritò punitum.

Fames & gladius.] Explicatio est præcedentium, Dixerat duo esse, in quæ inciderat, nempe vastitatem & contritionem: modò autem explicans hæc duo, ait esse famem & gladium.

Quis consolabitur te?] Quasi dicat, nemo. Videtur esse explicatio eius, quod modò dixerat: Quis cōtristabitur super te, Magnum est enim solatium habere aliquos, qui tecum tuas ærumnas sentiant & plorent. Contrà verò summa est calamitas, non habere in ærumnis, qui tuam vicem doleat & carere omni consolatore. Id lugebat Ieremias dicēs in Threnis: Non est qui consoletur eam, ex omnibus charis eius. Et Salomon in Ecclesiaste, Vidi, inquit, lachrymas innocentium, & neminem consolatorem. Et Dauid in psalmo in persona Christi, Sustinui, inquit, qui simul contristaretur, & nō fuit, & qui consolaretur, & non inueni.

Filii tui proiecti sunt.] Pergit ostendere afflictionem populi Iudaici in Babylonicam captiuitatem relegati.

Sicut bestia illaqueata.] In quā sæuiūt & truuunt venatores. *Id circo audi hæc pauperula.*] Id est, eam ob causam audi hæc Iudæorum synagoga, quæ in Chaldea detineris, pauperula, abiecta, ebria non à vino, sed à te ipsa alienata, & ob scelera tua in Babylonicum carcerem coniecta. Ego, inquit, Dominus auferam à te calicem iræ meæ, & te affligentibus illum propinabo. Eruam te ex Babyloniis, & illos euertam, & Cyro capriuos subiciam. Qui dicebant tibi: Incuruare vt transeamus, qui te acsi terra esses & lutum pedibus conculcabant, & incredibilibus iniuriis afficiebant. Vide Dei clementiam. Adhuc Iudæi non erant capti, & in Chaldaeam adducti, & iam eos consolabatur, acsi à Babyloniis captiui detinerētur.

*Thren. 1.
Ecl. 14.
Psal. 68.*

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LI.

Attendite

Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua precisi estis.] Totū hoc Septuaginta interpretes in hunc modum verterunt: Attendite in robustiam petram, quam excidistis, & in foueam laci, quam fodistis. Quæ verba indicat Elaiam non loqui de Abrahamo, quem Iudæi non exciderunt, sed de Christo, quem illi vulnerarunt & occiderunt. Postea tamen Iudæos mittit ad Abrahami considerationem. Pro, Et ad cauernam laci, est in Hebraico veel makkæuæth bor. Quod potest rectissimè verti: Et ad perforationē putei. Fuit enim pectus Christi puteus altissimus aquarū videntium gratiæ & spiritualium donorum, quo perforato exiit sanguis & aqua, vt Euangelista testatur. Verbum enim Nakau perforare significat. Vnde nomen Makkæuæth significat perforationem & aperturam, Bor autem significat puteum & cisternam.

Tribus mea me attendite.] Pro tribu mea est in Hebraico Leu mim Septuaginta pro tribu verterunt reges; Theodotio genus, Symmach⁹ gentem Quem secutus Pagninus vertit: Et gens mea me audite. Dixerat antea: Attendite ad me populus meus, & statim ait: & tribus mea me audite. Fortassè per populum suum intelligit Iudaicum, & per tribum suam tribum Iuda, ex qua carnem sumpsit. Et quoniam ea erat tribus regalis, ex qua erant reges Iudææ, verterunt Septuaginta interpretes reges, & Theodotio genus, quoniam ex ea tribunatus est Christus, & Symmachus gentem eadem ratione eam appellauit. Ego verò existimo populum christianū esse eum, quem Deus hoc in loco & populum suum & gentem suam appellat. Quem alloquens D. Petrus. Vos autem, inquit genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Vbi vides Christianos esse genus electū, quod conuenit cum versione Theodotionis: & esse reges, quod coheret cum versione Septuaginta: & esse gentē sanctam, quod non discrepat à Symmachi atque Pagnini translatione.

Brachia mea populos iudicabunt] Septuaginta habent: In brachio meo gentes sperabunt. Quod de Christo intelligitur, qui in litteris diuinis brachiū Dei appellatur. Ipse enim est expectatio gentium, vt prædixerat Iacob: Ipse inquit erit expectatio gentium. Qua de re alibi disseruimus.

Cito veniet graduens ad aperiendum, & non interficiet vsque ad interuencionem] Symmach⁹ ita vertit ex Hebraico Cito in fernus aperiatur, & nō morietur in corruptione. Subauditur Christus,

Psal. 15.

Christus, qui ait in psalmo. Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Et in vmbra manus tue protegi te, vt plantes caelos, & fundes terram.] Septuaginta habent: Et in vmbra manus tue protegam te, in qua statui caelum, & fundavi terram. Vide quam aperte indicent mysterium redemptionis per Christum. Quis enim non videt haec palam ad Christum referri: Per ipsum enim caelum fuit constitutum & terra fundata. De eo ait D. Ioannes: Omnia per ipsum facta sunt. Et D. Paulus in epistola ad Romanos: Ex ipso, inquit, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et ad Colossenses: In ipso condita sunt vniuersa in caelis, & in terra, visibilia & inuisibilia. Hic est absque dubio ille, de quo hic loquuntur Septuaginta, in cuius manu Deus caelum statuit, & terram fundauit. Et aduerte eos dixisse, protegam te, in futuro, cum in versione nostra sit protegi te in praeterito. Mutat aliquando Septuaginta aliqua de Hebraico, sed non sine diuino consilio & mysterio, vt ego credo. Est enim admirabilis eorum interpretatio, & tanta auctoritatis, vt eam saepe Apostoli citauerint, vt aliis in locis ostendimus.

Ioan. 1.
Rom. 16.
Colos. 1.

Psal. 59.

Vsq; ad fundum calicis soporis bibisti.] Pro sopore est in Hebraico tarelah. Quod nomen significat soporem, tremorem, stuporem, compunctionem, & crapulam. In psalmo vbi versio nostra habet: Potasti nos vino compunctionis, habet versio D. Hieronymi, vino consopiente. Est enim ibi hoc nostrum nomen. Quod poterat etiam verti: Potasti nos vino tremoris. Et illud Zachariae 12. Ecce ego ponam Ierusalem super lumina crapulae: Poterat verti Ecce ego ponam Hierosolymae calicem soporiferum, vel calicem tremoris, vel stuporis, vel compunctionis. Nomen enim Saphaph, quod ibi scriptum est, limen significat, & liminare, sed proprie calicem & poculum. Vnde in Exodo vbi scriptum legis. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine. Poterat recte transferri. Fasculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in calice, vel in pelui, aut phiala. Omnia enim haec significat nomen saphaph. Hic calix tremoris & compunctionis est affectio, dolor, & cruciatus, quibus Deus suos exercet. Et hic est calix, quem Christus bibit moriens in cruce, atrocissimis iniuriis, indignissimis doloribus, acerbissimis cruciatibus affectus. Hic est calix ille, quem Ioseph in sacculo Benjamin sui charissimi fratris iussit abscondi. Erat Benjamin minimus inter fratres, qui ibi paruulus appellatur. Vbi inuenitur calix Ioseph,

Zach. 12.

Exod. 12.

Ioseph, nisi paruulis, hoc est, in humilibus, in iis quos Deus diligit? eos enim permittit in afflictionibus versari. Ioseph qui querēs fratres suos venditus est, qui seruauit Aegyptum, & mūdi saluator appellatus est, vt in Genesi diuine literæ testatur, fuit Christi figura, cuius angustiariū calix in sacculo Benjamin reperitur, de quo ait Ioseph: Ipse sit seruus meus, & in illū maiora cōtulit beneficia. Ille qui est seruus Christi, quem Christus plus amat, cui maiora munera largitur, indignē aliquando patitur, & magnis afflictionibus premitur. Hic est calix ille, de quo illustrissimus propheta. Calicem, inquit, salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Gen. 41.

Psal. 115.

Argumentum Capituli LII.

Promittit Propheta Deum liberaturū à Babylonica captiuitate Hebræos, eosque ad fortitudinem & lætitiā exhortatur. Et sumpta inde occasione vaticinatur de primo Christi aduentu in mundum, & de Apostolorum prædicatione.

CAPVT LII.



Con surge con surge, induere fortitudinem tuam in Sion. Induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adiciet ultra, vt pertranseat per te incircuncisus & immundus. Excutere de puluere, con surge, sede Ierusalem: Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Quia hæc

Gen. 45.

dicit Dominus Deus: In Aegyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi, & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic dicit Dominus: quoniam ablati sunt populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus eius.

Rom. 2.

Ierem. 36.

Rom. 10.

Nabum. 1.

EXPLANATIO.

Con surge con surge.] Loquitur Propheta Iudæis, qui in Chaldaea captiui detinebantur, eosque hortatur vt forti atque erecto animo sint, lugubres vestes deponant, & decoras atque pre-

R r c i o f a s

ciosas induant, quoniam erunt liberati, & in suum pristinum statum restituti. Sed per hæc promittit esse genus humanum à peccati captiuitate liberandum, ipsosq; peccatores exhortatur, vt exuant veterem hominem, & induant nouum, vt vestibus nuptialibus induti possint securè diuino conuiuio interesse. Hoc enim vestimentum gloriæ est illud, de quo apud Matthæum. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.

Matt. 12.

Quia non adiciet vltà, vt pertranscat per te incircuncisus & immundus.] Hoc est, non iterum Babilonius dominabitur tui. Potest hoc ad animam spiritualiter referri. Hæc enim se debet erigere, & ad cælum aspirare, vt gratia induta, & fortitudine munita, non aperiat osium turpibus cogitationibus, non transeat per eam consensus incircuncisus & immundus. Poteris per incircuncisum & immundum quamcunque malam cogitationem intelligere, quæ nõ ita debet pertransire animam, vt anima illi assentiatur. Cogitationes malæ sunt velut hirundines, penetrat domum, cõtaminant eam, inquietant & inquietant, & exeunt, nullam vtilitatẽ relinquẽtes. Et quæadmodum nõ est in potestate nostra cohibere hirundines, ne super domum nostram transeat volitantes, possumus tamẽ illas ex domo abigere, ne ibi morentur, & nidum cõtstituant sic non est in manu nostra non tentari: volitabunt enim cogitationes etiam nobis inuitis, sed in manu nostra est in illis cum Dei gratia resistere, easque abducere & fugare, ne in corde nostro domicilium construant, & nidum efficiant. Id exiliũno voluisse significare Pythagoram, quando dixit, sub eodem tecto hirundines non esse habendas. Quam sententiam tribuit illi Diogenes in eius vita, vt multi alij.

Excitare de puluere, confurge, sede Ierusalem.] Non ad parietes, sed ad Iudæos Hierosolymæ habitantes hæc referenda sunt. Hos in terra iacẽtes puluere peccatorum pollutos, scelerum vinculis ligatos hortatur propheta vt puluerem excutiant, confurgant à peccatis, soluant vincula colli sui, & sedeant in loco honesto. Ait enim: Confurge. Sede: Quasi dicat: Relinque peccata, age penitentiam, & sede in virtutibus. Per sessionem intelligit firmitudinem & constantiam. Non enim sat est virtutem semel amplecti, si eam statim relinquant, sed necesse est in ea stabiliri, & firmiter inherere. Aspicias quanta sit sceleratorum miseria, iacent in terra humana amplectentes, vt de se quidam dicebat: Adhæsit pavimento anima mea. Sunt puluere confersi, polluti, & obcæcati, vt

Psal. 118.

de Ba.

de Babyloniorum republica dicebat Ieremias : Confusa est *Ierem. 50.*
mater vestra nimis, & adæquata pulueri. Sunt captiui, & viri
culis alligati, de quibus vinculis dicebat quidam : *Psal. 115.*
Dirupisti
vincula mea. Et Apostolus in epistola secunda ad Timothe.
um, Respicât, inquit, à diaboli laqueis, à quo captiui tene-
tur ad ipsius voluntatem. *2. Tim. 2.*

Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.] Id est,
immeritò & iniuria capti estis. Nullum enim facinus, nullū
flagitium in Babylonios nec in Ægyptios admiseratis. Ego
autem vos gratis liberabo. Iam diximus Cyrū dimisisse lu-
dæos nulla ab illis pecunia accepta. Sed hic occultatur in li-
tera mysterium. Sine causâ homo se vedit dæmoni, & Chri-
stus eum gratis redemit, hoc est, nullo auro & argento, sed
suo purissimo sanguine. Qua de re capite 50. disierimus.

Et Assur absque vlla causa.] Hoc est, Et postea Assyrius
nulla à Iudæis iniuria lacessitus eum vexauit, & captiuum
duxit. Hic Assyrius est Nabuchodonosor, qui quoniam non
solum Babyloniorum, sed etiam Assyriorum monarchiam
obtinuit, Assyrius appellatur. Vel per Assur non Nabucho-
donosor, sed ipsorum Assyriorum rex intelligitur, qui cum
Babyloniis aduersus Iudæos pugnavit.

*Et nunc quid mihi hic est dicit Dominus, quoniam ablatus est
populus meus gratis?*] Cur manebo Hierosolymæ, quid faciam
ibi, si populus Iudaicus translatus est in Babylone? Quan-
quam Deus est vbique, dicebatur tamen specialiter Hiero-
solymæ, quoniã ibi à Iudæis colebatur, & ibi respõsa dabat,
& sola Iudæa erat receptaculum fidei, cum gentes omnes i-
dola colerent, & in erroribus versarentur. Possunt hæc ad
tempus gratiæ referri, vt dicat Christus : *Quid facio Hiero-
solymæ, si populus Iudaicus me contemnit, seque gratis dia-
bolo tradit? Disceda hinc, & Iudæos relinquam.* Id dicebat
idem Christus discipulis suis: Surgite eamus hinc. Et volēs
propheta significare hunc qui loquitur, esse Christū, subdit: *Ioan. 14.*
*Quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quasi dicat: Ego,
qui in prophetis loquebar, veni in mundum, sumpsi huma-
nam naturam, & ecce adsum factus homo.*

*Dominatores eius iniquè agunt dicit Dominus, & iugiter tota
die nomen meum blasphematur.*] Per dominatores populi Iu-
dæici intellige scribas, & Phariseos, & principes sacerdotū.
Vel potius Babylonios, qui Iudæorum dominabantur. Sed
vide quàm pestilens sit principum flagitium, quoniam illis
attribuit blasphemias populi.

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.] Hoc est, Ideo in die illa, in tēpo-
re quo sum liberaturus populum Iudaicū à Babyloniis, ipse
populus sciet me esse Dominū Deū exercitū, quia ego ipse
qui modò hæc promitto, tunc adero promissionem hanc ad-
implens. Id est quod sonat litera. Sed quis non videt esse in
ea Christi aduentum in mundum velatum? Christus est qui
hæc loquitur: Quasi dicat: In illa die, in tempore gratiæ quā-
do sum iturus in mundum, & cum hominibus conuersatu-
rus, eosque à diaboli captiuitate liberaturus, populus meus
sciet nomen meum: sciet me esse Iesum, hoc est, hominum
saluatorem. Iesus enim idē est quod saluator. Ego enim qui
antea per viros sanctos loquebar, tunc adero factus homo.

Baruch. 3.

Heb. 1.

Id quidem ait iis verbis Baruch: In terris visus est, & cum
hominibus conuersatus est. Quæ verba de Deo dicuntur,
vt ibi scriptura apertissimè ostendit. Id explicuit Apostolus
dicens in epist. ad Hebræos: Multifariā multisq; modis olim
Deus loquēs patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis lo-
cutus est nobis in filio, quē constituit hæredē vniuersorum,
per quē fecit & secula. Id quod hæc ait Christus, sciet popu-
lus meus nomen meum in illa die, fortasse intelligitur de no-
mine ineffabili tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum,
quod est Iehouah, de quo dicebat Deus Moyfi: Ego Do-
minus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omni-
potente, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Nam in
litera Hebraica non est Adonai, sed Iehouah: sed quoniam
nomen Iehouah est ineffabile apud Iudæos, pro Iehouah
posuit noster interpres adonai. Hoc nomen incognitum Iu-
dæis manifestauit Christus, qui apud Ioannem alloquēs pa-
trem. Manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus, quos
dedisti mihi: Sed quæres quomodo illud manifestauit, Dicā:

Exod. 6.

Ioan. 17.

Matt. 28.

Mar. 12.

Ioan. 17.

Ioan. 10.

Docuit Deum esse trinum & vnum. Dicens enim: Docere
omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &
Spiritus sancti, ostendit trinitatem personarum, Apud Mar-
cum dicens: Dominus Deus tuus, Deus vnus est, ostendit v-
nitatem essentiae: quemadmodum apud Ioannē, Pater san-
cte, inquit, serua eos, vt sint vnum, sicut & nos. Et in alio ca-
pite: Ego & pater vnū sumus. Vnde Diuus Ioannes à Chris-
to doctus, Tres, inquit, sunt qui testimonium dant in cælo,
Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Do-
cuit præterea Christus se esse Deum & hominem: Deū, quā-
do dixit, Ego & pater vnum sumus, hominē quando dixit:
Pater

Pater maior me est. Et omnia hæc sunt inclusa in hoc admirabili nomine Iehouah, quod ex quatuor literis constituitur, quarum prima est, Iod, quæ significat principium, per quam significatur pater, qui est principium sine principio. Secunda litera huius nominis est, he, quæ sonat esse, per quam significatur filius, quoniam per ipsum omnia facta sunt, & habet esse, de quo ait D. Paulus: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Tertia litera est uau, quæ significat charitatē & amorem, & est coniunctio copulatiua, per quam significatur Spiritus sanctus, qui est amor, & charitas, & nexus. Qui ut verbis utar Augustini, nec patris tantum, nec filij tantum, sed simul patris & filij spiritus dicitur, & charitas siue sanctitas amborum esse agnoscitur. Vltima litera est he, quæ est etiam secunda, per quam diximus filium significari. Sed quoniam filius Dei vnigenitus sumpturus erat humanam naturam, duplicatur hæc litera, vt significet in Christo duas naturas, diuinam & humanā, sed semper est vna litera, quia Christus est vna persona: sunt enim duæ naturæ in vno supposito. Et ponitur in fine hæc litera, per quam significatur humanitas, quoniam in fine in nouissimis diebus filius Dei humanam naturā sibi inenarrabili modo copulauit. Solet enim scriptura tempus gratiæ nouissimos dies appellare, & temporis plenitudinem, vt 2. capite ostendimus. Hinc intelliges cur Deus Abramō literam vnam addens, non aliam, quā **ן**, quæ est ea quæ in fine admirabilis nominis Iehouah ponitur, addiderit. Cum enim voceretur Abram vocatus fuit à Deo Abrahamā, addita sola litera **ן**. Voluit enim Deus occulto illo mysterio significare filium suum vnigenitum esse ex femine Abrahami carnem sumpturum. Ideo enim literam admirabilis nominis Dei tribuit Abramō, & eam per quam Christus significatur, vt ostenderet filium Dei fore filium Abrahami secundum humanitatem. De eo enim ait D. Matthæus. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahamā. Qui cum secundum humanitatem sit filius Abrahami, secundum diuinitatem tamē, Antequam, inquit, Abrahamā fieret, ego sum, Et ob eam causam voluit Deus vt in nomine Abrahami, quod ita scribitur, Abraham, esset litera **ן**, quæ regni Christi æternitatem significat, vt cap. 9. explicauimus. Aspicias igitur hoc nomen Iehouah, quod Iudæi ob eius admirabilitatē & celsitudinem nominare non audent, in se altissima mysteria ipsis Iudæis infidelibus incognita continere. Et hoc est nomen, quod Christus suis fi-

Rom. 14.

Rom. 8.

Supra 20

Matt. 1.

Ioan. 3.

Supr. 9.

R 1 3 delibus

Psal. 3.
Psal. 57.
Psal. 21.
Heb. 2.

delibus indicauit, quod Christianus populus cognouit, de quo hoc in loco ipse Christus ait per Esaiam: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Hoc est nomen illud admirabile, de quo ait Dauid: Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Et alibi. Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Et alibi idem inducit diuinus vates Christum ita Deum patrem alloquentem: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesie laudabo te. Quae locum D. Paulus in epist. ad Hebr. de Christo interpretatur.

Quam pulchri sunt super montes.] Dixerat Christus venturum se esse in mundum, & suum nomen manifestaturum. Et quoniam missurus erat Euangelistas, & Apostolos, qui pacem & salutem mundo nuntiarent, qui praedicarent Euangelium, ideo propheta eos laudat & admiratur dicens, speciosos esse super montes eorum pedes. Intuebatur diuinus vates pedes Apostolorum, qui peragraturi erant totum terrarum orbem. Et aduerte: Non dixit Apostolos solum priuatis hominibus, & in eorum propriis domibus inter priuatos parietes Euangelium praedicaturos, sed esse ascensuros in montes, ut posset ab omnibus audiri. Voluit propheta iis verbis significare Apostolos omnibus concionaturos, tam nobilibus quam obscuro loco natis, & nuntiaturus esse vniuerso mundo pacem, & salutem, caeteraque bona, quae Christus in homines contulit. Ideo ait propheta: Praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem: Dicentis Sioni, regnabit Deus tuus. Omnia haec sub nomine Euangelij comprehenduntur. Euangelium enim bonum nuntium significat. Quod Christus significans ait discipulis suis, ut est apud Marcum: Euntes in mundum vniuersum praedicate euangelium omni creaturae. Hunc locum Esaiæ citauit Diuus Paulus in epistola ad Romanos, cum de Apostolica praedicatione loqueretur. Ex quo aperte colligitur Esaiam in hoc capite locutum fuisse de Christo, eiusque Apostolis, & ex consequenti eos in errore versari, qui cum nomine Christiano gloriantur, Iudaeorum expositioni adhaerentes, caput hoc de sola Babylonica captiuitatis liberatione sub Cyro interpretentur, cum diuini vatis praecipuum propositum sit, de humani generis redemptione per Christum, de quo eius Apostolorum praedicatione vaticinari. Poteris hic per montes altitudinem virtutum intelligere, ad quam oportet Christi concionatores ascendere. Illud est praeterea aduertendum, ante aduentum Christi ratam fuisse in mundo

Mat. 16.

Rom. 10.

mundo pacem. Si enim fuisset, non Apostoli eam tanquam rem nouam & insolitam nuntiaret. Pax enim sine charitate esse nō potest. Ita ait alio in loco Esaias: Non est pax impiis dicit Dominus. Quod de vera & spiritali pace est intelligendum. At de tempore Christi dicit in Psalmo: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Qua de realibi differuimus. Nec est silentio transeundū, prædixisse hoc loco Esaiam, Apostolos annuntiaturos bonum, vt significaret antea bonum eiusmodi ignotum fuisse. Disserebāt philosophi de bono, sed nō inueniebant, quoniam illud non in summo, sed in imo quærebant, & in tenebris & erroribus inextricabilibus versabantur. Bonum igitur quod verè & realiter bonum est, annuntiauerunt Apostoli quod antea ignorabatur à mundo, licet essent nonnulli viri sancti, qui illud non ignorabant. Sed hi nomine mundi non comprehenduntur.

Regnabit Deus tuus.] Quasi dicat: Non amplius regnabit Moytes cum ceremoniis suis, sed Christus in Ecclesia sua in æternum regnabit. Vel sic Si Christum receperis, eiuſque dēta obseruaueris, non regnabit in anima tua peccatum, sed ipse Christus per gratiam. Hanc gratiam, hoc Christi regnū petimus cūm dicimus: Adueniat regnū tuum. Sed tunc regnat in nobis peccatum, quando paremus concupiscentiis fomitibus peccati. Ideo ait Apostolus in epistola ad Romanos: Non regnet peccatum in corpore vestro mortali, vt obediatis concupiscentiis eius. Vbi per peccatum fomitem peccati intelligit, non quod sit peccatum, priusquam voluntas consentiat, sed quod incitet ad peccandum.

Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabant: quia oculo ad oculum videbunt, cūm conuerterit Dominus Sion. Gandete, & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde Polluum nolite tangere, exite de medio eius. Mundamini qui feritis vasa Domini. Quoniam non in tumultu exhibitis, nec in fuga properabitis, precedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israël. Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum. Quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

Ezec. 3.
 33.

Vox speculatorum tuorum.] Subaudi audietur. Quasi dicat: Præsules tui, quorum officium est speculari, annuntiant Euangelium. Præsules vocat specularios. Sic Deus Ezechieli, Fili hominis inquit, specularios dedi te domui Israël. Et alio in loco, Ille quidem, inquit, in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Vbi aspicias præsulum interesse cõcionari, speculari, subditis consulere, & eorum vulneribus mederi. Hoc attendant qui dediti ventri & somno nõ subditos curant, sed seipfos. Septuaginta habent: Vox custodientium te exaltata est.

Simul laudabunt.] Subaudi Christũ ob redemptionẽ & peccatorũ remissionẽ, cæteraque beneficia in homines collata.

Quia oculo ad oculum videbunt.] Hoc est, quia ipsi propriis oculis Christum aspicient in carne, cum conuerterit Sionem, hoc est, cum redemerit mundum, & multos ad seipsum conuerterit. Vide quomodo propheta à liberatione Babylonica captiuitatis se transferat ad mundi liberationem.

Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium.] Præteritũ pro futuro more prophético, hoc est, mitteret pater filium suum, vt ab omnibus videatur. Appellatur filius brachium ob diuinam fortitudinem, vel quia omnia per ipsum, vt inquit D. Ioannes facta sunt. Appellari Christum brachium Domini, indicat scriptura multis in locis. Capite superiore ait Esaias: Confurge confurge, induere fortitudinem brachium domini. Vbi per brachium Christus intelligitur, vt vbi annotauimus. Et in Psalmo: Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.] Appellari Christũ salutare Dei aliis in locis explicuimus. Id quod hic in futuro prædicit Esaias, tanquam iam præteritum cecinit his verbis Dauid: Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

Recedite recedite, exite inde.] Alloquitur eos, qui erant in Babylonica captiuitate dicens, vt exeant inde, quoniã Deus est eos liberaturus. Sed eis in primis qui erant in peccati captiuitate dicit Deus, vt recedat ab ea, & exeant à Babylone, hoc est, à confusione mundi, & nolint se tactu rerum immundarum contaminare. Sic capite 48. Egreddimini, inquit, à Babylone, fugite à Chaldeis. Et apud Ieremiã: Recedite de medio Babylonis de terra Chaldæorum egreddimini. Multi detra-

Joan. 1.

Supr. 51.

Psalm. 97.

Jerem. 50.

detraxerunt de mundo, illū maledictis & opprobriis insequuntur, sed eū non vulnerant, quia se ab illo nō abducunt, neque separant. Vt enim qui funda vult lapides rotare, & proicere qui bus aliquē feriat, opus est vt se ab eo seiungat, quem vult percutere, alioquin cum eo coniunctus nihil efficiet, sic qui voluerit dictis aut scriptis mundū ferire, recedat ab eo, nam eū amplectens funda suorum sermonum vulnerare non valebit: Si Dauid esset cum Goliath vnitus, eum funda sua occidere nequaquā posset, Ideō Diuus Hieronymus, & Diuus Franciscus, cæteri que viri charitate ardentis, omni que virtute præstantes, mundi confusionem vulnerantur, quia ab ea longè recesserunt.

Pollutum nolite tangere] Vt enim qui tangit picem, inquinatur ab ea, sic qui familiaritate sceleratorum vitur facile deprauatur. Si prohibemur labiis attingere aquam contaminatam, quanto magis eam bibere? Discedamus igitur à mundo, ne eius pollutas aquas attingamus, si volumus non perire. Quāuis enim in principio clara ac dulces videantur, tamen si earum finē respexerimus, videbimus eas contaminatas, & veneno infectas. Apud Scythas est fluuius nomine Hypanis, qui in principio purus ac dulcis apparet, sed postea inficitur amaro fonte, & bibentibus perniciē parat. Talis est mundus, prima specie clarus & suauis, sed postea turbulētus, pollutus, & venenosus. Fallit in principio spe magnarū rerū, quas promittit: videtur purus & suauis, sed postea suam amaritudinem & immundiciam ostendit. Detestemur igitur eius pollutas aquas, audiamus Prophetam dicentem: *Pollutum nolite tangere.*

Mundamini qui fertis vasa Domini] Exhortans propheta omnes qui in Babylonica captiuitate detinebātur ad exitū & egressum ab illa, & ad animi puritatē, inter omnes, eorū præsertim meminit, qui vasa domini portabant. Rapuerat enim Nabuchodonosor vasa domini è tēplo Hierosolymę, ad cultū diuinum dedicata, & Babylonē asportauerat: quæ Iudæi postea Hierosolymā retulerunt. Horratur igitur diuinus vates eos, qui erant rebus sacris, diuinōque cultui addicti, quibus erat cura vasa domini portandi, vt puri sint, nullis immundiciis cōtaminati, ne manibus pollutis vasa domini cōinquinent. Vasa domini sunt Christiani Deo dedicati, quorū vnus qui vas electiōnis appellatur, ita epistola secunda ad Timotheum scriptum reliquit: Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatū, & vtile Domino ad omne opus bonum

*Simile.**2. Reg. 17.**Simile.**Act. 9.
2. Tim. 2.*

bonum paratum. Qui portant vasa domini sunt præfules, qui si se vitii dedunt, & iura peruertunt, non solum seipso polluiunt, sed alios suo exemplo contaminant. Vnde Deus dicitur Moysi, vt est in Exodo literis mandatum: Facies lamina de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctam domini, ligabisque eam vitra hyacinthina: & erit super tiam ram imminens fronti pontificis. Considera hoc. Talis debet esse præful, vt eum videntes statim cognoscant eum esse sanctum domino, Multa mihi hoc in loco occurrebant ad dicendum, & multo plura ad plorandum, quæ sunt silentio prætereunda.

Ozoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis.]

Subaudi, quemadmodum in exitu de Aegypto. Nam nunc mittet vos Cyrus in patriam, & in pristinum statum restituet.

Ece intelliget seruus meus.] Dixerat Iudæos reuersuros esse in patriam suam in pace & tranquillitate, & Christum eos præcessurum & congregaturum. Nunc ait Diuus pater: Ecce filius meus, quem secundum humanam carnem assumptam seruum meum appello, sapienter geret hanc rem. Ipse enim intelligit quemadmodum est vos liberaturus. Vide quomodo propheta transeat à liberatione captiuitatis Babilonica ad humani generis redemptionem per Christum.

Exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde.] Hoc est, Morietur cruci affixus. Christi mortem appellat exaltationem. Et ipse Christus apud Ioannem ita ait. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Id quod Iudæi putabāt esse ignominiam, appellat Christus gloriam. Et alibi. Sicut Moyses, inquit, exaltauit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis. Et in Canticis. Ascendā, inquit, ad palmam. Fuit igitur mors Christi exaltatio, quia per illam triumphauit de morte, de mundo, de diabolo. Quando videbatur abiectus & humiliatus, erat gloria sublimis: hæc est enim humilitatis natura. Eodem modo arca Dei in templo Dagonis cum videbatur abiecta & victa, tunc erat eleuata & gloriosa, & de Dagonem mirabiliter triumphabat. Ex quo sequitur: eos qui Christum imitantur, & pro eo indignis contumeliis afficiuntur, tunc maiori gloria fulgere cum magis abiecti esse videntur. Vocatur etiā mors Christi exaltatio, quia pro nobis moriendo suam bonitatem, charitatem & iustitiam ostendit:

Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.] Id est sicut multā

Exod. 12.

Figura.

Ioan. 2.

Ioan. 3.

Ioan. 2.

Cant. 7.

1. Reg. 5.

multi Christi doctrinā & miracula admirabuntur, sic multi obstupeſcent videntes eius faciem vulneratam, alapis percuſam, ſputis commaculatam, & ſanguine conſperſam, & eius pulchritudinem in nigredinem mutatam. Stupuiſſe autem multos Chriſti miraculis & doctrina aſſerit multis in locis euangelica hiſtoria. Quem enim nō teneret ſtupidum & admirantem Chriſti virtus, eiſque diuina potētia? Et ſi impij in eum irruerent, & in illum arderent eorum odia, quibus incenſi eum occidere conabantur, tamen non poterant non admirari eum, quem videbant inſanabiles egritudines curātem, mortuos ad vitam reuocantē, & dæmones expellentē.

Iſte aſperget gentes multas.] Hoc eſt, multi diſpergentur per orbem vniuerſum ad prædicandam Chriſti glorioſam mortem & eius ſacraſſima myſteria. Vel aſperget multas gentes ſanguine ſuo. Quæſi dicat: Patietur quidem Chriſtus, & ſuo ſanguine pro genere hominū ſuſo & ſparſo peccatorum maculas mūdabit. Poſeſt verti ex Hebræico: Cum admiratione loqui facier gentes multas. Acſi dicat: Tanta patietur, vt gētes admirantes de eo loquantur.

Super ipſam continebunt reges os ſuum.] Hoc eſt, tanta afficiantur admiratione audita Chriſti morte, & viſis Apoſtolorum miraculis eius nomine effectis, vt non poſſint pro dignitate laudare eius conſilium, miſericordiam, & charitatem & tacebunt admirantes, diuinam eius magnificētiam expri- mere, & oratione conſequi non valentes. Et non ſolum Iudei, qui Meſſiam expectabant, ſed gentes quibus non fuerat narratum, nec prædictum eſſe Chriſtum venturum, videbūt eius nomine multa effici miracula, & miſteria illis inaudita contēplabuntur.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LII.

Dominatores eius iniquè agunt.] Pro iniquè agunt, eſt in Hebræo iehelilu à verbo ialal, quod propriè ſignificat vlulare & exclamare. Ideo poterat hoc rectè verti: Dominatores eius vlulare faciūt eum. Et ita vertit Pagninus. Quæſi dicat: Qui dominantur populi mei, faciunt eū clamare, & in blaſphemias prorumpere. Nam ſtatim ſubdit: Et iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Vel faciunt eum præ dolore vlulare. Acſi diceret: Adeo faciunt in populum meum immanes Babylonij, vt eum faciant ob acerbas aſſiſtiones queribundas

bundas voces emittere. Pro quo noster interpres Latina red-
dit, & rectè quidem, iniquè agunt.

Cum conuerterit Dominus Sion.] Pro conuertere in Hebrai-
co est verbum xuu, quod etiã significat residere & quiescere.
Ideò potest verti: Cum Dominus residere vel quiescere fece-
rit Sionem. Cum enim aliquis ad se conuertitur, quiescit &
in se residet, & secum adest. Nam antea nulla erat quies, & ex-
tra se vagabatur.

*Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium
gentium.*] Pro parauit est in Hebraico chafaph, quod verbum
significat discooperire, vt Esaiæ 47. Discooperi humerum
tuum. Et quoniam qui rem detegit, eam notã facit, sumitur
pro manifestare. Ideò poterat rectissimè verti: Manifestauit
Dominus brachium suum in oculis omnium gentiũ. Quasi
dicat: Manifestauit Dominus mundo filium suum. Id quod
aliis verbis ita cecinit regius vates: Notũ fecit Dominus sa-
lutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.
Potest etiam hoc in loco brachium accipi pro fortitudine,
vt fit sensus. Ostendit Deus fortitudinem suã coram gen-
tibus, euertens superbam Babylonem, & liberans Hebræos
ex eius captiuitate. Cui expositioni fauet versio Pagnini:
qui pro, parare brachium, transtulit: Nudauit Dominus bra-
chium sanctum suum, sumpta metaphora ab iis, qui volentes
aliquid fortiter agere, virẽsque suas ostendere brachium nudant.
Septuaginta habent. Reuelabit Dominus brachium
sanctum suum in conspectu cunctarum gentium. Quã in-
terpretatio quamuis huic secundæ expositioni fauere vide-
atur, magis tamen cum prima cohæreere videtur. Nam in se-
quenti capite quod apertè ab Euangelistis de Christo expo-
nitur, dicit Propheta: Et brachium Domini cui reuelatũ est
significans Christum in principio ecclesiæ esse notum pau-
cis, vt ibi Deo volente explanabimus.

Mundamini qui fertis vasa Domini.] Septuaginta habent
pro mundamini, Separamini. Illi enim animam mundant,
qui se à mundo separant, & in solitudinem recipiunt. Vnde
Deus per alium prophetam, Ducam, inquit, eam in solitu-
dinem, & loquar ad cor eius. Hæc solitudo est seuocatio a-
nimi ab humanis ac turbulentis negotiis, & ad Deum ad-
uocatio. Viri enim virtute & sapientia præstantes mentem à
sensibus abducentes, & cogitationem à rebus visibilibus se-
parantes, à terra se longissimè efferunt, & ad celestium con-
templationem rapiuntur. Et hæc est meditatio mortis, quã
Socrates

Psal. 97.

Esai. 2.

Socrates vitam philosophorū esse existimabat. Quid enim tum agimus cum animum à corpore abducimus, quàm discere mori? Ea igitur animi à corpore separatio est altissima sapientia cum animi puritate coniuncta, de qua hoc in loco Esaias, separamini, inquit, qui fertis vasa Domini.

Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.] Pro intelliget est in Hebraico iascl, quod verbum significat etiam prudenter agere. Ideo poterat hoc ira verti. Ecce prudenter aget seruus meus. Intelligere enim aliquando ad voluntatem & actionem potius quam ad intellectum refertur, vt in psalmo: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Appellat Deus pater hoc in loco Messiam seruum suum ob verbi ministerium docendiq; munus: & quia quantum secundum humanitatem æqualis sit Patri, et tamen minor eo secundum humanitatem. Ideo propter naturam assumptam seruus appellatur. Ira enim Zacharias

Psal. 40.

propheta Patrem inducit loquentem: Ecce ego adducam seruum meum Orientem, quia ecce lapis, &c. Vbi pro Oriente in Hebraico est tsemach, quod nomen germen etiam significat. Hoc nomine vocatur Messias apud Ieremiam cap. 33. & apud Esaiam cap. 4. Intelligi autem locum illum Zacharie de Christo indicat Chaldaus paraphrastes ita vertens: Ecce ego adduco seruum meum Messiam, & reuelabitur, &c. Idem Deus pater à nostro hoc vate capite 42. ita loquens inducitur: Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Est igitur perspicuum in hoc nostro capite loqui prophetam de Messia, quem hic hominem appellat, cum eum seruum vocat. Exinaniuit enim semetipsum, vt Paulinis vtar verbis, formam serui accipiens.

Zach. 3.

Philip. 2.

Sed ne aliquis existimaret Messiam esse purum hominem, subdidit propheta: Exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Pro quo Ionathas Chaldaicus vertit: Ecce prosperebitur seruus meus Messias, exaltabitur plusquam Abraham, eleuabitur plusquam Moyse, & sublimis erit valde plusquam angeli superiores. Hæc ille. Si Messias sublimiorem habet substantiam ipsis superioribus angelis in sua natura absque vlla cogitatione consistentibus, aperire ostenditur, diuinam habere naturam, secundum quam Deus est ex substantia patris ante secula genitus, eiq; æqualis. Vnde ait Paulus Apostolus: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æquale Deo. Nec diuinæ maiestati corporea Christi innatiuitas aliquid abstulit, quia incommutabilis substantia

Philip. 2.

minui

Ioan. 1.

minuū nequaquam potest. Quod enim verbum caro factum est, vt ait Diuus Ioannes, non significat fuisse naturam diuinam in carnem mutatam, sed fuisse à verbo in vnitatem personæ carnem susceptam: Probatum ex hoc loco Christū esse verum Deum & verum hominem, quod aliis in locis fuisse ostendimus.

Argumentum Capitis LIII.

Vaticinatur propheta de Christi morte, eiusque acerbitatis cruciatibus, & quemadmodum ferens iniquitates nostras se voluit in crucis ara pro nobis salutarē hostiam deuotere ac constituere.

CAPVT LIII.

Ioan. 10.
Rom. 10.Mar. 9.
Matt. 8.
1. Petr. 2.Matt. 26.
Act. 8.

Vis creditū auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? & ascendet sicut virgulum coram eo, & sicut radix de terra sistenti: non est species ei, neque decor: & vis dimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum. Despectum & nouissimū virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eū. Verē lāguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autē vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suū.

EXPLANATIO.

Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Vtitur præteritis pro futuris, quemadmodū multis aliis in locis, vt vaticinationis certitudinem ostendat. Superiore capite prædixit diuinus vates Apostolorū prædicationem. Sed quoniam animo intuebatur fore, vt pauci ex Iudæis Euangelium reciperent, & Christum cognoscerent, eorum respectu qui erant in sua infidelitate permansuri, indus

cit A.

est & Apostolorum chorum in hunc modum cum Deo loque-
 rem: Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui
 reuelatum est? Quasi dicat: Nos Domine annuntiabimus E-
 uangelium omnibus hominibus: at quis credet verbis nostris?
 Pauci erunt qui nobis fidem adhibeant. Et brachium Domi-
 ni, hoc est, Christus, cui reuelabitur? Quam pauci intelligēt
 Christum esse verum Deum & verum hominem, summum
 generis humani conditorem & saluatorem, qui vt nos ex in-
 extricabilibus erroribus, cæci que tenebris in veritatem ac
 Iucem vindicaret, & ad beatitudinē sempiternam tādē ad-
 duceret, mortuus est in cruce, indignissimis contumeliis af-
 fectus, & immanissimē vulnerat⁹. Quomodo igitur illi, qui
 solum iudicio humano nituntur, credēt eum esse Deum, qui
 fuit inter homines despectu, cæsus, flagellatus, & in cruce
 tādē occisus, nisi illis fuerit per Spiritum sanctum fides in-
 fusa? Superiore capite ostendimus Christum appellari bra-
 chium Domini ob etus fortitudinem, & quia omnia per ip-
 sum facta sunt. Nunc verò alias rationes afferemus. Primò,
 appellatur brachium Domini ad eleuandum debiles, eosque
 congregandum. Ita de eo Esaias, In brachio, inquit, suo cō-
 gregabit agnos. Secundò, ad conterendos eius inimicos, quē
 admodum de eo dictum est in psalmo: In brachio virtutis
 tuæ dispersisti inimicos tuos. Tertio, ad protegendum viros
 pios & iustos. Ideò est libro Sapientiæ mandatum: Dextera
 sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos. Et vl-
 timò ad amplexandam animam sibi deuotam, quæ dicit in
 Cantico: Læua eius sub capite meo, & dextera illius ample-
 xabitur me. Vnde quidam, quem Christus amplexatam tene-
 bat. Quis nos, inquit, separabit à charitate Christi? Ideò in
 cruce brachijs expansis emisit spiritum, vt omnes ad se veni-
 entes amplecteretur. Hoc brachium fuit velatū, quoniam in
 humanitate diuinitas latebat, nec omnibus reuelatur. Tunc
 enim dicitur reuelari alicui cum in illum credit. Diuus Ioan-
 nes de Christo loquens citat hūc locum ita dicens: Cum tan-
 ta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo
 Esaiæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui
 nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et D. Paulus
 in epistola ad Romanos. Nō omnes inquit, obediūt euange-
 lio. Esaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?
 Vbi vides apertissimē Apostolos hunc locum de Christo, &
 Apostolorū prædicatione interpretari. Et cum Esaias dicat:
 Quis credidit auditui nostro, addunt illi verbum, Domine,
 signifi-

Ioan. 1.

Supra 40.

Psal. 85.

Sap. 5.

Cant. 2.

Rom. 8.

Ioan. 12.

Rom. 10.

significantes prophetam induxisse Apostolos Deum ipsum alloquentes.

Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.] Hoc est, Et hoc brachium Domini erit coram eo, hoc est, coram Domino, sicut virgultum ascendens, & sicut radix producta de terra arida & inaquosa Comparat Christum in passione virgulto & radici ascendenti ex sitienti terra. Virgultum in hyeme est floribus ac frondibus nudatum, sed habet intus virentem, quam ostendit in Vere, tunc enim frō deficit & floret, & baccarum vbertate pulcherrimum appareret. Sic Christus in passione fuit contēptus, squallidus, & incultus, sed adueniente Vere, hoc est, in resurrectione sua florētissimus ac pulcherrimus apparuit. Comparatur etiā cū radice arboris, quia ex ea nutritur arbor, & sustentatur, & ex ea procedūt arboris folia, flores, & fructus. Radix nullā habet pulchritudinē, sed ex ea tota arbor producitur. Hęc arbor est ecclesia, radix est Christus in passione sua despectus, acerbissimis iniuriis & doloribus affectus, & in medio duorum latronū confututus. Sed ille sustentat arborem, ille nutrit ecclesiam, estque eius radix, & validissimum fundamentum. Huic arbori potest accommodari id, quod est apud Danielem scriptū: Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens caelum, aspectus illius erat vsq; ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersi forum in ea. Subter ea habitabant animalia & bestię, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro. Dixerant in principio: Quis credet auditui nostro? Nunc reddunt eius quod dixerant rationē. Ac si dicant: Quis crederet eum esse Deum, cui nec est species nec decor.

Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus.] Ille omnium pulcherrimus, de quo dicitur in psalmo: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. De quo in Canticis sponsa, Dilectus, inquit, meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, fuit pro nobis percussus, flagellatus, vulneratus, & consputus, & vsque adeo deformatus, vt non haberet speciem neque decorem. Voluit summus ille Deus, qui naturam vniuersam immensa virtute sua coercet & continet, vt à nobis perniciem auerteret, indignissimas contumelias pati, inauditas ignominias accipere, crudelissimis flagellis percuti, durissimis clauis cruci affigi, spinea corona coronari, & in li-

Dan. 4.

Psal. 44.
Cant. 5.

gno tandem suspendi & mori, quod mortis genus erat tunc infame & ignominiosum. Et cum spinea corona eorum eius caput vndique transfigeret, currebat sanguis per eius faciem, quæ cum esset alapis cæsa, & sputis coinquinata, & tota cruentata & percussa, nullum habebat penitus decorem. Quod intuens animi oculis propheta in hæc tristitia ac stibilia verba prorumpit: Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus. Ac si diceret: Ego mentis oculis vidi Christum in cruce pendentem adeo deformatum, vt non videretur homo. Hoc intuens David faciebat ipsum Christum in psalmo ita loquentem: Sum vermis & nõ homo, opprobrium hominũ, & abieccio plebis. Paulo antè duxerat Christus tres è discipulis suis in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut Sol, & modò in cruce pendens, non habet speciem nec aspectum. Facies illa sacratissima, quam angeli aspicere desiderant, quæ fuerat in transfiguratione rutilans vt Sol, pulcherrima & splendidissima, modò denigrata est, alapis & liuore faucia, sputo, puluere, lachrymis, ac sanguine cõspersa. Christe sancte quã dissimilis est hæc tua transfiguratio ab illa, quæ fuit in mōte quem dicunt esse Thabor: Illa fuit in monte herbis & arboribus confito, hæc in monte Caluarie ossibus & fetoribus repleto. Ibi eras tu Domine comitatus discipulis, quos elegeras, hinc ab illis derelictus, & à Petro paulò antè negatus. Voluerunt enim metu mortis vitam derelinquere. Ibi fuisti in medio duorum illustrium virorum collocatus, Moyse & Elia, hic inter duos larrones constitutus. Ibi in monte eleuatus, hinc cruci duris clauis affixus. Ibi exultans gloria, hinc dolens, & lachrymas fundens. Ibi rãgis tuos discipulos, hinc diram lancea percuteris. Ibi eras splèdidis vestibus indutus, hinc nudus, illisq; immaniter spoliatus. Ibi audisti suauissimã Patris vocẽ te filiũ dilectũ vocantem, hinc audis impropria & iniurias, & perditorũ hominũ cateruã te inauditis blasphemis afficientẽ. O rẽ dignã perpetuo gemitu, & perenniũ lachrymarũ abundantia. Vtinã oculi mei vertantur in fontes: vtinã exitus aquarum deducant oculi mei. Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis diluuiũ lachrymarum. Deficiant præ lachrymis oculi mei. Vtinã sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quis mihi darẽt vt laborẽ in gemitu, & lauare per singulas noctes lectũ meum, & possem lachrymis meis stratu meũ iugiter rigare. Desine plorare Ieremia propheta sancte euerсионẽ Hierosolymæ, ploremus Christi mortẽ, vimq; lachryma-

Psal. xi.

Matt. 17.

1. Petr. 1.

Thren. 5.

chrymarū fundamus. Vos omnes obsecro & obtestor, Christiani viri vt ei demus lachrymas, qui pro nobis dedit suū sanguinē, vt totos nos illi dedamus, qui se totū pro nobis dedit. Lamentemur dicentes cum Ieremja : Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri. Vā nobis, quia peccauimus. Passus est Deus noster acerbissimos cruciatus, & mortuus est suspensus in patibulo. Nihil vnquam Sol vidit indignius. Quō me vētā? Vbi querar? Quos implorem? Cur pater cœlestis filium tuū sanctissimum tot tantique contumeliis & cruciatibus transfixum mori permisisti? Et tu virgo gloriosa sancta dei genitrix, aduocata peccatorum, quæ peccatoribus subuenis, cur filium tuum sanctissimum tātis vulneribus confossum finis ita mori, omnes malorum impetus suo corpore suscipiente, extremam ignominiam ferentem, inter duos latrones spirantem? Sed nescio quid dicam. Ignosce mihi Domine, ignosce mihi sacratissima virgo Maria. Sit mihi erranti medicina confelsio. Quid enim tui illustrius quā pati Christū pro nobis? Quæ res vnquam fuit in mūdo gesta maiorē quæ gloriosior? quæ commodatior hominum memoriæ sempiternæ? Voluisti Domine tuam erga nos immensam charitatem ostendere, & docere in calamitatibus & afflictionibus nullam esse ignominiam, quin potius veram gloriam inanis gloriæ iactura comparari. Voluisti sanguine tuo maculas nostras delere, & vulneribus tuis vulnera nostra curare. Quis vnquam talia cogitauit? Quō attigit tuus amor Domine Iesu? Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnī seculorū memoria tale cognoui. Qui erūt homines tā inculi & inhumani, qui te Domine non cognoscāt salutis authorē? Quæ erit tam immemor posteritas, quæ tam ingrata literæ repērentur, quæ tuæ passionis ac mortis memoriam nō immortalibus laudibus prosequantur? Voluisti enim tua morte nobis vitā tribuere. Hic enim in monte Caluarie est arbor vitæ plantata. Hic est mystica illa atq; gloriosa scala Iacob cōstituta. Hic finit⁹ est tuus labor, & incēpit nostra requies. Hic te vidit spiritu Esaias, quando dixit: Vidimus eum, & non erat aspectus, vt nos te in cœlo pulcherrimū videremus.

Gen. 28.

Et desiderauimus eum.] Ersi nulla erat illi species, tamen desiderauimus eum, quoniam sciebamus in eius vulneribus esse remediū animarum nostrarum: Vel sic videntes eum vulneratum desiderauimus videre eum in sua pulchritudine, vt antea videbamus. Quidam ita vertunt. Et vidimus eum, &

non

non erat aspectus, vt desideraremus eum.

Virum dolorum.] Ostendunt hæc Christum esse verū hominem, & multis ac acerbis doloribus cruciatum. Ipse enim de seipso ait: Tristis est anima mea vique ad mortem. Non enim in corpore solum, sed in anima etiam dolores ferebat, & non solum suos, sed matris eius. Erat tristis mater iuxta crucem doloribus transfixa, & quot vulnera erant in corpore filij dispersa, tot erant in anima matris cōiuncta, ita vt doloris gladius eius animā pertransiret, quemadmodū illi fuerat a Simeone prædictum. Gladius qui carnes occideret visus est sæpè, sed qui animam cruentaret & transfigeret, solus hic visus est. Lanceæ, quæ latus filij aperuit, animam matris percussit, & omnes sanguinis fluuij, qui ex venis filij exhibantur, viscerà matris penetrabant. Et quoniam Christus vtraque angustiam & suam & matris sentiebat, vir dolorum merito appellatur. Sed illud est intelligendum, Christum Deum nostrū non solum dolore vulnera, quibus erat suum corpus confossum, sed etiam viscera, quibus erat faucia anima peccatorum, non enim tantum suos dolores, sed etiam nostros portabat. Et peccando scelerati homines illi dolores augebant, quemadmodum ipse dicit in psalmo: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Lege totam sacram scripturam, neminem inuenies, quantum memini, qui præter Christum vir dolorum appelletur. Solus Christus vir dolorū appellatur. Fuit Abel astrictus à Caino, Isaac ab Ismaele, Iacob ab Esau, Ioseph à proprijs fratribus, Dauid à Saule, Esaias à Iezabele, & fuerunt multi alij magnis doloribus pressi, & in acerbissimis calamitatibus versati. Sed inter omnes solus Christi⁹ vir dolorum appellatur, quoniā illi suos dolores ferebant, Christus verò suos & omnium.

Et scientem infirmitatem.] Experientia. Vnde Apostolus ad Hebræos scribens, Et quidem inquit, cum esset filius Dei, didicit ex iis que passus est obedientiā. Et alibi in eadē epistola: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato.

Et quasi absconditus vultus eius & despectus.] Quemadmodum vultus eius qui iniurijs & contumelijs afficitur. Vel absconditus vultus eius, hoc est, incognitus ab incredulis & impijs. Quibus ille apud Ioanē, Nec me inquit, scitis nec patrem meum. Diuinitas erat sub humanitate abscondita sicut alio in loco dixit Esaias: Verè tu es Deus absconditus Deus Israël

Habac. 3. saluator. Et Habacuc: Ibi, subaudi in cruce, abscondita est fortitudo eius.

Vere lāguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.] Sensus est: Nullam culpam admiserat Christus Deus noster, ob quam supplicium mereretur. At voluit pro nobis pati, vt à nobis debitam pestem arceret. Languores nostros, nō suos, hoc est, peccata nostra ipse tulit, & dolores nostros, id est, supplicia, quæ pro sceleribus nostris merebamur, ipse portauit. Et hoc non fictè, non imaginariè, sed verè. Pro eo quod hic ait Esaias: Languores nostros ipse tulit, ait D. Petrus in 1. sua

1. Petr. 2.

epistola: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Vbi vides peccata esse animi lāguores & infirmitates, quas Christus pro nobis tulit. Infirmus est in cruce, & defuerunt ei infirmorum solatia. Pro domo habet Caluarie montem, pro lecto duram crucem, pro ceruicali coronā spineam, pro dapibus fel & acerū, pro musica blasphemias. Sitiuit in crucè, & non erat qui illi vrceum aquæ porrigeret. Si virgo mater posset illum oculis contingere, illa eum viuus lachrymis satiare, quibus illa suum dolorem instillabat. Cogita igitur Christiane Christum Deum tuū languores tuos ferentem, doloresq; tuos portantem. Caput habet inclinatum ad te osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, & totum denique corpus expositum ad te liberandum: vt sic fiet figas in corde, qui pro te fixus fuit in cruce. Poteris hos languores, de quibus hic loquitur Esaias, de corporis ægri tudinibus intelligere. De illis enim D. Mattheus euangelista hūc locū interpretatur. Hinc colliges apertissimè, vnū eundēque locū sacræ scripturæ duos sensus literales habere. Loquitur enim Esaias de peccatis nostris, vt litera ipsa demonstrat, & eam D. Petrus interpretatur. Et tamen loquitur etiā de corporis morbis, de quibus Euangelista eū literaliter exponit.

Matth. 8.

1. Petr. 2.

Et nos putauimus eum quasi leprosum.] Hoc dicit ob Christi vulnerum multitudinem. Et quia Christus passus est extra ciuitatem. Solebant enim leprosi extra ciuitatem proiici, vt in Leuitico scriptura commemorat. Sed Christus voluit extra portam ciuitatis pati, quoniā animal cuius sanguis pro peccato in sancta per pontificem inferebatur, quod erat figura Christi extra castra secundum legem cremebatur, vt liber Leuitici apertissimè ostendit. Quod intuens Diuus Paulus in epistola ad Hebræos has voces scripsit: Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populū, extra por-

Leuit. 13.

Leuit. 19.

Hebr. 14.

tam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra impro-
perium eius portantes.

Ipsē autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Id multis
in locis est in diuinis literis scriptum. Vnde Apostolus in epi
1. Cor. 1. ad Corinthios: Christus, inquit, mortuus est pro pec-
catis nostris secundum scripturas.

Disciplina pacis nostræ super eum. Accipitur disciplina pro
flagello seu castigatione. Quasi dicat: Supplicium quos nos
merebamur, ipse tulit propter pacem nostram, Luit pœnas
nostrorum scelerum, vt nobis Patri reconciliaret. Nam vt ait
Diuus Paulus. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et
alibi: Quia in ipso, inquit, placuit omnem plenitudinem in-
habitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans
per sanguinem crucis eius. Hunc locum Esaiæ in hunc mo-
dum transtulit ex Hebraico Pagninus: Castigatio pro pace
nostra super eum. Quæ versio nostram indicat explanatio-
nem. Potest ita etiam verti: Castigatio correctionis nostræ
fuit ei imposita.

Limore eius sanati sumus. Totum corpus ægrotat, & phle-
botomia fit in capite. Nos laboramus morbo, & Christus
pro nobis vulneratur. Scinditur vena nostræ salutis, vt duri-
cies cordis nostri scindatur. Percutitur Christi latus, vt cor
nostrum, nidus vbi infinitæ vanitates & nepharia cogitatio-
nes colliguntur, cuspe diuinæ charitatis vulneretur.

*Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in viam suam de-
clinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Aspicias hic Christum esse eū pastorem, qui oves errantes su-
per humerum adduxit, de quo ipse Christus loquitur apud
Lucam, qui omnia nostra peccata super se portauit. Vnde
ipse in psalmo: Super dorsum meum, inquit, fabricauerunt
peccatores. Cùm igitur homines essent veluti oves errantes
lupis expositæ, declinauerunt, nō in viam Dei, sed vnusquis-
que in viam suam. At venit Christus, qui est vera via, vt eos
ad cælum perduceret. Vnde D. Petrus in 1. sua epistola. Eratis
inquit, sicut oves errantes, sed conuersi estis nunc ad pastore
& episcopum animarum vestrarum.

Oblatus est quia ipse voluit. Ideo dicebat Christus apud
Ioannem: Nemo tollit animam meam à me, sed ego ponam
eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam, & potesta-
tem habeo, iterum sumendi eam. Id voluit Habacuc prophe-
ta significare, quādo de Christi cruce loquēs dicebat. Et cor-
nua in manibus eius. Quasi diceret: Nō cornua crucis man-
us eius

Ephes. 2.
Colos. 3.

Similo.

Luc. 25.
Psal. 118.

1. Petr. 2.

Ioan. 10.

Habac. 3.

Psal. 32.

eius tenebant, sed manus eius tenebāt crucē, & ipse Christus suis manibus cornua crucis sustentabat. Ipse enim voluit se ipsum in crucis ara hostiam constituisse. Ostendit hoc loco Esayas fuisse Christi mortem voluntariam.

Et quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Christus in passione sua tacendo loquebatur, docebat enim patientiam & rerum humanarum tolerantiam. Hic est agnus, cuius sanguine Hebræi in Aegypto fuerunt seruari. Et qui occidebatur immolabat utque in paschate, de quo ait Apostolus ad Corinthios scribens: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Hic est qui ait per Ieremiam: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, Hic est aries loco Isaac in monte occisus & immolatus. Hic est agnus ille de quo aiebat Ioannes Baptista: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. De eo ita Ioannes euangelista in Apocalypsi scriptum reliquit. Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Ideo ait Christum occisum fuisse ab origine mundi, qui cum Adam & Eva in peccatum inciderunt, promisit Deus esse caput diaboli à Christo conterendum, quod erat morte eius futurum. Vel hoc ait ob mortem Abel, qui innocens à fratre per inuidiam occisus Christum figuravit. Vide quod in locis veteris testamenti fuerit Christi mors sub innocenti agni nomine adumbrata & prædicta. Et ut huius diuini agni mansuetudinem & tolerantiam patiendi que voluntatem ostenderet Diuinus noster vates ait: Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperuit os suum. Miram celestis agni mansuetudinem & admirabilem erga homines charitatem. Hanc Christi patientiam & voluntariam passionem ostendit ipse, ita apud Psalmistam dicens: Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Apud hunc nostrum vatem cap te so. Ego autem non contradico: retrorsum non abi, corpus meum dedi percutientibus me. Attende. Non solum non resistit, sed se obtulit, corpori que suum dedit illud vulnerantibus & conspuentibus. Aspice quam aperte indicet cruciatus suos voluntarie sustinuisse. Id is verbis prædixerat in suis Lamæis Ieremias: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Michæas. In virga, inquit, percutient maxillam iudicis Israel. Dauid in hunc modum facit Christum loquentem. Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem.

Hanc

Exod. 12.

1. Cor. 5.

Ierem. 11.

Gen. 22.

Ioan. 1.

Apoc. 13.

Gen. 3.

Gen. 4.

Psal. 37.

Supr. 50.

Thren. 3.

Mich. 5.

Psal. 37.

Hanc Christi mansuetudinem prædixerunt Sibylle, quarum quædam dixit: Dabit autem ad verbera omnino innocens dorsum. Et paulò post: Et colaphos accipiens tacebit. Et altera Hierosolymâ alloquens ait: Sculta Deû tuâ nõ cognouisti medentem mortalium mentibus, sed & ipinis coronasti cõrona. Hanc veritatem in veteri testamento prædictam scimus ex Euangelistis fuisse in Christo completam. Nisi enim eius passio & mors fuisset voluntaria, nõ dixisset Petro: Cõuertere gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meû, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorû? Quomodo ergo implebuntur scriptura? quia sic oportet fieri: Et D. Matth. Cum accusaretur, inquit, à principibus sacerdotû & senioribus nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Nõ audis quãra aduersum te dicunt testimonia? & nõ respondit ei ad vllû verbû, ita vt miraretur præses vehementer. Vide vtriusq; testamenti coherentiam & concordantiã. Perpende quemadmodû vtrumque Christum Deû nostrum voluntariè morte subiisse ostendat. Ipsam autè Christi mortem significauit Moyses, quãdo in hũc modum fuit Hebræos allocutus: Erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Paraphrasis Chaldaica habet: Et erit vita tua suspensa ante te. Quæ est hæc vita nisi Christus? Huius vitæ crucifixæ gelsit imaginè serpens ille æneus in ligno suspensus, ad quem Hebræi in deserto percussi aspiciabant, vt salutem consequerentur. Quem de seipso apud Ioannem Christus interpretatur. Eum enim impij Iudæi falsis criminibus ad crucis supplicium vocarunt, iuxta id, quod diuinus psaltes præcinerat: Captabunt in animam iusti & sanguinem innocẽtem condemnabunt. Et apud Ieremiam ipse Christus, reliqui, inquit, domum meam, dimisi hereditatem meam: dedi dilectam animam meã in manus inimicorum eius. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in sylua. Dedit cõtra me vocem, ided odiui eam. Apud psalmistam. Quoniam circumdederunt me canes multi, consiliû malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Apud Zach. Quid sunt plagæ iste in medio manuum tuarû? Et dicit. His plagatus sum in domo eorû, qui diligebant me. Daniel Propheeta, Post hebdomadas, inquit, septuaginta duas occidetur Christus, & nõ erit eius populus, qui eum negaturus est. In libro Sapientiæ, quem teste Eusebio Irenæus, Egesippus, omni-

Matt. 26.

Matt. 27.

Deut. 23.

Num. 21.

Ioan. 3.

Psal. 93.

Psal. 21.

Zach. 13.

Dan. 9.

que antiquorum chorus Salomoni attribuerunt, inducitur nefarij Iudæi in hunc modum loquentes. Si est verus filius Dei, suscipiet illum & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Mor te turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei. Hæc ibi. Hanc mortem prædixit Sibylla Christum subiturum trium dierum somno suscepto. Cuius testimonium cum alii aliarum Sibyllarum citat Lactatius libro quarto diuinarum institutionum, & Diuus Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei. Nec solùm Christiani, sed etiam nonnulli ex antiquis Hebræorum Rabbiniis asserunt fuisse Messiam mortem subiturum; inter quos est R. Iuda filius Amon in commentariis in Psalmos, ubi peccatum Adami ait Christo causam mortis præbuisse. Et R. Abba in Berosid raba capite decimono nono ait fuisse sibi reuelatū Messiam fuisse grauissimis cruciatibus opprimendum, & veluti ignotum morte multandum. Oportebat ut Christus nostra impia facinora suo sanguine expiaret, quod fuerat in lege adumbratum. Nam vetus tabernaculum fuit sanguine aspersum, & ut verbis Paulinis utar, omnia penè in sanguine secundū legem mundantur, & sine sanguinis effusione nō fit remissio. Pontifex ille, qui solus semel in anno cum sanguine pro ignorantia oblato in secundum tabernaculum introibat, Christi Dei nostri imaginem gerebat, qui assitens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, ut verba Apostoli scribam, id est, non huius creationis, nec per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et quoniam animalia, quorum sanguis in sancta per pontificem inferebatur pro peccato, extra castra cremabantur, passus est Christus extra ciuitatem. Quod intuens Apostolus ad Hebræos scribens, hæc verba literis mandauit. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improprium eius portantes. Hæc Diuus Paulus. Aliam reddit rationem Diuus Ioānes Chryostomus in sermone de passione, ita dicens. Voluit Dominus pati non sub tecto, nec in templo Iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare: ne putarent pro illo tantum populo oblato: ideo

Sap. 2.

Exod. 24.
Heb. 9.

Leuit. 16.
Num. 19.
Heb. 13.

ideo fuit extra ciuitatem, extra muros, vt scias sacrificium esse commune pro mundo oblatum, communemque esse purificationem. Et quoniam Christus mortem pro nobis acerbissimam voluntarie tulit, ait hoc in loco noster Esaias: Et quasi agnus coram tondente se obmutescet.

De angustia & de iudicio sublatu est: generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra uiuentium: Propter scelus populi mei percussus eum. Et dabit impijs pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Et Dominus uoluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longeuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius uidebit & saturabitur, in scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperitiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.

De angustia & de iudicio sublatu est.] Hoc est, liberatus est ex afflictione, & sceleratorum iniusto iudicio, quoniam resurrexit, & victor atque gloriosus ad patrem ascendit. Ipse enim post resurrectionem suam discipulis suis apparet & loquitur. Data est, inquit, mihi omnis potestas in caelo & in terra, Acquam est ut mundum iuste iudicet, qui a mundo iniuste iudicatus est, sicut scriptum est: Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies. Hanc Esaiæ uaticinationem prædixerat iis uerbis Dauid. De torrente in uia bibit, propterea exaltauit caput. Ac si diceret: Fuit Christus afflictu, cruciatus, & mortuus, & eam ob causam Deus extulit illum, quoniam resurrexit, & in corpore glorificato cum magno triumpho ascendit ad caelum. Id explanauit iis uerbis Diuus Paulus in Epistola ad Philippenses. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Id uoluit Esaias his paucis uerbis significare dicens: De angustia & de iudicio sublatu est.

Generationem eius quis enarrabit?] Sensus est: Cum Christus sit uerus homo afflictu & mortuus, quis enarrabit eum esse a patre aeternaliter genitum & ex consequenti uerum Deum? Quasi dicat: Quis poterat tam altum & ineffabile mysterium uerbis ex:

1. Petr. 2.

1. Ioan. 5.

Mar. 15.

Luc. 22.

Matt. 28.

Iob. 39.

Psal. 109.

Philip. 2.

his explicat? Vel sic. Quis poterit narrare christi generationem nō solum æternā de patre sine matre: sed etiam humanam de matre sine patre: Hunc locum, citans D. Leo papa in hæc verba prorūpit. In Domino nostro Iesu Christo filio Dei non solum ad diuinam, sed ad humanam spectat naturam: Generationem eius quis enarrabit? Vtramque substantiam in vnam conuenisse personam nisi fides credat, sermone non explicat. modus incarnationis est ineffabilis. Hanc sententiā sequitur in tertia parte D. Thomas, qui cum fuerit omni sapientia & sanctitate præstanti, voluit semper sanctorum sententias sequi. Est quidem vtraque Christi generatio inenarrabilis. Et si D. Mathæus ita suum Euāgelium inceperit: Liber generationis Iesu Christi, non tamen explicat modū incarnationis. Sed quoniam dixerat: De angustia & iudicio sublatus est, Quibus verbis Christi resurrectionem prædixit, fortasse per generationem reditus ad vitam significatur. Vt sit sensus: Resurget quidem Christus, sed erit inenarrabile mysterium resurrectionis. Nā poterit modus illius reditus ad vitam humanis verbis pro dignitate explanari. Accipi vero generationē pro resurrectione, indicat psalmus 2. Vbi cœlestis pater filium suum alloquens, Ego, inquit, hodie genui te. Quem locum D. Paulus in actis Apostolorum de Christi resurrectione apertè interpretatur. Et Christus Deus noster apud diuum Ioannem loquens discipulis suis de resurrectione sua. Mulier inquit, cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit presuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundū. Vbi comparat discipulorum dolorē in Christi morte, dolori mulieris parturientis: gaudium autem resurrectionis comparat gaudio mulieris iam nato filio, ipsam autem resurrectionem Christi comparat cum pueri natiuitate & generatione. Poteris ita hoc intelligere. Quis poterit oratione cōsequi, & sermone explicare, quām peruersa sit illa Iudæorū generatio, qui Christum falsis criminibus ad mortē & vasitātē vocarunt. Et ita capitur generatio pro illa Iudæicā natione, siue pro seculo illo. Loquebatur de Christi morte, & intelligens Iudæorum malitiam & impietatem inuehitur in eos dicens. Generationē illā Iudæicā quis enarrabit? Quis eius prauitatem inauditam poterit exprimere? Vnde quidam vertūt: Seculū eius quis enarrabit? Omnes has explanationes recipit hic locus, quarum nullam existimo reiiciendam esse. Ego tamen putauerim generationem hoc in loco accipi pro prole Christiana.

Matth. 1.

Act. 13.

Ioan. 16.

fiana, quā Christus suo sanguine genuit, vt sit sensus: Quis
 poterit complecti sermone eorum multitudinē, quos Chri-
 stus suo sanguine genuit? Quis poterit numerare multipli-
 catam prolem credentium? Quali dicat: Hic qui talibus do-
 loribus & afflictionib⁹ premitur, qui cruci affixus sanguine
 suum fundēs, acerrimos cruciatus tulit, nō sua sed nostra sce-
 lera luit, vt in vita spiritali nos suo sanguine gignat & quo-
 niā in spiritu video innumerabiles esse ita gignendos, has vo-
 ces emitto: Generationem eius quis enarrabit? De hac gene-
 ratione ait D. Ioannes: Quotquot autem receperunt eum,
 dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine
 eius, qui non ex sanguinibus, neque ex volūrate carnis neq;
 ex volūrate viri, sed ex deo nati sunt. Et in r. sua epistola: Sci-
 mus, inquit, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed
 generatio Dei conseruat eum. Et Iacobus Apostolus in epi-
 stola sua de Christo loquens, Voluntariē, inquit, genuit nos,
 Et volens Elaias aliquo modo explicare id quod dixerat, ad
 dit paulō pōst: Si posuerit pro peccato animā suam, videbit
 semen longæuum. Quasi dicat: Si quidem Christus passurus
 est mortem pro hominum peccato, videbit semen longeuū,
 hoc est, generationem suam maximē propagatam & æternā.
 Nunquā enim ecclesia peribit. Vt enim mortuo Ioseph
 creuerunt filij Israël, ita mortuo Christo creuerunt Chri-
 stiani, qui nisi Christus moreretur, nequaquam crescerent. Id
 voluit Christus apud Ioannem his verbis significare: Nisi gra-
 num frumentū cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solū
 manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit. Et
 quemadmodum Christi morte sua fideles genuit, ita hostes
 suos interfecit. Vt enim Samson captus à Philistæis ob amo-
 rem, quo Dalilam Gentilem prosequabatur, multo plures ex
 hostibus interfecit moriens quā viuens, vt in libro Iudicū
 scriptura testatur, sic Christus amans gentilitatem, pro eaq;
 captus, plures hostes occidit morte sua, quā viuens priusquā
 moreretur. Ideō mortuus est vt mortem occideret, filiosque
 generaret. Aristoteles in libris ortus & interitus inquit, ge-
 nationem vnus esse corruptionem alterius: quam senten-
 tiam omnes postea phisici secuti sunt. Vt generentur grana,
 corrumpitur granum, Eodem modo vt generaretur ecclesia,
 Christus mortuus est. Destruitur vnum vt ædificetur alterū:
 secatur arbor, vt fiat scapha, moritur Christus, vt ecclesie na-
 uicula confuatur: ad ædificationem domus Dei fuit Chri-
 stus destructus, hoc est vulneratus & mortuus, Ita scriptum
 reliquit

Ioan. 1.

1. Ioan. 5.

Ia: ob. 1.

Figura.

Exod. 1.

Ioan. 12.

Figura.

Iudic. 16.

Psal. 10.

reliquit in psalmo diuin^o vates: Quoniam quæ perfcisti destruxerūt, iustus autem quid fecit? Quem locum Diuus Hieronymus de Christo interpretatur. Hæc Christi proles, hæc Christianorum generatio, & fidelium multitudo appellatur ab hoc nostro vate capite 9, imperij Christi multiplicatio. Ita enim ait. Et Vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis. Pater futuri seculi, princeps pacis, Multiplicabitur eius imperium, &c. Pro multiplicabitur eius imperium, potest verti ex Hebræo: Ad multiplicandum eius imperium, vel multiplicatio principatus eius. Vbi Esaias pro multiplicatione posuit, le marbeh, cum litera, m, clausa, quæ nunquam nisi in fine dictionis inuenitur. Voluit enim diuinus vates significare hæc generationem & principatus propagationem esse morte Christi futuram, quando litera illa magna, clausa absque fine, retrogredetur: quando ille, qui est immortalis, moreretur, & qui est impassibilis, summos cruciatus pro nobis toleranter ferret, quādo ille, qui est sine fine Deus, pro nobis factus homo, & nos suo sanguine generaret. Quam generationem admiratus Esaias has voces emisit. Generatio nem eius quis enarrabit?

Ierem. 11.

Quia abscessus est de terra viuientium.] Hoc est, de hominum familiaritate, de hac vita, Eodem modo apud Ieremiā aiunt Iudæi: Mittamus lignum in panē eius, & eradamus eum de terra viuientium, Acsi dicat: mittamus crucē, vt hunc qui panem cœlestem se esse asserit, in ea figamus, eumque vita priuemus. Reddite rationem quare Christus nos erat suo sanguine generaturus, nimirum quia erat auferendus ex hac vita, mortēque pro nobis subiturus. Qui hoc intelligunt de generatione æterna filij Dei, possunt per terram viuientium cœlestem gloriam intelligere, vt sit sensus: Quis poterit consequi oratione generationem Messia, cum ipse sit Deus genitus à patre ab æterno, & de terra viuientium, hoc est, de cœlo descenderit? Appellari autem cœlum terram viuientium indicat psalmus ita dicens: Credo videre bona Domini in terra viuientium. Qua de re alibi differuimus.

Psal. 26.

Proter scelus populi mei percussi enim.] Verba sunt Dei patris, qui dicitur percussisse filium, quoniam eum percuti permisit. Ita intelligitur id quod dicitur in psalmo: Quoniā quæ tu percussisti, persecuti sunt. Quæ psalmū Apostoli multis in locis de Christo interpretantur. Et id, quod est apud Zachariam: Percute pastorem & dispergētur oues: aut percutiā pastorem. Ita enim D, Matthæus hūc locum citat capite. 26. vbi

Psal. 68.

Zach. 13.

Matt. 26.

vbi eum Christus de seipso interpretatur. Aspicias hoc in loco fuisse Deum percussum, vt scelera nostra deleret, & antiqui hostis tyrannidē exstingueret. Offenderāt homines Deū, erant illi debitores, non poterant per se soluere: Venit Christus vt solueret pro illis, volens in redemptione nostra iustitiam suam ostendere. Id indicauit Paulus Apostolus ita ad Romanos scribens. Iustificati gratis per gratiā ipsius per redemptionē, quę est in Christo Iesu, quę proposuit Deus propitiatorem, per fidē in sanguine ipsius ad ostensionē iustitię suę, propter remissionē præcedentiū delictorū, in sustentatione Dei ad ostensionē iustitię eius in hoc tempore. Hęc Apostolus. Vbi vides voluisse Dei filiū mortē pro nobis subire, vt nos redimendo suam iustitiam demonstraret. Nisi esset Deus, remedium non afferet, nisi esset homo, pro nobis non patere tur. Sed ita se ad humanitatis nostrę susceptionem inclinauit, vt manens quod erat, assumens quod nō erat, formam serui Dei formę vniret, tantōque scedere vtramque consereret naturam, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, neq; superiorē minueret assumptio. Eramus mortui, & mortuus est Christus, vt nos viuereamus. Hoc fuerat in Eliseo mortuo figuratum. Est enim in 4. libro Regum scriptū, quoddam sepe lientes quendam mortuum vidisse venientes latrones, quorū metu proiciētes cadauer in sepulchrū Elisei, se in fugā coniecerunt. Cū autem homo mortuus ossa viri sancti tetigisset, reuixit statim & stetit super pedes suos. Quis est hic mortuus, nisi homo in peccato viuens? Quod cadauer est hoc, nisi hominum genus vitii cōtaminatum? Qui sunt hi, qui illud sepeliunt, nisi deprauati appetitus, falsę voluptates, & nepharię cogitationes? Hęc hominē non solum omnibus virtutum ornamentis spoliāt, grauisimiq; vulneribus fauciu occidūt, sed etiā in ipsis peccatis sepeliūt, & latronibus, hoc est, mūdo, carnī, & diabolo expositū linquunt. At celestis ille Eliseus Christus Deus noster morte sua eū exsuscitat, mortuus vitā tribuit, & sepultus resurrectionē operatur. Omnes mortui effemus, nisi tu Christe sancte nobis tua morte vitam tribueres, atque de morte ipsa gloriose triumphares. Ita enim per Oseam prophetā tuum ais. Ero mors tua o mors, mortuus tuus ero o inferne. Nos verō qui Christiano nomine gloriamur, intueamur mentis oculis Christum pro nobis acerbissimos cruciatus ferentem: respiciamus ad caput nostrum, nec velimus blandis voluptatibus nos tradere, deliciisque asfluere, Quę proportio est, quę cōgruentia, vt percussio capite transixio,

Rom. 3.

Figura.

4. Reg. 12.

Ose. 13.

transfixo, & spinis coronato membra lætitia gesticant. Toſ. lamus igitur crucem noſtram Chriſtūque ducem noſtrum ſequamur, ſi volumus ſpirituale gaudium perfundi. Non enim poſſunt duo gaudia, Dei & mundi, in eodem animo ſimul coherere. Nā vt ait D. Bernardus, errat omnino, qui cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud baſanum huic veneno miſceri poſſe arbitrat.

Et dabit impios pro ſepultura tua.] Dixerat Deus Pater: Propter ſcelus populi mei percuſi enim: nunc explicat Propheta nō ſolum in vita, ſed etiā poſt mortem fuiſſe Chriſtum à patre percuſſum. Nam pro ſepultura, inquit, dabit ei impios, hoc eſt, impiorum locum. Quasi dicat: Morietur Chriſtus in monte Caluarie, ibique prope crucem ſepelietur, vbi impij ſolent ſuorum ſclerum penas luere. Erat enim locus ille ſupplicis damnatorum deſtinatus. Non deſunt, qui dicant ideò appellari Caluariam montem illum, vbi vita noſtra perpendit, propter caput Adami ibi ſepulti. At D. Thomas potius inquit, Caluariam vocari propter damnatorū capita, que ibi truncabantur, à quibus mons ille nomen accepit. Quæ opinio eſt ſatis cōſona rationi. Erat enim conueniens vt ibi eſſet deſixa crux illa glorioſa, vbi peccata puniebantur, vt intelligeremus eam non ſolum Adami peccato, ſed etiam totius mundi ſcleribus remedium attuliſſe.

Et diuitem pro morte ſua.] Hoc eſt, dabit Deus pater filio ſuo Iosephum ab Arimathæa, hominem diuitē & honoratum, qui eum mortuū inuoluat in ſindone munda, honorificēque in monumento ſuo ſepeliat. Huic expoſitioni fauet Pagnini verſio ita habens: Et dedit cū impiis ſepulturā eius, & cū diuite inter mortuos ſuos. Poſſunt hæc verba ita verti. Poſuit apud impios ſepulchrum eius, & cū diuite in morte ſua. Fuſſe hæc omnia impleta Euangelica hiſtoria teſtatur.

Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuam.] Hoc eſt, ſiquidem ſubiturus eſt mortē, vt mundi peccata deleat, videbit infinitā prolis propagationē: videbit filios ſuos, quos ſangine ſuo genuerit, in immenſum multiplicare. Accipitur hic anima pro vita, vt multis aliis in locis. Vult propheta fructum Chriſtianorū oſtēdere poſt Chriſti mortē. Vt enim poſt Iſaac immolationē fuit à Deo promiſſa Abrahamo generis multiplicatio inſtar ſtellarū cœli & maris arenæ, & vt in eius ſemine omnes gētes benedicerētur, per quod ſemē D. Paulus intelligit Chriſtū, ſic poſt Chriſti mortē fuerūt Chriſtiani multiplicati, & populi multi in eccleſia ſpiritualliter

Gen. 22.
Figura.
Gal. 3.

ter geniti. In psalmo, vbi communis editio habet: Ecce alie- *Psal. 109*
 nigenæ, & tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Pro
 hi fuerunt illic, habet versio D. Hieronymi ex Hebræo: Iste
 natus est ibi. Quasi dicat: Populus harū gentium fuit in ec-
 clesia per spiritualem generationem natus. De qua generatio-
 ne dixit in hoc capite paulo ante Esaias, Generationem eius
 quis enarrabit? Volens autem modum huius generationis
 propagationem ostendere ait: Quoniam se Christus est ho-
 stiam pro peccato in crucis ara immolaturus, videbit semen
 longeuum.

Voluntas Domini in manu eius dirigetur.] Hoc est, voluntas
 patris quæ est vt genus humanum redimatur, in manu Chri-
 sti ordinabitur, eiūque morte implebitur.

Pro eo quod laborauit anima eius, videbit.] Subaudi semen
 longæuum. Et saturabitur, subaudi eo cibo, de quo ipse ait
 apud Ioannem. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, *Ioan. 4.*
 qui misit me, vt perficiam opus eius.

In scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos.] Pro
 iustificauit habet nonnulli codices ad marginem, iustificabit,
 & alij etiam in textu. Et Pro, seruos meos, habent, seruus me-
 us. Et rectè quidem, nam in Hebræo est audi in singulari:
 sed vitio typographorum existimo effectum fuisse vt pro ser-
 uis meus, seruos meos scriberetur. Est igitur sensus: Ipse iu-
 stus, qui est Christus, quem ego pater seruum meum ratio-
 ne humanitatis assumptæ appello, in scientia sua iustificabit
 multos. Animaduerte. Non ait: Hic doctus concionator in
 scientia sua acquirere redditus, dignitates, episcopatus: sed iu-
 stificabit multos. Euangelicus concionator non debet scientia
 sua mundi diuitias quærere, sed animas.

Ideo dispersiam ei plurimos.] Hoc est, propterea dabo illi par-
 tem in multis. Verba sunt Dei patris aientis in psalmo: *Psal. 2.*
 Partula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & posses-
 sionem tuam terminos terræ. Septuaginta habent: Propterea
 ipse possidebit multos, nimirum Christus.

Et fortium diuidet spolia.] Homines, qui erant demonis spo-
 lia, liberabit, eosq; diuidet: nam alios faciet Apostolos, alios
 Euāgelistas, alios martyres, alios confessores, alios virgines,
 alios matrimonio copulatos, alios præfules, alios subditos.
 Et ita variâ varia munera exercebunt. Si in nauis omnes idem
 facerent, obrueretur absq; dubio. Vt enim opus est vt hic se- *Similitudo.*
 deat in puppi gubernaculū tenēs, ille stet in prora longè pro-
 spiciens, quidā remis incumbant, quidā ad mali summitate

tem ascendant, alij velum teneant, alij sentinam exhauriant, alij alia munera exerceat, sic in ecclesia diuersa sunt munera, pro diuersis hominū qualitibus gerenda: nec debet omnes in idem studium incumbere, nec ad eandē actionem propere. Si rex voluerit tota die contemplari, neque audiens subditos, nec illis consulens, & necessaria prouidens male quidē ager. Etsi enim contemplatio est mēris actio excellentissima, qua nulla est suauior, nulla praestantior & permanentior, nō tamen conuenit regi, ita se illi dedere, vt regni sibi traditi gubernationem relinquat. Desinat his perpetuam contēplationem, qui se ab humanis negotiis separarunt, animumq; à sensibus reuocauerūt. Contra verò qui se totos Deo dedicarūt, nolint se mundi negotiis implicare, quin potius in diuinarū contemplationem toto pectore incumbāt, atque in solitaria tranquillitate, animiq; quiete, ad quam se tanquā ad portum receperunt, permaneant. Et ita vnusquisque suum honestum officium exerceat. Illud est praeterea aduertendum, dāmones hoc in loco fortes appellari, à quibus Christus abstulit spolia, quae, vt hic Esaias praedixit, diuisit. Id significauit Christus apud Lucam, ita dicens: Cūm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

Luc. 11.

Et cum sceleratis reputatus est.] Id est, inter duos latrones crucifixus: Hūc locum ipsemet Christus apud Lucam de se ipso interpretatur. D. Marcus etiā ita inquit: Et cum eo crucifixerūt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris. Et impleta est scriptura quae dicit: Et cum iniquis reputatus est: Sunt praeterea in hoc capite multa loca quae Apostoli de Christo interpretantur.

Luc. 22.

Mar. 15.

Luc. 13.

Matt. 5.

Et pro transgressoribus rogauit.] Dixit enim in cruce: Pater dimitte illis, nō enim sciunt quid faciunt. Vides vltionem & iustitiā, quod postulat. Docuerat discipulos, vt orarent pro persecutibus & calumniantibus eos, vt est apud Mattheum capite 5. nunc ostēdit exemplo id quod verbis docuerat. Docet Christus praesules & concionatores, vt in eas virtutes actiones incumbant, ad quas fuerint alios exhortati. Sūt qui existiment sat esse, alios in viam dirigere, cū ipsi nolint ab inuio vitorum nemore exire, quam eorum opinionē magni errores cōsecuti sunt. Vide quā apertē Christi saluatoris nostri passionem praedixerit hoc capite Esaias. Estne hoc vaticinium an Euangeliū? Quid ad hoc Iudaei poterunt respondere?

spondere? Totam summam passionis Christi hoc capite diuinus noster vates breuiter descripsit. Vt enim qui vult orbem vniuersum in parua tabula describere, satis esse existimat præcipuas mundi partes delineare, sub quibus multæ particularæ regiones continentur, sic sanctus vates volens omnes Christi cruciatus describere, sat esse duxit in hoc capite tanquam in quadam tabella delineare summam quandam sub qua multa comprehenderentur, quæ Euangelistæ particulariter explicarunt. Sed aduerte obsecro. In domo Prædis interrogatus, Christus tacet, & in cruce non requisitus loquitur atque pro transgressoribus orat. Quid est hoc Domine Iesu? Ductus ad crucem obmutescis, vt modo aiebat Esaias: Sicut ovis ad occisionem ductus, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & coram Pilato & Herode, vbi agitur de vita tua siles, in cruce vero, vbi agitur de salute nostra, etiam non interrogatus voces emittis. Quid est hoc nisi demonstrare tuam erga nos immensam charitatem, amorisque illius admirabilis in hominum genus, quo summe flagrabas, celsitudinem & abundantiam? Pluris nosfram salutem quam vitam tuam faciebas, ideò pro transgressoribus exorabas. Quis audiuit vnquam talem amorem? Quis non admirabitur tam infinitam charitatis magnitudinem? Si eum qui se pro patria telis hostium obiecit, ciues summè diligere tenentur, quanto ardentius tenemur nos te amare Domine Iesu, quam incredibili singularique erga te amoris amplitudine exardescere, qui non pro vna patria tantum, sed pro vniuerso mundo te salutare hostiam deuouisti, crucisque morti acerbissimæ obtulisti, vbi extrema propè verba ad veniam salutemque a patre petendam pro iniquis & transgressoribus reseruasti. Discamus nos hinc charissimi mei pro hostibus & calūniantibus preces ad Dominum fundere. Imitemur Christum cælestem doctorem, qui non vltionem a patre hostium suorum, sed veniam postulauit. Hinc colliges quantis illis desit Christianæ charitatis, qui ad exitum vitæ vocati dimittere iniurias nolunt, quin potius interruptis iam ac morientibus vocibus vltionem se desiderare significant. Totum hoc cap. exponit de Messia R. Moyse Gerundienfis, explicans id, quod est capite 24 Geneseos scriptum. Et introduxit eam Isaac. Et R. Iosue 24 Gen. 24. Iosue. & alij nonnulli Hebræorum Rabbini. Sed in hoc a nobis distant, quod illi Messiam veterum expectant, nos venisse eum venisse firmiter testamur. Sed quoniam ex illis nonnulli libros nostros legentes, historiasque veteres cum illis

conferentes, vident planè hæc omnia quæ Esaias huic capiti mandauit, & de Mefsia prædixit, Christo nostro conuenire, aiunt prophetam hoc in loco non de Mefsia, sed de populo Iudaici afflictione fuisse vaticinatum. Vt nobis possent respondere, in suaque pertinacia perseverare, hanc inuenerunt euasione[m], stultam illam quidem, fragile[m], falsam, nullius momenti. Huius opinionis inuectores fuerunt R. Salomon & R. Andreas, fingentes hanc Esaiæ vaticinationem esse de Iudæorum miseriis & calamitatibus, de quibus propheta, ac si vnus homo esset in misera captiuitate constitutus, vaticinatur. Hanc falsam opinionem conuincit non solum antiquorum Hebræorum sententia, sed etiam paraphrasis Chaldaica, tantæ authoritatis apud eos, vt nullus eam vnquam negauerit. Præterea quomodo potest Iudæorum populo conuenire id quod hic ait Propheta: Generationem eius quis enarrabit? cum eius generatio in lege Moyfi aperte demonstretur? Item qui fieri potest, vt de illo hæc verba dicantur: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cum constet non solum ex veterum prophetarum oraculis, sed etiam ex ipsorum historiographo Iosepho, recentiumque annalium memoria, eos ob sua incredibilia scelera fuisse patria pulsos, euersos, captiuos, atque in omni dedecore ignominiaque versatos? Deinde quomodo illis id poterit conuenire: Oblatus est, quia ipse voluit: sicut ouis ad occisionem ducetur, & illud: Et pro transgressoribus exorauit, cum ipsi inuicti fuerint capti & afflicti, & in suis synagogis quotidie in Christianos contumelias & maledicta iaciant? Postremo quis erit tam cæcus, qui non intelligat non posse ad Hebræorum populū referri id quod hic ait diuinus vates. Eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius, cum non solum Iudæi, sed etiam Christiani sæpenumero incidant in peccata? Quid dicam de iniusto, cum de iusto dicat in Prouerbiis Salomon: Septies in die cadit iustus? Si dixerimus, inquit D. Ioānes, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Cum igitur hæc non possint Iudæorum populo accommodari, imò Christo, ad quem ea Apostoli retulerunt, apertissimè conueniant, necessariò concluditur falsam esse & commentitiam hanc Iudæorum opinionem, contra verò veram esse perspicuam Christianorum in huius capituli explanatione sententiam.

Pron. 24.
v. Ioan. 1.

Anno-

Annotationes ex Hebræo in
CAPVT LIII.

Sicut radix de terra sitientis.] Pro sitientis est in Hebraico *tsiiah*, quæ dictio significat rem sitientem, desertam & inuã. Pagninus verit: Sicut radix de terra deserti. Aquila: Sicut radix de terra inuia. Admirabilis profectò interpretatio: nã quæ est hæc terra absque via, per quam nemo vnquam ingressus est, ex qua hæc diuina radix exiuit, nisi virgo illa gloriosa Dei genitrix, ex qua natus est Christus Deus noster? Hanc appellat etiam alius propheta terram, dicens in psalmo: Benedixisti Domine terram tuam. Et paulò post: Veritas de terra orta est. Et alio in psalmo: Consecrantur tibi popule Deus, consecrantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. De hac terra intelligitur id, quod supra dixit Esaias: In die illa erit germẽ Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Et alibi: Rorate cæli desuper, & nubes pluat iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorẽ. Dixerat 4. cap. futurum esse sublimem fructum terræ, & volens modò eum fructum explicare, ait, eum esse saluatorem. Vide qualem fructum hæc inuia & gloriosa terra produxit, mundi saluatorem. Peperit in tempore eum, qui fecit tempora. Vna & eadem mater & semper virgo: ipsa & genitrix, & eius creatoris, quem genuit creatura. Quis vnquam audiuit talia? Quis vnquã talia cogitauit? Intacta genuit, & pariens virgo permansit. Et quem peperit? Eum qui est Deus & homo. O admirabilis compago, ô sublime mysterium? Creator nascitur ex creatura. Deus factus est homo, incorporeus carne uescitur, inuisibilis videtur, immortalis occiditur, incomprehensibilis comprehenditur. Quis non admirabitur tam altum sacramentum, huiusq; virginis inauditum partum? Et volẽs Esaias eius virginitatem significare dixit, Messiam ex ea exiturum esse instar virgulti de terra sitienti, absque alterius arboris insertione pullulantis. Quid ad hæc respõdebit blasphemus ille Heluidius, qui spiritu diabolico ductus, voluit virginitatis sacratissimæ Dei genitricis splendorẽ maculare? Vt enim Herostrotus homo scelerum maculis notatissimus, flagrans samæ cupiditate nocte quadam templum celeberrimum Dianæ, à gentibus idolorum cultricibus dedicatum incendio cõbussit, vt nominis claritatẽ, cuius cupiditate incredibiliter ardebat, sibi cõpararet, vt Valerius Maximus, Theopompus & alij memoriæ prodiderunt, sic nefarius Heluidius, quoniã

Psal. 84.

Psal. 66.

Supr. 46

Supr. 45.

Similitudo.

neque virtute, neque rerum gestarum gloria famā, cuius desiderio tenebatur, consequi valebat, voluit quantum in se fuit non templum falsæ Dianæ, sed templum illud sacratissimum diuinæ virginis Mariæ incendio suæ maledictæ heresis comburere, eiusque virginitatem verbis pestilentibus maculare.

Percussum à Deo. In Hebraico est: mucceh elohim. Quæ verba si latina reddas, ita transferas, percussum Deum. Inter mucceh, quæ dictio percussum significat, & elohim, quæ significat Deū, nulla est præpositio. Voluit diuinus noster vates ostendere Christum esse verum Deum & verum hominem. Dicens eum fuisse percussum, eius humanitatem ostendit: dicens autem eum esse Deum, eius diuinitatem. Sed diuinitas erat in humanitate occulrata. Id intuēs Habacuc aiebat: Ibi abscondita est fortitudo eius, & quemadmodum sol, vt Diuī Gregorī Nazianēni vtar similitudine, cum in nube tegitur, absconditur, non tamē amittitur, lumēque illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta illustrat, paruo nobis obstaculo includitur, non tamen aufertur, sic Christi deitas in humanitate illa, quam induit, fuit abscondita, non tamen à corpore neque ab anima separata. Habes in hoc loco apertissimum absque dubio testimonium deitatis Christi, si volueris verba ipsa Hebraica, vt iacent, interpretari. Est admirabilis hic locus, in quo ostendit Esaias Deum esse illum, qui in cruce percussus erat: Deus quatenus Deus nec fuit mortuus neque percussus: est enim impassibilis & sempiternus. Sed cum Christus sit Deus & homo, & quatenus homo fuerit percussus & mortuus, dicitur etiam Deus percussus & mortuus, quoniā Christus vna est persona, vnū suppositum. Ideo verē dicimus, manus Dei fuisse in cruce duris clavis transfixas, quoniam duæ in Christo naturæ sunt in vno & eodem supposito, quod quidem est Christus, qui est verus

*Habac. 3.
Similitudo*

Similitudo.

Esai. 68.

Deus & verus homo, quē Esaias hoc in loco percussum Deū appellat. Si lapidem ignitum in medium fluminis proicias, extinguetur ignis, lapis autem integer permanebit, quoniā aquæ in ignem agere possunt, in lapidem verō nequaquam. Sic constitutus Christus in medio afflictionum, quæ per aquas intelliguntur, iuxta illud: Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: passus est quo ad humanitatē, in quam afflictionum aquæ, hominūque scelera & impietates agere poterant, diuinitas autem impassibilis permanfit. Ideo recte dicimus filium Dei vnigenitum in duabus naturis, vnusque personæ

personæ singularitatem passibile & impassibilem, mortalem & immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundemque semper viuentem in virtute sua.

De angustia & de iudicio sublatus est.] Pro de angustia est in Hebraico meotsar, quod nomen retentionem & carcerem significat. Ideo poterat hic locus ita verti: A carcere & à sententia sublatus est de medio: vt sit sensus: Statim post vincula & Pilati sententiam eum occiderunt. Explicat propheta Iudæorum in Christi cæde celeritatē: quæ fuerat etiam in festinatione illa figurata, quæ Hebræi agnum paschalem comedebant. Ita enim ait scriptura Deum illis dixisse: *Comedetis festinantes.* Fuisse autem agnum illum Christi figuram, indicat aperte Diuus Ioannes capite decimonono sui euangelii. Exod. 12.

Argumentum Capitis LIIII.

Vaticinatus fuerit Esaias capite superiore de Christi morte. Et quoniam eum mentis oculis intuebatur suo sanguine pro nobis fuso esse multos filios geniturum, ideo agit modo de vocatione Gentium, prædicens plures ex illis, quam ex Hebræis esse fidem recepturos. Et quamuis gentilitas esset sterilis absque fide, spe, & charitate, eam tamen consolatur, quod breui plures filios habitura sit, quam Hebræorum synagoga. Prædixit Dei misericordiam nunquam esse ab ecclesia separandam, neque fœdus pacis Dei cum ecclesia initum vnquam infringendum.

CAPVT LIIII.



*L*auda sterilis, quæ non parit: decanta laudem Luc. 25.

& binni, quæ non pariebas: quoniam multi Gal. 4.

filii desertæ magis quam eius, quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locū tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extēde, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis: & semen tuū gentes hereditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confundetis, nec erubescetis, non enim te pudebit, quia confusio adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te. Dominus exercituum nomen

T t 3 eius.

eius: & redemptor tuus sanctus Israel. Deus omnis terre vocabitur. Quia ut mulierem derelictam & miseriam Spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in medio dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam pariter à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noe iuravi tibi, ut non irascar tibi, & non increpem te.

Supr. 26.

Gen. 9.

EXPLANATIO.

Lauda sterilis.] Primitivam ecclesiam ex gentibus & aliis quibus ludæis cōgregatam comparat propheta mulieri sterili, quoniam respectu synagogæ paucos habebat filios. Potest hoc referri ad ipsam gentilitatem, quæ nullum habebat prophetam, nullum fidelem, quam hoc in loco Esaïas consolatur, quoniam innumeros ac propè infinitos filios habitura esset, qui Christum recipere. Quibus Christus dedit potestatem filios Dei fieri, ut Divus Ioannes testatur.

Ioan. 1.

Hinni.] Hoc est, exulta, & prorumpere in iubilum. Hinnire est propriè equorum, ad victoriam præ lætitia exultantium, sed ad homines etiam metaphoricè refertur.

Quoniam multi filii desertæ magis quàm eius quæ habebat viri.] Alludit ad Saram sterilem, & Agar fecundam. Nam Sara peperit Isaac, qui fuit per repromissionem, & inde dimanavit proles infinita. Filius autem Agar secundum carnem natus est, qui erat filius ancillæ, Sara autè libera erat. Sed hæc sunt duo testamenta, ut ait in epistola ad Galatas Divus Paulus. Per Agar ancillam & fecundam intelligitur synagoga, & vetus testamentum, per Saram verò liberam & sterilem, quæ peperit per divinam repromissionem, & infinitam propè multitudinem genuit, intelligitur testamentum novum, & christi ecclesia, quæ cum prius esset sterilis gentilitas, multo plures filios peperit, quàm synagoga. Et quoniam synagoga erat ob eius scelera reiicienda, voluit Deus ut Agar cum filio suo reiticeretur. Sara autem cum filio suo domi maneret, in figura earum rerum, quæ postea erant venturæ. Ideo D. Paulus in epistola ad Galatas hunc Esaïæ locum sub nomine Saræ de ecclesia, sub nomine verò Agar de synagoga interpretatur. De ecclesia dixerat supra Esaïas: Lætabitur deserta & inivata, exultabit solitudo. De synagoga verò ait Ieremias: Infirma est quæ peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cum

Gen. 21.

Gal. 4.

Gal. 4.

Supr. 25.

Ierem. 15.

cum adhuc esset dies. Per septem intelliguntur multi, ponitur enim numerus finitus pro infinito: Quemadmodum lib. 1. Regum ait Anna: Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. ubi pro plurimis litera Hebraica habet septem. Hæc igitur sterilis est ecclesia, de qua dicitur in psalmo: Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem. *Psal. 112.*

Dilata locum tentorii tui. Id est, Extende ò ecclesia tentorium tuum, nequaquam Iudaici tabernaculi imiteris angustiam: sed dilata cortinas & pelles tabernaculorum tuorum. Ostendit iis verbis multitudinem fidelium, & ecclesiæ per totum terrarum orbem propagationem. Sed animaduerte, Non tribuitur ecclesiæ domus, sed tentorium, in quo non est firma & perpetua permansio. Non enim habemus hic, ut verbis utar Diui Pauli, manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Qui habitant in tentoriis, non ibi commorantur, sed ad vltiora festinant. Ita de Christianis dicitur. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. *Heb. 12.*

Semen tuum gentes hereditabit. Hoc est, filij tui possidebunt nationes remotissimas, easque ad fidem conuertent. Id vidimus & nostra & patrū nostrorum memoria apertissime impletū, Iussu enim Emanuelis Lusitanorū regis inuictissimi, eiusque filij clarissimi Ioannis, qui non solum regni, sed etiā pietatis patris, eiusque religionis, & animæ præstatiæ & magnitudinis, fuit hæres, Iustrarūt Lusitani terras antea ignotas & abstrusas, aliōsque terrarū orbis, quos Alexander Magnus non posse consequi ægrè ferebat, penetrarunt, earumque gentes barbaras & infideles superarunt, & ad fidem Christi conuerterunt. Has gentes possident modò Christianissimi Lusitaniæ reges, qui Orientis oras, & ditissimam Indiam, & suis & maximorum regum præfidiis, opibusque munitam, vicerunt & in suam potestatem redigerunt, atque crucis tropheæ in regionibus immenso spatio à Lusitania distantibus è potentissimorum hostium faucibus ereptis, collocarunt. Hi Christianissimi principes & alij huiusmodi sunt semen atque filij ecclesiæ, de quibus ait hoc in loco Esaias alloquens ipsam ecclesiam: Semen tuum gentes hereditabit.

Et opprobrii viduitatis tue. Gentilitas Deum dereliquerat, & ideo vidua appellabatur. Sed cum euangelium recepit, & Christo adhæsit, non vidua, sed sponsa Christi appellatur. Synagoga verò est vidua, & à Deo derelicta, imò mortua & sepulta. Hos duos populos gentium & Iudæorum significat.

Zach. II.

cauit Deus apud Zachariam per duas virgas, quarum vnam appellat Deus decorem, alteram funiculum.

Quia vt mulierem derelictam & meretricem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam.] Fuit quidam veluti vxor Deo adherens, & legem naturalem adimplens, sed ob delicta tua fuisti à Deo derelicta, & in adolescentia tua repudiata. Nunc verò vocat te idem Deus quasi dolentē spiritu ob tuum repudium & abiectiōem.

Psal. 83.

Ad punctum in modico dereliqui te.] Dereliquit Deus gentilitatem, sed postea misertus eius eam in aduentu suo ad se vocauit, & adduxit, & totum illud tempus, punctum appellat. Vbi vides totam hanc vitam comparatione aternitatis punctum esse, & tanquam nihil. Id voluit diuinus vates significare dicens in psalm. Et substantia mea tãquam nihilum ante te. Substantia hoc in loco accipitur pro subsistentia seu vita. Quod intelligēs D. Hieronymus vertit: Et ita vita mea quasi non sit in conspectu tuo. Id aperte sensit Seneca, qui in epistola 49. ad Lucillum, Pãctum, inquit, est quod viuimus. Et Cicero aetatem volare affirmat in prima quæstione Tus. ubi etiam asserens ex Aristotele nasci quãdam bestiolas apud Hypanem fluuium, quæ vnum diem tantum viuunt, inquit, hominem aetatem etiam longissimam cum aternitate collatam, eandem propemodum cum his bestiolis breuitatē habere. Contemnamus igitur mundi vanitates & ineptias, totãque vim bene viuēdi in animi magnitudine, & rerum humanarum despicientia & tolerantia, & Christiana nobilitate, & in omni denique virtute ponamus. Poteris hoc ad animam referre. quam Deus permittit in calamitates & dolores incidere, vt laboris pondere pressa ad Christum suauissimum sponsum conuertatur. Vide immensam Dei pietatē. Calamitas, qua fideles premit, est breuis, at gloria, quam illis tribuit, est sempiterna. Id intelligens Apostolus in epistola 2. ad Corinthios. Id enim inquit, quod in præsentī est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate aeternum gloriæ pondus operatur in nobis.

2. Cor. 4.

Et in miserationibus magnis congregabo te.] Homo absque Dei gratia est dispersus, ea verò est vnitus & congregatus. Aqua cadens ex alto si vnitur & congregatur, ascendit per fissulam aut canalem vsque ad altitudinem loci, ex quo descendit. Sed si fons ille clausus, in quo aqua colligitur habeat infra aliquod foramen, non ascendit aqua, sed tota diffunditur, aspergitur, & amittitur: sic anima si in se vnitur & con-

Simile.

& congregatur, ascendit vsque ad cœlum dicens cum Paulo: Nostra cōuersatio in cœlis est, si aurem fuerit veluti in fundo perforata, si se in varias cogitationes inutiliter diffuderit, nequaquam ascendet, sed tota dispergetur, & dissipabitur. Ideo diabolus conatur animam nostram dispergere & diffundere. At officium Dei est eam in miserationibus magnis congregare. *Qua de re fuse capite II. & 19. disseruimus.*

Philip. 3.

Sic iuravi vt non irasciar tibi.] Id est, Vt iuravi Noë non me inducturum esse iterum diluuium, sic tibi ð ecclesia mea iuro, me nunquam te esse derelicturum. Aspice Dei nostri admirabilem clementiam.

Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & scelus pacis mee non mouebitur. Dixit miserator tuus Dominus, Pauercula tempestate conuulsa, absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis. Et in iustitia fundaberis: recede procul à calunnia, quia non timebis: & à pauore quia non appropinquabit tibi. Ecce accola veniet qui non erit tecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. Ecce, ego creauit fabrum sufflantem in igne primas, & proferentem vas in opus suum, & ego creauit interfectorem ad disperdendū. Omne vas quod fictum est contra te, non dirigitur, & omnem linguam, resistentem tibi in iudicio, indicabis. Hæc est hereditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud me dicit Dominus.

Ioan. 6.

Montes enim commouebuntur.] Verba sunt, quibus Deus ecclesiam alloquitur, quorum sensus est: Hoc quod tibi iuravi, nempe nunquam te esse derelicturum, est absque dubio verissimum. Nam prius montes commouebuntur, & aliò se transferent, & colles contremiscent, quàm ego te deseram. Nunquam enim misericordia mea à te recedet, neque scelus meum tecum initum rumpetur. Aspicias quàm apertè Deus promittat ecclesie sue nunquam eam esse derelicturum: Air enim: Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & scelus pacis mee non mouebitur. Hæc non dicuntur synagogæ, quã videmus esse à Deo derelictam, sed ecclesie, de qua Diuus Paulus hoc caput in epistola ad Galatas interpretatur. Et ipse Christus Deus noster ex hoc capite deprompsit id, quod apud Ioannē cap. 6. ait: Et scriptum est in prophetis: Erunt omnes docibiles

Galat. 4.

biles Dei. Quibus verbis ostendit se esse Deum, qui venit vt homines doceret, & ecclesiam constitueret. Cum igitur Deus hoc in loco manifeste promittat, nunquam misericordiam suam esse ab ecclesia separandam, nec fœdus eius cum ea vnquam esse rumpendum, quâ fieri potest, vt verum sit id, quod ait Lutherus, mille ab hinc annis & amplius non fuisse in ecclesia fidem; & ipsum modò venisse, vt fidem, & veram doctrinam doceret, quibus antea ecclesia erat destituta? Si in ecclesia, non erat fides, nec vera doctrina, cum sine fide, vt ait Paulus, impossibile sit placere Deo, profecto ecclesia erat à Deo derelicta, & misericordia Dei ab ea separata, & ruptum pactum ac fœdus pacis & amoris Dei cum ecclesia sua. Et ira falsum est id, quod hoc in loco Deus ecclesie suae promittit. O miserum Lutherum, ô hominem subuersum & furiosum? Quis nõ videt tam pestiferam blasphemiam? Vis Luthere vt omnes te veracem existiment, & tu facis Deum mendacem. Dicis ecclesiam fuisse à Deo mille annos & amplius derelictam, cum Deus hic iuret eam nunquam esse ab ea derelinquendam. Ais nulla sacramenta conferre gratiam, summum Pontificem non esse catholicæ ecclesie pastorem, nec caput, omnes ecclesie doctores vitæ sanctimonia & sapientia præstantes nihil dixisse solidi, nihil veritatis, omnes errasse in fide, & ecclesiam hætenus fuisse in tenebris & erroribus versatam. Nam cum ecclesia semper tenuerit, sacramenta conferre gratiam, & summum Pontificem esse Christi vicarium, ecclesie pastorem & caput, & petram illam super quam Christus ædificauit ecclesiam, & ita asseueranter affirmant omnes patres, & sancti doctores, & sit ita in vniuersalibus conciliis assertum & decretum, & litteris ac perpetuis monumentis consignatum, & tu modò dicas omnia hæc, & multa alia, quæ ecclesia firmiter tenet, & aperte confitetur, esse meras nugas, mera figmenta, & hæreses intolerabiles, aperte dicis ecclesiam fuisse à Deo destitutam, & à veritate alienatam. Illam Christi ecclesiam, pro qua ille acerbissimos cruciatus tulit, & sanguinem fudit, obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, quæ Diuus Paulus appellat columnam & firmamentum veritatis, appellas tu scholam mendaciorum, errorum, & hæresum. Illam dicis versari in erroribus, quæ habet spiritum sanctum perpetuum magistrum & instructorem. Et Christum ab ecclesia tollere moeritis cum ipse planè restatus sit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et Petro Apostolorum principi, Ego, inquit, rogavi pro te, vt

Matt. 16.

1. Tim. 3.

Matt. 23.

Luc. 22.

te, vt nō deficiat fides tua, Et Apostolos, qui tunc erāt ecclesia, alloquens. Ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritus veritatis. Aspicias hic Luthere Christum dicentem semper cū ecclesia esse, & fidem Petri, quæ est ecclesiæ fides, nunquā defecturam, & spiritum sanctum, qui est consolator, & spiritus veritatis, nunquā discedere ab ecclesia, sed semper eam cōsolari & docere. Si Christus semper est cum ecclesia sua, si fides ecclesiæ nunquam defuit, nec deficiet, si ecclesia habet Spiritum sanctum perpetuū doctore, & magistrum, & consolatorem, quomodo audes tu tā imprudenter asserere ecclesiā esse à Deo destitutam, & nec esse in ea fidē, nec Spiritum sanctū, sed superstitiones, nugas, mendacia, errores, & hæreses pestilentis? Si Deus synagogam minus dilectā septuaginta durataxat annos in Babylonica corporeaq; captiuitate reliquit, qui fieri poterat, vt ecclesiā suā dilectissimā sponfam mille & ducentos annos in Babylonica spiritaliq; captiuitate relinqueret? Sed hoc ideo ais, quia cum ab ipsa ecclesia exteris & apostataueris, eā vis cōiucis vulnerare, Cōrēnis sanctos eius patres irrides vniuersalia cōcilia ritē cōgregata, totius ecclesiæ tot retro seculis cōfirmatā consuetudinē pro nihilo ductis, trūcas diuinas scripturas, quarū alias penitus negas, alias deprauas & contorques. & ad id superbix & amentix venisti, vt ipsam Dei ecclesiam maculare contendas, asserens eā esse obscuram Deoq; inimicam vsque adhuc, & sine fide, & veritate, cū illi dicat in Canticis Christus: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea. Ad hanc misit Christus sponsum eius Spiritum sanctum, qui eam omnem veritatem doceret, & apud eam maneret in æternum, vt scdus Dei cū illa semper duraret, quod hoc in loco ipse Deus per Esaiam promittit. Quid poteris respondere Luthere ad tam aperta loca sacrarum scripturarum, quæ contra te pugnant, imo te ipsum expugnant, & hæreses tuas penitus euertunt? Sed cū iam subuersus sis, & tuo proprio iudico cōdemnatus, quod Diuus Paulus in epistola ad Titum de omni hæretico tibi *Tit. 3.* simili affirmat, post secundam correptionem in sua hæresi permanente, non miror te non respiscere. Sed miror, doleo, & egrē fero esse tot homines, qui tuis diabolicis fraudibus obtemperant, & tuas pestilentissimas hæreses amplectantur. O cæci, stupidi, ac insensibiles Lutherani, qui tam crassas & palpabiles tenebras non sentitis? Nōne videtis vestrum Lutherum Deum facere mendacem? Dicit Deus nunquam ecclesiam

*Ioan. 14.**Cant. 2.**Tit. 3.*

ecclesiam suam derelicturum in æternum, & ipse asserit eam fuisse mille & tot annos à Deo derelictâ, sine fide, sine veritate. Potestne aliquid dici absurdius? Quod fuit vnquâ figmentum tam falsum, tam ineptum, tam ab omni, non solâ ratione, sed etiam rationis simulatione abhorrens, & penitus alienatum? O cæcitatem & crassitiam admirabilem, & infamiam deploradam. Chryste sancte qui pro hominum genere sanguinem tuum preciosum in crucis ara immolatus sudisti, ne permittas tot homines perire: aperi eorum oculos aliquâdo, vt suos errores videant & plorent, & ad ecclesiam tuam redeant, atque ad te ipsum conuertantur.

Paupercola tempestate conuulsa.] Alloquitur nunc Deus ecclesiam suam, priusquam crederet, tunc enim cum esset gentilitas, sine virtutum diuitiis, pauper erat, & tempestate conuulsa, hoc est, instabilis sine fundamêto inter varios idolorum errores fluctuans & versans, & ab omni diuina cõsolatione destituta. Septuaginta pro tempestate cõuulsa verterunt instabilè,

Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.] Ego te ecclesia ædificabo tanquam urbem regiam ex lapidibus preciosis fundatam in sapphiris. Propugnacula tua erunt ex laspide, & portæ tuæ ex lapidibus sculptis, & fines tui ex lapidibus expertilibus & excellentibus. Quasi dicat: Reddam te simile pretiosissimo, & excellentissimo, & pulcherrimo ædificio, describit propheta magnificentiam, & firmitudinem, & felicitatem ecclesiæ. Lapidis huius ciuitatis sunt viri fideles sapientia ornati, & virtutibus muniti. Fundamentum verò primariū est Christus, vt asserit D. Paulus in epistola prima ad Corinthios. Sed cum Beatus Petrus sit Christi vicarius, eūque ipse Christus Petrū appellauerit, cum antea Simeon appellaretur, est sine dubio ipse Petrus ecclesiæ fundamentum. Ideo enim nomen ab ipso Christo deriuatum accepit. Christus enim, vt Diuus Paulus asserit, petra est. Aequum enim fuit, vt Christi nomen acciperet ille, cui Christus vices suas commisit, & cui dixit, vt agnos suos ac oues suas pasceret, quem denique Apostolorum principem constituit. Hic est ille, cui Christus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meā. Vbi vides esse ecclesiam super Petram ædificatam. Ira hunc locum explanat Diuus Hieronymus in commentariis in Matthæum. Et Diuus Augustinus libro contra epistolam Donati, & inter sermones de tempore sermone xvi. & de sanctis sermone xxvi. Et D. Ambrosius sermone xlvii. de fide Petri. Et Diuus Gregorius libro sexto epistola

I. Cor. 5.

I. Cor. 10.

Iou. 21.

Mat. 6.

epistola 37. ad Eulogium. Et Diuus Ioannes Chrysoftomus. homilia 55. in Matthæum. Et Diuus Basilius aduersus Eunomium. Et omnes denique patres tam Latini quam Græci, super Petrum esse ecclesiam Christi ædificatam asseueranter contestantur. Quamquam Lutherus id neget articulo 25. suarum hæresum. Sed dicat ipse quid velit, nos habemus contra eum omnes patres & sanctos doctores, concilia, pontificum decreta ecclesie antiquissimam consuetudinem, & ipsas sacras scripturas eum confundentes, & suas pestilentes hæreses appetitissime damnantes. Illud est aduertendum, non dixisse deum, Ego sternam lapides tuos: sed, Ego sternam per ordinem lapides tuos: vt intelligas in ecclesia omnia esse ordinata.

Vniuersos filios tuos doctos à Domino.] Christus Deus noster apud Ioannem, Scriptum est, inquit, in prophetis: Erunt *Ioan. 6.* omnes docibiles Dei. Vbi ex hoc loco Elatae, & alii ostendit se esse Deum qui docet veritatem in ecclesia sua. Vbi hunc locum de ecclesia interpretatur. Quod paulò antè dicebam.

Recede a procu à calumnia quia non timebis.] Id est, tam tuta eris à calumnia, vt eam non timeas. Vel sic: Si vis hostes non timere, recede ab antiquitate.

Ecce, accola veniet, qui non erat mecum.] Id est. Ad te o ecclesia veniet illi, qui mecum non erant, quoniam idola collebant. Id prædixit etiam Deus his verbis per Oseam prophetam: Et dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicit: Deus meus es tu. Ita illum locum Diuus Paulus in epistola ad Romanos interpretatur. Et Diuus Petrus in 1. sua epistola ad hunc locum alludit.

Ecce ego creau fabrum.] Per fabrum prunas incendentes, & instrumenta aduersus ecclesiam constantem, diabolus intelligitur, cum omnibus hæreticis. Instrumenta bellica, quibus ecclesia oppugnatur, sunt hæreses. Alloquitur igitur Deus ecclesiam suam in hunc modum: Vt ego creau fabrum, qui aduersus te arma conflet, sic creabo protectores, qui te defendant, & arma diabolica confringant, & hæreticos confundant & euertant. Hi hæreticorum interfectores sunt doctores catholici, pro fide Christi pugnantes: quemadmodum nostris temporibus præter multos alios fuit sanctus ille sapiensq; Ioannes Rossensis decus Angliæ, nostræque memorie clarissimè lumen, qui non solum aduersus hæreticos libros eruditissimos scripsit, sed pro fide christi se immanissimi tyranni telis obiecit, atq; erecto inuictoque animo mortem acerbissimam tulit.

*Osee 9.
1. Pet. 1.
Rom. 9.*

In iudicio iudicabis.] Hoc est, cunctos hæreticos tuo iudicio condemnabis. Habes hic euidenti locum in quo Deus affert ecclesiam habere potestatem iudicandi hæreticos, eoque suo iudicio condemnandi. Cum igitur vos ô Lutherani sitis ab ecclesia iudicati & damnati, cur non respicitis, & misericordiam petitis? Si enim ab hæresibus desiteritis, ipsa ecclesia pia mater vos recipiet, & cum catholicis coniunget.

Hæc est bæreditas seruatorum Domini, & iustitia eorum apud me, dicit Dominus.] Sensus est, Hæc ecclesia catholica erit domus & receptaculum fidelium, extra quam nulla est fides, nulla iustitia. Iustitia autem seruatorum Domini est apud ipsum dominum, qui eam videt, vt pro ea viris iustus gloriam tribuat immortalem.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT LIIII.

Lauda sterilis.] In Hebræo est roni, à verbo ran, quod significat inter alia lætari. Vnde Septuaginta verterunt. Lætare sterilis. Et ita D. Paulus hunc locum citat in epistola ad Galatas. Hanc rationem secuti quidam verunt: Exulta sterilis.

Et in miserationibus magnis congregabo te.] Pro congregabo te, est in Hebræo verbum Kauats, quod significat congregare & colligere. At Septuaginta verterunt: Et in miserationibus magnis miserabor tui. Cum verbum hoc talem significationem non habeat. Sed quoniam eius miseretur Deus, quem congregat, Ideo pro congregare, misereri posuerunt. Intellexerunt enim in idem fere coincidere miserere & congregare. Hac ratione etiam illud psalmi, vt litera Hebraica habet: Dominus autem congregauit me, verterunt ipsi, Dominus autem assumpsit me. Ille qui est dispersus, & in diuersas mundi curas diffusus & distractus, est à Deo dimissus, iuxta id quod ille dicit in psalmo: Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. At cum Deus eum congregat, & in vnum colligit, & adunat, eum assumit, eiusque miseretur.

Galat. 4.

Psal. 80.

Argumentum Capituli L V.

Exhortatur propheta, & inuitat ad animæ salutem eos, qui eius desiderio tenentur. Hanc autem animæ salutem appellat aquas, per quas intelligitur euangelium, & gratia, & omnis animæ

animæ refectio. Arguit eos, qui vera doctrina contempta in res inanes & inutiles studium & operam conferunt. Indicat Christum esse ducē & præceptorem. Hortatur peccatores ad quærendum Deum, & ad scelera omnia derelinquenda. Et tãdem prædicit infidelium ad fidem conuersionem.

CAPVT LV.



Mnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborẽ vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonũ, & delebitur in cras

A. 13.

Ezec. 52.

studione anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fidelis. Ecce testem populis dedi eũ, duce[m] ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctũ Israel: quia glorificabit te. *Ut erite Dominum dũ inueniri potest, inuocate eũ dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad agnoscendum.*

EXPLANATIO.

Omnes sitientes venite ad aquas.] Vaticinatus fuerat propheta capite superiore de gentium vocatione ad fidem. Et quoniam id futurum erat, verbi Dei prædicatione. Ideo nũc ad eam audiendam omnes desiderantes inuitat & exhortatur. Ac sic dicat: Venite omnes sitientes ad Euangelium, ad diuina verba audienda, ad eas plenissimas & saluberrimas aquas gratiæ potandas, quarum haustu & potu conceptam viscibus sitim extinguat, & ardorem sedetis. Mundi aquæ sunt turbidæ & amaræ, non solum sitim non sedantes, sed etiam augentes, at aquæ diuinæ sunt claræ atque dulces, quæ sumptæ explent, & sitim restinguunt. De hac aqua ait apud Ioannem Christus: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et alibi, Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, & bibat. Tunc impleta fuit hæc

Ioan. 4.

- Ioan. 7.* hæc Esaiæ propheta. Sed aduerte: Non dicit, Venite omnes ad aquas. Sed omnes sitientes venite ad aquas. Vbi aspiciis promitti gratiam sitientibus, & venientibus ad Christū. Nō dicit, Aquæ ibunt ad vos: Sed vos venite ad aquas: Hoc est, disponite vos ipsos ad gratiam, facite quod in vobis fuerit, quia ego vobis venientibus, & ad gratiā vos ipsos preparātib, eam non negabo. Harū aquarū meminit propheta Ioel ita dicens: Per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Riuus Iuda sunt mentes fidelium aquis gratiæ rigatæ, torrens autem spinarum est caro, in quam se etiam extendit gratiæ operatio, eam spiritui subiiciens. Has aquas vidit in spiritu regius vates dicens in psalmo: Super aquas refectionis educauit me, animā meam conuertit. Et Ecclesiasticus. Et aqua, inquit, sapientiæ salutaris potabit illū. Nos verō qui hæcenus sedimus super flumina Babylonis, surgamus, & properemus ad aquas Hierosolymæ, ad aquas viæ. Sitiamus cum propheta ad Deum fontem viuum, & mortiferas mundi aquas relinquamus. De iis aquis differuimus fusè cap. 12.
- Ioel. 3.* *Properate* ¶ Sunt multi qui proponunt interdum mūdum contemnere, & Christo se totos tradere. Sed differunt hoc propositum, & senectutem expectant, & ita priusquam impleant id, quod decreuerant, pereunt morte præuerti, & in obscuras ætērāsq; tenebras miseri relegantur. Hi sunt veluti naues pictæ velis expansis, quæ soluunt, & iam ex litore egrediuntur, sed cū sint pictæ, non mouentur. Hos exhortatur iis verbis diuina scriptura in Ecclesiastico. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tēpore vindictæ disperdet te. Et Apostolus. Festinemus, inquit, ingredi in illam requiē. Non igitur senectutem expectemus, non vespērū, sed statim manē Deum toto animo quæramus. Manna manē colligebatur, non vespēri: sic nos statim panem illum cœlestē Christum Deum nostrum quæramus, nec in aliud tempus bonas cogitationes differamus, & vsque ad noctem, quando operari non possimus, dilatemus. Sed animaduerte, Non dicit: Properate vos diuites, qui argenti copia abūdatis, Sed, Qui non habetis argentum properate. Vult Deus iis verbis significare eos non bene currere, qui sunt argenti pondere onerati. In Genesi, vbi nostra versio habet: Erat autem Abraham diues valde in possessione auri & argenti, habet litera Hebraica: Erat autē grauis valde siue vehementer. Et ita habet versio
- Psal. 24.*
Eccle. 15.
Psal. 41.
Simile.
Eccle. 5.
Hel. 4.
Exod. 16.
Gen. 13.

versio Græca Diui Hieronymi *ἑαπέδσφόςδρα*, hoc est, grauis
vehementer. Abraham enim Aegypti opum pondere graua
batur. Nam etsi diuitiæ videantur, tamē quia Aegyptiæ sunt,
viro sancto graues sunt. Eam ob causam dicebat Apostoli:
Ecce nos relinquimus omnia. Currere enim & properare *Matt. 19.*
volentes pondus omne relinquunt.

Emite & comedite.] Duæ hic dubitationes occurrunt:
quarū hæc est prima: Si Deus inuitat pauperes ad has aquas
potandas. Si modò dixit: Qui non habetis argentū properate,
quomodo ait modò, emite? Ita enim ait: Qui nō habetis
argentū properate, emite, & comedite. Et paulō post: Emite
absque argento, & absque vlla cōmutatione. Si hæc aque
gratis dantur, quare dicuntur emi, & non potius donari? Altera
dubitatio est hæc: Si sunt aquæ, quomodo manducantur, &
non potius bibuntur? Non enim dicit: Emite, & bibite; sed
emite, & comedite. Quis vnquā aquas comedit? Soluamus
primam quæstionem, & postea respondebimus ad secun- *Matt. 5.*
dam. Ad emendas mundi possessiones opus est auro & argēto,
ad emendum verò regnum cælorum nullis talibus di- *Luc. 10.*
uitiis opus est. Beati enim pauperes spiritu, ait Christus, quo-
niam ipsorū est regnum cælorū. Imò discipulis suis vt cælum
compararent, dicebāt, ne vellent sacculum portare nec perā.
Et hæc admirabilis Apostolorum paupertas vicit mundum. *Act. 3.*
Petenti claudo elemosynam respondit Diuus Petrus: Argē-
tum & aurum non est mihi, quod autem habeo, tibi do: In
nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula, Et sanus fa-
ctus est statim: Et stupuerunt Iudæi, ex quibus multi credi-
derunt, vt in Actis Apostolorū sacra historia testatur. Eme-
rūt quidem Christi discipuli has aquas nullo auro & argēto
sed precio propriæ voluntatis. Simoni autē eas auro emere
volenti respondit Petrus, vt Lucas in Actis commemorat: *Act. 2.*
Pecunia tua tecum sit in perdicionem, quoniam donum Dei
existimasti pecunia possideri. Nos igitur sumus precii, quo
hæc salutares aquæ emuntur. Disponamus nos ipsos ad eas,
tribuamus nos ipsos Deo, & Deus eas nobis donabit. Sed
quoniam diuites, auro, argento, & mundi opibus affluen-
tes, solent esse potius diuitiarum, quàm sui, & potius ipsi
possidentur à diuitiis, quàm ab ipsis diuitiæ, ideo consul-
tum est ad perfectionem aspirantibus, diuitias relinquere,
vt ita magis sui sint & liberi remaneant. Cum autem sui atq;
liberi extiterint, opus est se ipsos dare pro Christo. Nō enim
eum possidebimus, nisi nos ipsos pro eo dederimus: non au-

tem nos ipsos dare poterimus, nisi nostri simus: nostri autem non erimus, si nos diuitiæ possideant, quoniam plerumque quā diu illis abundamus, magis sui quā nostri sumus. Igitur non sumus prorsus liberi, nisi impedimenta omnia pro nostra liberatione relinquamus. Relictis autem rebus nostris, pro eorum pretio nos ipsos accipimus, qui talibus implicati nostri omnino non eramus, ut rursus nos ipsos pro Christo demus, non quod tanti valeamus, sed quod plures dare non possimus. Et hoc est pretium, quod Deus præcipue exigit à nobis. Est enim Christus thesaurus absconditus, pro quo homo debet vendere vniuersa quæ habet, de quo loquitur Christus apud

Matt. 13. Matt hæc. Vendere autem omnia, est pro Christo omnia relinquere, ut nos ipsos illi tradamus. Non enim sat est omnia relinquere, sed opus est nos ipsos illi tradere, cum ipsum sequendo. Ideo dicebat Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Ac si diceret: Omnia dimisimus ut nostri maneremus, ut cum nostri essemus, tibi nos ipsos traderemus te ipsum sequentes, tuisque consiliis obtemperantes. Bonum est elemosynas tribuere, & diuitias pauperibus largiri: sed nisi nos ipsos Deo tradiderimus, non sumus perfectione affecti, nos enim sumus pretiis, quod Deus exigit à nobis, quo sumus has salutares aquas de quibus hic agit Esaias, consecuturi. Et ita manet, ni fallor absoluta questio prima: nunc breuiter veniamus ad secundam. Hæ aquæ non solum sedant sitim, sed etiā famē, intelligitur enim per eas gratia, quæ est animæ pabulū, & panis iste saluberrimus, quæ petimus dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et quoniā in spirituali animæ perfectione comedere & bibere non differunt, quoniā gratia & panis appellatur, & aqua: ideo hoc in loco ait Deus, ut hanc aquam comedamus, est dicat apud Ioanem, ut eam bibamus. Si quis sitit, inquit, veniat ad me & bibat. Dicēs autem ut aquam comedamus, vult ostendere, ut non de terrenis aquis loqui, sed de celestibus. Nil autem aliud est has aquas comedere & bibere, quā spiritum Dei eiusque gratiam accipere, & donis eius gaudere, ad quas aquas vocat Deus omnes qui sitiunt, & celestis beatitudinis desiderio tenentur.

Matt. 13.

Matt. 19.

Ioan. 7.

Vinum et lact. Gratia Christi non solum comparatur hoc in loco aquæ abluenti, sitim extinguenti, & refrigeranti, sed etiam vino ob nutritionem & fortitudinem, & lacti ob suauitatem & candorem.

Quare appenditis argentum non in panibus. Id est, Quare consumitis pecunias in rebus inutilibus, & non in panibus, hoc est

est in rebus necessariis sequitur: Et laborē vestrū nō in fatu-
ritate Id est. Quare consumitis laborem in rebus inanibus,
quæ vobis nullā posuunt afferre faturitatem? Inuehitur pro-
pheta in eos, qui contempta vera doctrina, quæ satiare ani-
mam potest, dāt operam artibus inanibus & superuacaneis,
quæ nullum afferunt commodum, nullam faturitatem. De-
nique eos arguit, qui relictis contemptisque rebus diuinis,
dant operam humanis.

Audite audientes me.] Id est: Qui verba mea auribus cor-
poris auditis, audite etiam auribus mentis.

Et comedite bonum.] Id quod paulo antè vocauit aquas,
vocat modò bonum. Sequitur: Et delectabitur in crassitudi-
ne anima vestra. Aduerte: Non dicit, Delectabitur in crassi-
tudine corpus vestrum, sed anima vestra, De pabulo enim lo-
quitur non corporis, sed animæ. Hęc enim verbo Dei & di-
uina gratia reficitur & sustentatur. Vt enim anima est vita
corporis, sic gratia est animæ vita.

Audite, & viuet anima vestra.] Vitam animæ nositæ qua-
rit, quæ in Christi verbis habetur. Air enim: Audite, & viuet
anima vestra. Ipse Christus apud Ioannem, verba, inquit,
quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, Et D. Pe-
trus, Domine, inquit, ad quē ibimus? verba vitæ æternæ hab-
etis. Ideò dicebat Christus: Si quis sermonem meum serua-
uerit, mortem non videbit in æternum. Viuit igitur eius ani-
ma, qui verbum Dei audit, non solum auribus, sed mente, &
ita audit, vt obseruet.

Et seruiam vobiscum pactum sempiternum.] Id dixerat capite
superiori Irs verbis: Misericordia autem mea non recedet à
re, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Alloquitur Deus ec-
clesiam suam. Et explicans hoc pactum sempiternū, ait: Mi-
sericordias Dauid fideles, hoc est, immobiles & infallibiles.
Acti diceret. Nunquā recedēt à vobis misericordie certissimę
Iesu Christi, qui nomine Dauidis significatur. Significari au-
tē Christum per Dauidē indicat locus Ezechielis, apud quē
Deus pater. Suscitabo, inquit, super eas pastorem vnum, qui
pascet eas, seruū meū Dauid. Ipse pascet eas, & ipse erit eis in
pastorē. Qui locus de illo pastore intelligitur, qui apud Ioan-
nem, Ego, inquit, sum pastor bonus. Nam de Dauide nequa-
quam potest intelligi, qui multis retro annis è vita migraue-
rat. Vel sic: Quemadmodū promissū Dauidi, vt semen suū ma-
neret, & ex eo nasceretur Christus dices illi: De fructu venteris
tū ponam super sedem tuā, qui quidem Christus esset in ec-

clesia in æternum regnaturus, ita illud ð Ecclesia complebo-

Ece testem populis dedi eum.] Verba sunt Dei patris, qui ita mundū dilexit, vt filium suum vnigenitum daret illi in testificationem suæ erga homines charitatis. Quod poterat esse maius amoris signum, quàm dare nobis filium suum vnigenitum? Ita ait ipse Dei filius apud Ioannē: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suū vnigenitū daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Paulus Apostolus. Qui etiam, inquit, proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nō etiam cum illō omnia nobis donabit? Fuit Christi præsentia quædam epistola, quoddam chirographum, quo Deus suum erga homines amorem testificatur.

Ducem ac præceptorem gentibus.] Si Christus est noster dux, cur eius vexillum non sequimur, cur sub eius cruce non militamus? Si noster præceptor est, cur eius doctrinam relinquitur? Hic est dux ille, de quo loquitur Propheta Michæas, cuius verba Diuus Matthæus à principibus sacerdotum & scribis prolata in hunc modum scribit: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquā minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Et hic est præceptor ille, quē nobis Deus pater præcepit vt audiremus. Audita est enim in Christi transfiguratione vox patris cęlestis dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placui, ipsum audite: vt scribit D. Matthæus: & B. Petrus qui eum audiuit, in epistola sua secunda aperte testatur. Eum appellat Ioël doctorem iustitiæ, & Baruch eum adiuuuisse omnem viam disciplinæ affirmat.

Ece gentem quam nesciebas, vocabis.] Hoc est idolorum cultores, quorum actiones non approbas, vocabis ad fidem, qui venient, & seruient tibi. Id voluit Deus in psalmo significare dicens: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Querite Dominum, dum inueniri potest.] Hoc est dum estis in corpore, dum habetis tempus penitentiæ. Querite eum nō loco, quia vbique est, sed mente, & toto corde, si eū vultis inuenire. In libro Sapientię ita ait Scriptura: In simplicitate cordis querite Dominum, quia inuenitur ab his, qui non tētant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Et libro secundo Paralipomenon. Si quæsieritis, inquit eū inuenietis: si autem dereliqueritis eū, derelinquet vos. Et in psalmo. Querite Dominum, & viuet anima vestra. Est autem Deus

Yob. 3.

Rom. 8.

Mich. 5.

Matt. 2.

Mat. 17.

2. Pet. 1.

Ioel. 2.

Baruch. 2.

Psal. 17.

Sap. 1.

2. Par. 15.

Psal. 68.

Deus toto animo quærendus, quemadmodum ipse ait apud
 Ieremiam: Cùm quaesieritis me in toto corde vestro, inue- *Ierem. 29.*
 niar à vobis. Hinc colligitur ideo nos Deum non inuenire,
 quia quamuis eum quæramus, non tamen toto animo quæ-
 simus. Ideò dicebat Christus apud Ioannem: Quæretis me, *Ioan. 7.*
 & non inuenietis.

Derelinquat impius viam suam.] Dixerat: Quærite Domi-
 num dum inueniri potest, nunc docet quomodo quæren-
 dus est Deus: Fieri enim non potest, vt quis viam Dei per-
 curret, nisi viam suam ducentem ad perniciem derelin-
 quat. Duplex est via, altera iustorum, altera verò impiorum.
 Via iustorum est Christus, via verò impiorum mundus.
 Hanc iubet Deus, vt tanquam ducentem ad æternam dam-
 nationem derelinquamus, & vanas atque pestilentes cogita-
 tiones declinemus. Ait enim: Derelinquat impius viam suam, &
 vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & mi-
 seretur eius. Quasi dicat: Relinquit mundum, & conuertitur
 mini ad me, & ego miserebor vestri. O cæcitatem nostram de-
 plorandam, qui Deum pium & misericordem relinquimus, &
 mundum impium & crudelē sectamur, & amplectimur malum &
 relinquimus summum bonum. Mundus est Iahel, que Sisaram *Iudic. 4.*
 hospitio accepit, eumque blanditiis delinuit & lacte refecit,
 sed dormientem inmaniter occidit. Quid speras à mundo
 qui non dicam Sisaram, sed Dominum tuum Christum Deum
 nostrum tam crudeliter tractauit? Sed dices: Si mundum reli-
 quero, fortasse amittam substantiam: imò eam consequeris.
 Habebis Deum, qui est summum bonum, infinita atque sem-
 piterna substantia. Pro humanis diuitiis cælestes consequeris.
 Ioseph vt peccatum declinaret, reliquit pallium in manu Do- *Gen. 30.*
 minæ eum ad crimen nefarium inuitantis, & fugit, & egressus
 est foras. Tu etiam mundum fuge, egredere foras, melius est
 enim pallium amittere, quam Deum. Habebas anulum pro
 pretiosissima gemma adornatum, amisisti gemmam, nonne dabis
 pro ea facile anulum? Quis dubitat? Annulus est vita, gem-
 ma verò pretiosissima Christus. Amisisti Christum, da pro
 eo non solum substantiam, sed vitam, da anulum vilem, pro
 excellentissima gemma. Etsi anulum amittas, tamen diues
 manebis, si gemmam retinueris. Derelinque igitur mundum,
 & ad Dominum conuertere, & misericordiam consequeris.

Quoniam multus est ad ignoscendum.] Ita Ioël Propheeta.
 Conuertimini, inquit, ad Deum vestrum, quia benignus, & *Ioël. 2.*
 misericors est, patiens, & multæ misericordiae.

Non enim cogitationes mee, cogitationes vestrae, nec via vestrae viae meae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur caeli à terra, sic exaltata sum sicut viae meae à viis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber & nix de caelo, & illuc vltà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, & prosperabitur in his ad quae misi illud. Quia in letitia egrediemini, & in pace deducemini montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliuuncula ascendet & abies, pro vitiis crescet myrtus. Et erit Dominus nominatus in signum aeternum quod non auferetur.

Non enim cogitationes meae.] Derelinquite vestras cogitationes & vias, quia à meis longissimè distat. Vel sic: Exhortatus fuit impios, vt prauas conuetudines & cogitationes dereliquerent, & ad eum conuerterentur, quoniam ipse eos pie reciperet. Et ne miraretur quomodo Deus statim eos reciperet, qui ab eo recesserant, eumque grauius offenderant, cum inter homines longè aliter fiat, non esse mirandum inquit, cum cogitationes suae longè differant ab hominum cogitationibus.

Et quomodo descendit imber.] Sensus est: Nulla vos teneat dubitatio, audientes esse gentes meo verbo conuertendas. Nam verbum meum est veluti imber & nix. Quenadmodum enim pluuia descendit de aëre, & nō reuertitur inanis, sed irrigat terram, & germinare facit, sic praedicatione Evangelica, non erit inanis, sed terram, hoc est, homines rigabit, vt verborum virtutum fructus producant. Comparatur praedicatione Evangelica pluuie de nubibus egredienti. Nubes hae sunt Apostoli, & Apostolici cōcionatores, quos alio in loco Esaias nubibus volantibus cōparauit. In Deuteronomio ait Moyses, inō per ipsum Moysen Deus inōstet: Audi terra verba oris mei, Crescat in pluuia doctrina mea, sicut vt ros eloquium meum. Et Ecclesiasticus, Et ipse, inquit, tanquam imber mittet eloquia sapientiae suae.

Quia in letitia egrediemini.] Nempè de peccato, de morte, de tenebris, & de munda: Et in spiritali pace ad Christum deducemini. Et tam admirabili gaudio perfundemini, vt omnes & colles vobis congratulari, & coram vobis cantare videantur.

Pro saliuuncula ascendet abies, & pro vitiis crescet myrtus.]

Infru-

Infr. 60.

Deut. 32.

Ecc. 39.

Infructuosa planta vertentur in frugiferas, & peccatores fi-
ent iusti, pro iniquitate erit iustitia, pro temeritate fortitu-
do, pro stultitia prudētia, pro libidine tēperantia, pro idolo-
rum cultu, vera Dei religio. Matthæus ex publicano fiet A-
postolus & Euangelista. Magdalena ex peccatrice fiet sanctis-
sima, & amorem mundi in Christi amore conuertet. Pau-
lus ex Christianorum hoste & persecutore fiet admirabile
vas electionis. Et alij denique innumerabiles, vitiis relictis,
ad Christum conuertentur. Saliuncula arbor est inutilis &
sterilis. Vrtica herba est pungens satis nota. Abies est arbor
longissima, & vt Plinius ait, ad pondus in ædificiis sustinea-
dum aptissima. Myrtus planta est medicinalis, salutare bac-
cas producens, semper virens, odore excellenti fragrans, læ-
tificis pampinis suo tempore pubescens.

*Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non aufe-
retur.* Hoc est, Ob eam causam Deus magnis laudibus effe-
retur: Nominabunt eum homines, appellantes eum Deum
misericordem, quod ex impijs effecerit iustos, eūque hoc
nomine ac perpetuo monumento appellabunt.

Annotations ex Hebræo in

CAPVT LV.

Et feriam vobiscum pactum sempiternum. Pro pacto est in
Hebraico berith, pro quo Septuaginta habent testamētum.
Ita enim verterunt: Cōstituaui vobis testamētum æternū.
Quod quidem existimo esse de nouo testamento intelligen-
dum. Et illa verba, quæ sunt apud Ieremiam: Ecce dies veni-
ent, dicit dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda
fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum pa-
tribus vestris, vertit in hūc modum D. Paulus in epistola ad
Hebræos: Ecce dies venient dicit Dominus, & consummabo
super domum Israel, & super domum Iuda, testamētum no-
uum, nō secundum testamētum quod feci patribus eorum.
Vbi vides per fœdus & pactum, intelligi testamētum. Ex-
plicans autem propheta quod sit hoc testamētum, indicat
esse legem Dei in cordibus & visceribus scriptam, quam D.
Paulus in eadem epistola dicit esse Christi euangelium. Hoc
nouum testamētū appellat hoc in loco Esaias sempiternū,
quoniam lex vetus fuit antiquata & abrogata, nouum autē
testamētū est semper duraturum. Nam in legis veteris con-
secratione fuit sanguis pecudum mortuorum fusus: at Chri-
stus

stus Deus viuus nouam legem cōfirmaturus, calicem ostendit, in quo fuit proprius eius sanguis, pro hominum salute fundendus. Ideo in verbis consecrationis testamentum Christi nouum & æternum appellatur. Est igitur hoc pactum sempiternum Euangelium Christi suo sanguine confirmatum, quod appellatur hoc in loco verith, quod nomen significat fœdus, pactum, legem, & testamentum.

Pro saluincula ascendet abies. J In Hebraico est tachath hã natfuts iaalæh verox, Nomē hoc natfats, pro quo D. Hieronymus vertit saluinculam, quam dicit esse plantam vilem, amarā, odorifque pelsimi, significat etiā spinam quandā nascentem in deserto, vt ait R. D. Pagninus vertit spinam albam. Nomē verox, pro quo Diuus Hieronymus vertit abietem, significat etiā cupressum. Ionathas in trãslatione Chaldaica non verba sed sensum interpretãta ita vertit: Pro iniquitate erigetur iustitia. Eum secutus R. Salomō dicit: potestas auferetur ab impiis, & dabitur iustis. Verus autem sensus est hic: Ex infidelibus & iniustis multi ad Christum conuertentur, quos Deus fideles ac iustos efficiet. Nonnulli ex Iudæis verba capiunt vt iacent. Obcæcati enim obstinatione & perfidia tropos prophetarum, diuinæque scripturæ intellectum nequaquam percipiunt. Quorsum in aduentu Mesiæ quædam arbores erant in alias mutandæ? Non igitur hoc in loco Esaias de arboribus loquitur, sed de hominibus cum illis comparatis.

Argumentum Capitis LVI.

Prædicit Christum citò venturum, & interdum exhortatur Iudæos ad iudicium & iustitiam, & legis obseruationem, quæ erat vsque ad Christi duratura. Indicat apud Deum nõ esse personarum acceptionem, cum omnes tam gentes quàm Iudæos recipiat, eòsque in fide & charitate è vita migrantes ad cœlestem patriã perducatur. Inuehitur in pastores iniquos, qui falsi honoris specie decepti, in ignominia & scelere volutantur.

CAPVT LVI.

Sap. 11.



Hec dicit Dominus Deus: Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat
omne

omne malum . Et non dicat filius aduenæ , qui adheret Domino , di-
cens : Separatione diuidet me Dominus à populo suo . Et nõ dicat eru-
nicus : Ecce ego lignum aridum . Quia hæc dicit Dominus erunicis :
Qui custodierint sabbata mea , & elegerint quæ ego volui , & tenuerint
sedus meum : dabo eis in domo mea , & in muris meis locus , &
nomen melius à filiis & filiabus : nomen sempiternum dabo eis quod
non peribit . Et filios aduenæ qui adherent Domino , vt colant eũ , &
diligant nomen eius , vt sint ei in seruos : omnẽ custodientiẽ sabbatum
ne polluat illud , & tenentiẽ sedus meum , adducam eos in môtẽ san-
ctum meum , & letificabo eos in domo orationis meæ : holocausta cor-
rũ & victimæ eorũ placebunt mihi super altari meo , quia domus meæ
domus orationis vocabitur cunctis populis . ait Dominus Deus , qui cõ-
gregat dispersos Israël , Abuc congregabo ad eum congregatos eius .

EXPLANATIO.

Hæc dicit Dominus : custodite iudicium .] Dixerat Propheta
in fine capituli præcedentis fore , vt in Christi aduẽtu pro salu-
uncula ascenderet abies , & pro virtute cresceret myrtus , hoc
est , infideles & impios conuertendos ad fidem , & pietatem
ac veram religionem culturos . Et multa in toto capite præ-
dixit de aduẽtu Christi . Nũc alloquitur homines sui tẽporis
vt sperent Christum venturum , & interea custodiãt iudiciũ ,
& factant iustitiam . Tunc iudiciũ custodimus , cũ nos pec-
catores iudicamus , & iustitiam , quando in virtutis actio-
nes incumbimus . Vel custodire iudicium est rem deliberare ,
facere autem iustitiam , est honestum atque rectum eligere &
exercere . Non enim sat est deliberare , nam sæpe pugnare vi-
dentur inter sese virtus & vitium , & cũ vitium apparentẽ
vilitatem & voluptatẽ præ se ferat , vult hominem ad se ra-
pere : contra verò virtus sua pulchritudine vult hominem tra-
here ad veram honestatem , & ad verum decus reuocare . Ex
quo efficitur , vt distrahatur in deliberando animus , afferatq;
incipitem curam cogitandi . Et tunc necessarium est , vt ratio
eligat , voluntas rationi assentiatur , homo honestatem ample-
ctatur , & in virtutis actiones studium cõferat , & operã . Ita-
que non sat est deliberare & iudicare quid sit melius & ho-
nestius , sed necessarium est , illud & melius & honestius elige-
re , & exercere . Id intelligens Dauid dicebat in psalmo : Deus Psal. 71.
iudicium tuũ regi da , & iustitiã tuam filio regis . Nõ solum à
Deo iudicium ad deliberandum petit , sed iustitiam ad iusta
exercendum .

Custodiens sabbatum .] Exhortatur ad legis obseruantiam ,
quan-

quandiu esset duratura. Per sabbati obseruationem intellige nō solum illius diei quietem, sed etiā diuinum cultum & religionem. Hæc autem sabbati sanctificatio moralis est, quantum attinet ad cessationem laborum, & cultum diuinum, sed erat ceremonialis quantum ad temporis determinationem. Iudeis fuit constitutus dies septimus ob opus creationis, quoniā in eo Deus requieuit; nullus enim dies dignior præcesserat. Nos autem obseruamus diem octauū ob resurrectionis mysterium. Creauit Deus mundum in principio, & septima die requieuit ab vniuerso opere, quod parauerat: compleuit enim die septimo opus, quod fecerat, & præcepit vt hic dies septimus sanctificaretur. Sed corrupto mundo, fecit Deus aliter mundum, mortuus est pro peccatoribus, genuit nos suo sanguine, & octaua die requieuit, & resurrexit, & compleuit opus suum, & ideo hic dies merito obseruatur, vt enim obseruabatur in lege veteri dies in quo Deus compleuit creationem, sic in noua lege obseruatur dies in quo ipse deus compleuit redemptionem. Mutauit igitur Ecclesia Spiritu sancto gubernata præceptum de sabbati obseruatione, quatenus erat ceremoniale: sed quatenus est morale integrum reliquit.

Et non dicat filius aduenæ.] Consolatur iis verbis Propheta eos, qui ex gentibus ad Iudeos veniebant, qui profelyti dicuntur, ne timore debilitati disiderēt, quod non essent ex semine Abrahami, se esse salutem consecuturos. Nam quicumque fide & charitate munitus perseverauerit vsque ad finem, saluus erit. Vt enim verbis vtar Diui Pauli in epistola ad Romanos, non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Eodem modo consolatur eunuchos existimantes se esse maledicto legis obnoxios dicentis in Deuteronomio. Non erit apud te sterilibus vtriusque sexus. Ostendit propheta tam posse beatitudinem consequi eunuchos quam viros. Imò eunuchus reginæ Cædæcis, cuius meminit Lucas in Actis, vir eo in loco appellatur. Qui cum in via otiosus non esset, & legens Esaiam eum nō intelligeret, inuenit Philippum, qui ei aperuit locum, & ostendit Christum, qui in litera clausus occultabatur.

Ece ego lignum aridum.] Id est, impotens ad generandum. *Et nomen melius à filiis & filiabus.]* Hoc est, Dabo eis melius nomen quam id, quo gloriabantur Iudæi, qui legem meam nō custodiētes, & Abrahami opera nō sectantes, filij Abrahami vocantur. Hoc ideo ait Deus, quia quicumque Christum receperunt,

Gen. 1.

Rom. 10.

Deut. 7.

Act. 8.

Perunt, dedit eis potestatem, vt ait Diuus Iohannes, filios Dei fieri. Et in prima sua epistola ait idem Iohannes: videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Hoc est nomen de quo Deus hic loquitur. Et vide quæ admodum Diuinus propheta à lege se transferat ad euangelium, & à profelytis ad eos, quos spiritu videbat esse Christum recepturos, & ob id filios Dei vocandos. Quis enim non videt esse multo illustrius & præstantius filios Dei quàm filios Abrahami appellari.

Nomen semper æternum dabo eis, quod non peribit.] Hoc est, appellabo eos Christianos. Quod nomen nullo vnquam hominum interitu obruetur, nulla posteritatis obliuione obscurabitur. Vel capitur hic nomen pro gloria, & ornamento virtutis, in luce & hominum celebritate constituto, de quo in Prouerbis Salomon, Melius inquit, est nomen bonum quàm diuitiæ multæ. De illustrium & iustorum nomine ait Ecclesiasticus: Bonum nomen permanebit in æuum. De impiorum

contrà, nomen, inquit, impiorum delebitur. Et in Prouerbis ait Salomon: Nomen impiorum putrescet. Promittit hic Deus suis daturum illis præclaram famam, de qua nulla quidem æras conticescat, cui nulla hominum obliuio sit finem allatura. Est enim in gloriæ promissione magna vis ad homines amore pietatis inflammandos. Velim tamen existimes, me non de illa gloria loqui, quæ est falsa & inanis, & in populi temeritate constituta, sed de ea, quæ in virtute consistit, estque ipsius, virtutis ornamentum & decus, qua viri pietate præstantes, etiam mouentur ad gratias Deo agendas, eiusque laudes cœlesti quadam harmonia decantandas. Ex quo colligitur eos in errore versari qui gloriam damnant, inanis, atque furiosæ, & falsæ gloriæ vitia ad veram gloriam transferentes. Vt enim si quis tenens manu ligneam spheram, eius fragilitatem colligens, & in veram ad cœlestem spheram cõferens, vellet ostendere cœlos esse ligneos, caducos, paruos, palpabiles, nullos æquabiles motus constantè seruantes, grauius eraret, sic qui inanis gloriæ imperitiæ multitudinis errorem captantis laudemque populi vanè appetentis, flagitia conuulsus, & gloriæ tribuens, vellet gloriam maculare, asserens eam esse leuem, inanem, turbulentam, ambitiosam, & vitiorum laudatricem, in errore grauissimo versaretur. Inanis enim & falsa gloria tantum abest à gloria quàm sphaera quædam lignea ab sphaera cœlesti, & sidera picta ab illis admirabilibus stellis, quæ excellenti pulchritudine ornatæ inmutabili constantia ce-

lerita-

Ioh. 1.

1. Ioh. 3.

Pro. 22.

Ecc. 41.

Pro. 10.

Simile.

lertatēque mirabili circulos suos orbēque cōficiunt, quārum decorem & claritatem admiramur. Quā de re grauitē & elegāter disseruit in suis dialogis de gloria Osorius ille Luſita, alter Xenophō inter Græcos, cuius voce Musas quasi locutas ferūt, alter Cicero inter Latinos, qui nō solū eloquētes suę grātis, sed antiquitatis etiā memoriā eloquētia superauit.

Adducam eos in montem sanctum meum.] Id est, in Sionem, Hierosolymā. Poteris per montem Christum intelligere, quem Elaias secundo capite, & Michæas quarto montem appellat. At ego existimo per montem intelligi ecclesiam, quam statim domum orationis appellat. Vocatur autem ecclesia mons ob fidei, doctrinæ, altissimorumque mysteriorum celsitudinem.

Supr. 2.
Mich. 4.

Holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi.] Iudæi pecora Deo immolabant, Christiani verō seiplos, vt spirituales hostias offerunt, de quibus existimo esse in primis hunc locum intelligendum.

Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.] Hunc locum citauit Christus, vt Euāgelistæ testantur. Cū enim intrasset templum, & eiecisset ementes & vendentes in eo, & mensas nummulariorum cathedrāsque vendentium euerteret, dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Qui locus etsi de illo templo intelligitur, tamen ad ecclesiam catholicam refertur, cuius templum illud imaginem gerbat. Et aduerte. Non dixit: Domus mea domus hircorum & vitulorum est, sed domus orationis. Nec dixit solū Iudæis, sed cunctis populis, nō in vno Hierosolymę loco, sed in toto terrarū orbe collocatis. In ecclesia catholica sunt veræ preces, nam extra eam sunt hæreses, & blasphemix, non autem veræ præcationes. Vide quid dicat Deus: Domus mea domus orationis vocabitur. Oratio hæreticorum nō est oratio dicenda. Comparat Dionysius orationem catenæ aureæ de cælo vsque ad terram demissæ, quā si quis apprehendat, vt ascendat per illam, iis videretur catenam ad se trahere, sed ipsa potius eum ad cælum vehit. Cū autem hæretici ad Cæli nullo modo vehantur, sed ad imas ac cæcas tenebras præcipituntur, clarissimè colligitur eos esse non solūm fide & gratia, sed etiam vera oratione defuitos. Et perpende quanta modestia & obseruantia in templo requiratur, ex quo Deus ementes & vendentes eiecit, eos latrones appellans. De Simeone scribit

Simile.

scribit ita D. Lucas. Responsum acceperat ab Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Luc. 24
 Et venit in spiritu in templū. Si in spiritu iremus ad templū, effemus veluti Simeon diuina consolatione resecti. Cum igitur templū fuerimus ingressi omnes mundi curas & cogitationes ante ostiū relinquamus, ne nos Deus à tēplo reiciat. Considera obsecro. Si illa puritas requirebatur in tēplo, vbi hirci & arietes immolabātur, quid tibi videretur debere esse in templo, vbi ipse Christus verus Deus est hostia & sacrificiū, & in sacramento eucharistię realiter continetur? Si Deus hodie omnes ementes & vendentes & mundi negotiatores ex templo eiiceret, heu quā pauci in templo remanerent.

Qui congregat dispersos Israël.] Officiū Dei est congregare, vt alias annotauimus.

Adhuc congregabo ad eum congregatos eius.] Hoc est, Non solum congregabo Israēlem, sed etiā ad eum, id est præter eum congregabo gentes, quæ sunt cum eo coniungenda. Quasi dicat: Erit ecclesia mea non solum ex Iudæis, sed etiā ex gentibus congregata.

Omnes bestię agri venite ad deuorandum, vniuersa bestię salus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti nō valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores, ignora- uerunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinauerunt, vnus- quisque ad auaritiā suā à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & Sap. 2. eras, & multo amplius.

Omnes bestię agri venite ad deuorandum.] Dixerat multos ex gentibus & Iudæis esse in ecclesia congregandos. Sed quoniā spiritu vidit ignauiam, amentiam, & impietatem multorum præsulū qui futuri erāt, inuehitur in eos, vocans omnes feras nemorum & saltuum ad eos deuorandos. Vide sanctam iram Prophetæ, non ab odio, sed à charitate productam. Nō in homines excādescit, quatenus homines, sed quatenus sunt scelerati, & non solum corrupti, sed etiā aliorum corruptores. Videbat enim, quæ mala ex præsulū deprauatione proueniant. Fortasse iis verbis vaticinatur de Iudæorum excidio & vastitate per Romanos infideles quos bestiarum nomine intelligit. Eri hoc ita est, tūc ea verba præcedētia: Adhuc cōgregabo ad eum congregatos eius, possunt habere hunc sensum: congregabo contra eum, nimirum contra populum Iudaicum, Romanos, qui congregati Hierosolymam euertant, & du-

& durum ac pertinacem populum incredibilibus afflictionibus & calamitatibus vsque adeo opprimant, vt eius nomini interitum moliri videantur.

Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.] Inuehitur in præfules ignorantes & cæcos, quorum est videre, & tanquã ex specula longè prospicere, & prouidere. Ideo speculatores multis in locis appellantur. Sed si speculator fit cæcus, dux claudus, præco mutus, quis non videt magnam inde oriri perniciem & confusionem? Sed hac de re aliis in locis satis differuimus.

Canes muti non valentes latrare.] Hi quibus regendi gregem Domini cura committitur, debent latrare, & lupos abigere, arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia & doctrina. Videant Dominum apud Ezechielem in hunc modum loquentem: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicere me ad impium. Morte morieris: non annuntiaueris ei, nec locutus fueris vt auerteret à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Videant hæc pastores, & contremiscant. De bent quidem plura ora habere quàm ea quæ fingunt habuisse Hydrã: & pluribus oculis videre illis, quibus antiqui Argum abundasse fictis fabulis prodiderunt Eusebius in libro de præparatione Euangelica refert Diodorum Siculum dicentem. Solem fuisse ab Aegyptiis vocatum Osirim, hoc est, multos oculos habentem, cui princeps siue præsul comparatur.

Videntes vana, dormientes, & amantes somnia.] Per somnia rerum humanarum gloriam inanem, & somnio similem intelligit. Reprehedit præfules vanitati deditos, qui suas dignitates non ad populi utilitatem referunt, sed ad suam vanitatẽ & arrogantiam. Vt illis, vt illis, quoniam dignitates ad suam propriam perniciem quæsierunt. Vt enim vermiculus sericarius admirabili labore & industria conficit sericũ, & nesciens construit casulã, in qua constructa commoritur, & suum proprium sepulchrum condit, sic qui dominandi cupiditate & ambitione inflammati falsos honores, & inanẽ mundi gloriam variis modis & artificiis quarunt, & ad muniendam viam ad eas dignitates tetra scelera moluntur, sibi ipsis nescientes infamem æternamque perniciem machinantur.

Nescierunt saturitatem.] Hoc est, ob inexplebilem voracitatem nunquam saturantur.

Omnes

Eze. 2.

Similo.

Omnes in viam suam declinauerunt.] Non Dei viam quaesierunt, sed suam.

Vnusquisque ad auaritiam suam è summo vsque ad nouissimum.] Ira Ieremias, A minore quippe, inquit, vsque ad maiorem omnes auaritiæ studet. Parui & angusti animi est amare diuitias, & auaritia torqueti. Et ramen videbis multos pecuniæ seruos. Nihil nominant nisi pecuniam, semper in ore pecuniam habentes. Sūt similes pisci illi habenti staterem, in ore, quem D. Petrus assumpsit. De quo loquitur D. Matth. capite 17. Vtinam veniat aliquis D. Petrus, qui ex eorum ore & corde pecuniam auferat.

Sumanus vinum & impleamur ebrietate.] Verba sunt maiorū præsulum, quorū Deus venter est: qui præsentibus voluptatibus nō satiati parāt futuras multo maiores præsentibus. Hi populū ad comotationes non ad cōciones inuitāt.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LVI.

Dabo eis in domo mea & in muris meis locum.] Potest etiam verti: Dabo eis in domo mea & in arcibus meis consiliū siue virtutem. Ecclesiam catholicam appellat domum & arcem suam, aduersus quam portæ inferi nullis vnquam hæreticis machinis poterunt præualere. Pro loco est in Hebraico iadh, quod nomen locum significat, & consilium, & virtutem, seu potentiam. Solum illi, qui in ecclesia continentur, habent consilium, & virtutē, & ex consequenti omnes hæretici sunt his rebus destituti. Nō est enim consilium contra Dominum, vt in Prouerbijs Salomon. Nec est virtus iis, qui se libenter & ignauè hostibus tradunt. Significat etiam hoc nomen propriè manuum. Ideo potest hic locus ita verti. Ego habitantibus in domo mea & in turribus meis porrigam manū. Hac ratione adductus vertit interpres Latinus 2. Regum cap. 18. Et appellatur manus Absolon vsque ad hanc diem: Quod potest rectissime verti: Et appellatur locus Abialon vsque ad hanc diem, iadh, enim locum significat.

Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.] Septuaginta habent: Animæ ignorauerunt saturitatem. Ac si dicerent. Querunt corporis voluptates, quibus fatiet voluptatem suam, animæ verò refectionem & saturitatem non curant.

Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam.] In hebraico est in hunc modum. vehemmah roim lo iadheh hauin. Potest totum hoc ita verti. Et ipsi pascunt, nempe seipfos, & nesciunt-

intelli-

intelligentiam. Ac si dicat propheta: Ipsi illecebris & blanditiis seipfos deliniunt, suum corpus accuratè splendide curantes, ea autem, quæ ad populi gubernationem atinent, penitus ignorant. Septuaginta verterunt, Et sunt mali nescientes intelligentiam. Vbi nostra versio habet: Ipsi pastores, habent illi: Et sunt mali. Dicitio enim Hebraica roim, quæ quatuor literis scribitur, potest esse à verbo roach, quod significat malum esse, quam rationem Septuaginta fuerunt secuti, & potest esse à verbo raach, quod significat pascere. Et hanc significationem secutus est noster interpres.

Argumentum capituli L VII.

Queritur Propheta tãtam esse hominum obliuionem, vt ea, quæ ante oculos habent, nõ considerent. Reprehendit eos, qui viros virtutum ornamentis excultos irrident, eorumque nomen & decus ab excellenti virtutis præstantia productum maculare conantur. Inuehitur in Iudæos, qui vero Deo relicto falsos atque commentitios Deos coluerunt, seque turpissimis superstitionibus contaminarunt. Offendit Dei pietatè erga homines, & hominũ erga Deum impietatem.

CAPVT LVII.



Letus perit, & nõ est qui recogitet in corde suo: & viri misericordie colliguntur, quia non est qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus est iustus. Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua. Vos autem accedite huc filii auguratrici, semen adulteri & fornicariæ. Super quem iussistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax? Qui consolamini in Diis subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras? In partibus torrentis pars tua, hæc est fors tua, & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Nunquid super his non indignabor? Super montem excelsum & sublimen posuisti cubile tuum & illuc ascendisti, vt immolares bestias. Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti eum eis fœdus, & dilexisti stratum eorum manu aperta. Et ornastis te regio ynguento, & multiplicastis pigmenta tua. Misisti legatos

suos procul, & humiliata es vsque ad inferos. In multitudine vi-
tue laborasti; non dixisti: Quiescam, vitam manus tue inuenisti,
propterea non rogasti. Pro quo sollicita timuisti? Quia mentia es, &
mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, &
quasi non videns, & mei obliuata es.

EXPLANATIO.

Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo] Hoc est, Mo-
riuntur viri iusti, & nemo est qui consideret, quare morian-
tur boni manentibus malis. Tolluntur è medio viri miseri-
cordia & pietate prestantes, & tanta est hominum cecitas &
obliuio, vt nemo hoc perpendat, & in animo verset, Querit-
ur propheta quare regnantibus impiis, quos in fine superio-
ris capitis speculatores cæcos, & mutos, deditos ventri &
somno appellauit, & decedentibus è vita viris piis, & maxi-
marum virtutum gloria cumulatis, nemo aduertat, & huius
rei causam inquiret.

Viri misericordie colliguntur.] Hoc est, viri misericordes mó-
riuntur, mortui enim ad patres defunctos congregantur. Ex-
istimant nonnulli Esaiam hoc dixisse ob multos viros insigni
pietate & iustitia, quos rex Manafes impius & tyrannus oc-
cidit, qui eos, quos ne verbo quidem vulnerare deberet, ferro
trucidabat. Hic nostrum Esaiam serra interfecit, vt antiqui
memoriæ prodiderunt, de quo aiunt intelligi illud Pauli ad
Hebræos sanctorum tormenta scribentis: Secti sunt, pro quo
quidam vertunt, Serrati sunt. Accipi autem colligi pro mo-
ri est in diuinis literis vsitatissimum.

Hebr. ii.

A facie malitiæ collectus est iustus.] Reddit causam, quare
moriatur iustus manentibus impiis, quippè ne videat tutu-
ram vtrionem, moritur enim & discedit à facie malitiæ,
hoc est, à præsentia supplicij imminenti. Volens Deus euer-
tere aliquod regnum aut ciuitatē, tollit prius è medio iustos,
quorum præcibus & virtutibus terra illa sustentabatur. Ex
Sodoma segregauit Loth, vt Sodomitas incendio consume-
ret: Noe ex hominum familiaritate, vt mundum aquarum
diluuiio obrueret: Hebræos ex Aegypto, vt Aegyptios in ma-
ri subuerteret. Ex quo colliges esse Deū iratum regno, à quo
aufert viros sapientes, iustitia exultos, omniâque virtu-
tum pulchritudine adornatos. Volens Deus euertere Hiero-
solyman ob Iudæorum scelera, prius voluit vt Iosias pius &
iustus rex ex hac vita migraret. Et enumeratis pijs regis virtu-
tibus ait illi, vt in quarto libro Regum diuine literę comme-
morant,

4. Reg. 22.

morant. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum. Fuit mors Iosie signum vltionis, quã Deus de Iuda voluit sumere. Qui enim fieri posset, vt ædificiũ permaneret, si eius columna aufereretur? Erat quippè iustus rex columna, cui regnũ innixũ seipsum sustentabat. Vt igitur Deus puniat mundũ, tollit de medio eius viros præcellentes, virtutũque diuitis abundantes, quibus, vt ait Apostolus, dignus nõ est mundus. Aspice obsecro, quanto honore habendus & suscipiendus sit vir bonus. Naaman Syrus asportauit secum ex Samaria terram, in qua sanctus Elifcus habitabat. Existimauit enim etiã vtilem esse & dignam honore terram, vbi vir sanctus pedes figebat. Ar mundus iustos, quorum beneficio sustentatur, attingit, & odio prosequitur, & è sua familiaritate longius pellit. Ideò Christus deus noster dicebat Apostolis suis: Absque synagogis faciẽt vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium præstare se Deo. O mundi cæcitatem & malitiam. Potest etiam hoc ita intelligi. Colligitur iustus à facie malitiæ, hoc est, ne videat iniquorum scelera, eaq; imitans pereat cum illis. Ira enim de iusto in libro Sapientiæ scriptũ legimus: Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fectio deciperet animam illius. Vbi aspicias iustorum mortem esse Dei beneficium in illos collatum.

Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua.] Hoc est, veniat mors, vt iustus requiescat, & ad pacem tandem perueniat æternam. Mortem iustorum vocat pacẽ, quoniam à mundi pugna liberati cœlestem pacẽ consequuntur. O præclarum illum diem, cum viri sancti ex hac turba & colluione discedunt, & ad illas beatissimas cœlitum sedes proficiscuntur, sempiternam gloriam consecuturi.

Vos autem accedite huc filii auguratricis.] Iudæos appellat filios auguratricis, hoc est, Iudææ, vbi pro diuino cultu regnabat beneficium, & augurium, & idololatria. Suprà de Iudæis loquens dixerat: Augures habuerunt vt Philistiim.

Semen adulteri & fornicaria.] Adulterum vocat populum Iudæicum antiquum patrem Iudæorum, qui tunc existerat, quoniam Deo relicto idola coluit. Et fornicariam Hierosolymam, quam eadem ratione appellauit meretricem, dicẽs præmo capite: Quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis?

Heb. 11.

4. Reg. 22.

Iohan. 16.

Sap. 4.

Supr. 2.

Supr. 1.

Super

Super quem iustificasti. Id est, Quare prophetas irrisistis? Hoc ideo ait, quia impij Iudæi prophetas eorum scelera redarguentes illudebant, & maledictis vulnerabāt. Ideo sequitur: Super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Omnia hæc à principio capitis vsque ad hunc locū possunt referri ad Christi mortem. Ille enim est iustus ille, qui pro nobis mortuus est, de quo dixit in principio: Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Nolunt enim Iudæi considerare & intelligere, se ob Christi cædem esse afflictos & ærumnolos, & per totum mundum dispersos. Hi sunt qui eundem Christū iriserunt & blasphemarunt. Quā ob causam Esaias ait: Super quem iustificasti, super quē dilatastis os, & eiecistis linguam.

Nunquid non vos filii scelesti? Cum sitis scelerum maculis norati, cur viros sanctos verbis & maledictis laceratis? Docet hic locus omni vitio carete debere eum, qui in alios paratus est dicere.

Semen mendax. Ducebant Iudæi originem ab Abrahamo, sed eius opera imitari nolebant, ideo eos appellat semen mendax, hoc est, degeneres, sui progenitoris vestigia nequam sequentes.

Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum. Id est, qui in memoribus idola colitis, vbi eorum fædo amore delectamini.

Immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras. In tantam cæcitatem inciderunt Iudæi, vt Deum dereliquerent, & idola colerent, & in eorum honorem suos proprios filios occiderent. Adorabant lapides eminentes in torrentibus constitutos, & ad pedes lapidum filios suos immolabāt. Si latè videre volueris idololatrias & abominationes Iudeorum, lege caput 16. & 17. libri quarti Regum, & caput 18. libri secundi Paralipomenon, & psalmum 105 cuius hæc sunt verba: Immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem.

Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum. Ponebant Iudæi idolum suum post fores domorum, vt egredientes & ingredientiæ illud salutarerent, & memoria tenerent. Simulachrum dæmonis appellabant memoriale suum.

Dilatasti cubile tuum. Hoc est, multa idola coluisti.

Misisti legatos tuos procul. Nempè ad reges idolorum cultores, ad quos Deo tuo contempto confugisti, & te illis subiecisti, & à tuæ antiquæ dignitatis gradu præcipitasti. Illud, humiliata es vsque ad inferos, potest habere hunc sensum:

XX a Quoniam

Quoniam Deum dereliquisti, & ad gentes superstitionibus deditas obedientiam misisti, ad ima tartara & æternos cruciatus descendes.

In multitudine viæ tuæ laborasti. Non dixisti quiescam. Iustitiam ad regem Assyriorum cum muneribus, & longitudine itineris fatigatus es, sed tanto desiderio tenebaris accedendi ad regem, ut nolles in via requiescere. Non enim dixisti: *Quiescã.* Vel sic. In multitudine viæ tuæ, hoc est, in varietate & multitudine tuorum scelerum laborasti, sed à tuis deprauatis moribus noluisti desistere. Nihil molestius quàm admittere peccata. Ideo scriptura in libro Sapientiæ facit impios in hunc modum loquentes: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Et Ieremias, Ut iniquè inquit, agerent, laborauerunt.*

Sap. 5.

Ierem. 9.

Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Id est, inuenisti vitam, quã desiderabas, idèo nullas ad me preces fudisti. Inuenisti vitam ita tuæ voluntati aptam, ac si tu eam tibi tuis manibus fecisses. Et ob eam causam ad me supplex accedere noluisti. Aspicias quãtum nobis noceat prosperitas, cum nos Dei oblitus efficiat. Contrã verò afflictio nobis Deum ad memoriam reuocat. Cum Dauid maximis calamitatibus premeretur, in media rerũ aduersarũ acerbitate has voces emisit. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Psal. 88.

Pro quo sollicita timuisti? Quasi dicat, neminem. Vel sic: *Tu ne sollicita timuisti me?* Quasi dicat, non quidem. Et reddens huius rei causam, ait: *Quia mentita es, hoc est, quoniam à me defecisti & quia excidit ex animo tuo memoria mei, & quia ego tacebam, & ac si scelera tua non vidissem dissimulabam.* Vide flagitiosorum hominum deprauationem, Deus nõ statim eos puniebat, sed ob misericordiã suam eorũ vitia dissimulabat, at illi hac diuina misericordia abutẽtes, Deum non timebant. Ut enim æger intemperanter abutens salutari potione, conuertit eam in perniciem, sic impij diuinam misericordiam contemnentes, spem impunitatis in illecebram grauius delinquendi conuertunt. Sed dices: Cur igitur Deus tanta patientia & longanimitate vtitur erga peccatores, si nonnulli ex illis inde sumunt occasionem retriora facinora committendi? Dicam: Deus vtitur hac benignitate, ut peccatores ad penitentiam adducat, & multi gratiam ad gloriam consequuntur. Sin autẽ nonnulli inde volunt sui excidii sumere occasionem, nulla est Deo culpa tribuenda, qui vtitur misericordia, ut omnes vitam consequantur. Si tu in quo:
dama

Simile.

dam periculoso fluuio, validum & excellentem pontem *Simile,*
 construeres, quo omnes possent securè transire, quis tibi vi-
 tio tribueret, si nonnulli se ex illo præcipitarent? Sic diuina
 misericordia pons est firmus & admirabilis, quo ex hac vita
 ad aliam transimus, nec est in Deum culpa reicienda, si non-
 nulli illa malè abutantur. Hos reprehendit in epistola ad Ro-
 manos his verbis D. Paulus: Ignoras quoniam benignitas
 ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuâ *Rom. 2.*
 & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ, &
 reuelationis iusti iudicij Dei.

Ego annuntiabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt ti-
 bi. Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet
 ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit
 terram, & possidebit montem sanctum meum. Et dicam. Viam fa-
 cite, præbete iter, declinate de semita, auferite offendicula de via po-
 puli mei. Quia hæc dicit excelsus, & sublimis habitans æternitatem,
 & sanctum nomen eius in excelsis, & in sancto habitans, & cum cõ-
 trito & humili spiritu: vi uiuificet spiritum humilium, & uiuificet
 cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, nec vsque ad
 finem irascar, quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego fa-
 ciam. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum,
 abscondi à te faciem meam & indignatus sum: & abiit vagus in via
 cordis sui. Vias eius vidi, & sanauit eum, & reduxi eum, & reddidi
 consolationes ipsi & lugentibus eius. Creauit fructum labiorum pacis,
 pacem ei qui longè est, & qui propè: dixit Dominus & sanauit eum.
 Impii autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & re-
 duudans fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax im- *Sap. 48.*
 piis dicit Dominus.

Ego annuntiabo iustitiam tuam.] Scelera synagogæ, iustitiam
 appellat ironicè.

Cùm clamaueris liberent te congregati tui.] Hoc est, milites,
 quos ex gentibus congregasti. Quasi dicat: Quoniam homi-
 nibus fidis, me autem contemnis, ipsi te in afflictionibus cla-
 mantem eripiant, quoniam ego te non sum liberaturus. Ita
 per Ieremiam cap. 2. Vbi sunt, inquit Deus, dii tui, quos fecisti
 tibi Surgant & liberent te in die afflictionis tuæ.

Et omnes eos auferet ventus, & tollet aura.] Hi in quibus
 spem tuæ salutis collocas, non solam te, sed nec seipso po-
 terunt liberare, omnes enim velut fauilla à vento rapiuntur.
 Vide quemadmodum Deus homines velit excitare vt ad se-
 ipsam, non ad homines confugiant.

Hereditabit terram.] Nempè, promissionis.

XX 3

Possidebit

Posidebit montem sanctum meum.] Hoc est, Sionem, Potestatis per terram & montem Dei cælum intelligere.

Et dicam: viam facite, præbete iter, &c.] Hoc est, honorificè & amantissimè eos ad patriam suam reducam.

In excelsis & in sancto habitans.] Hoc est, cum contrito & humili spiritu. Explicans enim quis sit excelsus & sanctus tuba dicit: Et cum contrito & humili spiritu. Aspicias hic virum humilem & abiectum esse magnum & excelsum. Ille magnus est qui se paruum facit: contra verò qui se eleuat, infirmus est & abiectissimus. Vera celsitudo inanis celsitudinis contèptu & iactura comparatur, inanisque celsitudinis auiditate amittitur. Ille nanque est magnus, qui magna intuetur, ad eaque ardentè aspirant, & ideo se parui facit, quia se cum magnis, quæ suspicit confert, magnum enim & paruum sine comparatione intelligi non possunt. At superbus se ideo magni facit, quia se cum paruis, quæ intuetur, comparat. Ex quibus colligitur superbum esse pusillanimum: quoniam in paruis semper versatur, humilè verò magnanimum, qui sibi res magnas & arduas semper proponit. Qui, n. fieri potest, vt magnanimus non sit ille, qui cælestem illam ac gloriosam ciuitatem intuetur, in eaq. in terra adhuc positus iam versatur? Ita enim quidam humilis dicebat. Conuersatio nostra in cælis est. Imò ipse humilis in diuinis literis cælum appellatur. Ait enim Deus per Esaiam. Cælum mihi sedes est. Et paulò post explicans quid esset hoc cælum, Ad quem autè, inquit, respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos.

Non enim in sempiternum litigabo, nec vsque ad finem irascor.] Sèsus est: Ego, inquit Deus, irascor, & hominibus succenseo, non quòd hoc sit proprium meum opus, nec vt animas perdam, quas creauì. Sed cum homines studeant auaritiæ, & me ipsum contemnunt, irascor illis, vt relictis vitis ad me conuertantur. Illis autem conuersis & verum iter sequentibus non irascor, nec litem intendo.

Quia spiritus à facie mea egredietur, & stans ego faciam.] Id est, Quia à me creantur spiritus & animæ, & ego eas facio. Vel sic Non semper irascor populo meo, nam à me exhibit fauor, & ego eos prosperè faciam nauigare. Et ita spiritus capitur pro vento, quemadmodum & stans, Metaphora sumpta à nauigantibus, qui flantem ventum semper appetunt. Quasi dicat: Etsi populus meus aliquando reflantibus vètis nauiget, ego tamen ei dabo prosperum ventum, vt expansis velis,

Phillip. 3.
Infr. 66.

velis, omnibusque ad voluntatem fluentibus, ad portum feliciter vehatur.

Propter iniquitatē auaritię eius iratus sum.] Vide Dei misericordiam, ideo nobis irascitur, vt seruet. In media ira vitur misericordia. Ita ait ipse in Psalmo: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Et in alio psalmo ait David: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinventiones eorum. Vbi vides Deum tunc nobis esse propitium, cum de nostris inuentionibus contra eum admissis vltionem sumit. Punit igitur nos, vt nostri miseretur, est enim misericordia opus suum. Vnde id quod dicitur in psalmo: Respice in seruos tuos, & in opera tua: potest verti ex Hebręo, Appareat apud seruos tuos opus tuum. Quasi dicat, Misere re seruorum tuorum. Opus enim Dei est eius misericordia. Ita hęc locum vertit ex Hebręo D. Hieronymus. Esse autem misericordiam proprium Dei opus latę explicui mus capite 28.

Abscondi à te faciem meam.] Nempę, vt à me desiderares, & diceres, Ostende faciem tuam, & salui erimus. Psal. 79.

Et abiit vagus in via cordis sui.] Hoc est, in via sui appetitus. Quasi dicat: Ego populum meum vnire & coadunare volebam, & per viam meam adducere, ille autem vagus & errans viam suę voluntatis elegit, meam autę dereliquit. Caino dixit Deus: Vagus & profugus eris super terram. Ex peccato procedit vagatio & incōstantia. Ideo Ieremias in Threnis, Peccatum, inquit, peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Quandiu anima est cum Deo coniuncta, est firma & constans, quoniam Deus cui adhæret, non mutatur. Ait enim: Ego Deus & non mutor. Si vis firmus esse & immobilis, adhære Deo. Sed si ab eo recesseris, eris vagus & profugus, nullam habens firmitudinem, nullā constanriam.

Creauit fructum labiorum pacem.] Pro creabo, more prophético. Sensus est: Ego, inquit Deus, mutabo in pacem verba populi huius, qui in ore semper fert bellum & discordiam. Promittit his verbis missurum filium suum, qui, vt ait Apostolus, est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ephes. 2.

Pacem ei qui longē est, & qui propē.] Hoc est, Gentibus & Iudæis. Gentes erant à Deo remotissimę, Iudæi verō viciniore. At gentibus ait D. Paulus: Vos qui aliquando eratis longē, facti estis propē in sanguine Christi. Et paulō pōst: Et veniens, nempę Christus, euāgelizauit pacem vobis, qui

longè fuistis, & pacem his, qui propè.

Impii autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.] Pñ in tranquillitate viuunt, impij verò similes sunt feruenti & inquieto mari. Vide aptissimam prophetæ similitudinem. **Quid commodatius & similis mari quàm vir impius.** Ille enim est amarus contentionibus, tumidus superbia, iuidus inuidia, spumidus libidine, mutabilis incōstantia, cretens & decrescens Luna, sequens humanarum rerum varietatem & inconstantiam, turbulentus, fluctuosus, aliarumque maris qualitarum imitator. Venim mare propellit in litto limum, spumas, & alias spurcitas, & vt se purget, litus conquinat, sic impius vt se laudet, alios vituperat, vt se defendat, aliis vitiorum notam inurit, eorumque splendorem maculare contendit. Sed quemadmodum maris fluctus magni, & fremitu suo mare & terram perterrentes, cum terram attingunt, franguntur, & in litore in lutū conuersi pedibus transeuntium conculcantur, sic tyranni & impii principes sua superbia & potentia mundum perterrēt, cum autē sepulchrum attingunt, contemuntur, & pro nihilo putantur. Et hoc est quod voluit iis verbis Esaias significare. Et redundant fluctus eius in conculcationem & lutum Et aduerte: Non dixit impij autem quasi mare: est enim aliquibus in partibus mare aliquando quietum, sed impij autem quasi mare feruens. Quemadmodum est Euripus in Eubœa, vbi aqua fluit & re fluit, & sursum deorsumque iactatur, cui Socrates & Epicarmus Pythagoricus libidinosum animum compararunt. *Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.*] Hunc versum inuenies apud eundem Esaiam cap. 48. vbi eum explicuimus.

Simile.

Simile.

Simile.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT LVII.

A facie enim malitiæ collectus est iustus.] Pagninus magis sensum quàm verba vertens translulit: Propter malum mundo venturum congregatur iustus ad patres suos. Quæ versio sensum, quem in explanatione secuti sumus, illucidat.

Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum.] Pro memoriali tuo est in Hebræo zichronec, quod nomen memoriale siue monumentum significat, vt Exodi 39. cap. In monumento filiorum Israël. Est enim à verbo zachar, quod significat meminisse & recordari. Sed quoniam significat etiam suffumigare & odorificare, potest verti: Et post ostium

um & retro postem posuisti suffimentum tuum. Solebant enim gentes in idolorum honorem odoriferas confectiones cremare. Vnde illud Esaïæ cap. 66. Qui recordatur thuris, potest verti: Qui odorificat thus. Huic interpretationi fauet Pagninus qui vertit: Et Post ostium & postem posuisti suffimentum tuum.

Nec dixisti, quiescam.] Pro quiescam in Hebraico est noax. Et potest verti: Desperatum est. Vt sit sensus: Etsi longa erat via, nunquam tamen diffidisti, nec intra te dixisti, nullã esse spem. Septuaginta tamen coincidunt cum nostra versione vulgata. Ita enim habent: Et non dixisti, desinam.

Vitam manus tue inuenisti.] In Hebraico est ita: chiaath iadhec marsah. Nomen chiaah significat vitam, quam significationem secutus est noster interpres. Significat etiam victum & quietem: iad verò manũ significat, & vires, & multa alia. Ex quo efficitur, vt præter communem versionem possit hic locus ita verti: Victum manus tuæ inuenisti, hoc est, reperisti alimenta manu tua quæstura. Vel sic: Requiem tuarum virium inuenisti, hoc est, non inuenisti tuas vires fatigatas. Vel sic: Vitam virium tuarum inuenisti. hoc est, inuenisti vires tuas viuas & integras.

Argumentum Capitis LVIII.

Prædicat Deus Esaïæ concionatori illius temporis vt clamet constanter, & populi scelera redarguat. Describit verum ieiunium. Et tandem iis, qui in actiones virtutũ incubuerint pollicetur ea bona daturum, quæ animum amplificent & illustrent, eosque ad eas beatissimas sedes ducturum, vbi pulcherrimis ornamentis magnificentissimè decorati, cœlesti gloria, bonorũque omnium copia cumulentur.

CAPVT LVIII.



*C*ama ne cesses, quasi tuba exalta vocẽ tuã & annuntia populo meo scelera eorum, & domui iacob peccata eorũ. Me etenim de die in diem querunt, & scire vias volũt, quasi gens que iustitiam fecerit, & iudiciũ dei sui non dereliquerit: rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volũt. Quare ieiunauimus, & non affexiĩli humiliamus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunii vestri inuenitur volun-

Zach. 7. **tas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & con-**
Ezek. 18. **sensiones ieiunatis & percussit pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vif-**
Matt. 15. **que ad hanc diem, vt audiatur in excelsis clamor vester. Nunquid ta-**
le est ieiuniũ, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solve fa-
sciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberis, & omne
onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque in-
duc in domum tuam. & non videris nudum, operi eum, & carnem tu-
am ne despexeris. Tunc erumpet quasi mare lumen tuum, & sanitas
tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Do-
mini colliget te.

EXPLANATIO.

Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia
populo meo scelera eorum.] Dixerat in fine superioris capitis
 impios inftar feruentis maris afluare, nullaque tranquillita-
 æ gaudere. Nunc præcipit Deus Esaia concionatori illius
 temporis: vt eos increpet nullis minis perterritus, sed clamet
 semper & populi scelera redarguat. Hinc discant conciona-
 tores veritatem intrepidè nuntiare. Est tamen magnopere
 aduertendum, ne ita dicatur veritas, vt potius offendat quã
 profit. Vt enim perdix est optimus cibus, sed non comeditur
 cruda, nullus est enim stomachus, qui eam possit digerere, sic
 veritas est excellentissimum pabulum, sed non est proponen-
 da cruda, sed assa aut cocta, & sale prudentiæ temperata. Nul-
 lus est stomachus, qui velit crudam veritatem recipere. Quẽ-
 admodum dicenda est veritas docet Diuus Paulus ad Timotheum,
 ita scribens: Prædica verbum, inuisa opportunè im-
 portunè, argue, obicera, increpa, in omni patientia & doctri-
 na. Aspicias Diuum Paulum docentem esse cum veritate pa-
 tientiam & doctrinam coniungendam. Et animaduerte. Nõ
 dicit: Loquere, sed clama. ac si dicat: Non satis est veritatem
 dicere, sed necesse est vocem eleuare. Ad tantam peccatorum
 sordiditatem, ad tam profundum & arctum somnum opus est
 magnis clamoribus. Nec dicit: Clama, & statim cessa, sed cla-
 ma, ne cesses. Nam vt qui pinum vult secare, nisi nec primo
 idu, nec secundo, nec tertio, illam præcidat, non tamen à se-
 cunde desistit, sic etiam concionator nec primo sermone, nec
 secundo, nec tertio, moueat & persuadeat, non debet tamen
 à concionibus desistere. Ita ait Deus apud Esaia in alio in lo-
 co: Super muros tuos Ierusalem constitui custodias, tota die
 & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Ppende etiam
 Non solum dixit: Clama, ne cesses, sed addidit: Quasi tu-
 ba ex-

*Simile.**2. Tim. 4.**Simile.**Inf. 62.*

ha exalta vocem tuam. Ita Osee dicebat Deus: In gut- *Osee 3.*
 ture tuo fit tuba. Vbi vides veram prædicationem cum tuba
 comparari Vt enim in fine mundi ad sonitum tubæ, vt ait in
 epist. 1. ad Corinthios Apostolus, & apud Matthæum ipsa *1. Cor. 15.*
 Veritas, mortui resurgent, sic multi spiritualiter mortui *Matt. 24.*
 audita concione resurgunt. Et comparans Deus Esaiæ con-
 cionem tubæ sonanti, voluit significare Iudæos esse mortuo-
 os, quos volebat tuba excitari, & ad vitam animæ redire.
 Comparat etiam Deus concionem cum tuba, quoniã vt tuba
 ad bellum vocat & excitat, sic concio suadet ad fortiter cum
 mundo carne & diabolo pugnandõ. Præterea solet tuba in
 solennitatibus tonare ad gaudium nuntiandum. Ita dicitur
 in psalmo: Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solen- *Psal. 80.*
 nitatis vestræ, sic concionator debet excitare ad laborem in
 præsentī, & ad gaudiū in futuro. Hic est locus vincendi, ibi
 triumphandi: hic brevis laboris, illic sempiternæ quietis: hic
 pœnæ transeuntis, ibi gloriæ permanentis. His rationibus & *Supr. 40.*
 aliis existimo concionē tubæ comparari. Nã & alio loco apud
 hunc nostrū prophetā dixit Deus in montē excelsum ascēde,
 qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocē tuā, qui eu-
 angelizas Ierusalem, exalta noli timere. Hoc autē in loco
 postquā dixit: Quasi tuba exalta vocē tuā, addit: Annuntia
 populo meo scelera eorū. Vbi vides concionatoris officiū esse *Ioan. 16.*
 scelera reprehendere. Hoc docuit apud Ioannē Christus, ita
 Apostolis dicens: Cūm venerit Spiritus sanctus, ille arguet
 mundum de peccato, &c. Quasi diceret: Vos pleni Spiritu
 sancto mundum arguetis, eiusque scelera nuntiabitis, & ti-
 more depulso reprehendendi habetis libertatem. Nullum est
 mare, in quo possit libertas boni Spiritus obrui, quin verita-
 tem annuntiet. Hieronymus tuba illa diuina ita in quodā
 loco ait: Licet hydra sibilat, visusque si non incēdia iacet,
 nunquam meum adiuuante Christo silebit eloquium: etiam
 præcisā lingua balbutiet. Hæc gloriosus ille Hieronymus. In
 Ecclesiaste ita scriptum legimus: Verba sapientium quasi fī
 muli, & quasi clauī in altum defixi. Non enim debent palpa- *Ecc. 12.*
 re sed pungere. Nōne verba Diui Ioannis erant stimuli &
 clauī, cūm regem Herodem audacter argueret, & Phariseos *Matt. 23.*
 genimina viperarum appellaret? Lege concionem D. Step- *Act. 7.*
 hani ad Iudæos, & videbis stimulos & clauos pungentes, ipsos-
 que Iudæos duriter cruciantes. Ex quibus colligitur non de-
 bere euangelicos concionatores manifesta scelera silentio
 transire, quod Deus per Esaiam alio in loco his verbis signi- *Supr. 16.*
 ficauit:

ficauit. His qui latantur super muros cocti lateris loquimur plagas suas. Et hic: Annuntia populo meo scelera eorum. Sed quoniam omni vitio carere debet, qui in alterum paratus est dicere, debet concionator operibus bonis concionem suam sustentare. Vt tuba dum sonitum emittit manibus tenetur, sic concio manibus, hoc est concionatoris operibus sustentatur. Voces enim & actiones simul iunctæ harmoniam & concentum excellentem efficiunt. Opus est ut & tuba sonet, & manus sint ad eam tenendam eleuatae. Id voluit aliis verbis scriptura in libro Iudicium significare, ubi ait, eos qui erant cum Gedeone aduersus Madianitas pugnaturi in manibus lapides cum igne, & tubas sonantes portare. Tubæ sonantes sunt verba lapides verò in manibus sunt præclaræ virtutum actiones & exempla, iuxta id quod ait Christus: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.

Similitudo.

Iud. 7.

Figura.

Luc. 12.

Simile.

Matt. 5.

Numb. 11.

Me etenim de die in diem quaerunt.] Ita nunc multi de die in diem proponunt se à vitis ad Deum conuersuros, at nunquam conuertuntur, similes nautis in portu, qui cotidie proponunt egredi, & dare vela ventis, & nunquam soluunt, donec præterito nauigandi tempore, nauis in portu putrescat & consumatur. Prætereunt quadragesimæ & quadragesimæ, & nunquam à vitis abducuntur, cotidie se ab illis abducere proponentes. O ignauiam deplorandam: Eleuate anchoras, præcindite earum funes, quia amittitis tempus, & æstus, & ventum prosperè atque mirabiliter flantem: Iudæi de die in diem Deum quaerebant, sed eum non inueniebant, quia se à vitis non separabant. Si verè eum quaerent, inuenirent: ait enim Christus: Qui quaerit inuenit. Sed sunt multi, qui Deum corpore quaerere videtur, cum animo ab eo longius fugiat. Filij Israël in deserto pergebant corpore ad terram promissionis, animo autem in Aegyptum reuertebantur, eius allia, porros, & cucumeres desiderantes: ideo ad terram promissionis non accesserunt. Sic multi Deum non inueniunt, quia interitus non quaerunt quem exterius quaerere videntur. Potest hoc ita intelligi: A me cotidie veritatem quaerunt. Nam sequitur statim: Et scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit.

Humiliauimus animas nostras, & nescisti.] Hoc est, non approbasti. Vel sic: ieiunauimus, & abieciimus nosipfos, & non respexisti nos.

Ecce in die iudicii vestri inuenitur voluntas vestra.] Verba sunt Dei respondentis hominibus iniquis, interrogantibus cur

cur Deus ad eorū ieiunia non aduerteret. Quia, inquit, quan-
do ieiunatis, non meam voluntatem facitis, sed vestram. As-
picias quid secum nobis afferat incommodi voluntas nostra.
Oportet igitur eam abnegare, & appetitum rationi obedi-
entem præbere, si volumus vt Deus ad nostra ieiunia, & alia
bona opera respiciat. Potius enim Deus ad voluntatem no-
stram respicit, quàm ad opus. Et ita ait scriptura, *Respexit* Gen. 4.
Dominus ad Abel, & ad munera eius. Prius dicitur ad ipsū,
quàm ad eius munera respexisse. Et quoniam Iudæi scelere
& maleficio pascebantur, quamuis se à cibis abstinerent, non
approbabat Deus eorum ieiunia, quoniam parum pro-
dest esse stomachum ab escis vacuum, si anima plena est sce-
leribus. Bonum est ieiunium, nec Deus illud reprobat, imò
maximè approbat, ipse enim quadraginta dies & quadragin-
ta noctes ieiunauit. Sed reprobat ieiunium ob malum finem
ab illis factum, qui mortiferis sceleribus implicantur. Sed de
ieiunio aliàs disseruimus.

Et omnes debitores vestros requiritis.] Nempè ad eos op-
primendos & vexandos. Arguit Iudæorum auaritiam, & in
pauperes debitores suos immanitatem: exigebant enim ab
illis debitum abique vlla misericordia.

Nolite ieiunare sicut vsque ad hunc diem.] Non damnat iei-
unium quod maximè approbat, sed docet non esse in morti-
feris peccatis faciendum, nec ad ostentationem.

Vi audiat in excelsis clamor vester.] Sensus est: Si vultis vt
ego audiam clamorem & preces vestras in cælo, ieiunare
multò aliter, quàm hucusque ieiunatis, Vel sic Non ita ieiun-
netis, vt audiantur in excelsis laudes, quibus vos ipsos ob iei-
unia vestra effertis. Non ieiunetis ad gloriam inanem captā
dam. Vel loquitur de clamore oppressorum.

Nunquid contorquere quasi circulum caput suum.] Hoc idè
dicit, quia solebant vani Iudæi ad mundi gloriam comparā-
dam caput curuare & ambulare gibbosè instar circuli, & ita
coindui, & cinere aspergi, vt fictam sanctimoniam ostende-
rent. Tales sunt hypocritæ, qui volunt potius orichalcū, quia
splendidi auri colorem habet, quàm purificatum argentum,
quia talem non habet splendorem. Forasie circundabant
Iudæi caput fune in modum circuli, vt hoc signo pœnitenti-
æ alios fallerent, & religionem fingerent. Sed Deus tales fi-
ctiones nō vult. Salutare est ieiunium & necessariū similiter &
pœnitentia, sed debent interiora exterioribus respondere.

Dissolue colligationes impietatis.] Hoc est, codices, in quibus
debi-

debitores nomina faciunt, & feneratoros expensum ferunt. Quasi dicat: Rescinde chirographa, quib⁹ impiè obligas debitoros tuos ad vsuras tibi soluendas. Solebant enim Iudæi miseris pauperibus pecunias ad vturam accommodare & statuto solutionis tempore eos immaniter opprimere. Hæc chirographa appellat statim fasciculos deprimentes, hoc est, codicillos quibus debitores opprimebant. Ita hunc locum intellexerunt Septuaginta illum in hunc modum vertentes. Dissolue obligationes violentarum cautionum. Dimitte fratres in remissionem, & omnem scripturam iniquam cõcide. Non prohibet Deus iustum debitum exigere, sed iniustum, & extra tempus, & absque misericordia.

Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.] Dimitte liberos eos qui oppressi sunt paupertate, qui tibi soluere nullo modo valent.

Frangere esurienti panem tuum.] Id quod tribuis pauperi, Deo tribuis, ille enim ait: Quod vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. Si Deo nõ tribuis buccellam panis, quo animo petis ab eo regnum? Petit à te pauper eleemosynam, nõ eam petit gratis, sed maiori pretio, quàm quod possit in mundo excogitari, nempe amore Dei. Audis amorem Dei, audistã incõparabile pretiũ, & adhuc non moueris? O duriciã insignem. Si amas diuitias, custodi eas in cælo, & illic eas inuenies cum fenore reseruatas. Pauperes enim eas tibi securè in cælum asportabunt. Ait enim Salomõ in Prouerbiis cap. 19. Feneratorum Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Et alibi: Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo quàm victimã. Et paulo post. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non audietur. Et Iacobus Apostolus in epistola sua, Iudicium enim, inquit, sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Contrã verò de eleemosyna ait Tobias: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras Ideo ait Ecclesiasticus: Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi, magis quàm aurum. Et alibi: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna reficit peccatis.

Et egenos vagosque induc in domum tuam.] Vnde Diuus Paulus ad Hebræos scribens, Nolite, inquit, hospitalitatem obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Hoc enim de Abraham & Lot scriptura cõmémorat. Vt enim piscatores, iactis in mare retibus ad pisces attra-

Matt. 23.

Prov. 21.

Iacob. 2.

Tob. 4.

Ecl. 29.

Ecl. 3.

Heb. 13.

Gen. 12.

Gen. 19.

atrahendos, atrahunt aliquādo preciosas margaritas, sic hi *simile.*
 captantes homines piscati sunt angelos. Imò qui peregrinos
 propter Christum recipiunt, ipsum Christum recipiunt. Ita
 asserit idem Deus apud Matthæum. 10. & apud Lucam, 10.
 etiam dicens: Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit,
 recipit eum qui me misit.

Cum videris nudum operi eum, & carnem tuā ne despexeris.]
 Hoc commemorat scriptura multis in locis. Sed heu quā
 malè hoc obseruatur. Videmus multos preciosis ac superua-
 caneis vestibus abundare, & ad eorum ianuas nudos paupe-
 res frigore perire. Operiunt parietes magnificis aulæis, eol-
 que picturatis & spectabilibus pannis obtendant, Christi au-
 tem pauperes nudos relinquunt. Id quod ait: Et carnem tuā
 ne despexeris: hunc habet sensum: Ne contempnas pauperes,
 quoniam eiusdem tecum naturæ sunt, Vel refertur ad con-
 sanguineos. Sūt enim nonnulli qui cum diuitiis affluant, cō
 sanguineos pauperes despiciunt. Huic interpretationi fauet
 versio Septuaginta ita habens: Et domesticos seminis tui ne
 despexeris.

Tunc erumpet quasi manè lumen tuum.] Si hoc feceris, eris
 à Deo illuminatus: & velut manè oritur Sol precedentibus
 tenebris, sic te Sol iustitiæ illustrabit. Vel sic. Tunc eris fœ-
 lix, & omnia tibi ad voluntatem fluent. Et hoc modo capi-
 tur lumen pro prosperitate.

Et anteibis faciem tuam iustitiæ tuæ.] Si feceris hoc, iusti-
 tia tua te ducet in æternam beatitudinem, vbi cum patribus
 sanctis congregaberis.

*Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dices: Ecce
 adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere
 digitum, & loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animā
 tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua,
 & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus
 Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam & ossa
 liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarū, cuius
 non deficiet aque. Et edificabuntur in te deserta seculorum: fun-
 damenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis edi-
 ficator septium, auertens semitas in quietem. Si auerteris à sabba-
 to pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & voca-
 ueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glo-
 rificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenietur volun-
 tas tua, vt loquaris sermonem. Tunc delictaberis super Domino &
 sanctorum super altitudines terræ, & citabo te hereditate iacob
 patris*

patris tui: os enim Domini locutum est.

Tunc inuocabis.] Si hec feceris, audiet Dominus preces tuas. Si abstuleris de medio tui catenam.] Nomine catenæ intelligitur omnis uisuraria & impia obligatio, & tyrannicum iugum.

Et desieris extendere digitum.] Hoc est, aliis pœnas minari, & superbè loqui. Solent enim homines irati manus atque digitos extollere, & extendere, & uerba ferocia, & amarulenta dicere, ac si & digitis & uerbis uelint aliorum oculos auferre. Vel, si desieris extendere digitum ad rem alienam. Vel, si desieris eligere indignum magistrum. Solebant enim ueteres digitis dare suffragia. Septuaginta habent: Si abstuleris à te colligationem & ordinationem. Fortasse per ordinationem intelligunt magistratum creationem. Pagninus uertit: Vt non mittas digitum in rem alienam.

Cum effuderis esurienti animam tuam.] Hoc est, cum pauperum ita miserus fueris, ut in illos animam tuam effundere uidearis. Vel capitur anima pro uita, quam pro animæ salute proximorum fundere debemus.

Tunc oriatur in tenebris lux tua.] Hoc est, calamitates tuæ in gaudium conuertentur. Vel sic: Ablatis peccati tenebris eris gratia illuminatus.

Implebit splendoribus animam tuam.] Ut impij anima est tenebris & caligine peccatorum obuoluta, sic iusti anima est gratiæ splendore illustrata. Id uoluit sacra scriptura in Exodo significare, ubi ait, Aegyptiis tenebris circumfusus, Hebræos in luce fuisse uersatos.

Exod. 10.

Et ossa tua liberabit.] Id est, non solum animam à malis interioribus, sed etiam corpus à malis exterioribus liberabit. Sunt qui per ossa maiores animæ partes intelligant.

Ædificabuntur in te deserta seculorum.] Hoc est, mundi uastitatem restaurabis & vrbes euerfas tua uirtute restitues. Quasi dicat: Virtutes quæ quondam uiguerunt, & postea ruerunt, suscitabis: Vigebit innocentia Abel, obedientia Abrahami, continentia Ioseph, mansuetudo Dauidis, aliorumque sanctorum uirtutes refluerebunt. Præbebis exemplum, quod nulla unquam delectat obliuio.

Fundamenta generationis & generationis suscitabis.] Hoc est, reparabis fundamēta à multis annis interrupta & imperfecta. Et uocaberis ædificator sepium, hoc est, ruinarum restitutor, atque laboris semitas in uias quietis spiritualis conuertes. Ac si dicat, Dabis operam ut homines in uera pace,
animiq;

animique tranquillitate vitam degant.

Si auerteris à sabbato pedem tuum.] Id est, Si non ambula-
ueris in die sabbati. Loquitur de Sabbati obseruatione. Se-
quitur: Facere voluntatem tuam in die sancto meo, subaudi
si auerteris. Quasi dicat: Si non feceris voluntatem tuam in
die sabbati, sed meam. Si ratio teneat & coërceat appetitus,
ne modum transeuntes, & obedientiam abiiciētes, animum
perturbent, eiusq; constantiam à sua sede & statu deiiciant!

*Et vocaueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini glorio-
sum.*] Hoc est, Si vocaueris sabbatum delicias tuas, & diem
sanctificatum Domino. Si ita diem festum suspexeris & ob-
seruaueris, vt vias tuas derelinquas, effrænatae voluntati tuæ
obstas, & ne verbum quidem, quod pias aures offendat, lo-
quaris. Vide quoties Deus nos exhortatur ad propriam no-
stram voluntatem fugiendam. Oportet enim eam à nobis
reicere, & in eius loco diuinam voluntatē constituere, pere-
unt enim omnes, qui suam propriam, non Dei voluntatem
ducem sequuntur. Irruunt in eos hostes anime, & quasi pro-
cella iactatos, fractos animo, suam perniciem amplectentes,
conturbant, & quò volunt vehitur, donec eos obruant, & ad
ima tartara præcipitent. Ideò dicebat Christus Deus noster:
*Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat cru-
cem suam, & sequatur me. Quid est negare seipsum, nisi pro-
priam voluntatem reicere, deprauatumque appetitum à se
penitus alienare?*

Matt. 16.

Et sustollam te super altitudinem terræ.] Hoc est, faciam te
celebrem & gloriosum, atque laudem illustrissimam conse-
queris. Vel sic: Ducam te ne ad cœlestem beatitudinem, quæ
est hæreditas illa & vera promissionis patria, quam promissi
patriarchæ Iacob.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT LVIII.

Clama ne cesses.] In Hebraico est, Kera vegarò al tachxoe.
Quæ verba ita possunt verti: Clama in gutture, ne retineas.
Dicitò enim garon guttur significat, quæ in Hebraico scri-
bitur, & fuit ab interprete nostro prætermissa. Pagninus ver-
tit: Clama in gutture, ne prohibeas clamorem. Sed in He-
braico non est dicitio clamor, quam Pagninus addit. Voluit
Deus iis verbis significare verba concionatorum mundi sce-
lera debite increpantia nō esse concionatorum sed Dei. Ideò

Y y inquit,

inquit, Clama, ne prohibeas clamorē. Quasi dicat: Clamor quo hominum flagitia redarguuntur, non est tuus. Deus est qui loquitur, & mundum arguit, ideo noli talem clamorem prohibere. Eam ob causam dicebat Christus apud Ioannem concionatores suos alloquens: Cū venerit Spiritus sanctus, ille arguet mundum de peccato. Concionatores loquebantur, sed Deus erat qui per illos loquebatur, mundi que scelera reprehendebat.

Ioan. 16.

Et omnes debitores vestros repetitis.] In Hebraico pro debitoribus vestris, est *atsuechem*. Nomen est & seu, quod significat præter alia substantiam, siue diuitias, & idolum. Ideo potest verti. Et omnes pecunias vestras repetitis, Vel, Et omnia idola vestra exigitis. Diuitiæ enim idola sunt. Vnde Diuus Paulus, auaritiæ idolorum appellat seruitutem.

Ephes. 5.

Si abstuleris de medio tui catenam.] Pro catena est in Hebraico motah, quod significat etiam iugum, impietatem, declinationem. R. D. exponit. Si remoueris è medio tui opera mala. Thargum, declinationem. Quasi dicat. Si à recta via non declinaueris. Declinare à recta via est catenam construere, qua nos ipsos ligamus, & in dæmonis carcerem coniciamus: & est ipsius dæmonis iugum suscipere.

Et implebit splendoribus animam tuam.] Potest verti: Implebit in siccitatibus animam tuam. Quasi dicat: Pereuntibus aliis siccitate & inopia, te implebit Deus, & saturabit. Et ita vertit Pagninus: Et saturare faciet in siccitatibus animam tuam. Nam in Hebraico est *beršachfachoht*. Quæ dictio & splendoribus & siccitates significare potest.

Vt loquaris sermonem.] Septuaginta habent: Neque loqueris verbum in ira de ore tuo.

Argumentum Capitis LIX.

Ostendit Propheta flagitia nostra nos à Deo separare. Et connumeratis Iudæorum sceleribus, queritur apud eos pacem, iudicium, & iustitiam, veritatem, & æquitatē corruisse, & esse veluti in exilium pulsas, & è terris exterminatas. Dolet reipublicæ casum, quoniam quanto quis est aut innocentia, aut probitate præstantior, tanto acerbius ab impiis aliquando affigitur, sed ostendit Deum esse suorum acerrimum defensorem.

CAPVT



Ecce non est abbreviata manus Domini, ut saluare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendaciam,

Num. 11.

Sap. 50.

Supr. 1.

& lingua vestra iniquitatem futuram. Non est qui innocet in iustitiam, neque est qui induat verè, sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Quasi aspidum vuperunt, & telas araneae texuerunt: qui comederit de ovibus eorum morietur, & quod confortium est erumpet in regulum. Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inuicua, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malam currunt, & festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inuiles: vaditas & contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum. semita eorum incuruatae sunt eis, omnis qui calcat in eis ignorat pacem. Propter hoc elongatum est iudicium à vobis, & non apprehendet vos iustitia: expectauimus lucem, & ecce tenebrae: splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut caeci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris in caliginosis quasi mortui. Rugiemus quasi vrsi omnes, & quasi columbae mediantes gememus. Expectauimus iudicium, & non est: salutem, & elongata est à nobis.

Iob. 15.

Prov. 1.

Rom. 3.

EXPLANATIO.

Ecce non est abbreviata manus Domini.] Connectuntur hæc verba ad finem capitis præcedentis: Dixerat Deus daturum se viris iustis magna bona, sed quia poterat aliquis dicere: Si Deus est omnipotens, cur nos non eripit à calamitatibus, in quibus miserè versamur. Respondet propheta huic tacite objectioni, id esse non ob Dei imbecillitatem, sed ob eorum scelera. Nō est enim, inquit, abbreviata manus Domini. hoc est non est nunc minor potentia diuina, quàm olim quādo vos ab Aegyptiis mirabiliter eripuit. Est enim Deus semper omnipotens. qui vniuersam naturā imensa virtute coercet & continet. Neque egitudine aliqua aurium laborat, ut vos ne queat exaudire. Sed inopia vestra facinora vos à Deo segregant,

garunt, eumque à vobis auerterūt. Accipitur hic manus pro potentia, quemadmodum aliis in locis. Aspicias hoc in loco peccatum esse murum nos à Deo diuidentē. Et quemadmodum mortiferum peccatū nos à Deo diuidit, sic charitas noscum eo coniungit & consolidat. Vt enim diuisa æraigne solidantur, sic opus est igne charitatis, vt possimus esse cū Deo coniuncti. Nec solum à Deo, sed nos etiā à nobisipsis peccatum diuidit, estque gladius acutus diuidens animam à vita, & à nobis Dei faciem & aures auertens. Considera quanta nobis peccatum asserat incommoda. Ieremias appellat illud nubem nostras preces impediētem, & Esaias in hoc loco murum nos à Deo separantem. Quomodo autem Deus non exaudiat peccatores, capite 3 explanauimus.

Manus enim vestre pollute sunt sanguine.] Obiicit Iudæis mortem prophetarum, multorumque virorum illustrium, quos ipsi falsis criminibus ad excidium vocarunt, & impiè occiderunt. Perpende obsecro, & altè considera Dei erga viros iustos charitatē. Dereliquerant Iudæi Deum suum, & idolagentium turpiter coluerant, & non illis obiicit hanc iniuriam in seipsum iactam, sed cædem virorum sanctorum. Vbi vides quanti Deus ipsos faciat & æstimet. Fuisse autē Iudæos prophetarum homicidas, indicat iis verbis Diuus Stephanus in oratione illa vehemēti quam apud eos habuit, quam Diuus Lucas inter Apostolorum Acta literis mandauit. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Hic iustus Christus est, de cuius aduentu prophete fuerunt vaticinati. Sed quid cito Stephanum? Ipse Christus Deus noster apud Matthæū hoc ipsum capite 23. multis verbis ostendit. Vbi in fine capit. Ierusalem, inquit, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, &c. Et quamuis hæc expositio sit apta & perspicua, ego tamen existimo hunc sanguinem esse eum, quem Iudæi super se acceperunt, dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Petierunt sanguinem Christi, eumque in cruce pro nobis immolatum immansimè occiderunt.

Non est qui inuocet iustitiam.] Hoc est, qui iusta loquatur. Ita Septuaginta hunc locum transtulerunt. Vel non est qui clamet debere fieri iustitiam. Vel nō est qui inuocet christiā. Ipse enim, vt ait D. Paulus, factus est nobis sapientia & iustitia. De qua iustitia potest intelligi id, quod ipse Christus ait: *Quærite*

Simile.

Thren. 3.

Act. 7.

Matth. 23.

Matth. 22.

1. Cor. 1.

Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius. Matt. 6.

Nec est qui iudicet verè.] Potest hoc huic nostro tempore re-
tè accommodari. Est enim nunc iustitia veluti statera, quæ il-
li parti inclinatur, cui maius pondus apponitur, illi fauet nõ
qui iustum exigit, sed qui plus muneris iudici offert. Scio ta-
men multos esse iudices iustitia præstantes. Sed ego de in-
iustis tantum loquor.

Similia

Sed confidunt in nihili.] Mundi potentiam & opes nihil ap-
pellat. Ita Ieremias, Aspexi, inquit, terram, & ecce vacua erat
& nihil. Ierem. 4.

Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.] Hoc est, de-
creuerunt peccare, & quæsierunt quomodo deprauaram co-
gitationem in effectum producerent, inuentoque modo do-
ctri facinus commiserunt. Propositum peccandi appellat do-
lorem. Nemo est enim tãtis vitiiis coinquinatus, qui virtutis
altitudinem & rationis præstantiam nõ iudicet esse magno-
pere colendam. Ex quo efficitur, vt peccando, dolore quodã
afficiatur. Vel cõceperunt dolorem, quo erant alios affectu-
ri, & postea se scelorum ministros præbuerunt, & fratres suos
immaniter vexarunt.

Oua aspidum ruperunt.] Hoc est, iniqui aperuerunt cogitatio-
nes suas malas, eas in effectum producetes, & qui fuerit earũ
particeps, & tam tetra & pestilentia consilia fuerit secutus, per-
ibit. Ex talibus enim cogitationibus & consiliis nihil nisi
venenum producit. Comparat iniquorum nefarias cogi-
tationes & cõsilia ouis aspidum, quæ tunc rumpuntur, cum
operibus perpetrantur. Ex illis dicuntur comedere ij, qui ea
approbãt, & sequuntur. Id quod in illis cõfouetur, & ex illis
nascitur est regulus pestilens animal, quod etiam Basiliscus
appellatur. Idem enim est βασιλις quod rex, & βασιλικὸς
quod regulus. Appellatur autem ita, quod habeat in capite
circulum quandam album instar diadematis. Intuere elegan-
tem prophetæ similitudinem. Oua aspidum foris sunt alba,
oculis grata, & pulchra, intus autem veneno plena: sic flagi-
tiosorum hominum consilia licet prima specie appareãt vti-
lia, sunt tamẽ perniciofa, fallaci vtilitatis aut voluptatis ima-
gine pestilentem malitiam tegentia. Et quemadmodum quæ
aspidum oua frangunt, seipsos occidunt, quoniam ex ipsis
ouis erumpit venenum fractores inficiens & necans, sic quæ
flagitiosas cogitationes & tetra consilia in effectum produ-
cunt, sibiipsis perniciem machinantur. Aspis est parvus ser-
pens veneno occidens, somniculosus appellatus, quod

Similia

somnum letiferum percussis emittat.

Simile. *Et telas aranea texuerunt.*] Admirabili artificio & subtilitate conficit aranea telam suam, sed in aëre. Ex quo efficitur vt ipsa tela simul cum aranea facile frangatur & pereat: Sic sceleratorum hominum cogitationes & consilia licet ingeniosa & subtilia videantur, vana tamen sunt, & in aëre constituta. Vnde euenit, vt dum alios irretire volunt, ipsi irretiri capiuntur. Vide quomodo fragili rei hominum vanorum cogitationes atque consilia comparet. Cor humanum est textrina, vbi hæc tela struuntur. Sed homo orditur telam, Deus vero eam scindit, & illa tenuissima longissime extensa facillime refecit. Vanum est cor hominis superbi & impii, & omnia eius consilia euanescent, & omnis mundi potentia, opes & diuitiæ, quas concipit & appetit, vanæ sunt, & inuides, simulque cum ipso corde, vbi sunt sculptæ & descriptæ, labefactantur, & penitus consumuntur, anima autem in imis tenebris suarum vanitatum pernas lit. Videbis in papyro desinxa in pariete pictas turres, vires, alta moenia, maria, terras, & vniuersum denique orbem terrarum descriptum: cadit aqua gutta, & papyrus cum tota mundi descriptione corrumpit, & penitus absumit & perdit. Videbatur mundus, & erat papyrus & atramentum: papyrus rumpitur, & atramentum deletur. Quid est superbia vani hominis cor, nisi quedam mappa mundi, quedam orbis descriptio in papyro depicta? At puncto temporis omnia illa prætereunt & euanescent, & instar fragilis papyri absumuntur. Id voluit fortasse significare Oronius insignis mathematicus, qui orbis descriptionem in corde quodam depicto in papyro collocauit. Nos vero non pictas opes & diuitias queramus, nec animum, in quo est veræ nobilitatis domicilium, talibus vanitatibus deformemus, sed illas queramus opes, ex quibus intellexerimus posse veram dignitatem efflorescere & reddere, quas nec casus possit eripere, nec inuidia labefactare, neque vetustas vlla consumere. Nec nobis dicatur id quod ait hoc in loco Esayas, Et telas aranea texuerunt. Et paulo post: Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vanitas & comitio in viis eorum. Quasi dicat: Non solum sunt vani sed impii. Nam ad hoc tendunt viæ suæ, vt alios vastent & conterant, vt aliis depressis, ipsi eleuentur, & falsos honores in quibus beatitudinem constituunt, consequantur. Sed beatus vir, inquit propheta cuius est, Dominus spes eius, & non respexit in vanitates & insipientias falsas.

Simile.

Esai. 39.

Semita eorum incuruata sunt eis.] Ambulant per vias obli-
quas

guas & inæquales.

Omnis qui calcet in eis, ignorat pacem.] Id est, Omnis qui iniquorum hominum inæquabiles vias & deprauatos mores sequitur, est omnino à pace alienatus. Viæ inæquales inimicæ sunt pacis. Aspicias hic inæqualitatem matrem esse discordiæ, quod alio in loco annotauimus.

Propter hoc elongatum est iudicium à vobis.] Aspicias hic peccata esse causam alienationis iudicij. Potest hoc de iudicio forti intelligi, vt sit sensus: Ob vestra scelera permittit Deus, vt opprimamini, & non sit iudicium nec iustitia, quæ iniurias in vos iactas viciscatur. Annumerat se sanctus Propheta cum populo scelerato cum nullis mortiferis peccatis esset astrictus. Quidam codices habent: Propter hoc elongatum est iudicium à vobis.

In caliginosis quasi mortui.] Versamur in locis obscuris, ac si essemus mortui, & in sepulchris iaceremus. Quasi dicat: premimur summis calamitatibus & afflictionibus. Afflicti & ærumnosi homines estis in vrbibus florentissimis, & maxima rerum omnium affluentia vitam degant, tamen in tenebris ob ærumnarum angustias, quibus premuntur, esse videntur. Potest hoc referri ad obscuritatem intellectus peccatorum à sceleribus productam, qui etiam in luce meridiana adeo sunt tenebris circumfusi, vt dies vertatur illis in nocte, quemadmodum iustis contra nox vertitur in diem, iuxta id, quod quidam dicebat: Nox illuminatio mea in delitiis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. Psal. 138.

Rugiemus quasi vrsi omnes.] Clamabimus, nostram miseriam deplorantes.

Multiplicate sunt enim iniquitates nostre coram te & peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus, peccauimus & mentiri contra Dominum, & auersi sumus ne iremur post tergum Dei nostri: vt loqueremur calumniam & transgressionem: concepimus & locuti sumus de corde verba mendacii. Et conuersum est retrorsum iudicium & iustitia longè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, Et facta est veritas in obliuionem: & qui recessit à malo, prædæ parauit: & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium, & vidit Deus quia non est vir, & apertus est quia non est, qui occurrat: & saluauit sibi brachium suum, & iustitia eius ipsa Ephes. 6. *confirmauit eum. Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in ca-* 1. Thes. 5. *pite eius. Indutus est vestimentis vllionis, & opertus est quasi pal-*

Rom. 11.

lio zeli. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis. In suis vicem reddet. Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis, gloriam eius, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea que posui in ore tuo, non recedunt de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus amodo & usque in sempiternum.

Multiplicate sunt enim iniquitates nostræ coram te.] Ideo dicit coram te, quia multi coram Deo sunt nefarii sceleribus contaminati, qui ab hominibus iusti censentur. Contra verò multi ab hominibus scelerati iudicantur, qui coram Deo iusti sunt.

Peccata nostra responderunt nobis.] Id est, nos ipsos condempnaverunt. Nosira scelera adversus nos ipsos tulerunt sententiam.

Aversus sumus, ne tremus post tergum Dei nostri.] Hoc est, Recelsimus à Deo.

Conversum est retrorsum iudicium, & iniustitia de longe stetit.] Ob nostra nepharia facinora permittit Deus ut affligamur, nec tamen sit ordo iudicij, nec qui iustitiam exerceat, & de afflictionibus nobis illatis ultionem sumat. Hoc ideo dicit Esaias quia suo tempore regnante Manasse impiotyranno leges nihil valebant, iudicia iacebant, mos patrius occiderat. Potest hoc intelligi de iudicio & intellectu humano. Est enim perspicuum ob scelera depravari iudicium, iuxta id quod in libro Sapientiæ scriptum legimus; Excæcavit eos malitia eorum.

Sap. 2.

Quia corrui in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.] Ideo non est iudicium neque iustitia, quia non est veritas nec æquitas. Ex quo colliges sine veritate & æquitate iustitiam non posse consistere. Et animadvertet quemadmodum Propheta exaggeret veritatis casum & ruinam. Si concideret in domo aliqua priuata, in aliquo viculo aut angiportu, non esset ita mirandum, sed corrui, inquit, in platea, ubi fuit ab hominibus concalcata: cecidit in hominum cœtu & frequentia, & videns se iniuriis affectam aufugit. Æquitas autem videns veritatem oppressam non potuit ingredi. Hoc deplorabat iis verbis Oseas: Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Hesiodus dicebat iustitiam hominum flagitiis offensam mundum deseruisse, & in cælum euolasse. Saltem id videmus nunc impletum, quod ait Apostolus ad Timotheum

Ose 4.

motheum

motheum scribēs: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditumauerent, ad fabulas autem conuertentur.

Et qui recessit à malo prædæ patuit.] Impij regnant, & potentia atque autoritate valent: qui autem studet virtuti, & iustitiam colit, direptioni cõmittitur. Quidam ab eo eripit opes, alius famam, hic eum spoliat quiete, ille infert ei contumelias. Itaque eum illi acerbissimè cruciant & opprimunt, cuius beneficio sustentantur. Mundus eos, quos suos non esse cognoscit. grauius affligit. Ita enim ait Christus discipulis suis apud Ioannē: *Quia de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et in libro Sapientia dicunt impij: Circunueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Postquam Moyses locutus est cum Deo in monte Sinai posuit velamen super faciem suam, & populus eam videre non poterat. Eodem modo mundus eum videre non potest, qui in altitudine virtutũ collocatus cum Deo communicat, & ad illum ardentè aspirat, sed illum odit, & contendit pellere, falsisq; criminibus in inuidiam vocare. Camelus priusquam bibat, fontem obturbat, vt ait, ne in aqua clara & lucida suam aspiciat deformitatem, tollit aquæ claritatem, quia est suæ foeditatis speculũ. Sic homines scelerati viros virtutum claritate conspicuos student medio tollere, ne in illis suam deformitatem videant. Est enim vir clarus & iustus speculum, in quo flagitiosi suas notas & tetras maculas intuentur: conferentes enim se cum iusto, vidēt sua scelera virtutibus aliorum opposita clarius eminere: ideò eos affligunt, & ferre non possunt. Qui enim, vt verbis vtar Pauli, pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur. Quid plura? Vide quomodo iniqui christũ tractauerunt. Dicebat verba vitæ, & illi dicebant: Durus est hic sermo. Inueniebat humana malitia, quid in virtute diuina, & in verbis ipsius veritatis reprehenderet. Faciebat miracula & dicebant: In principe Beelzebub dæmonia eiicit. Calumniabatur hominum malitia opera ipsius Dei, donec eum falsis criminibus ad cædem vocauit, & acerbissimis cruciatibus saucium immanissimè occidit. Si mundus Christi verba, opera, & vitam, calumniatus est, quid existimas eum ipsius Dei amicis esse facturũ? certè qui recedit à malo, & Christum sequitur, prædæ patet, vt hic ait Esaias.*

Et vidit Deus quia non est vir.] In magna ciuitate, in hominum

2. Tim. 4

Ioan. 15.

Sapient. 2.

Exod. 34.

Simile.

2. Tim. 3.

Ioan. 6.

Matt. 12.

Luc. 11.

*Pfal. 48.
Sap. 59.*

minum catu & frequentia nemo erat, qui verè vir appellatù mereretur. Ablata enim ratione homo comparatur iumentis insipientibus, & similis, vt dicitur in psalmo, factus est illis. Eodem modo dixerat supra *Factus: Veni, & non erat vir.*

Quia non est qui occurrat. Nempe viro iusto cum affigitur. Vel non erat vir iustus, qui occurreret Deo irato, seque ipsi opponeret, eum deprecans, & pro hominum salute intercedens. Vbi vides quanti ponderis sint apud Deum iusti viri preces. Oranti Moyse pro duro populo respondit Deus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos. Vbi aspicias preces viri iusti Deo se opponere, & eum quasi tenere. Alias nõ diceret Deus, dimitte me.*

Exod. 32.

Et saluauit sibi brachium suum. Hoc est: Videns Deus virum iustum afflictum, nec habentem defensorem, ipse eum eripuit brachio suo. Poterat hoc ita clarius verti: *Et saluauit eum brachio suo.* Vel: *Et salutem præstitit ei brachium eius.*

Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius. Iusti armis dicitur Deus armatus ad iustos de manu impiorum defendèdos. Et iis debemus nos ipsos munire, vt possimus tērationibus resistere, & de animæ nostræ hostibus victoriam reportare. Ita enim ait Apostolus in epistola ad Ephesios: *Accipite armaturā Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, stete ergo succincti lumbos vestros veritate, & induti lorica iustitiæ, &c.* Diem malum appellat tempus tentationum, quando nos diabolus, mundus, & caro oppugnant superbiam, aut inuidiam, aut voluptate, aut aliis tentationibus, quas scriptura diuina pericula inferni appellat. In psalmo vbi continetur editio habet: *Pericula inferni inueniunt me: habet*

Eph. 6.

Pericula inferni inueniunt me: habet

Psal. 114.

Pericula inferni inueniunt me: habet

Sap. 5.

Pericula inferni inueniunt me: habet

Sap. 20.

Pericula inferni inueniunt me: habet

Cum

Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini regit.] Id est, cum Deus venerit eversum ludæos iratus & omnia vastans veluti magnus fluvius, vehemens & violentus, procelloso vento ingenti que tempestate coactus, Accipitur spiritus pro vento: & ad ostendendum esse magnum, eum appellat Dei. Ea enim quæ magna sunt, Dei appellantur, ut montes Dei, hoc est alti & excelsi. Vnde illud Genesis: Spiritus Domini ferebatur super aquas, de vento magno exponit Hieronymus ab Olcastro vir eruditissimus. Septuaginta hunc Esaiæ locum ita verterunt: Veniet enim quasi fluvius violentus ira Dei, veniet cum furore. Quæ verba nostram expositionem dilucidant.

Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.] Poterunt hæc verba distinctus ita collocari. Et cum mundi redemptor venerit Sioni, & eis qui relictis superstitionibus idolorum se ad ecclesiam contulerint. Quibus verbis christi in mundum aduentus, & generis humani redemptio significatur.

Spiritus meus qui est in te.] Docet hic locus in ecclesia esse Spiritum sanctum, & verba quæ & Christus, & eius Apostoli docuerunt, nunquam esse ab ecclesia separanda. Id enim quod modo tenet Romana & uniuersalis ecclesia, & quod semper tenuit, fuit, & est ab Spiritu sancto inspiratum. Vnde qui ab ea recedit, est plane hæreticus, & Spiritui sancto aduersarius.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LIX.

Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.] Pro iniquitate est in Hebræo auen. Quo nomine vsus est Esaias ca. ^{Supr. 12.} pite trigesimo secundo, vbi etiam noster interpres vertit iniquitatem, dicens: Et cor eius faciet iniquitatem. Pro quo Septuaginta translulerunt: Vana intelliget. Significat etiã auem vanitatem & lucidum. Omnis enim iniquitas est vanitas & lucidum. Quid potest esse vanius quam pro rebus humanis amittere diuinas? Quid insipientius quam pro paruis, vilibus & fluxis, magna, preciosa, & æterna commutare, dare cælum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte. Deum pro inundo? Prudentes mercatores volentes ad extraneum aliquod regnum proficisci, ea emunt, quæ in suo regno vili precio venduntur: in altero autem, quo tendunt, magni æstimantur. Nos contra ex hac vita ad aliam profecturi, ea licemimus,

- Disamile.* mus, quæ maximi pendimus, & in alia vita nihil valent. Vio-
lamus iura diuina & humana ad comparandam inanem fa-
mam, vitiorum plerumque laudatricem, ad acquirendas o-
pes, & pestiferas voluptates. Et pro illis, quæ in altera vita
nihil profunt, res summas & preciosissimas commutamus.
Vnde rectissimè iniquitas nostra vanitas appellatur. Et illud
Psal. 74. psalmi, vbi nos habemus; dixi iniquis, Nolite iniquè agere,
vertit *Felix*: Dixi insipientibus, nolite insanire. Esse autem
iniquitatem luctum apertè indicat vermis conscientie. Vnde
Psal. 138. illud psalmi: Et vide si via iniquitatis in me est, vertit *Felix*:
Et vide si via afflictionis in me est. Diuus Hieronymus vertit
viam doli. Omnis enim iniquitas affligit spiritum, & est do-
lus & fallacia. Cum enim iniquè agimus, aut alios fallimus,
aut nos ipsos decipimus.

Et peccata nostra responderunt nobis.] Septuaginta habent:
Et peccata nostra resisterunt nobis.

- Et aporetatus est, quia non erat qui occurrat.*] Pro & aporia-
tus est, in Hebraico, vaiixtomem, à verbo xamā, quod signi-
ficat præter alia obstupefcere, vt *Ieremiæ* cap. secundo: Ob-
stupefcite cæli super hoc. Vnde *Pagninus* vertit: & admira-
tus est, quia nō erat qui oraret. Nēpe pro afflictis. Septuaginta
habent: Et considerauit, & non erat, qui defenderet. Occur-
rere alicui, pro eo intercedere, eum defendere, pro eodem à
diuersis interpretibus sumuntur. Aspicias hoc in loco velle De-
um vt eum pro afflictis oremus. Ceterum dicens propheta,
Deum aporiatum aut admiratum esse, loquitur de Deo hu-
mano more, vt eum intelligere possimus. Si Deus viuorum
preces pro aliis suas exaudit, si vult vt viui pro proximi-
s afflictis eum obsecrent, vt eis optata concedat, quanto
magis sanctos, qui eo in æterna beatitudine fruuntur, pro vi-
uis intercedentes exaudiet? At negāt heretici diuorum inuo-
cationem, dicentes eos nullas ad Deum fundere præcatio-
nes, cum dicat *Baruch* propheta: Domine omnipotens Deus
Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël. Et apud
Zachariam orat angelus pro populo Iudaico. Sed hac de re
alias disseruimus.

Cum venerit quasi fluius violentus, quem Spiritus Domini cogit.
Hoc de ira Dei in explanatione interpretati sumus, sequen-
tes & literę contextum, & versionem Septuaginta, vt ibi ostē-
dimus. *Pagninus* tamen, & alij, hoc intelligunt de hoste virū
pium oppugnante. Ita enim vertunt: cum venerit veluti flu-
uius hostis, Et pro eo quod nos habemus, quem Spiritus Do-
mini

mini cogit, vertit Pagninus: Spiritus Domini fugabit eum. Ut sit sensus. Deus proteget suos fideles ab hostibus eorū, ipsosq; hostes lōgius fugabit. In Hebraico ita est: ci iauo chāna har tsar ruach ieouah nofasah bo. Pro cogere est in Hebraico vt vides, verbum nāssas quod significat eleuare. Ideo poterat verti: Quem Spiritus Domini leuauit: Sed quoniam quādo exercitus & obsidio leuatur, discedunt ipsi hostes, qui vr-
bem oppugnabant, ideo pro fugare accipitur, quam rationē secutus est Pagninus. Theodotion vertit: Signatus est in eo. Aquila: Si Signaculum eius. Poteſt verti, instigauerit. Vt hoc intelligatur de exercitu Romanorū, quem Spiritus Dei instigauit, vt Iudæos infideles & ingratos euerteret, totamq; Hierosolymam ad vastitatem vocaret. Ex iis tot & tam variis interpretationibus poteris eam amplecti, quæ tibi magis placuerit. Mihi certè clarior, & literæ accommodatior ea videtur, quam in explanatione sum secutus, quæ est etiam auctoritate Septuaginta corroborata.

Et veneris Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.] Septuaginta habent: Et veniet de Sione qui liberet, & auertat impietates à Jacob. Quod aperte de Christo intelligitur, qui de cœlesti Sione venit in mūdum, vt homines expiaret, eorūque scelera sanguine suo deleret. At non omnes consecuti sunt salutē, quia eā noluerunt, sed solum Iacob, hoc est, soli fideles fuerunt ab impietatibus liberati, & æternam beatitudinem consecuti.

Argumentum capitis LX.

Vaticinatur Propheta de Christi aduentu, & de eius ecclesiæ gloria & dignitate, in qua sola asserit esse & fidei & charitatis lucem, cum infideles omnes in tenebris versentur. Prædicat gentium multitudinem ad fidem conuertendam. Et de Ecclesia militante transfert sermonem ad triumphantem, & ad gloriam illam sempiternam, quā viri omnes charitate præstantes consequuntur.

CAPVT LX.



Vrge illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem oriatur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.

zui. Lena in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longè venient, & filia tua de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum quòdo conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inuadatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epba. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino ammittentes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placibili altari meo, & domum maiestatis mee glorificabo. Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbe ad fenestras suas? Me enim insula expectabunt, & naues maris in principio, vt adducam filios mos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israël, quia glorificauit te. Et edificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui.

EXPLANATIO.

Surge illuminare Ierusalem.] Alloquitur Propheta primitiuam ecclesiam ex Iudæis & gentilibus congregatam, qui priusquam in Christum crederent, iacebant in peccatis, tenebris circumfusi, ideo eos hortatur, vt à peccatis surgant, & fide atque gratia illustrentur. Non quod quis per se possit à peccato surgere, & gratiæ splendore illuminari, sed quod facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. Ipse enim per Zachariam, Conuertimini, inquit, ad me, & ego conuertar ad vos. Et per Ieremiam Si conuerteris, conuertar te, & ante faciem meam habitabis. Et per Malachiam. Reuertimini ad me, & reuertar ad vos. Est igitur sensus. Tu o Hierosolyma da operam, vt surgas, & illumineris, dispone te ad gratiam, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Hoc lumen Christus est, quæ sanctus Simeon lumen ad reuelationem gentium appellat. Qui de seipso ait Ego sum lux mundi, Qui venit, vt ait Zacharias illuminatum eos, qui in tenebris & in umbra mortis sedebant, directum pedes nostros in viam pacis. Poteris per lumen euangelium intelligere. Gloria Domini est ipse Christus, qui in Iudæa ortus est.

Via ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orientur Domini.] Hoc est, mundi nationibus in tenebris versantibus tu sola o ecclesia eris illuminata, quia super te orientur Christus sol iustitiæ. Vbi aspicias in sola ecclesia esse fidem & gra-

Zach. 1.
Ierem. 15.
Malach. 1.

Luc. 1.
Luc. 2.

& gratiæ splendorem. Væ illis, qui ecclesia catholica relicta se
vonfragi Lutheri synagoge tradiderunt.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo.] Gentes relicto idolorū
cultu ad te venient, & euangelii lumine illustrabuntur. Præ-
dicit diuinus vates euangelij prædicationē esse etiam ad gen-
tes propagandam, & ex consequēti abrogandam esse legem
Moyfi, quæ solum erat vique ad euangelium duratura, de
qua altis in locis fulē differui.

Leua in circuitu oculos tuos & vide.] Hoc est, Respice ô ec-
clesia primitiua ad omnes mundi partes, & videbis ad te ve-
nientem innumerabilem gentium multitudinem.

Omnes isti congregati sunt.] Non vno loco, sed vna fide.

Fili tui de longè venient.] Hoc est, ab vltimis mundi regio-
nibus, & terris remotissimis. Vel à longè, hoc est, à peccato,
qui homines à Deo diuidit, & longè separat.

Et filia tua de latere surgent. Hoc est, à regionibus propin-
quis, quæ sunt à latere Hierosolymæ. Poteris per has filias
animas intelligere, quæ relicta & repudiata mundi familiari-
tate Christo adhæserunt, & surgentes à lateribus parentum
suorū Deum sequebantur. Id fuerat iam Dauid hortatus di-
cens in psalmo: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &
obliuiscere populum tuum, & domū patris tui. Septuaginta
abent: Et filia tuæ super humeros portabuntur, Pagninus:
Et filia tuæ iuxta latus nutrientur.

Tunc videbis] Nimirum ad te venientium multitudinem.
Et afflues nempè lætitiæ & oblectatione.

Et mirabitur, & dilatabitur cor tuum.] Nempè præ ingenti
gaudio. Vt enim dolor cor arctat & constringit, sic lætitiā il-
lud amplificat & dilatat. Vnde dilatare cor est gaudio affice-
re, quemadmodum in psalmo: Cū inuocarem exaudiuit me
Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi, subaudi cor.
Acsi diceret. Cū essem in afflictione constitutus ad te Do-
mine voces precesq; fudi tu me exaudisti, animūq; meum
spirituali voluptate oblectasti.

Multitudo maris.] Id est, oppida maritima, & naute. Vel
hominum multitudo magno mari comparat.

Fortitudo gentium.] Hoc est, gentes fortitudine præstantes.

Inundatio camelorum operiet te] Id est, Tanta erit tunc ca-
melorum abundantia, quibus ex variis mūdi regionibus ad
te munera afferentur, vt terram operiant. Hoc dicit, quia di-
uites & potentes, qui ad Christi fidē cōuertebantur, facultates
suas ad ecclesiā adiuvandā, & pauperes refocillandos se-
cum

cum asportabant. Et tunc assignat aliquas regiones, nempe Madian, Epha, Saba, Cedar, Nabaioth, ex quibus venturas opes ad ecclesiam prædicat. Ex Madian & Epha dromedarios opibus onustos, ex Saba aurū & thus, ex Cedar & Nabaioth arietes & alia pecora ventura prædicat. Per has regiones gentium barbararū, totius orbis terrarum ad fidem conuersio significatur. Dromedarius est animal velox à currendi celeritate dictum, *δρομε* enim latinè dicitur cursus. Aiunt idē esse dromedarium & camelum, sed solum illum camelum dici dromedarium, qui velociter currit. Offerenda fuisse hæc munera, vaticinatus fuerat Dauid, dicens in psalmo: Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent: Quod vaticinium incepit impleri, quando Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam cum muneribus quæ Christo obtulerunt producētes, eumque verum Deum firmiter adorantes.

Qui sunt isti qui vt nubes volant.] Hoc est, qui sunt hi ð ecclesia, qui ad te veniunt tanta celeritate, vt nubibus volentibus comparentur? Ostendit desiderium & velocitatem eorū qui erant ad ecclesiam confluxuri, eosque non immeritò cū nubibus confert quæ à terra eleuata eam irrigant, & frugiferam reddunt. Comparat eos etiam columbis ob cursus celeritatem, præsertim cū fenestras columbariū reperunt, & ob ingentem erga pullos suos amorem. Qua in re caritas fidelium significatur. Sunt qui per nubes & colūbas solū Apostolos intelligant: sed melius videtur, vt hic locus ad alios etiam pios ac iustos fideles extendatur. Cui expositioni fauet versio Pagnini, quæ habet, quæ sunt congregationes istæ quæ vt nubes volant.

Me enim insulæ expectabunt.] Significat Deus iis verbis adducturū se esse ad ecclesiam homines ex remotissimis insulis, & naues maris principio, hoc est, & nautas in principio, subaudi ecclesiæ primitiæ.

Et sancto Israel.] Hoc est, Deo, qui sanctimoniam tribuit Israeli.

Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos.] Hoc est, gentes te ð ecclesia virtutibus & sapientia muniunt, & tanquam muris circundabunt. Nonne Hieronymus, Augustinus, ceterique viri sancti, & sapientia ex culti, originē à gentilibus ducentes virtutis & sapientiæ muros ædificarūt? Gentiles ante fidem receptam appellat peregrinos, quos iam fideles factos Diuus Apostolus in hunc modum alloquitur: lam non estis hospites

Psal. 71.

Matt. 2.

Eph. 2.

hospites & aduenę, sed estis ciues sanctoꝝ, & domestici Dei.

In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea miserus sum tui.] Permissi vt in principio esses à tyrannīs afflictā, sed in hoc etiam tui miserebar, quoniam te per varias calamitates ad meipsum trahebam. Non nego posse hoc referri ad populum Iudaicum, quem Deus permisit capi, & Babylonē adduci & postea eum ad patriam reduxit, & in pristina dignitate reuocauit. Sed erat hæc liberatio figura & imago humanę redemptionis. Et sunt multa in hoc capite, quę nullo modo terrenę Hierosolymę, sed ecclesię Christi cōueniunt.

Et aperientur portę tuę iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruiert tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis tuę, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curi filii eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israēl. Pro eo quod fuisi derelicta & odio habita, & non eras qui per te transiret. Ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. Et fuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & sies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ere afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis es, & pro lapidibus ferrum: & ponam visitationem tuam pacem, & p̄positos tuos iustitiam.

Et aperientur portę tuę iugiter.] Quando ciuitas obsessa est, clausę sunt portę, cum verò quieta & tranquilla, aperientur. Significauit iis verbis, fore vt Christi ecclesia spiritali pace & euangelica securitate gauderet, & per fores apertas voluit etiā ostendere, fore vt ad ecclesiā aditus omnibus pateret. Eā ob causam eam apud Lucam stabulo siue diuersorio Christus cōparauit, ad quā Samaritanus eū, qui descenderat Hierosolyma in Ierico adduxit, vt ibi plenē curaretur. Luc. 10.

Vt auferatur ad te fortitudo gentium.] Id est, vt confluant ad te gentes fortissimę. Hoc impletum fuit quando Romani, ceteri que gentiles bellicosi, strenui, & fortitudine præstantes in Christum crediderunt.

Gens enim & regnum quod non seruiert tibi, peribit.] Aspicias non posse hoc ad Hierosolymam terrenam referri, sed ad ecclesiā catholicam. Omnes enim, qui sanctę & vniuersalē ecclesię Romanę non parent, sed ab ea sunt separati, peribit, & in æternas tenebras relegantur.

Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus & pinus.] Hoc est, post reditū à captiuitate Babylonis ad te o Hierosolyma affertur ligna pulchra & magna ex omni genere arborū Libani, ad ornandum templū, quod reedificabitur & erit locus sanctificationis in ea. Verba sunt Dei promittentis Iudæis liberationem à Babylonica captiuitate, & Hierosolymæ ac tēplī ædificationem. Sed quis non videt esse hoc ad spirituale Hierosolymam, hoc est, ad ecclesiā Dei referendum, ad quā dicit venturos esse ex omnibus mundi nationibus homines, tā nobiles quā obscuro loco natos, quos nomine arborum significat. Ut enim multæ arbores non solum sunt fructibus vtilis, sed etiam foliis, sic multi fideles non solum actionibus profunt, sed etiam verbis. Opera fructibus, folia verbis comparantur. Appellat autem Christus ecclesiam suam locū suæ sanctificationis, & locum pedum suorum, quoniam in ea ipse colitur, & homines sanctificat, & ipse eam gubernat & protegit.

Simile.

Et venient ad te, curus filii eorum qui humiliauerunt te.] Prædicit conuersionem ad fidem Constantini imperatoris, & illius innumerabilis multitudinis, quæ tempore Diui Syluestri pontificis maximi recepit euangelium. Tunc enim filij Tyrannorum, & eorum, qui ecclesiam vexabant, conuersi sunt ad Christum, ad eumque humiles ac supplices accesserunt. Nam magnus ipse Cōstantinus illustrissimus orbis imperator templum Romæ in honorem Beati Petri Apostolorum principis à fundamentis excitauit, & pulcherrimis ac pretiosissimis ornamentis muniuit, & ipse suis manibus iecit fundamenta, ex quibus suis propriis humeris duodecim corbula terræ in honorē duodecim Apostolorum asportauit. Tunc quieuerunt Christiani & cessarunt eorum afflictiones & cruciatus, quibus ab infidelibus torquebantur. Ut enim Laban persecutus est Iacob in terram promissionis reuertentem, & Deum verū adorantem, sic scelerati homines iustos ac fideles affligunt, eosque ad cœlestem patriā veram promissionis terrā aspirantes ad excidium vocant. Nec est mirandū, cum etiā Esau eius frater de eius cæde cogitaret. D. Paulus in epistola ad Galatas loquens de Isaac & Ismaele, Quomodo, inquit, tunc is qui secundū carnem natus fuerat, persequeretur eū, qui secundū spiritū, ita & nunc. Quid voluit scriptura in Exodo significare, quando dixit. Oderuntque filios Israël Aegyptij. nisi impios & flagitiosos odio prosequi viros pios, virtute ac gestarum rerum gloria præfatos? Ajunt cor-

Gen. 37.

Figura.

Gen. 17.

Gal. 4.

Exod. 1.

Simile.

ut pullos suos in nido existentes in principio non cognosceat, cum eos videat plumis albis indutos, ideo eos abicere, & contemnere: at videns eos postea nigris penis cooperitos, eos nutrit, & reficit, & ut filios sustentat. Sic mundus eos, quos videt innocentia & virtutis candore conspicuos, irridet & contemnit, iis tamen fauens qui tetris sceleribus conteguntur. At quanto acerbius impij viros pios affligunt, tanto amplius illis profunt & seruisit. Pugnantis in vtero Rebecce Iacob & Esau dixit Deus eorum marit: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi in vtero diuidentur. populūque populi superabit, & maior seruiet minori. Hi duo populi sunt boni & mali, per Iacob & Esau intellecti. Mali autē seruiunt bonis, non obediendo sed vexando. Ita Augustinus hunc locum interpretatur, quanuis alias etiam expositiones assignet. Ut enim ut ipse ait, paleæ in aurificis fornace seruiunt auro, illud purificando, & cum videantur ipsum comburere, illustrius reddunt, ipsæ autem comburuntur, sic mali cum videantur bonis perniciem moliri, eos splendidiore reddunt, sibi autem ipsis excidium machinantur. Occidebant tyranni vnum martyrem, & eius sanguine rigabatur ecclesia, eiusque miraculis multi conuertebantur. Volentes tyranni iusti famam obscurare, eam amplius illustrabant, & volentes ecclesiam extinguere, eam amplius extendebant & propagabāt. Quæ admodum in Exodo referunt diuinæ literæ, Hebræos tanto magis fuisse multiplicatos, quanto durius ab Aegyptiis opprimebantur. Vide diuinam potentiam & pietatem. Hi, qui ecclesiam affligebant, erantque tyrannorum filij, ad ipsam ecclesiam postea supplices accesserunt. Quod intuens animo Esaias, ipsam ecclesiam iis verbis alloquitur: Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te.

Ponam te in superbiam seculorum.] Id est, in magnam dignitatis altitudinem. Sumitur hoc in loco superbia in bonam partem, quemadmodum capite sequenti Pagninus vertit: *Ponam te in gloriam perpetuam.*

Et suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.] Hoc est, poteris bonis gentium, & regum eorum.

Fortis Iacob.] Iacob casus est genitiui. Dicitur autē Deus fortis Iacob, quia Iudæis fortitudinem suam ostendit, eos ex magnis periculis liberando.

Pro are asseram aurum.] Deus est qui ecclesiam alloquitur, ac si dicat: Assues & ecclesia diuitiis & felicitate. Post inopiā eris diues, post aduersitatem felix.

*Similia.
Figura.*

Simile.

Exod. 16.

Et ponam visitationem tuam pacem.] Hoc est, Constitutam tibi visitatores pacis studiosos. Sed quoniam fieri non potest ut sit pax, ubi non est iustitia, ait: Et prepositos tuos iustitiam. Quasi dicat: Efficiam ut gubernatores tui sint præditi iustitia & æquitate. Aspicias hinc necessarium esse iustitiam ad pacis conferuationem. Iustitia enim & pax, ut dicitur in psalmo, osculate sunt.

Psal. 84.

Non audietur vltra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor Luna illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis mee, opus manus mee ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.

Apoc. 21.
& 22.

Non audietur vltra iniquitas in terra tua.] Ab ecclesia militanti se transfert propheta ad triumphantem.

Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.] Tempore belli & obsidionis in muris ciuitatis non est quies, nec salus, neque in portis auditur canticum laudis & lætitiæ, sed hostium oppugnantium vox. At tu ô ecclesia nunc militans postquam fueris in cælum translata, summa pace & tranquillitate fruëris, iam enim non eris militas, sed triumphans. Hanc cœlestē Hierosolymā & triūphantē ecclesiā describit multis verbis Diuus Ioannes in Apocalypsi cap. 21. ubi inter alia ait eam esse in quadro positam, longitudine & latitudine æqualem, cum templum Salomonis ut diuinæ literæ in libro Regum tertio testantur, esset multo longius quā latum. Erat enim templum illud multis in rebus ecclesiæ militantis figura, in qua quidam sunt pauperes, quidam diuites, hi læticia exultant, illi verò dolore premuntur. Eam ob causam templum non erat æquale, sed longum propter patientiam & longanimitatem, & strictū propter afflictionē & calamitatis angustiam. At in cœlesti Hierosolyma nulla est paupertas, nulla calamitas, sed summa bonorum omnium abundantia. Hic nulla est vera quies, nullum verum gaudium, sed strenuè hic pugnantibus hæc in illa æterna ciuitate referuantur. O cœlestē ciuitatem gloriosam Hierosolymam, in qua homines charitate præstantes constituti, nullo dolore premuntur, nul-

3. Reg. 6.
Figura.

la ma-

la macula contaminantur, sed summo & immortalis gaudis
 redundantes, & admirabili splendore ac diuina luce mican-
 tes, magnificentissimè triumphant, & Deo ipso in sempiter-
 num fruuntur. O beatissimas oras diuina ac splendidissima
 domicilia, vbi nulla est nox, vbi Deus est ipse Sol, vbi sancto-
 rum laus obrui non potest, quorū nomen nulla vnquam de-
 lebit obliuio. Hæc est ciuitas illa gloriosa, de qua hic ait E-
 saias: Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.

Complebuntur dies luctus tui.] Hoc est, finientur ð ecclesia
 labores & dolores tui, cum fueris ad cælū translata. Id mult-
 tis verbis explicuit Diuus Ioannes in Apocalypsi cap. 21. & *Apo. 21.*
 idem noster Esaias cap. 29. 32. 35. 45. 51. 66.

Populus tuus omnes iusti.] Ita Diuus Ioannes, Non intrabit
 inquit, in eam aliquod coinquinatum. Hic in ecclesia militā-
 te sunt boni simul & mali, ideo Christus eam sagenæ missæ *Matt. 13.*

in mare ex omni genere pisciū cōgreganti comparauit, eius-
 que discretionem asseruit esse in iudicio futurā, vbi separati
 mali de medio iustorum in ignem æternum mitrentur. Et eā
 ob causam eam decem virginibus comparauit, quarū quin-
 que erant prudentes, quinque verò fatuæ. Ex quibus collig-
 es id, quod hic ait Esaias, non esse de ecclesia hac catholica *Matt. 25.*

militante, quatenus militans est intelligendum, sed de trium-
 phante, Ecclesia enim non est societas sanctorū in gratia ex-
 istentium, nam cum nesciamus quæ sint in gratia, non posse-
 mus scire quæ, aut vbi esset ecclesia. Ecclesia verò est cætus
 Christi fidelium, siue boni illi sint, siue mali, dummodò ca-
 tholici & obediens. Nam fideles mēbra sunt Christi, licet
 peccatores, atque illi coniuncti, quia sunt de ecclesia, que est
 fidelium cōgregatio, & sub Christo capite militat, vt fuit in
 cōcilio Constantiensi contra Vuitclesum explicatum. Id in-
 telligens Apostolus scribens ad Corinthios, inter quos esse
 sciebat aliquos scelere contaminatos, vt ex eadem epistola *1. Cor. 11.*

apertè colligitur. Vos, inquit, estis corpus Christi, & mem-
 bra de membro. Hic aspicias clarissimè ecclesiam non esse tan-
 tum societatem sanctorum, vt hæretici nostri temporis affir-
 mant. Quomodo enim eam Christus sagenæ ex omni gene-
 re piscium bonorum & malorum congreganti compararet, *Matt. 13.*

& decem virginibus, quarum quinque sunt prudentes, quin-
 que fatuæ, si in ea solum sancti inuenirentur? Quomodo D.
 Paulus Corinthios, quorum nonnulli flagitio erant astricti,
 membra Christi appellat, & totam ecclesiam dicit esse cor-
 pus, cuius Christus caput est? Si solum iusti sunt de ecclesia, *Matt. 25.*

Eph. 1.

quomodo Apostolus fideles Corinthios ecclesie membra vocat? O insipientes Lutheranos. Sed quid mirum est, eos quid sit ecclesia ignorare cum sint cæci, & ab ipsa ecclesia separati, & in Synagoga satanae constituti? Est igitur firmiter tenendum, fideles omnes esse de ecclesia. Et quamuis illi, qui mortifero peccato asringuntur à Christo capite nō recipiā gratiam, recipiunt tamen fidem. Sed hæc fides nisi ad eā ipse accedat & charitas, nec vnit perfectē cum Christo, nec corporis eius viuū membrum efficit. Nihilominus tamē sunt peccatores membra Christi, licet non viuā ob charitatis absentiam, quam Diuus Paulus in epistola ad Colossenses vinculum perfectionis appellat, quod nos perfectē vniat cum Christo, eiusque corporis viuā membra efficiat. Hæretici autem quoniam ab ecclesia recesserunt, neque eius membra sunt, nec fidem neque charitatem habent.

Eph. 3.

In perpetuum hæreditabunt terram.] Hoc est, cœlestem patriam: Hæc autem terra, vbi nunc sumus, à nullo homine in perpetuum possidetur. Ita hunc locum antiqui Hebræi explanarunt.

Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.] Hoc est, filii mei, quos ego genui & plantaui, qui sunt opus manus meæ, me in gloria æternis laudibus efferent, & glorificabunt.

Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam.] Hoc est, Pauci erunt fideles in principio ecclesie, sed multiplicabuntur in multa millia, & in populum fortissimum. In principio capitis locutus est propheta de ecclesia militante, postea conuertit se ad triumphantē, cum separatis à sagena malis piscibus soli sancti in cœlesti gloria quiescent, modò ad militantem reuertitur, vnde fluxerat oratio, quoniam qui in triumphante regnant, membra huius militantis fuerunt.

Ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.] Nempe vt multiplicentur fideles. Et hæc non statim, sed suo tempore fient. Hoc ideo dicit, quoniam Esaias multò ante aduentum Christi vaticinatus est. Ferūt inter Esaiam & Christum sexcentos annos inter fluxisse, Septuaginta habent: Ego Dominus in tempore congregabo eos. Fuerunt enim ex variis ritibus & sectis in vna fide & religione veritatis atq; pictatis plenissima congregati.

Annotations ex Hebræo in
CAPVT LX.

Sunge

Surge illuminare Ierusalem.] In Hebraico non est Ierusalem: sed existimo fuisse hanc dictionem sumptam ex Septuaginta interpretum translatione. Inuenitur etiam in interpretatione Chaldaica Ionathæ. In hebraico est in hunc modum kumi ori. Surge illuminare. Verbum enim or significat lucere & illuminare. Vnde nomen or, quod ponitur in eodem versu, lumen & lucem significat. Hinc vr ignem significat, & lustrationem ignis, quã Chaldæi suis idolis offerebãt. Lustrare enim illuminare est, vt apud Virgilium. Postera Phœbea lustrabat lampade terras. Ab hoc idolorũ cultu, & Chaldæorum idololatria præseruauit Deus Abrahamũ. Et id est, quod scriptura in Genesi voluit significare, vbi ait De⁹. Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Sed verisimilius est Vr esse oppidum in Chaldea hoc nomine vocatũ, de quo ita scriptum legimus: Et mortuus est Aran ante Tarah patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. Gen. 15.
Gen. 11.

Tunc videbis & afflues.] Pro & afflues est in Hebraico venahar à verbo nahar, quod significat affluere, confluere, & illuminare. In psalmo vbi nostra versio habet: Accedite ad eum, & illuminamini, habet Diuus Hieronymus: Respicite ad eum, & confluite. Ac si diceret. Cõsiderate Dei bonitatem & statim ad eũ simul currite. Ideo potest hic locus Esaiæ ita rectissimè verti: Tũc videbis & illuminaberis. Quasi dicat: Nũc õ gentilitas cæcitate laboras, sed cum fueris ad Christum conuersa, aperies mentis oculos, & diuino splendore illustraberis. Potest etiam verti: Tunc videbis, & eris splendida, hoc est, alacri vultu. Vt enim mæsti dicuntur obscuro, ita læti splendidi. Hac ratione ducti verterunt Septuaginta: Tunc videbis & gaudebis. Psal. 118.

Et laudem Domino annuntiantes.] In Hebraico est vt hehilloth. Pro quo rectè interpres noster verit: Et laudem. At Septuaginta intelligentes hoc esse ad Christi tempus referendum, verterunt: Et salutare Domini annuntiabunt. Est enim perspicuum Christum salutare Domini appellari, vs alias explicuimus.

Ponam visitationem tuam pacem, & prepositos tuos iustitiam.] Septuaginta habent: Et dabo principes tuos in pace, & episcopos tuos in iustitia. Beata reipublica, cui Deus dat principes & episcopos pacificè & iustè gubernantes. Animaduerte. Non dicit: Principes tui & episcopi tui ipsi per se amicitia consequentur magistratus, sed ego dabo eos.

Argumentum Capitis LXI.

Inducit propheta Christum dicentem, se esse cœlestem doctorem in terram missum ad veritatem docendum, nostris vulneribus medendum, nosq; è tenebris ad veram lucem vindicandum. Ostendit se esse nostrum consolatorem & remuneratorem. Describit Apostolos, virósque Apostolicos turbulentis cupiditatibus obsessentes, atque in dictis & factis modum & ordines conseruantes. Hos appellat fortes iustitia, ob eorù fortitudinem iustitia custodem & propugnatricem, & mûdi restauratores ob eorum doctrinam & ardentem charitatem. Tandē ipse propheta cōuertit se ad Dei misericordiæ cōtēplationem, pro qua illi gratias agit eumque laudibus effert.

CAPVT LXI.

Luc. 4.



*S*piritus Domini super me, eò quòd vnxit me; ad annuntiaudum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & predicarem captiuis indulgentiam & clausis apertionē, vt predicarem annuum placibilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt cōsolarer omnes lugentes: vt ponerem fortitudinem lucētibus Sio, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritum meroris. Et vocabuntur in ea fortes iustitia, plantatio Domini ad gloriificandum. Et edificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, dissipatas in generationem. Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra, & filii peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erūt. Vos autem sacerdotes Domini votabimini, ministri Dei nostri, dicitur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbiētis.

EXPLANATIO.

Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me. Ille, qui in fine superioris capitis dixit: Ego Dominus, in tempore eius subito faciam illud, prosequitur dicens: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me, esse autē eum Christum seruatorem nostrum asserit ipse Christus apud Lucam cap. 4. vbi hunc locum de seipso apertissimè interpretatur. Intelligitur autem hoc iuxta carnis assumptionem, quemadmodum id, quod dixit Esaias cap. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini. Fuit autē saluator noster vnctus nō oleo, quo

Exod. 10.
I. Reg. 10.

quo Deus præcepit Moyſi, vt vngeret tabernaculum teſtimo 2. Reg. 16.
 ni, & arcam teſtamenti, menſânque cû vafis ſuis, neque eo,
 quo ipſe Moyſes vnxit Dei iuſſu Araonē, & filios eius, neque. *Pſal. 44.*
 eo, quo Samuel vnxit Saulem & Dauidem: ſed oleo gratiæ
 & lætitiæ. Ita enim regius vates Chriſtum alloquens præ-
 dixerat in pſalmo: Dilexiſti iuſtitia, & odiſti iniquita:ē. pro-
 pterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię præ cõſortibus
 tuis. Quibus verbis voluit propheta Chriſtu diuinitatem &
 humanitatem oſtendere. Nam illa diſtictio, Deus, quæ primò
 ponitur, eſt vocandi caſus, ſecunda autem nominandi. Vbi
 vides Chriſtū eſſe à propheta Deum vocatum. Dicens autē
 propheta eſſe illum à Deo vnctum gratia & exaltatione ſu-
 per omnes homines eius conſortes & participes, apertè eius
 humanitatem ſignificat. Intelliſſi autem hunc plalmum de
 Chriſto Deo noſtro, aſſerit in epiſtola ad Hebræos D. Pau- *Heb. 1.*
 lus. Conſtituerat Deus vt apud Hebræos, reges & ſacerdo-
 tes oleo ſacro vngerentur. Cum autem Chriſtus ſit & rex &
 ſacerdos, æquum erat, vt priſtina conſuetudine oleo ſancto
 atque cœleſti vngeretur. Hoc intelligentes fideles, dicebant.
 vt in Actis refert D. Lucas, Deum alloquentes: Domine tu es *Act. 4.*
 qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt,
 qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixi-
 ſti. Quare fremuerūt gentes, & populi meditati ſunt inania? *Pſal. 2.*
 Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnū ad-
 uerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt
 enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctū puerum tuum Ie-
 ſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gētibus
 & populis Iſrael. Et in Actis cap. 10, in hunc modum D. Pe-
 trus auditores alloquitur: Vos ſcitis quòd factum eſt verbū
 per vniuerſam Iudæam, incipiēs enim à Galilæa poſt baptiſ-
 mū, quod prædicauit Ioannes Ieſum à Nazareth, quomodo
 vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute. Aſpiciſtiſtæque ſer-
 uatorem noſtrum vnctum à Deo, non oleo humano ſed di-
 uino nimirum Spiritu ſancto, & virtute, quod Dauid oleum
 lætitiæ appellauit. Chriſtus enim idem eſt quod vnctus: Græ-
 cè dicitur χριςός à verbo χρίω, quod eſt vngo, & Hebraicè
 maxacha à verbo maxach quod ſignificat vngere. Vnde tria
 hæc nomina, Chriſtus Meſſias, vnctus idem ſignificat: & in
 pſalmo, vbi noſtra verſio habet: Aduerſus Chriſtum eius, eſt *Pſal. 2.*
 in Hebraico aduerſus Meſſiam eius, Et perpende. Poſt vn-
 ctionem Spiritus ſancti ſequitur annuntiatio. Ait enim, Ad
 annuntiandum manſuetis miſit me. Prius enim concionator
 debet

debet gratia vngi, quàm munus accipiat concionandi,

Ad annuntiaudum mansuetis misit me.] Fuit Christus misus non cum externa, & mundi pompa, & gloria, sed in humilitate & mansuetudine, vt humilibus & mitibus viam veritatis ostenderet, & euangelium annuntiaret.

Vt mederer contritiis corde.] Aspicias hâc Christum esse medicum nostrum. Ad hoc enim venit, vt suis vulneribus nostra vulnera curaret. Si medicus aliquis tuæ ægritudini gratis mederetur, coletes memoriam tanti beneficij benevolentia perpetua. Cùm igitur Christus medicus noster nos non totum gratis curauerit, sed etiam pro salute nostra suum sanguinem & vitam profuderit, quæ erit memoria, quæ vis ingenij, quæ magnitudo religionis, quæ possit tam admirabili beneficio respondere? Ipse Christus fatetur apud Marcum se esse medicum. Cùm enim scribæ & pharisæi de illo detraherent, quod cum publicanis manducaret, respondit: Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores: Et Ecclesiasticus ait à Deo esse medelam omnem. Si Christus venit vt mederetur nobis, ergo ægroti eramus. Nos sumus ille saucius & spoliatus, qui descenderat de Ierusalem in Iericho, quem Samaritanus ille coelestis medicus curauit. Transierat Sacerdos & Leuita, sed videntes eum, præterierunt. Venit lex Moysaica, & præteriuit, quoniâ non iustificabat. Ita enim in epistola ad Romanos ait Apostolus: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Et in epistola ad Galatas, Quoniam, inquit, in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuuit, lex autem non ex fide, sed qui fecerit ea, viuuet in illis, Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, &c. Et paulò post, Si enim, inquit, data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et in eadem epistola cap. 2. Si enim, inquit, per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est: Et paulò antè, Scientes autem, inquit, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi. Et Diuus Ioannes ait legem per Moysen datam esse, gratiam autè & veritatè per Iesum Christum factâ. Fuerunt quidè in lege veteri multi viri iusti & gratia induti, sed nò per legè,

Mat. 2.

Ecc. 38.

Luc. 10.

Rom. 8.

Galat. 3.

Galat. 2.

Ioan. 1.

sed per fidem, & , vt fuit in concilio Florentino assertum, antiquæ legis sacramenta non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant. Et preterea qui tunc in gratia decedebant, non cælum penetrabant, sed in infernis vsque ad Christi mortem referuabatur. Vt enim Moyses non potuit intrmittere filios Israël in terram promissionis, sed necessarium fuit venire Iosue, qui eos ad illam perduceret, sic lex vetus non potuit iustificare, & suos in cælestem patriam adducere, sed venit Iosue ille cælestis, qui nos ad vitam æternam perduceret, suæque sanguine coram aperiret. Hic est Samaritanus ille, qui nos amplissimis Dei beneficiis ob scelera nostra spoliatos, ex ampla Hierosolyma & altissimo dignitatis gradu præcipitatos, grauissimisque vulneribus percussos curauit, & in diuersorio vniuersalis ecclesiæ constituit, vt inde ad immortalem beatitudinem tandem perduceret. Samaritanus enim idem est quod custos, de quo dicitur in psalmo: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Hic est qui homines curauit, qui ait hoc in loco: Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde. Perpende. Non dicit omnibus mederi, sed contritis corde, quandiu enim cor est durum, & in sceleribus obstinatum, nullam habet salutem, inde oportet vt corda nostra lachrymis molliamus, nosque ad gratiam Dei præparemus, ipse enim, vt dicitur in psalmo, sanat contritos corde, & alligat cõrtriciones eorũ. Et vt dicitur alio in psal. Cor contritum & humiliatum non despicit.

Et prædicarem captiuis indulgentiã.] Aspicias hic peccatores captiuos appellari. Qua de re alias nonnulla diximus.

Et clausis apertionem.] Hoc est cæcis visum. Quod de vtraque cæcitate & mentis & corporis intelligitur. Vel clausis, hoc est, in dæmonis carcerem coniectis, libertatem, Solent enim custodes portas aperire illis, qui liberè de carcere egrediuntur. Vel loquitur de iis, qui ceremoniis Mosaicis detinebantur, quos Christus vocauit ad libertatem euangelicam, non illam quam hæretici nostri temporis amplectuntur, qui dissolutionem & vitæ deprauationem libertatē vocant. Sed eam, quam Romana & vniuersalis ecclesia docet, quæ est, vt ait Apostolus columna & firmamentum veritatis. Lege caput. 42. & videbis missum fuisse Christum vt oculos cæcorũ aperiret. Ita enim eum Deus pater alloquitur Dedi te in scædus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educes de conclusione vinctum de domo carceris. Vbi aspicias

aspicis flagitiosos cæcos esse mentis que lumine priuatos.

Vt predicarem annum placabilem Domino.] Id est, tempus gratiæ, de quo ait Paulus: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Fortasse annum placabilem appellat, quia Deum patrem placauit, nõsque morte sua cum eo nos recõcilauit, seque pro nobis hostiam placationis constituit.

Diem ultionis] Hoc est, diem extremi iudicij. Vel tempus euerfionis Hierosolymę per Titum.

Vt consolauer omnes lugentes.] Manus est Christi lugentes consolari. Ipse enim ait: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Pro lachrymis debite emisissis tribuit Deus & hęc internam consolationem, & in cœlo æternam beatitudinẽ:

Matt. 5.

funt enim lachrymæ semen gloriæ. Id intelligens Dauid dicebat in psalmo: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Loquor de lachrymis poenitentia, & de illis, quæ ob

Psal. 125.

pias iustasque causas funduntur. Ideo sequitur: Vt ponerem fortitudinẽ lugētibus Sion. Nõ promittit Deus cõsolaturum lugētes Babylonẽ, sed Sion. Nõ illi sunt gratę lachrymę fuscę ob mundi voluptates amissas, sed eæ, quę ob amissionẽ Sionis emittitur. Plorabāt filij Israëlts, nec poterāt cõtinere lachrymas ob Hierosolymæ suæ recordationẽ, sed eates captiui iuxta flumina Babylonis, & dicētes: Illic sedim⁹ & fleuimus, dñs recordaremur tui Sion. Nos ob cœlestis Sionis desiderio in hoc exilio oculos nostros fontes viuarũ aquarũ faciamus.

Psal. 136.

Lugere Sion est ecclesie afflictiones deplorare, vel peccata in Sione admissa, vel præ desiderio cœlestis Sionis lachrymas profundere. Huiusmodi lugētes Deus mirabiliter cõsolatur. Narrat Ezechiel dixisse Deũ cuidam viro: Transi per mediã ciuitatẽ in medio Ierusalẽ, & signa Tau super frontes virorũ gementiũ & dolētium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius. Et statim iussit illi, vt his seruatis cæteros interficeret. Eos seruat Deus illisq; vitam tribuit immortalem, qui mundi scelera deplorant, & finem rerum intuentur, atq; nouissima contemplantur. Litera enim Tau, quæ in

Ezeiel. 9.

Hebraico Alphabeto vltima litera est, finem rerum significat, quam debemus semper in memoria tenere, & ea veluti in fronte signari. Quemadmodũ ω mega apud Græcos quod in fine sit alphabeti finem significat, sic Tau apud Hebræos. Multi plorant mundi flagitia, sed nolunt à mundo ipso discedere, nec finem animo intueri. At necesse est mundi peccata lugere, & ipsum mundum relinquere. Mortuus est Iacob in Aegypto sed noluit ibi sepeliri, sed in terra promissionis:

Gen. 46.

& por-

& portantes eum mortuum filij sui egressi ab Aegypto
 venerunt ad aream Atad, quæ sita est trans Iordanem, vbi *Genes 5.*
 celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, *Figura.*
 impleuerunt septem dies, & vocatum est nomen loci
 illius: planctus Aegypti. Fortasse sciebat Iacob multos esse
 cum Christo Hierosolymæ resurrecturos, ideo voluit illuc
 asportari, vt eius corpus cum Christo resurgeret. Ait enim
 Matthæus multa corpora sanctorum resurrexisse. Sed ad hu *Matt. 27.*
 ius historię spiritualementem veniamus. Per mortem in
 Aegypto peccatū significatur. Malum est mori in Aegypto,
 sed sepeliri ibi, est maximè execrabile. Mortuo Iacob in Ae-
 gypto exierunt filij eius ab Aegypto, vbi septem dies plora-
 uerant. Ploremus mortem Aegypti, ploremus mundi impie-
 tates, & tetra facinora, ploremus peccata mundi, sed extra
 mundum. Relinquamus Aegyptum, & pro Aegypti sceleribus
 vim lachrymarum fundamus. Non vno die tantum, sed
 septem diebus, hoc est, toto tempore vitæ nostræ ita lugea-
 mus, vt dicatur vita nostra plāctus Aegypti. Quid significa- *Figura.*
 bat mare illud æneum in templo Salomonis, & lutes aqua *2. Reg. 7.*
 rum, nisi lachrymarum abundantiam, quibus deberemus a-
 nimas nostras lauare? Est enim hoc admirabile in lachrymis,
 quod foris exeuntes intus lauant, & deorsum cadentes ascē-
 dunt sursum, & cum sint aquæ, de medio ignis egrediuntur,
 & ignis illis ardentius inflammat. Nonne cor Magdalene
 erat Aetna mons altissimus, diuini amoris incendio inflam-
 matus? Erat quidem. Et tamen in medio illius ardentissimæ
 flammæ erat quidam Nilus lachrymarum. Ex amore fluebāt
 ardentes lachrymæ, & lachrymæ augebant sanctum amo-
 rem. Si odoriferas aquas magnificimus ex rosis, aliisque flo-
 ribus distillatas, quia externum odorē, & paruā fragrantiam
 emittunt, quanti æstimandæ sunt lachrymæ, quæ animas
 intus abluunt? Eos qui tales lachrymas fundunt, consolatur
 Christus, vt ipse hoc in loco apud nostrum Esaiam testatur.

*Et vocabuntur in ea fortes iustitie plantatio Domini ad glori-
 ficandum.] Id est. Et qui in Ecclesia fuerint fortes in iustitia
 & constantes, appellabuntur plantatio Domini, hoc est, ar-
 bores plantatæ à Deo, ad ipsum Deum glorificandum.*

Et edificabunt deserta à seculo & ruinas antiquas erigent.]
 Hoc est, Apostoli & viri Apostolici instituent ad fidem gen-
 tes incultas, & à religione desertas. Et eos, qui iam à multis
 annis defecerant, restaurabunt.

*Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra.] Multi venient
 ad Ec*

Figura.

2. Reg. 7.

Similitudo.

ad Ecclesiam, qui cum antea essent alieni à fide, tamen recep-
to Euangelio non in peccatis iacebunt, sed stabunt erecti, &
erunt præsules & concionatores, non seipfos pascentes, sed
gregem & populum. Non dicit: pascent seipfos, sed pecora,
Nec dicit: Occident pecora, sed pascent: Ita dicebat Christus
Diuo Petro: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Et ter illū
interrogauit, vtrum eū amaret, non quòd ipse Christus hoc
ignoraret, sed vt nobis ostenderet quantam curam & cogita-
tionem in eligendo præsule figere deberemus, nec esse aptum
ad pasendas oues, nisi qui Deum amet, alijsq; in amore præ-
cellat. Ideò Christus dixit, Simeon Ioannis diligis me plus
his? Oportet esse præsulem charitate præstantem, alioquin nõ
oues, sed seipsum curabit. At Deus per Ezechielem, Vx, in-
quit, Pastoribus Israël, qui pascebant semetipfos, Nonne gre-
ges à Pastoribus pascentur? Legant Pastores capitulum, vbi
multa inuenient pulcherrima, & notatu dignissima.

Agricola & vinitores vestri erunt.] Hoc est, colent duram
cordium terram ad vberimos fructus ferendos, & vineam,
hoc est, Ecclesiam Christi sanguine rigatam custodient.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini.] Alloquitur Apo-
stolos & sacerdotes Christianos, qui non sacerdotes Aegy-
pti neque idolorum, sed Dei sacerdotes vocantur. At Luth-
erus asserit omnes Christianos esse sacerdotes, & aequaliter
posse absolueri & consecrari, deceptus verbis illis D. Petri
peruersè intellectis: Vos autem genus electum, regale sacer-
dotium, gēs sancta. Quid ais Luthere? vbi dicit hic Apo-
stolus omnes Christianos esse sacerdotes? Aliud est appellare
Christianos esse sacerdotium regale, aliud dicere, omnes vos
Christiani estis sacerdotes. Etsi diceret: Vos estis sacerdotes,
non tamen inferretur omnes sacerdotes esse: non enim dicit:
vos omnes vniuersaliter, sed vos indefinitè. Nam iuxta Ari-
stotelis doctrinā indefinita enuntiatio in contingentibus non
vniuersali sed particulari æquipollet. Præterea non ait Apo-
stolus estis sacerdotes, sed sacerdotium regale. Cum enim
Christus sit rex & sacerdos in æternum secundum ordinem
Melchisedech, æquum est, vt qui illi vniuntur, regale sacerdo-
tium appellentur. Sed hinc non inferri omnes Christianos
esse sacerdotes, Imò ipse Petrus Apostolorum princeps, què
pro te citas, in eadem epistola capite vltimo separat sacerdo-
tes à laicis, non aliter quàm pastores à grege. Ait enim illis:
Pascite qui est in vobis gregem Dei. Nonne vides ipsam D.
Petri epistolam, quam pro te asfers, tuā hæresim damnare?
Quæ

Iod. 37.

Eze. 34.

1. Petr. 2.

1. Petr. vlt.

Quæ maior posset esse confusio, quàm omnes iã pueros quã
 fines esse sacerdotes? Sed ais non omnes posse vti munere sa-
 cerdotali, nisi ex cõsensu plebis, quanquã omnes ex equo sint
 veri sacerdotes. Quæro abs te, quæ plebs Diuum Paulum sa-
 cerdotem constituit? nõnne ipse ita ad Galatas scribit: Pau-
 lus Apostolus nõ ab hominibus, neq; per hominem, sed per
 Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mor-
 tuis? Imò ipse Paulus Titum & Timotheum constituit sa-
 cerdotes, vt ex epistolis ad eos scriptis apertissimè colligitur.
 Et Tito, Huius rei, inquit, gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ
 defunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut
 & ego disposui tibi. Multi erant in ciuitatibus illis Christia-
 nis, sed ex illis Titus eos presbyteros constituēbat, qui illi ap-
 ti tanto muneri videbantur. Vbi vides non omnes Christia-
 nos esse sacerdotes, nec omnes sacerdotes à plebe constitui,
 & falsam esse vtranque tuam opinionem, & hæresim detesta-
 bilē. Sunt aduersus te omnes catholici doctores tam antiqui
 quàm recentiores, tam Græci quàm Latini, pugnant contra
 te vniuersalia concilia, & ecclesiæ consuetudo ab ipsis Apo-
 stolis vsque ad nostra tempora firmiter conseruata, Sed quo-
 niam omnia hæc irrides & pro nihilo putas, cur te non pu-
 det tam aperta sacrarum literarum testimonia contemnere?
 Tu qui intellectu diuinæ scripturæ gloriaris, eumq; tibi soli
 sumis & arrogas, quomodo tam euidentes locos non vides?
 Dicis omnes esse equaliter sacerdotes, sed eos munere sacer-
 dotali vti, qui à plebe vocantur. At Diuus Paulus, inquit, in
 epistola ad Hebræos: Nec quisquam sumat sibi honorem, sed
 qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Vbi legisti Luthere Aa-
 ronem fuisse à plebe sacerdotem constitutum? Nõnne asse-
 runt diuinæ literę in veteri testamento Deum illi sacerdotiũ
 tribuisse, & Diuus Paulus asseueranter affirmat eum fuisse à
 Deo vocatum? Si hanc dignitatem habebant sacerdotes Sy-
 nagogæ, quanto magis ecclesiæ, pro qua Christus sanguinẽ
 suum profudit, quo eam mirabiliter rigauit? Quare non po-
 teris colligere ex hoc loco Esaiæ omnes Christianos esse æ-
 qualiter sacerdotes. Solùm enim diuinus noster vates Apo-
 stolos, & nouæ legis sacerdotes alloquitur, quos Domini
 sacerdotes appellat, vt eos à dæmoniorum sacerdotibus di-
 uidat: Nam paulò antè eodem capite ipsos sacerdotes diui-
 dit ac separat à plebè dicens: Et pascent pecora vestra. Vbi
 vides sacerdotes esse pastores, plebem verò & subditos, o-
 ues appellari.

Galat. 1.

Tit. 1.

Heb. 5.

Exod. 28.

Num. 17.

Heb. 1.

Forti-

Act. 4.

Fortitudinem gentium comedetis.] Hoc est, potiemini opibus, quas gentes ad ecclesiam afferēt. Refert Diuus Lucas in Actis eos, qui ad fidem conuertebantur, opes suas afferre, & ad pedes Apostolorum proiicere. Vel per fortitudinem gentium intelligitur Christianorum fides, martyrium, & cōstātia. Et quoniam epulæ sacerdotum sunt Christianorum virtutes, quibus tanquam dapibus delectantur, ideo ait: Fortitudinem gentiū comeditis, quasi diceret: Fortitudine eorū, qui ad Christū fuerint conuersi, oblectabimini. Vt enim agri colæ lætantur videntes terræ, quam coluerunt, herbescentē viriditatem, eamq; fruges vberimas largiri, vites latifolice pampinis pubescere, ramōsque baccarum ac fructuum copia incuruari, sic & multo amplius oblectantur præfules & cōcionatores, intuentes populum ab illis instructum, admirabiles virtutum fructus producere. Contrā verò vt insignis pictor vidēs imaginem quam pulchram depinxit, in qua voluit suum ingenium & artificium exprimere, maculatam & deformatam, tummo dolore premitur, nec potest tantum mœrorem æquo animo tolerare, sic præfules, & p̄i sacerdotes, & concionatores videntes corruptos & sceleribus contaminatos eos, quos sollicitē variisque doctrinarum coloribus instruxerunt, incredibili mœrore cruciantur. Versio tamen Pagnini fauet priori expositioni: Ita enim habet: *Opes gentium comedetis.*

Similitudo

Altera similitudo.

Et in gloria eorum superbieitis.] Capitur superbiere pro exaltare, & gaudio efferi. Quasi dicat: Vos præfules gloria fidelium delectabimini. Vnde Paulus Apostolus Philippenses alloquens, Irāque inquit, fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.

Philip. 4.

Pro confusione vestra duplici & rubore laudabunt partem eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, latitina sempiterna erit eis. *Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum, & dabo opus eorum in veritate, & sceleris perpetuum feriam eis.* Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis saluis, & indumento iustitiæ circumdedi me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponfam ornatam monilibus suis.* Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.

Pro

Pro confusione vestra duplici & rubore.] Hæc duplex confusio & molestia est afflictio qua duo populi infideles nẽpe gentilium & Iudæorum Apostolos ceterosque viros sanctos vexabant. Vel ideo appellatur duplex, quia & verbis & factis viri sancti affligebantur. Sed quò magis, qui se ad fidem conuertebant, premebantur, eò magis gaudebant, & partem atque sortem suam laudabant. Ideo ait: Pro confusione vestra duplici & rubore laudabunt partem eorũ, seu vt ex Hebraico potest verti, partem suam. Poteris per partem suam deum intelligere, iuxta id, quod dicitur in Psalmo: Pars mea Dominus. Quasi dicat: in omni afflictione Deo gratias agent. Ego existimo hanc particulam, duplici, accipi hoc in loco pro multiplici, quemadmodum mos est scripturæ finitum pro indefinito accipere. Et eodem modo in sequenti versu: Propter hoc in terra sua duplicia possidebũt. Est igitur sensus: Pro multis ac variis calamitatibus æquo & alacri animo toleratis, magna gaudia in cœlesti patria cõsequentur.

Et odis habens rapinam in holocaustum.] Id est, exacerans sacrificia ex rebus raptis. Plus diligit Deus iustorum paupertatem, quàm diuitum ex rebus malè acquisitis munera. Dicitur enim in Prouerbis: Honora Dominum de tua substantia. Et Tobias. Ex substantia inquit, tua fac elemosynam. Et apud Matthæum ait Christus Deus nosier: Si ergo offers munus tuum ad altare, &c. Semper pronomẽ tuum apponitur. Id autem quod est rapina comparatum, non est tuum, sed alienum.

Et dabo opus eorum in veritate.] Id est, Et retribuam eis iuxta opus eorum absque villo dubio.

Et scietur in gentibus semen eorum.] Hoc est. Cognoscetur inter gentes semen Apostolorum. Quasi dicat, fideles, quos Apostoli verbo & exemplo genuerint, erunt inter omnes homines cogniti. D. Paulus Corinthiis scribens, Per Euãgelium, inquit, ego vos genui. Et in psalmo ait Christus: Semen meum seruiet ipsi. Hoc est, fideles mei seruient Domino. Si Christus eiusque Apostoli eos genuerunt, quos conuerterunt ad fidem, & à vitis separarunt, ergo antea non erant, dum sceleribus implicabãtur. Ex quo colliges, impiorum vitam esse potius mortem dicendam, quàm vitam. Aspicias præterea docere esse gignere, & doctores patres posse appellari.

Gaudens gaudebo in Domino.] Verba sunt ecclesiæ, quam Propheta facit loquentem, gaudium suum proferentem, & beneficia à Christo accepta prædicantem. Animaduerte. Nũ

Psal. 50.

dicit Gaudebo in mundo, sed in Domino. Ita David. Redde mihi, inquit, letitiam salutaris tui. Et Apostolus Philippensibus, Gaudere, inquit, in Domino semper. Poteris hoc referre ad ipsum Esaiam, ut ipse sit, qui has voces emittat.

Quia induit me vestimentis salutis.] Hoc est, iustitia & charitate, id quod sequitur: Et indumento iustitiæ circumdedit me, est idem, sed aliis verbis.

Quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis] Hoc est, ita me Christus virtutum ornamentis induit, acsi ego essem sponsum in die nuptiarum splendidis vestibus cooperitus, & corona decoratus, & sponsa pulcherrimis ornamentis induta.

Sicut enim terra profert & germen suum.] Prædicta ecclesie exultatione cōcludit propheta dicens, magnam fore iustitiam & laudem, non solum coram Iudæis, sed etiam corā cunctis gentibus.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT LXI.

Ad annuntiandū mōsuetis misit me.] In Hebræo est in hunc modū, leuasser anauin xelachani. Dicitio anau significat mitem, mansuetū, benignū, humilē. Vnde id, quod habetur Numerorū ca. 12. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, interpretatur R. Salomō humilis & tolerans super omnes homines. Hac ratione adducti Septuaginta venterūt: Euangelizare pauperibus misit me. Solēt enim humiles pauperes appellari. Vnde id quod ait Christus: Beati pauperes spiritu, graues Authores nō de inopia, sed de humilitate explanant D. Lucas hāc autoritatem ex versione Septuaginta capite quarto sui Euāgelij citauit. Poteris etiam pauperes accipere in sua propria significatione pro egentibus & inopibus. Vbi vides apud Christum diuites & potentes non præferri pauperibus & humilibus. Homines sepe volunt potius diuitibus quā pauperibus Euāgelium prædicare. ac Christus pauperes elegit, venit enim mundi vanitatem euersum. Regnū mūdi incipit à magnaribus & potētibus, regnū verō Christi à pauperibus Reges & Principes mundi respiciūt diuites, Christus autē intuetur pauperes. De illo enim dicitur in psalmo 10. Oculi eius in pauperē respiciunt. Imō apud regem Herodem ab eo miraculum factum videre desiderātem siluit, nec verba nec miracula faciens, contrā verō apud pau-

Num. 12.

Mat. 5.

Luc. 4.

Psal. 10.

peres

peres & loquebatur, & miracula faciebat. Vt enim prudens mercator non vult ociosis & vanè curiosis merces suas ostendere, sed iis, quos intelligit esse illas empturos, sic Christus apud eos concionabatur, & euidentia atque mirabilia signa efficiebat, quos videbat esse ex his vtilitatem accepturos. Et volens apud Matthæum discipulis Ioannis interrogantibus. Es tu qui venturus es, an alium expectamus? ostendere se esse Christum in lege promissum, respondit rerum gestarum testimonio. Factis enim coram illis magnis miraculis. Dicite, inquit, Ioanni quæ vidistis. Cæci vident, Claudii ambulant, Læprosi mundantur, Surdi audiunt, Mortui resurgunt, Pauperes Euangelizantur. Hoc est, Euangelium illis prædicatum recipiunt. Quasi diceret, Ego sum ille, quem Prophetæ vaticinari sunt esse hæc opera facturum. Inter quæ miracula, vt vides, citat id quod hic ait: Euangelizare pauperibus misit me. Sciebat enim venturum esse tempus, vt pro miraculo haberetur Euangelisii pauperibus gratis annūtiare.

Vt mederer contritis corde. In Hebraico est lachauox lenix: bere leu. Verbum chauax significat propriè alligare, vt apud Eiaia cap. 30. In die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. Ideo Pagninus vertit: Vt alligarem contritos corde. Metaphora sumpta à chirurgis vulnera fasciis ligantibus. Vnde noster interpres rectè vertit: Vt mederer, D. Lucas habet, Sanare contritos corde. Quod est idem. Potest verti: Vt curarè contractos animò. Hoc est, animum vulneribus confossum & faucium habentes. Pro quo Theodotio vertit Ad alliganda vulnera peccatorum. Sunt enim peccatorum vulnera letalia, mortemq; ipsam nō multò postea, sed statim gignentia, iuxta id quod ait D. Iacobus Apostolus. Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem.

Et clausis apertionem. In Hebraico est Velaasurim pekach koach. Nomen asur vincitum significat, vt Genesis 39. Tradidit Ioseph in carcerem, vbi vinciti regis custodiebantur. Verbum Pakach significat velamen remouere & aperire, vt Genesis 3. Aperientur oculi vestri. Vnde nomen pekach apertionem & visum significat. Quapropter verterunt Septuaginta: Et cæcis vt videant. Quos secutus D. Lucas transfulit: Et cæcis visum. Potest verti: Et vincitis apertionem carceris. Ita enim transfulit Pagninus. Nam dictio Koach carcerem significat iuxta sententiam R. Ioseph. Nonnulli tamen existimant hæc duas dictiones pekach Koach esse vnam geminaram, & significare visum, & apertionem.

Simile

Matt. 11.

Supr. 30.

Iacob. 2.

Gen. 39.

Gen. 3.

Luc. 4.

Vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darent eis coronam pro cinere.] Versio cui Diuus Hieronymus adiecit commentaria, non habet fortitudinem, nec est hæc dictio in trãstatiōne Septuaginta, nec Pagnini, nec in textu Hebræico. Quare potest ita verti: Vt ponerem lugentibus Sion, & darem illis gloriam pro cinere. Quasi diceret: Vt ponerem ac darem piẽ ac debite plorantibus gaudium pro lachrymis. Vel sic, vt lugentibus ante oculos ponerem cœlestem Sionem, vt intelligerent, esse pro sanctis lachrymis æternam illam gloriam consecuturos.

Et vocabuntur in ea fortes iustitiæ.] Pro fortibus iustitiæ, est in Hebræico eleha tsedek. Si prima dictio venit ab el, dicendum est fortes, nam ael fortem significat & Deũ. Et hanc rationem secutus est noster interpres. Si autem est elaha dicẽ dũ est, arbores, elaha enim arborem significat, quã Latinus interpres Iosue ultimo quercum interpretatur. Ideo Pagninus vertit. Et vocabuntur arbores iustitiæ. Apostoli enim, ceteriq; viri maximarum virtutum fructibus cumilati arbores fuerunt: & palmæ fructiferæ semper virentes in ecclesia, veluti in terreno paradiso plantatæ. Eam ob causam cecinit Dauid: Iustus vt palma florebit. Et hæc fortasse est arbor, cui in primo psalmo iustus cõparatur. Ait enim: Et erit tãquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet. Palma enim varios fructus & mirificos producit, & nunquam foliis nudatur. Et inter alias qualitates ponderi resistit, & aduersus illud insurgit, in quo inuicti animi fortitudo eorum, qui palmæ comparãtur, clarissimẽ demonstratur.

In gloria eorum superbiẽtis.] Potest verti ex Hebræico: Eorum gloria oblectabimini: vel, vt Pagninus reddidit Latine: In gloria eorum exaltabimini. Aquila transtulit, εν δουλῆν αυτων πορρογα ενδουλσεσθαι. Hoc est In gloria eorum purpura vestiemini. Quasi dicat: Nulla inuidia ob eorum felicitatem cruciabitur, sed etiam preciosis vestibus & ornamentis gaudium, quo ob eorum gloriam perfundemini, ostendetis.

Argumentum capituli LXII.

Promittit Diuinus vates fore vt nunquam taceat, & a cõtionibus desistat. Vaticinatur de primo Christi in mundum aduentu & de Ecclesiæ prosperitate.

Iosue vlt.

Psal. 92.

Psal. 14.

CAPVT LXII.



Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclinant tuum, & vocabitur tibi nomen tuum, quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriae in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra de solita, & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos Ierusalem constituit custodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat & donec ponat Ierusalem laudem in terra.

EXPLANATIO.

Propter Sion non tacebo.] Cum Esaias Christi adventum preciceret, & omnes ad virtutem veramque Dei religionem amplectendam hortaretur, ab impiis contenebatur, sed tamen a concionibus suis non desistebat. Non enim erant apud eum tantum momenti sceleratorum hominum iniuria, ut eius animi frangerent & debilitarent. Nam viri iusti & constantia muniti nullis rerum aduersarum fulminibus terrentur, nullis impiorum hominum oppugnationibus perturbantur, nullis minarum fluctibus obruuntur. Quin potius quo acerbis oppugnari se sentiunt, eo liberius & rectiore animo clamant, quando opus est, & ratio praescribit, nolentes veritatem necessario dicendam silentio praeterire. Scribis & Principibus sacerdotum praecipientibus Petro & Ioanni Apostolis, ne Christum annuntiarerent, responderunt ipsi. Non possumus que vidimus & audiimus non loqui. Ita tradit Lucas in Actis Apostolorum capite 4. Et sequenti capite tradit eos iterum respondisse. Obedire oportet Deo magis quam hominibus, & nec contumeliis nec flagellis caesos voluisse a praedicatione desistere. Et D. Paulus in epistola 1 ad Corinthios. Vae enim, inquit, mihi est, si non euangelizauero. Et Esaias. Vae inquit mihi, quia tacui. Eam ob causam nunc ait se propter Sionem, hoc est, propter pios clamaturum esse, nec ab incepto cessaturum. Vel Propter Sionem, hoc est, quia ita opus est civitati Hierosolymae.

Mt. 4.

Mt. 5.

1. Cor. 9.

Supra 6.

Donec egrediatur ut splendor iustus eius.] Hoc est, donec veniat Christus. Ac si diceret: Si usque ad Christum viverem, semper eius adventum predicarem, & homines ad virtutem exhortarer. Christum appellat iustum Sionis, hoc est, a quo omnis Sionis iustitia dimanat. Et Ieremias. Hoc est, inquit, nomen quod vocabunt eum. Dominus iustus noster. Et Stephanus in Actibus. Occiderunt, inquit, eos, qui pre-nuntiabant de adventu iusti. Vbi per iustum Christum intelligitur.

Iere. 23.

Ez. 33.

Act. 7.

Et saluator eius ut lampas accendatur.] Quem iustum vocavit, nunc saluatorem appellat. Iesus enim idem est quod saluator.

Et videbunt omnes Gentes iustum tuam.] Non solum tu Hierosolyma, sed omnes etiam Gentes Christum videbunt, licet non oculis, tamen fide. Videmus nunc ait Apostolus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Et David. Videre, inquit, omnes termini terrae salutare Dei nostri. Per speculum est Galatas Christum corporeis oculis non vidisse, nihilominus tamen ad eos ita dicit Paulus scribit: Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?

I. Cor. 13.

Psal. 67.

Gal. 3.

Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nomenavit.] Hoc est, appellaberis Ecclesia super Petra fundata, ita enim te Christus appellabit. D. Mattheus inquit dixisse Christum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

Matt. 16.

Et eris corona glorie in manu Domini.] Si corona solet esse in capite, non autem in manu, quomodo inquit Propheta Ecclesiam esse coronam glorie in manu domini? Ego existimo eum voluisse ostendere nunquam defecturam esse fidem Ecclesie, quoniam eam Deus manu sua tenet apprehensam. Quomodo fieri potest, ut diabolus spoliaret fidem ecclesiam, quam Deus habet sua manu custoditam? Ideo portae inferi adversus eam nunquam prevalebunt, ut ipsa veritas asseruit apud Mattheum, & apud Lucam, Ego, inquit, oravi pro te, ut non deficiat fides tua. Capitur autem corona hoc in loco pro regno, quemadmodum & diadema regni. Ac si diceret: Eris de ecclesia regnum gloriosum, non aeternum sub rege aliquo humano, qui tui in eternum dominetur, sed eris regnum in manu Domini ab ipso nunquam derelictum. Vel sic: Eris gloriosa & incluta, & a Deo dilecta. Vel, eris corona glorie in manu Domini, hoc est, Propter te glorificabitur Dominus. Hae exortatione orationis utitur D. Paulus in epist. ad Philip. ita dicens. Irae fratres mei

Matt. 17.

Luc. 22.

Philip. 4.

mei charissimi et desideratissimi gaudiū meū & corona mea, & Salomon in Prou. Mulier diligens corona est viro suo. *Prou. 12.*

Sed vocaberis voluntas mea in ea.] Solet aliquando scriptura nomina rebus ex euentu imponere, quemadmodum supra fuit Christus vocatus, Accelera, spolia detrahe, festina prædari à celeritate, quæ dæmonem spoliavit, & genus humanū ab eius faucibus eripuit. *Supr. 8.*

Habitabit enim iuuenis cum virgine.] Hoc est, tanta erit pudicitia inter sanctos Christi fideles, vt virgines puellæ etiam inter iuuenes habitent securæ & intactæ.

Et habitabunt in te filii tui.] Nullus ecclesie filius extra eam est: at infideles sunt ab ea alienati. Hæretici non appellantur ecclesie filii, sed synagogæ diaboli.

Et gaudebit sponsus super sponsam.] Quis sit hic sponsus & hæc sponsa explicat statim dicens: Et gaudebit super te Deus tuus. Vbi vides Ecclesiam esse Dei sponsam. Hæc est ea, quæ Salomon in Canticis facit cum sponso suo Christo loquentem, de qua ait Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut Ephef. 5. & Christus dilexit ecclesiam.

Super muros tuos Ierusalem constitui custodes.] Hoc est, Apostolos, præfules, & doctores, quorum interest vigilare, speculari, custodire & docere. Ita D. Paulus Thimotheo dicebat: Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, &c. *2. Tim. 4.*

Qui reminiscimini Domini ne taceatis.] Sensus est: Vos qui Dei recordamini, orate Dominum pro ecclesie laude, & pace, nec à precibus vnquam desistatis, quandiu eam afflictam videritis.

Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis sue. Si dederō triticum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabunt Dominum, & qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis. Transite, transite per portas, preparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate signū ad populos. Ecce Dominus auditū suū in extremis terræ. Dicite filiæ Sion: Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino. Tu autem vocaberis quesita ciuitas, & non derelicta. *Matt. 21. Zach. 9.*

Si dederō.] Id est, Non dabo, Ponitur, Si, pro non, vt in psalmo: Ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iurauī in ira mea, si introibunt in requiem meam. Id est, quod non introibunt. Promittit Deus nunquam Ecclesiam suam derelicturum.

liceturum. Poteris per triticum, & vinum virtutes intelligere, quæ sunt animarum dapes. Has promittit Deus nunquã esse ab Ecclesia auferendas, sed illis prodesse, qui in illas incubunt.

In atrijs sanctis meis.] Id est, in sancta ecclesia mea.

Transite, transite per portas.] Egredimini de Babylone vos ô Iudæi, transite per portas eius, quas vobis Cyrus aperiet, & referte vos in patriam vestram. Alloquitur populum Hebræorum in Babylonica captiuitate detentũ, de eius liberatione vaticinãs. Sed per Babylone mundus intelligitur, eiusque confusio, à qua hortatur propheta, vt omnes egrediantur.

Præparate viam populo.] Vos magnates, sapientes, & præfules ducite populum è mundi confusione ad veritatem, ostẽdite illi iter ad cœlestem Hierosolyam. Eligite ex via lapides, eosque remouete, vt populus possit sine impedimento transire. Doctores qui ad virtutes hortantur, sed sunt tetris vitis implicati, viam quidem veritatis ostẽdunt, sed nec eam præparant, nec lapides ceteraque impedimenta volunt ab ea remouere. Nam quanto apertius eam ostendunt verbis, tãto perniciosius eam impediunt factis. Quid est deprauata vita præfulis & concionatoris, nisi quidam ingens in via lapis? Oportet concionatorem & præfulem esse doctrina excultum, & virtute præditum. Vt enim calx sine arena parum & imbecillo quodam modo lapides conglutinat, arena autem sine calce nihil penitus efficit, at calx cum arena fortiter & mirabiliter vnit & astringit, sic virtus sine doctrina aliis nõ multum prodest, doctrina verò sine virtute non solum non coadunat, sed etiam sæpe diuidit & destruit. At virtus cum doctrina coniuncta mirabiliter ædificat, & diuisos ac discordes lapides strictissimè cõglutinat. Virtus est calx, verba sunt arena, virtus verbis ornata est calx, cum arena aptè atque temperatè commista.

Simile.

Simile.

Et eleuate signum ad populos.] Cõuocate ad Ecclesiam omnes gentes, hortamini omnes ab egressu Babylonis, & ad Hierosolymæ ingressum. Solent enim duces eleuare vexillũ ad milites congregandos. Hoc vexillum est crux illa sacratissima gloriosissimum signum nostratum victoriarum, sub qua omnes militare debemus. Ecce enim Deus auditam fecit crucem suam vniuersis mundi nationibus,

Dicite filie Sion: Ecce saluator tuus venit.] Filia Sion, & Sion idem est capitur autem pro Ecclesia, vt aliàs ostendimus. Est igitur sensus: Prædicate & annuntiate in ecclesia, Christi Iesu in mundum aduentum.

Ecce merces eius cum eo.] Id est, Ipse Deus est merces, quā suis electis tribuit. Ita ipse Dominus dixit Abrahamo: Noli timere Abrā, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. *Quasi diceret.* Non solum sum tuus protector, sed etiā tua merces amplissima. Et ita potest intelligi id, quod dicitur in psalmo. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Hoc est, propter te ipsum, qui es electorum eorum merces & retributio. Et potest ita verti ex Hebraico: Inclinaui cor meum ad faciendā præcepta tua propter æternam retributionem. Est igitur sensus. Annuntiāte Sioni Christi saluatoris aduentum, qui tam misericors & benignus est, vt seipsum amicitis suis tribuat in mercedem, non solum illis sua, sed seipsum dabit: Nam semper coram illo est opus suum, hoc est, misericordia sua. Esse autem misericordiam proprium Dei opus alibi ostendimus. Vel ita: Merces electi cum Deo est, eamq; Deus in promptu habet, non eam petens aliunde, & opus electi bonum & meritiorum coram ipso Deo est, qui omnes virtutum actiones videt, vt eas remuneret.

Et vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino.] Fideles Dei electi & iusti vocabuntur sancti à Christo redempti. Flagitiosi appellantur semen nequam, filii scelerati, & aliis huiusmodi nominibus, vt primo capite ostendimus: at viri iusti & p̄i honestis ac gloriosis nominibus vocantur: Potest ita explanari. Et redēpti à Domino, hoc est, illi, qui sunt à dæmonis potestate liberati, & in gratia constituti, vocabūt bonos populum sanctum. Nam scelerati homines & flagitiis cooperti in viros excellentes, in quibus vident singulare quoddam virtutis lumen illucere, irruunt, eosque maledictis vulnerant, & falsis criminibus ad inuidiam vocant. Eorū virtutes silentio prætereunt: sin autem in eis aliquam deprehendunt culpam licet leuem omnia clamoribus implent. *Simile.* Vt enim vultures ad cadauera odore feruntur, viuorum autem corporum nullo odore mouentur, sic deprauati homines in domitis cupiditatibus inflammati, tetrisque sceleribus imbuti, leues ac veniales lapsus virorum iustorum, sine quibus humana vita transigi non potest, statim olfaciunt, eosque in expiabilibus vitis tribuūt, eorum autem virtutes nequaquam intuentur. Est enim sceleratorū propriū omnes viros virtute præstātes odio habere, eorumq; splendore falsis criminibus maculare, & omnē denique virtutis florē velle confringere.

Tu autem vocaberis quæ sita ciuitas.] Tu ò ecclesia vocaberis

Luc. 15.

ris ciuitas, quam Christus quæsiuit. Si Christus nos quæsiuit, ergo antea perditum eramus. Sumus enim ovis illa, quæ perierat, quam Christus quæsiuit, & suis humeris asportauit.

Annotationes ex Hebræo in CAPVT LXII.

Gen. 33.

Transite, transite.] In Hebraico est iuru iuru. Quod potest verti. Procedite ante eos, procedite ante eos. Et id quod habetur Genesis 33. Et ipse progrediens adorauit, potest verti: Et ipse procedens ante eos adorauit. Alloquitur hoc in loco Esaias principes & præfules, quorū interest non solum viam veritatis & virtutis aliis ostendere, sed etiam antire. Vt enim teda siue fax nō retro manet, sed præit, sic principes & præfules debent alios virtute & exemplo antire, eosque non solum verbis, sed etiam vitæ splendore illuminare. Ideo eos Christus lucem appellat, Vos, inquit, estis lux mundi.

Simile.

Matt. 5.

Eligite lapides.] In Hebraico est sakkelu meeuen. Quod potest rectissime verti: Proiciite lapides. Et ita verterunt Septuaginta Pagninus. Lapidem remouete. Quod est idem. Proicere ex via lapides, eamque complanare est tollere scandala & impedimenta, quibus possunt alij lædi, & a via virtutis retardari.

Argumentum Capitis LXIII.

Vaticinatur propheta de Christi in cælum ascensione, quæ instar victoris triumphantis & hostium sanguine cruentati describit, commemorat Dei in Israël beneficia, eiu que in Deū ingratitudinem & impietatem. Postea inducit populū Iudaicū quærentem se esse à Deo derelictum, & in maximis ærumnis versatum.

CAPVT LXIII.

Apo. 19.



*Q*uis est hic qui venit de Edom, tinctis vestibus de bofra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis sue? Ego qui loquor iustitiā, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcitrū in torculari? Torcular calcavi solus, & de gentibus nō est vir mecum: calcavi eos in su-

vore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultioni in corde meo, annus retributionis meae venit. Circūspexi, & nō eras auxiliator, quæsiui, & nō fuit qui adiuuaret, & saluauit mihi brachiū meū, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & ætraxi in terram virtutem eorum. Miserationū Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secundū indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: veruntamen populus meus est, filii non negantes: & factus est eis saluator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi. Ipsi autem ad iracundiam provocauerunt, & affligerunt Spiritum sancti eius, & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos. Et recordatus est dierum seculi Moysi, & populi sui.

EXPLANATIO.

Quis est iste qui venit de edom.] Postquam propheta vaticinatus est de Christi passione, & in capite præcedenti multa de eius ecclesiæ constitutione prædixit, nunc de eius in cælū ascensione vaticinatur. Et quemadmodum rex Dauid facit angelos ita dicentes: Attollite portas principes vestras, & ^{Psal. 23.} eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, quoniam cœlites Christum in superas sedes ascendentem comitantes mente præuidebat, eodem modo Esaias inducit cœlestes spiritus interrogantes, quis nam ille esset, quoniam animo intuebatur, eos tanto mysterio & rei nouitate veluti admiratos. Sunt qui dubitēt cuiusnam chori sint hi spiritus, qui hoc interrogant, sed Dionysius ille admirabili sanctimonia & sapientia excultus cap. 7. cœlestis suæ Hierarchiæ ait hæc quæstionem esse supremorum angelorum à Deo immediatè illuminationes accipiētium. Est autem ad horum verborum intelligentiam sciendum, Edom esse quādam prouinciā, Bosra autem eiusdem prouinciæ ciuitatem. Edom significat terrenum cuius nomine mūdus intelligitur. Bosra significat munitā & euerfam, cuius nomine Hierosolyma significatur fortissimis muris munita, sed quæ ob eius scelera & in Christū ingratitudinem & impietate tuit funditus euerfa. Est igitur sensus: *Quis est hic, qui venit de mundo, & de ciuitate Hierosolyma.*

rosolyma habens vestes tinctas, sanguineque rubricatas? Deo scribit diuinus noster vates Christum in cœlum ascendente inſtar ducis victoris, hoſtium ſuorū ſanguine cruentati, & de illis glorioſè triumphantis. Vicit enim diabolum, mundum, mortē, & peccatū. Non quòd hæc omnia ſanguinem habeat, ſed eſt hoc tropologicè intelligendum. Vult enim his verbis propheta ſignificare fructum mortis Chriſti, & glorioſam victoriam, quam de hoſtibus ſuis reportauit.

Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſua.] Verba ſunt etiam angelorum interrogantium. Vbi vi- des prophetam deſcribere Chriſtum non ſolum triumphan- tem, ſed pulchrum, & virilli gradu incedentem. De eo dicitur in ſalmo: ſpecioſus forma præ filiis hominum, diſſuſa eſt gratia in labiis tuis. Et in Canticis ait ſponſa: Dilectus meus candidus & rubicūdus, electus ex millibus. Cādīdus ob ſum- mā pulchritudinem eius, quem D. Paulus in epiſtola ad He- bræos gloriæ ſplendorē appellat. Rubicundus ob hoſtiū ſan- guinem, de quibus illuſtriſſimam victoriam reportauit.

Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.] Hæc eſt Chriſti reſponſio. Habet principium huius capituli dialogi ſpeciem. Senſus eſt: Ego ſum ille, qui homines veram iuſtitiam docui, qui, vt eos ſaluos facerem, cū hoſtibus animarum eorum pugnaui. Hunc ſpectat id, quod de Chriſto ait D. Ioannes in Apocalypſi, vbi eum ita deſcribit: Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eſt vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Et paulò poſt. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vo- cabatur nomen eius, verbum Dei. Ea autem iuſtitia de qua Eſaias loquitur hoc in loco, intelligitur de diſtributiua. Do- cuit enim Chriſtus dandum eſſe vnicuique quod ſuum eſt, & præterea impios, eſſe damnandos, iuſtos vero à Deo æternis præmiis afficiendos. Poſteſt etiam de iuſtificatione intelligi quam Chriſtus docuit, non in operibus ſine fide conſiſtere, ſed in fide, charitate formata, quæ vt ait Apoſtolus, per cha- ritatem operatur.

Torcular calcavi ſolus.] Reſpōdet Chriſtus ſe eſſe tinctum ſanguine hoſtium generis humani, quos ipſe ſol⁹ vicit, & de quibus ſine hominum ope triumphauit. Et quoniam hæc vi- ctoriam perfecit Chriſtus in cruce, colligitur eam eſſe torcu- lar, in quo hoſtes noſtri veluti vix fuerunt conculcati. Cū ergo crucem aſpicimus, quid aliud facimus, quàm admirabi- lis victoriæ monumentum cœcorum lumen, & celeſtem ſplē- dorem,

*Pſal. 44.
Cant. 5.*

Hebr. 1.

Apoc. 19.

Gal. 5.

dorem, firmissimum nostræ salutis præsidium & certissimum iter ad splendidissimas illas ac beatissimas oras, & summa ac sempiterna gaudia intueri? Considera Christi Dei nostri mansuetudinem, qui cum gloriosè triumphans ascenderet, non dedignatur interrogantibus rationem reddere, ille quem cælestis pater extulit, cui dedit nomen, quod est super omne nomen ut ait Diuus Paulus, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiū, terrestriū, & infernorū. Videant hoc superbi, qui cum sint in aliqua dignitate cōstituti, suis subditis respondere, suarumq; rerum rationē reddere dedignantur.

Philipp. 2.

Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.] Nonnulli codices habent. Annus redemptionis meæ venit. Sed non multum refert. Nam retributio pro redemptione accipitur. Appellatur tempus illud ultionis, quod Christus de dæmone, morte, & peccato pænas sumpsit, redemptionis verò, quod nos sanguine suo redemerit. Vel ultionis, propter euersionem Hierosolymæ infideliumque Iudæorum vastitatem, redemptionis verò seu retributionis, propter beneficia in viros fideles à Deo collata. Sed animaduerte. Loquens de infidelium ultione ponit diem, & de fidelium retributione annum, ut suam diuinam clementiam & immensam pietatem significaret.

Circumspexi, & non erat auxiliator.] Ita in psalmo: Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni. Omnes enim eo relicto fugerunt. Ideò dixit paulò antè: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Notanter dicit. Non est vir, ut non excluderet virginem Mariam, quæ eum fuit vsque ad mortem comitata, gladio doloris transfixa.

psal. 68.

Et saluauit mihi brachium meum.] Subaudi eos: Quasi dicat: Brachium meum eripuit homines à manu dæmonis, ut mihi seruirent, eosq; saluos fecit. Septuaginta habet: Et eruit eos brachium meum. Quod idem ferè est. Id autem quod sequitur: Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, est superioris repetitio. Capitur enim indignatio pro fortitudine, quæ admodum brachium paulò antè pro fortitudine accipiebatur.

Miserationum Domini recordabor.] Verba sunt prophetæ, suam erga Dominum gratitudinem ostendētis. Sequitur: Et laudem Domino, Subaudi narrabo. Quasi dicat. Nullum erit tempus, quo Dei in me beneficiorū memoria moriatur, imò omnis mihi erit ætas ad ea recolenda atque prædicanda. Sciebat propheta quàm detestabilis sit ingratitude, ob

Exod. 14.

quam

Exod. 1.

2. Reg. 19.

2. Reg. 18.

Simile.

Simile.

quam permisit Deus, vt Aegyptij in mari Rubro obruerentur, & tantę ingrattitudinis perpetuam memoriam relinquere. Cum enim essent à Ioseph mirabiliter conseruati, eum obliti sunt, eiusq; filios & cognatos incredibilibus afflictionibus & calamitatibus oppresserunt. Nutriuit David filium suū Absalon, eumq; extulit & amplificauit: at ille aduersus patrem suū insurrexit, eumque de ciuitate fugauit. Sed ob hanc ingrattitudinem fuit miser & interfectus, & tribus hastis transfixus. Quod potest esse maius scelus quàm eū à quo acceperis beneficia asstingere, & in inuidiā vocare, Vt enim herida per se stare non potest, sed arboris, cuiusque ramorū ad inmento alia perit, & ipsam arborē adeo amplexu asstringit, vt arefaciat, & absumat, sic multi, qui in obscuritate iacebāt, vt arefaciat, & absumat, sic multi, qui in obscuritate iacebāt, aliorum potentia & fauore mundi honoris gradum assecuti eis, quorum p̄sidio ascenderunt, fuerunt pernitiē machinati: Similes illis, qui imbrem & procellam declinantes ad opacem arborem confugiunt, sed transacto & finito nimbo arborem, quæ ipsos protexerat, secant, & infringunt. Quid potest esse in terra ingrattitudine tetrius? quid odio maiori dignius? Quid iuri humane societatis pestilentius? Cū autē tam execrādū facinus sit hominis erga hominē ingrattitudo, quid erit erga Deum optimū & maximum, qui nos creauit, qui nostrā humanitatem induit, qui nostra impia scelera suo sanguine luit? Nullum est tam affluens ingenium, nulla tam illustris orationis copia & facultas, quæ possit huius detestabilis vitij deformitatem & grauitatē explicare. Hoc intelligens diuinus noster vates, has voces emisit: Miserationum Domini recordabor. Et ea quæ sequuntur.

Et dixit] Subauditur Deus, Ea autem, quæ paulō p̄st sequuntur. Et factus est eis saluator, verba sunt prophete.

In omni tribulatione eorum non est tribulatus.] Id est, Cū Hebræi ab Aegyptiis affligerentur, deus liberauit eos. Qui amicos oppressos eripere non potest, affligitur. Non autē dicitur affligi ille, qui potest eos eripere, & eripit quando vult. Et quoniam deus poterat Hebręos liberare, & reuera quando illi placuit, eripuit, ait propheta eum non fuisse in illorū tribulatione tribulatum.

Et angelus faciei eius saluauit eos.] Alludit ad historiā quæ est in Exodo literis mandata, de angelo, qui primogenitos Aegyptiorū occidebat, Hebręos autē seruabat. Vocatur autē angelus faciei eius, hoc est angelus stans coram eo. Ait enim Christus apud Matthæū: Dico enim vobis, quia angeli eorū

Exod. 12.

Matt. 18.

in cor-

In cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.

Eleuauit eos cum diebus seculi.] Hoc est, euexit Hebræos ad honore, de quo nulla vnquã ætas conticecet. Vult propheta significare tã insigne fuisse beneficiũ illud Dei in Hebræos, quando eos ab Ægyptiis mirabiliter eripuit, vt nulla vnquam obliuione posteritatis extingatur.

Ipsi autẽ ad iracundiã prouocauerunt.] Offensa Dei bonitate & in Hebræos magnificẽtia, offēdit eorũ nefariã ingritudinẽ.

Et affllexerunt spiritum sancti eius.] Id est, sanctitatis eius. Vel vt alij codices habent, Spiritum Sanctum eius. Quamobrem ait Apostolus: Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. Fortasse per Spiritũ Sancti eius intelligit spiritũ Moyſi, qui fuit sanctus Dei, de quo dicitur in psalmo: Vexatus est Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Est enim proprium optimorum præsulũ affligi spiritu, cum subditorum scelera intuentur: Vnde D. Paulus Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scādalizatur, & ego nõ vror? Vt enim sartago aliis præparat cibum, ipsa autem igni applicata incenditur, & flammis comburitur, sic præsulẽs piĩ & charitate prætitates, alios pabulo doctriinẽ & exemplo nutriunt, ipsi autem visis aliorum flagitiis dolore premũtur, & feruentis charitatis ardore inflamantur. Eã ob causam fortasse Deus apud Ezechielem charitatem ferreæ sartagini, comparauit. Ita enim ait: Et tu sume tibi sartaginẽ ferreã, & pones eã in murum ferreum inter te & inter ciuitatẽ. Et hæc est causa, ob quam Christus Apostolos suos salẽ vocauit. Vos, inquit, estis sal terræ. Perspicuum est enim salẽ, vt ollam condiat, seipsum exinãire & attenuare. Quemadmodum lucerna, quæ vt alios illuminet, seipsam ablutit, & liquefacit. Ideo eos etiã Christus cũ luce comparauit, Vos, inquit, estis lux mũdi. Quæ autem sit hæc lux, indicat alio in loco, cum de Ioanne Baptista loquens, Ille, inquit, erit lucerna ardens & lucens. Prius est ardere charitate, quã illuminare verbo & exemplo.

Et recordatus est dierum seculi Moyſi, & populi sui.] Subauditur populus Israëliticus. Verba sunt Esaiæ dicentis suo tempore recordatum fuisse populum Iudæcum illius antiquæ felicitatis, quando Deus Moysem cum populo suo mirabilibus signis ab Ægyptiorum seruitute liberauit.

Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? & vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexterã Moysem brachio maiestatis suæ, qui scidit aquas ante eus, vt facerent

Ephe. 4.

Psal. 105.

2. Cor. 11.

Simile.]

Ezec. 4.

Matt. 5.

Matt. 5.

Ioan. 5.

rent sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campo descendens, Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriae. Attende de caelo, & vide de habitaculo sancto tuo, & solio gloriae tuae. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum. Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos: Tu Domine pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis indurasti cor nostrum ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos tribus hereditatis tuae. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum, hostes nostri conculcauerunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cum non dominaueris nostri, nec inuocaretur nomen tuum super nos.

Vbi est qui eduxit eos de mari?] Nempè Rubro. Verba sunt populi Iudaeorum tempore Esaiæ, quem, populum ipse Propheta inducit loquentem, pristinae felicitatis suae recordatum.

Cum pastoribus gregis sui.] Hoc dicit, quia multi ex Hebraeis pastores erant, ut constat ex capite 46. Genesis, & ex aliis multis locis. Ego tamen existimo hoc intelligi de Moyse, & Araone, & principibus tribuum, quos pastores gregis appellat. Eodem modo de principibus intelligitur id quod ait Deus per Ieremiam: Introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Illis constituit Deus pastores excellentes, qui non Babylonis, non mundi confusionis cultores sunt, sed Sionis, hoc est, speculae, qui se Deo dedicarunt, rerumque altissimarum contemplationi dederunt. Lege diuinas literas, & inuenies passim reges & principes pastores appellari. Nec solum illi, sed etiam libri Gentilium hoc nomē illis tribuerūt. Homerus enim antiquissimus author qui fuit pater bonorum ingeniorum appellatus, reges pastores appellat. Et ut pastor non est suus, sed ouium, sic princeps totum se debet curae subditorum dedicare. Quam ob causam dicebat Plato ille, quem Panætius Homerum philosophorum vocauit, neminem debere minorem partem habere in principe, quam ipsum principem, qui debet totum populi pondus sustinere. Et ob eam causam Graecè appellatur βασιλεύς quasi populū sustentans. Quanto enim quis altius praepositur tanto humilior pondere laborum grauat. Ideo D. Gregorius praefules basibus domus Salomonis comparauit. Ut enim testum alios tegit, ipsum autem

Deut. 16.
Baruc. 2.

Ierem. 3.

Simile.

1 Reg. 7.
simile.

autem imbres omnes in se recipit, sic princeps vt alios protegat, & rectè gubernet, & tueatur, debet labores omnes tolerare, & veluti firmissima basis & validissimū fundamentum totum populi ædificium sustinere. Et quoniam nullum est munus laboriosius officio pastōrū, ideo optimo iure reges, principes, & præfules, pastores appellantur. Sed vtiā ipsi hoc cognoscerent, & mentis oculis intuerentur.

Vbi est qui posuit in medio eius Spiritus sancti sui?] Hoc est, in medio Moyfi. Vel in medio eius, nēpē populi Iudaici. Cū hac posteriori expositione conuenit interpretatio Septuaginta ita habentū. Vbi est, qui posuit in eis Spiritū sanctum?

Qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis sue.] Hoc est, qui in mari Rubro eduxit Moysem per virgam, quā dextera tenebat. Præpositio, ad, potest verti per præpositionem per. Vel sic, & melius meo iudicio: *Qui Deus Moysem ab Aegypto honorificè eduxit.* Solent principes eos, quos vnicè diligunt, & ad summum honorem amplissimamq; dignitatem euehere desiderant, ad dexteram habere.

Spiritus Domini ductor eius fuit.] Poteris per Spiritum Domini Spiritum sanctum intelligere, vel angelum. Angeli enim Spiritus sunt, iuxta illud psalmi: *Qui facit angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrētem.* Et quoniam angeli sunt Dei ministri, ideo Spiritus Domini appellantur. Ita ait Paulus Apostolus de angelis loquēs: *Nōne omnes sunt administratores spiritus in ministeriū missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Id etiam quod est à Diuo Luca in Actis Apostolorum scriptum: *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum eunuchus, potest rectè de Dei angelo explanari: angelus etiam apprehendit Habacuc prophetā, eumq; capillo capitis portauit, donec eum lacu, in quem pius Daniel fuerat iniussè coniectus, collocauit.*

Psal. 107.

Hebr. 1.

Act. 8.

Dan. 14.

Attende de cælo.] Precatio est ad Deum populi fidelis Hebræorum.

Vbi est zelus tuus.] Hoc est, amor, quo nos antea prosequeris? Ita in psal. vbi sunt misericordie tuæ antiq̄e domine?]

Psal. 88.

Et Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos.] Id est, nec Abraham neque Iacob nos ex Aegypto eripuerūt: multo enim antea migrauerunt è vita. Tu Domine solus tanquā optimus pater nos nutriuisti, extulisti, & in promissa terra mirabiliter collocasti. Quare igitur nos derelinquis?

Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrū ut timeremus te?] Hoc est, cur Domine permisisti, vt viam ve-

ritatis derelinqueremus, effemusq; ita duro & obstinato animo, vt nullo timore tui teneremus? Cur ita nos indurare permiffi? Hic est vnus ex locis ex quibus heretici nostritēporis probare contēdunt nullum esse in homine liberū arbitrium. Aiunt enim hic peccatores suorum flagitiorum causam Deo tribuere, eumque illorum authorem facere. Quod est planē falsum & impium. Deus enim nec fecit peccatum, nec eius author vnquam fuit. Sed dicitur Deus indurare cor aliquorū quando ob eorum scelera illis gratiam non tribuit, quia neque illi eam volunt, nec petunt, nec ad eam separare, & disponere student. Et ita hoc in loco, Indurasti cor nostrū, idē est quod indurari permiffi. Hęc est phrasis scripturę iuxta cōmūnem catholicorum doctorum explanationem. Impius Manichęus secutus stupidum Empedoclem negauit quondā arbitrii libertatem, qua in re fuit damnatus, & ab omnibus viris doctis nō solūm theologis, sed etiā philosophis irrisus. Et cūm hęc hęc hęc fuisset ab omni hominum memoria penitus euulsa, fuit nostris hac in re infelicibus temporibus, à Luthero reuocata & asserta. Ait enim omnia de necessitate absoluta euenire. Et quoniam duobus in locis hanc impietatem refutauit, studebo hoc loco breuitati, ea solū scribens, quę aliis prætermisi. Genesios capite 4. in hunc modū Deus inuidum Cain fuit allocutus. Nōne si bene egeris, recipies: sin autem malē, statim in foribus peccatum tuū aderit: Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Quę verba Thargum Hierosolymitanum ita vertit: Nōne si emendaueris opera tua in hoc seculo, condonabitur & remittetur tibi in seculo futuro. Quod si non emendaueris opera tua in seculo hoc, ad diem iudiciū magni peccatū tuū referuabitur, & ad ostium cordis quiescit: veruntamen in manū tuam tradidi potestatem concupiscentię malę, & tu dominare ei siue ad bonum, siue ad malum. Hęc Thargum. Aspicias apertissimē Lutheri impietatem. Creator facit nostrum arbitrium liberum, ille autem in creatoris ignominiam illud seruum efficere conatur. In oratione, quam iustus Iosue habuit apud Hebręos vltimo capiti mandata, hęc ad literam sunt verba: Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde atque verissimo, & auferte deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Aegypto, ac seruite Domino. Sin autem malū vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur. Eligite hodie quod placet, cui seruire potissimū debetis, &c. Vide quā perspicuē scriptura nostrā opinionē, arbitrii que

bitriique libertatē offendat. In Ecclesiastico ita ait scriptura:
Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere ma- *Eccli. 1.*
la, & non fecit. Et in libro Sapientię: **Ad quod quisque vole-** *Supr. 14.*
bat conuertebatur. Et in psal. **Anima mea in manibus meis** *Psal. 118.*
semper. In prima epistola ad Corinthios. **Qui statuit, inquit** *1. Cor. 7.*
Apostolus, in corde suo, non habens ne celsitatem, potestati
habēs suę voluntatis. Quid plura? Christus Deus noster, ita *Mar. 14.*
apud Marcum discipulos alloquitur: Semper enim pauperes
habebitis vobiscum, & cū volueritis potestis illis benefacere,
Christus asserit in nostra potestate esse pauperibus beneface-
re, Lutherus negat, cui credemus? Si omnia existimabas. Lu-
there fato ineuitabili euenire, quorsum tot libros scribebas,
tot ad populū conciones habebas, tot cōcilia toties inculca-
bas. Quis nō videt esse omnia hæc superuacanea, si nihil est
in nostra potestate, sed omnia sunt necessariō ventura? Tu
tibi ipsi repugnas. Possem aduersus te citare Gregorium Nis-
senum in libro illo, vbi infallibilem necessitatem refutat, ar-
bitriique libertatem & actiuitatem clarissimē demonstrat,
sanctum martyrem Cyprianum libro 1. epistola 3. Beatum
Ambrosium libro 1. de gētium vocatione, gloriosum Hiero-
nimum, diuum Augustinum, innumerabilesque alios excel-
lentes authores, sed cū eos nō admittas, satis esse existimo
te vtriusque testamenti testimoniis conuincere, quæ nec fingo,
nec deprauo, sed vt iacent, in medium profero. Est quī-
dem Deus prima causa, omnes tam naturales quā volun-
tarias causas absque dubio mouens, quod non solum fateor,
sed etiam profiteor, & à Deo esse omne bonū iuxta id quod *Iacob. 1.*
**ait Diuus Iacobus Apostolus: Omne datum optimum, & do-
num perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. *1. Cor. 4.*
Et iuxta id quod ait Diuus Paulus: Quid habes quod non
accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepe-
ris? Sed non ob id tollitur liberum arbitrium, quod bonas
Dei inspirationes acceptat, & concurrat actiue ad merita,
atque gratiæ cooperatur. Ait enim Deus in Apocalypsi Di-
ui Ioannis Apostoli: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis
audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo
ad illum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Vides quem-
admodum Deus cor nostrum pulset, sed non necessariō
togar, esseque electiones ipsas in nobis, supposito tamen
diuino auxilio: Dei est nos gratia præueniente trahere,
sed huic trahenti acquiescere, vel non acquiescere est in arbi-
trii nostri potestate cōstitutum. Non igitur Deus corda no-**

Psal. 94.

stra ipse per se indurat, arbitrium à nobis abstrahendo, vt tu existimas, & ex hoc Esaia loco probare contendis: imò nos ipsi nos induramus: alioquin non diceret Deus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto.

3. Reg. 2.

Infra 65.
Gen. 15.
Figura

Conuertere propter seruos tuos.] Fatemur, inquit, nos esse sceleribus coinquinatos, nihilque boni mereri. At propter Abrahamum, Isaac, & Iacob, cæterosque viros seruos tuos fide, obedientia, & charitate præstantes conuerte ad nos faciem tuam, illosque tuæ misericordiæ oculos ne velis à nobis amplius auertere. Hic aspicias quanti æstimandi sunt viri iusti, siquidem propter eos Deus multa mala à peccatoribus auertit. Salomoni ob nimium mulierum amorem depruato dixit Deus: Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: veruntamè in diebus tuis nõ faciam propter Dauid patrem tuum. Et apud Esaïam, Sic faciam, inquit, propter seruos meos, vt non disperdam totum. Hoc voluit scriptura in lib. Geneseos significare, cum ait abegisse Abrahamũ volucres super immolata cadauera descendentes. Lacerassent & deuorassent volucres animalia illa mortua, nisi eas sanctus ille pater longè separasset. Quid per volucres in cadauera irruentes eaq̃ dilaniare & vorare desiderantes intelligitur, nisi tyrannorum, potentium populorum, cæterorumq̃ hominum immanium, impius conatus & studium irruendi in filios Israhel, eosque ad vastitatem vocandi? Quid autem per Abrahamum volucres ab immolatis animalibus arcent, nisi sanctorum patrum merita & suffragia? Ostendit diuina historia Aegyptios, Amorrhæos, Babylonios, cæterosque infideles fuisse Israëlem penitus euerfuros & consumpturos, nisi Abrahami aliorumque sanctorum virorum merita piæ precationes intercessissent.

Quasi nihilam possederunt populum sanctum tuũ.] Sensus est: Babylonij possederunt Domine Hebræorum populum quasi nihil possiderent: populum tuum penitus contempserunt, & acsi vilissimus esset, pro nihilo putarunt.

Conculcauerunt sanctificationẽ tuam.] Hoc est templum Salomonis, vbi tuum nomen sanctificabatur, euerterunt, & pedibus conculcarunt: nosque in Babylonicam captiuitatem coniecerunt, vbi fuimus templo sacrificijque destituti, quæ admodum in principio priusquam te coleremus.

Anno-

Annotationes ex Hebræo in
CAPVT LXIII.

Quis est iste, qui venit de Edom?] Pro de Edom est in Hebræo me Edhon: quæ dictio chamuts, hoc est, rubedinem tonat. Ideo potest hoc in loco pro Iudæorum synagoga accipi, quæ non solum prophetarum, sed etiam Christi sanguine se polluit, & rubicundam ac sanguinolentam reddidit.

Gradiens in multitudine fortitudinis suæ.] Pro gradiens est in Hebræo tsoah, à verbo tsaah, quod significat gradi, migrare, & discurrere. Vnde R. D. in libro radicum, ita hunc locum interpretatur: Demigrare faciès in multitudine fortitudinis suæ Israëllem ex omnibus locis captiuitatis suæ. Quæ de Deo absque dubio intelliguntur.

Et detraxit in terram virtutem eorum.] Pro virtute eorū in Hebræo est nitscam. Nomen est, natsach, quod significat fortitudinem, sanguinē, & perpetuitatem, quod in sanguine hominis sit fortitudo, & quoniā id, quod fortitudine valet, promittat perpetuitatē. Significat etiam finē, victoriā, & victorem. Vnde id, quod est in Ieremiæ Threnis: Perit finis *Thren. 3.* meus, potest rectē verti: Perit victoria mea. Hæc dictio præfigitur sæpe spalmis in hunc modum, Lamnatseach, pro qua Septuaginta habent $\epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\ \tau\acute{\epsilon}\lambda\omicron\varsigma$, hoc est, in finem: duos secutus est Latinus noster interpret. Diuus Hieronymus in sua versione ex Hebræo transfert: Victori. Felix, Vincenti, vel effundenti sanguinem, vel danti æternitatem. Quæ omnia Christo Deo nostro verè conueniunt: ille enim est finis legis, iuxta id quod ait Paulus Apostolus in epistola ad Romanos: Finis legis Christus. Diuus Ioannes in Apocalypsi Deum in hunc modum inducit loquentem: Ego sum alpha & omega, principii & finis. Quid multis? Christi? est finis ille, ad quem debemus omnia nostra opera dirigere & referre, & signum ad quod omnes nostrarum cogitationum sagittæ debent tendere & ordinari, iuxta id quod ipse ait in Canticis: Pone me vt signaculum super cor tuum. Ipse est victor, qui apud Ioannem, Ego, inquit, vici mundum: de quo idem Ioannes in Apocalypsi. Vicit, inquit, leo de tribu Iudæ. Ipse est, qui pro nobis sanguinem fudit iuxta id, quod ipse Apostolus in cæna dixerat: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunderetur in remissionem peccatorum. Vnde Ioannes in Apocalypsi: Quoniam, inquit, occisus es & redemisti nos Deo in sanguine tuo, Hic sanguis pro nobis *Rom. 10.* *Apoc. 1.* *Cant. 3.* *Ioan. 16.* *Apoc. 5.* *Matt. 26.* *Apoc. 5.*

Heb. 9.

iusus fuerat in lege, in agni sanguine aliorumque animalium figuratus: nā vt verbis vtar Pauli Apostoli, omnia penē in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusio: ne non sit remissio. Christus est, qui nobis æternitatem tribuit, iuxta id quod ipse ait: Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Quod de fide, charitate formata intelligitur. Et alibi: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Cōsidera altēq; mente intuerē quemadmodum omnia hæc Christo accommodantur, & quā sublimia mytheria hac dictione comprehendantur. Ideo hunc Esaiæ locum ita poteris vertere: Et detraxit in terram sanguinem eorum, vel fortitudinem, vel victoriam eorum.

Ioan. 6.

Ioan. 8.

In omni tribulatione eorum non est tribulatus.] In Hebræo est in hunc modum, bechal tsaratham lo tsar. Hæc particula la, significat nō, sed si ita scribatur, lo, est datiuus huius pronominis hoā, hoc est, ille. Sed aliquando ponitur vna particula pro altera. Ex quo effectum est, vt interpretum varietas hunc locū ancipitem redderet. Pagninus vertit: In omni angustia eorū ei fiet angustia. Alij vertunt: In omni tribulatione eorū ipse est tribulatus. Quod idē est, licet diuersis verbis. Nec est malus hic sensus. Nam hoc dicitur de Christo, qui, vt verbis vtar nostri Esaiæ, verē languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum & percussū a Deo: aut, vt est in hebraico, percussū deum. Vel dicit propheta Deum suorum afflictione esse afflictū, vt eius erga suos summam charitatem ostendar. Ita R. D. hunc locum explanauit. Quomodo autem intelligatur nostra cōmunis versio, in explanatione ostendimus. D. Hieronymus in commentariis neutram harū versionū reprobat: imō aliā tertiam ponit. Ait enim posse ita verti: In omni tribulatione eorū nequaquā tribulauit eos. Quoniā cum affligerētur, ipse eos afflictione leuabat. Septuaginta habent: Non legatus, nec angelus, sed ipse saluauit eos. Ac si dicerent: Cum genus humanum turbulētis negotiis implicatum, terrisque flagitijs cooperitū in tenebris & erroribus intolerabilibus versaretur, venit in mundū summus ille Deus sempiterni patris vnigenitus filius, vt scelera nostra suo sanguine lueret, omnē caliginem dispelleret, virtutum splendore & ornamentis nos decoraret, & suis humeris asportatos celestis claritatis gloria redundantes, ad æternas sedes immortalis gaudij plenissimas tādē perduceret. Noluit summus ille Deus ad negotiū redem-

Sup. 53.

redem-

redemptionis humane mittere legatum, nec angelū, nec curā
tam admirabilis reparationis alicui demandare. Sed ipse vo-
luit venire, & negotiū gerere, atque nobis suo sanguine con-
lestis claritatis ianuam aperire. Hoc volentes Septuaginta si-
gnificare transfulerunt. Non legatus, nec angelus, sed ipse sal-
uauit eos. Verbum hoc tsar, quod hic ponitur, significat affli-
gere, & corroborare, & iuxta Septuaginta significat etiā sal-
uos facere. Nec mirum est vnū & idem verbū significare affli-
gere, & corroborare: Nam vt palma aduersus pondus cōsur-
git, & robustior efficitur, sic vir iustus afflictionibus & cala-
mitatibus roboratur. Et quemadmodū arbores ad Septētrio-
nalem partē satas frigidis ventis affluetas, dicunt esse validio-
res, sic qui variis ærumnis concuti & agitari consueuerunt,
obdurescunt ipsis afflictionibus & fortiores efficiuntur. Vn-
de potest verti: In omni tribulatione eorū roborauit eū, sub-
audi Israēliticū populi. Et quamuis omnes hæ interpreta-
tiones huic loco conueniant, ea tamen, quā Septuaginta red-
diderunt, mihi mirabilior cæteris videtur, quæ humanā re-
demptionē per Christi aduentū diuinitus aperit. Opus enim
erat vt nec per angelū, nec per aliū legatum eā perageret, sed
ipse veniret. Vnde dicebat in Gāricis spōsa: Osculetur me os-
culo oris sui, nequaquā per alios sed ipse in mea carne appa-
reat, & verbū caro fiat, vt sit Emanuel, hoc est, nobiscū Deus.

Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio maiestatis suæ.] Se-
ptuaginta habent: Qui eduxit dextera Moysen brachiū glo-
riæ suæ. Pagninus vertit: Qui ambulare fecit ad dexteram
Moysen brachium gloriæ suæ. Quod idem ferè est. Vbi vides
Moysen fuisse brachium, quo Deus miracula efficiebat. Nul-
lus sanctorum suo nomine & virtute miracula efficit, sed sūt
veluti brachia, quibus Deus operatur. Solus Christus suo
nomine & virtute ægritudines insanabiles curabat, mortuos
ad vitā reuocabat, & dæmones expellebat, & alia faciebat mi-
racula euidentia, suamq; diuinitatē significantia. Vt Proto-
genes ex sola vna linea cognouit Apellem, vt humani Histo-
riographi memoriæ prodiderunt, quoniam intellexit nemi-
nem esse qui tam rectam, subtilem, & admirabilem lineam
describeret, præter vnum Apellem, sic ex vno Christi miracu-
lo poteris diuinam eius potentiam intelligere. Alij miracula
efficiebant, sed nō ita illustria, nec sua potentia, quemadmo-
dum ea, quæ Christus faciebat. Dicebat enim Pharisæus de
seipso, quod paralytico peccata dimitteret malè cogitāribus.
Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestātē in terra

Simile.

Simile.

Cant. 7.

Simile.

Matt. 9.

dimit.

dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Quod ita statim fuit mirabiliter effectum. Quis non crederet hoc miraculū esse Dei, qui virtute sua, & in testimonium sui numinis illud effecit? Vnde ait D. Lucas: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Virtus qua viri sancti miracula efficiunt, nō exit ex illis, vt sua propria, sed ex Deo. At Christi virtus ex illo quidē exibat, quoniam ipse verus est Deus, sancti verō eius brachia, vt hic de Moyse testatur Esaias.

Luc. 6.

Argumentum Capitis L XIII.

Iudæos, quos diuinus vates præuidebat esse Babylonicam captiuitatem ob eorum impia scelera cōficiendos, inducit loquentes, & tanquā tā in illo misero statu cōstitutos, suam liberationem à Deo expectantes. Ostendunt magna esse & explicatu difficillima ea bona, quæ Deus suis dilectis in splendidissimis illis ac æternis sedibus præparauit. Fatentur sua flagitia, & confugiunt ad portum diuinæ misericordiæ.

CAPVT LXIII.



I. Cor. 2.

Vinam dirum peres cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aque arderēt igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur. Cū feceris mirabilia, non sustinebimus, descendisti, & à facie tua montes defluerunt. A seculo non audierūt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit,

Deus absque te, quæ preparasti expectantibus te. Occurristi letanti, & facienti iustitiā, in vitiis tuis recordabūtur tui. Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipsis fuimus semper, & saluabimur. Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatus vniuersæ iustitiæ nostræ. Et cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui innocet nomen tuum, qui conseruat & teneat te.

EXPLANATIO.

Vinam dirum peres cælos.] Omnia hæc verba in textu Hebraico sunt capitis superioris. Et incipitur hoc caput ab illis verbis, Sicut exustio ignis. Sed Latini codices, quotquot vidi, in-

di, incipiunt caput à particula, Vtinam : Ideò nos etiã ab ea incipiemus. Sunt verba Hebræorũ, qui in Babylonica captiuitate detinebantur : facit propheta eos Deum vehementibus desiderijs deprecantes, vt veniat ad liberandum eos, & è acerbissimis ærumnis, in quibus versabantur, eripiendũ. Sed ego existimo diuinum nostrum vatẽ, cum hæc mandaret inonimentis, ad Christi in mundum aduentum mētis oculos leuasse. Ideò facit fideles suspirantes, & humanam redemptionem per Christi in flammatis verbis ex imo pectore eductis petentes. Vt autem ardens eorum desiderium ostēderet propheta non inquit: Vtinam iam venires sed vtinam dirumpes cœlos, & descenderes. Quasi dicerent: Vtinã tam cito venires, tam feruenti voluntate, & tam inflammato impetu, vt non quæreret ostium, sed subito cœlos rumperes, & descenderes. Non quòd necesse esset Deum cœlos infringere, vt veniret, sed loquitur propheta more humano, vt feruorem desiderij, quo antiqui patres aduentus Christi tenebantur, demonstraret. Eodẽ modo Dauid, Domine, inquit, inclina cœlos tuos, & descende. Vide ingens illustriissimi prophete desiderium. Ne Deus in aperiendis cœli foribus moram faceret, petit propheta, vt cœlũ inclinet & descendat. Quid aliud voluit hic clarissimus rex significare, quãdo incredibili aq̃e Bethlehem desiderio flagrans dicebat : O si quis mihi daret potũ aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem, nisi Christũ in carne videre? Ita hũc locum Eucherius interpretatur author antiquus & doctus. Nasciturum in Bethlehem sciebat. Hic est illa cœlestis aqua de cœlo in terrã missã ad tetras nostrorum scelerum maculas abluendas, quæ diuina aqua nata est in Bethlehẽ, iuxta Michææ vaticiniũ. De qua ait apud Ezechielem cœlestis pater : Effundã super vos aquam mundã, & mūdabimini ab omnibus inquinamētis vestris. Et vt significaret Dauid non terrenam illam aquam Bethlehem, sed eam cœlestem quam per illam intelligebat, desiderare, cum tres viri ad eum aquam de cisterna Bethlehem afferrent, noluit eã bibere, vt in lib. 2. Regum diuinæ literæ testantur, non enim voluit aquam periculo comparatam bibere, quoniã sciebat fontem æternum, quem sciebat mundũ à periculis erepturũ. Hoc desiderio flagrabant fideles, & antiqui patres, quos cap. 45. noster vates in hunc modum inducit loquentes: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Vbi poteris ea videre, quæ hac de re ibi annotauimus.

Psal. 149.

2. Reg. 23.

Figura.

Mich. 5.

Ez. 40. 36.

2. Reg. 23.

A facie tua montes defluerent sicut exustio ignis tabescerent. Videtur alludere ad descensionem Dei in montem Sinai. Ait enim scriptura cepisse micare fulgura, & nubem densissimam operire montē, qui fumabar, quod descendisset Deus super eum in igne. Est igitur sensus: Veniam Domine venires ad liberādum nos, quemadmodum venisti in mōtem Sinai. Veniam venires ad dandum euāgelium, quemadmodū venisti ad dandam legem. At si hoc volueris altē spectare, videbis hos montes, qui ob Christi aduētum fluxerunt, fueruntque instar ceræ liquefacti, fuisse mundi reges & principes, qui cū essent nimia superbia elati, se ecclesiæ iubiecerunt, & receperat fide supplices ad Christum accesserūt, & vanos ac falsos deos repudiarent. Hi sicut exustio ignis tabescebant, de quo igne dicitur in psalmo: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Significat hic ignis amorem, quo Deus eos, qui antea erant eius inimici, incendit, & studio æternitatis inflammavit.

Psal. 98.

Cū feceris mirabilia, non sustinebimus.] Veni Domine nūc, nam postea quim veneris, & feceris miracula, nō ea feremus. Tanta erit tunc Iudæorū malitia & impietas, vt tua signa & miracula damnent.

A seculo non audierunt.] Dixerat: Descendisti, & a facie tua montes defluerunt. Ac si diceret: Venisti in mūdum, & multi ex principibus euanuerūt, te ipsum nō cognoscentes. Nūc confirmat hoc dicens: Nam nūquam audierunt, nec viderūt ea, quæ tu Deus in futurum sanctis tuis præparasti. Esse hūc huius loci sensum explicat Diuus Paulus in epistola. i. ad Corinthios, vbi citans hūc locum ita ait: Loquimur Dei sapiētiā in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriā nostrā, quam nemo principū huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Vbi vides Diuum Paulum dicere mundi principes euanuisse, & Christum non cognouisse, quia absque diuinō auxilio nemo cognoscit ipsū Deū, nec ea, quæ suis dilectis præparauit. Potest esse sensus Apostoli: Principes mundi non cognouerunt Christum. At nos non solum eum cognoscimus, sed ea, quæ ille præparauit diligentibus se, quæ sine ipso Deo nomen potest cognoscere: Sunt enim admirabilia, & humanū intellectū transcendētia.

Vnde

1. Cor. 2.

Vnde hic potest esse huius loci Esaiæ sensus. Si tu Deus tot ac tanta beneficia in tuos dilectos confers in hac vita, quid erit in altera? Tanta enim tibi est gloria, tam excellens gaudiū, vt nec auris illud percipiat, nec oculus videat, nec animus illud possit cogitatione cōplecti, absque te Deus. Hoc est, nisi tu illud demonstraueris.

Occuristi letanti. J Subaudi in te. Licet nobis lætari & gaudere, sed in Domino. Ideo canebat Dauid: Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Et *Psal. 31.* Diuus Paulus, Gaudete, inquit, in Domino semper, iterum dico gaudete. Est igitur sensus Esaiæ: Tu Domine liberaisti & seruaisti eum, qui in te lætabatur, & opera bona iusta & sancta faciebat, & illis fauisti, qui à tuis viis non declinantes, te memoria tenebant. Sed boni, quos tu eripiebas, & quorum precibus alios seruabas, migrarunt ex hac vita, & mansimus nos peccatores, quibus tu Domine merito irasceris, quia peccauimus, & in peccatis permanimus: sed solebamus liberari per viros iustos, qui iam è vita decesserunt. At mortuis illis, manemus nos peccatis imbuti. Vbi nostra versio habet: Tu iratus es, & peccauimus, habet Pagninus: Ecce iratus es, postquam peccauimus. Et id quod nos habemus: In ipsis fuimus semper, & saluabimur, vertit ipse: Propter ipsos iustos in seculo salui fuimus. Quæ omnia nostram illucidant expositionem.

Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatus vniverse iniquitatis nostræ. J Sensus est: Mortui sunt viri iusti, & charitate præstantes, & mansimus nos, qui facti sumus vt coinquinati, & omnes nostræ iniquitatis sunt similes panno infecto sanguine mulieris menstruum patientis. Hæc verba sunt Iudeorum iniustorum in Babylonica captiuitate cōmorantium. Hos enim facit Esaias loquentes, & miseriam suam significantes. Lege totum caput, & videbis hæc verba non pertinere ad omnes homines, sed solum ea dicebant captiui Iudæi de seipsis, vt ex præcedentibus & consequentibus patet. Nam paulo antea dicebant fuisse inter Hebræos viros iustos, de quibus Deus in votis & periculis occurrebat, sed eos decessisse, & esse ab iniquis separatos: se autem esse iniustos, & ideo in duram captiuitatem coniectos. Vnde paulo post has voces emittunt: Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis. Vbi vides eos, qui hæc dicebant, captiuos esse in Babylone,

bylone, & Hierosolymæ ruinam per Babylonios, atque tēp̄
 euerfionem & incendium deplorare. Et quoniam illi erāt sce
 leribus implicati, & vitis contaminati & imbuti, & si quādo
 aliqua facebant moraliter bona, ea malo sine deprauiabant,
 adeo dicunt: Et facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi
 pannus menstruata vniuersę iustitię nostrę. Est igitur verif
 simum, nostrum Prophetam inducere hoc in loco loquētes
 eos Iudæos, qui in captiuitate Babylonica erant detenti, &
 in prauitatibus versati, & hoc ad flagitiosos illos solum per
 tinere, & non ad omnes homines in vniuersali. Et si aliquis
 erat iustus eo tempore, ad quod hæc referuntur, in Babylo
 nica captiuitate, de eo non loquitur Esaias, sed de illis qui in
 vtraque captiuitate & corporis & animæ detinebantur, qui
 etsi antea in aliquas virtutū actiones incubuissent, & in gra
 tia steterunt, ceciderunt tamē & graua arque impia facinora
 admiserunt. Quapropter Deus illis iratus eos permisit à Baby
 loniis capi, & acerbis iniuriis afflictionibusque vexari.
 Hoc indicant illa verba: Tu iratus es, & peccauimus. Quæ
 possunt verti de Hebraico: Tu iratus es postquā peccauimus.
 Et ita vertit Pagninus. Vnde antea quā Deus illis iratus ef
 set, non erant talibus sceleribus contaminati. Nam paulo
 post dicunt. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates
 nostræ quasi ventus abstulerunt nos: non est qui inuocet no
 men tuum. Qui dicunt se cecidisse, fatentur se stetisse ali
 quando. Possunt enim viri iusti gratiam amittere, & ab il
 lo dignitatis gradu precipitari. Vnde ait Apostolus: Qui stat
 videat ne cadat. Intelligi autem de illis, & non de omnibus
 aperte ostendit id quod sequitur: Non est qui inuocet nomē
 tuum. Nam multi sunt, qui nomen Domini inuocant: & li
 teræ diuine contestantur multos nomen Domini inuocasse.
 de Enos scriptum est in quarto capite Genesis: Iste cepit
 inuocare nomē Domini. Et de Abrahamo: Reuersus est per
 iter quo venerat à meridie in Bethel, vsque ad locū, vbi prius
 fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, in loco altaris
 quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Et Da
 uid in psalmo 114. Et nomen, inquit Domini inuocauit. Et
 Psalmo sequenti: Calicem salutaris accipiam, & nomen Do
 mini inuocabo. Et Ieremias, tu autem, inquit, in nobis es do
 mine, & nomen tuum inuocatum est super nos. Si igitur
 multi nomen Domini inuocarunt & inuocāt, qui fieri potest
 vt hæc verba. Non est qui inuocet nomen tuum, de omnibus
 hominibus vniuersaliter intelligantur? Cōstat igitur eos in
 errore

1. Cor. 10.

Gen. 4.

Gen. 12.

Psal. 115.

Ierem. 41.

errore intolerabili versari, qui ex hoc loco Esaię volunt colligere omnes homines quantūuis iustos in omni opere peccare. Hoc dico propter Lutherum, qui articulo 21. hanc propositionem asserit: in omni opere bono iustus peccat. Et probat eam ex hoc loco Esaię. Et existimat se esse victoriā consecutum, & gloriose triumphasse, cum constet apertissimē hunc locum nihil facere pro eo, cum de solis iniquis illius tēporis captiuitatis Babylonicę intelligatur. Imō militat aduersus illum, quoniam indicat fuisse iustos inter eos, quorū precibus Deus eos aliquando sustētauerat, quorū iustitia nō erat panno menstruata comparata. Citat etiam pro se Lutherus alia loca, sed quę illi nihil opitulantur, nec est meum ea hoc in loco refutare, eorūque verū sensum ostendere, cū nemo sit tam stupidus, qui non videat ea nihil contra nos efficere. Quis potest esse in diuinis literis locus, qui dicat, omnem virum iustum peccare in omni opere quantūuis bono? Quis audiuit ynquā enuntiationem tā falsam, tam ab omni iudicio & ratione alienatam, tam omni scripturę repugnantem? Cū Iob calamitate oppressus multa verba fecisset, ait scriptura: In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec *Iob. 1.* stultum quid contra Deum locutus est. Et alio in loco ait de *Iob. 19.* seipso Iob. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Quid ais Lutheri? quid ad hoc respondes? Nōne vides labefactatum esse articulum tuum? Tu dicis omnē virū iustū in omni opere etiā bono peccare, at scriptura sancta asserit Iob in hoc opere nō peccauisse. Cui dabimus fidē, tibi an scripturę sanctę? Eligat lector an diuinis literis an Luthero potius credēdū putet. Cū Christus Deus noster hominē, quem sanauerat, in tēplo postea inuenisset, ait illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Et mulieri in adulterio depræhensę: Vade, inquit, & iam amplius noli peccare. Si *Ioan. 5.* impossibile est dari opus, in quo homo non peccet, qui fieri potest vt Deus præciperet illis, ne peccarent. Deus enim *Ioan. 8.* minē obligat ad impossibile, nec impossibilia præcipit, alioquin non esset iustus. D. Paulus in epistola 1. ad Corinthios ita ait: Et si nupserit virgo, non peccauit. Quid potest contra *1. Cor. 7.* Lutherum apertius dici? Et rursum in eadem epistola: Eui *1. Cor. 15.* gilare, inquit, iusti, & nolite peccare. Et D. Petrus in epistola sua 2. Quapropter fratres, inquit, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: Hęc enim facientes non peccabitis aliquando. Et D. *1. Ioan. 3.* Ioannes in epistola 1. Omnis, inquit, qui in eo manet nō peccat.

cat. Et paulò pòst : Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Nónne vides Luthere hãc nubem testium ? Si omnis homo in omni opere peccat, vt tu asseris, ergo tu, quando hanc tuam hãresim scribebas, peccabas. Si te peccare sciebas, cur scribebas, cur peccata peccatis cumulabas ? Quẽ fructum afferre possunt eius assertiones, qui in illis scribendis & docendis se peccare sciebat ? Respondite mihi obsecro Lutherani, Vbi legistis Deum pro peccatis tribuere vitam æternam ? Nusquam sine dubio. Ait Christus apud Matthæum : Tunc dicit rex his, qui à dextris eius erunt : Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi : esuriui enim, & dedistis mihi mādūcare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus & operuistis me. Et paulò pòst Quamdiu fecistis vni de his fratrib⁹ meis minimis mihi fecistis. Si omnia hæc opera sunt peccata, quomodo pro illis Deus iustus iudex vitã reddit sempiternã ? Quid potest absurdius excogitari ? Nõ solũ bona opera facta in gratia non sunt peccata, sed etiã vitã æternam merentur. Quod indicauit Apostolus quando numeratis suis actionibus dixit : In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentũ eius. Aduerte : Non dixit : quam dabit mihi, sed quam reddet mihi. Ita apud Matthæum : voca operarios, & redde illis mercedem. Si merces ego meritum. Si homo in omni opere peccat, non potest esse vnquã sine peccato. Quomodo igitur ait Deus per Esaiam : Lauamini, mundi estote. Et paulò pòst : Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur ? Conscientia tertris maculis infecta nõ est instar niuis dealbata. Si verum est, quod tu dicis ó Luthere, sequitur apertissimè Diuum Ioannem Baptistam in ventre diuę matris sanctificatum in omnibus operib⁹ suis peccauisse, & ipsam semper virginem sacratissimam Dei genitricem fuisse in finitis peccatis maculatam. Quis talia vnquam audiuit ? Quę sunt aures quę possint tam impiam hãresim tolerare ? In epistola ad Romanos ait diuus Paulus ipsum spiritum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si homo in omni opere peccat, ergo etiã peccat quando Deum orat gemitibus, inenarrabilibus, at illę preces sunt ab spiritu sancto ille enim postulat pro nobis, vt ait Apostolus, ergo illa oratio in qua spiritus postulat pro nobis est mala, & cum peccato. Exhorrescit animus talia audiens. O pestilētissimam hãresim in officina Sa-
rana

*Matt. 25.**2. Tim. 2.**Matt. 26.**Sup. 1.**Rom. 8.*

tanq̄ conflatam. Væ tibi Lutheri qui tam diabolico figmento animas perdidisti: Væ vobis Lutherani, quàm acerbè cruciatus vobis in æterno igne, in illis tetris tenebris referuantur.

Cecidimus quasi folium.] Comparant se peccatores folio, quod cecidit, & iniquitatem suam vento rapido, asserentes non esse inter eos, qui confurgat, & Deum teneat precib⁹ & orationibus, ne eos ipsos euertat. Nam solent viri iusti Deum tenere, suisque orationibus populum sustentare. Id significauit Deus, quando Moyse pro populo deprecanti respondit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.*

Abcondisti faciem tuam à nobis, & allisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum, & siflor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltà memineris iniquitatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos. Ciuitas sancti tui facta est deserta: Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est, Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in excusionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer.

Exod. 32.

Psal. 78.

Abcondisti faciem tuam à nobis.] Hoc est, Non nobis faues. Magnum malum est, quando Deus à nobis faciem suam abscondit. In Deuteronomio scriptū legimus dixisse Deum Moyse: *Irascetur furor meus contra populum hunc in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Et in psalmo dicitur: Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & saluauerimus.*

Deut. 32.

Psal. 79.

Et allisti nos in manu iniquitatis nostræ.] Cum essemus in manu nostræ malitiæ, cum non ratione sed clauo deprauati appetitus duceremur, tu nos veluti nauē horribili scelerum nostrorum procella iactaram, in scopulos afflictionum allisti. Vexastis nos ob impia facinora nostra. Nam voluntas nostra paruit peruerso appetitui, corruit virtus, fuit dignitas ablata, & omnia honestatis ornamenta ceciderunt.

Et nunc Domine pater noster es.] Ac si dicant: Nec respicias scelera nostra, sed clementiam tuam. Non postulamus iustitiam, sed confugimus ad portum misericordiæ. Pater noster es miserere nostri.

Ciuitas sancti tui.] Hoc est, Hierosolyma vrbs tuæ sanctitatis. Id, quod sequitur, est superioris repetitio.

Domus sanctificationis nostræ.] Hoc est, templum Salomonis,

nis,

nis, in quo te colere, sanctificare, & laudare solebamus, fuit à Babylonis combustum, & incendio deuastante deletum. Sed cur Deus Iudæos, qui eum in templo sancto suo colebant, permisit capi, & in Babylonem transferri, & in tam acerbas calamitates incidere? Ratio est, quia etsi Deum ore laudaret, animo tamen se ab eo separabat. Hoc enim obiicit illis Deus alio in loco apud hunc nostrum prophetam: Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est à me. Erant Iudæi illi tetricis desideriis incensi, impiis sceleribus imbuti, & in summa deprauatione versati, & ut omnium sermone celebrarentur, detestanda facinora sua fröte occultabant, fictaque virtutis specie tegebant. At Deus talè extrinsecam speciem non vult. Ideo præcipiebat in Leuitico ut animal detracta pelle immolaretur, & membra igne flagrarent. Pellis est exterior virtutis simulatio: ignis autem, quo interiora comburebantur, est amoris & charitatis flamma, qua debemus flagrare. Ideo ait Deus: Fili præbe mihi cor tuum. Ea differentia, quæ est inter naturam & artem, est inter veram & falsam virtutem. Ut enim natura in hominis generatione incipit à corde, & postea ad exteriora se conuertit, sic vera virtus incipit ab animo, eumque exornat & illustrat, & postea in exterioribus splendet. Contrà verò ut ars in humano quodam vultu fingendo & formando, nec cor, nec interiora curat, sed tota in exterioribus & apparentibus occupatur, sic hypocrisis, falsæque virtutes humanæ laudis appetentes, solam externam claritatem quærunt, de animi splendore nequaquam cogitantes. Et quoniam Iudæi non naturam, sed artem sequebantur, Deumque labiis & cerimoniis, non autem animo & factis colebant, permisit merito Deus, ut essent capti, & in miseram Babylonis captiuitatem coniecti, ut hæc ærumnarum acerbitate ad Deum se toto animo conuerterent, suam ingratitude intelligerent, & seipso rædem cognoscerent. Est enim afflictio eos, in qua intellectus hebetudo acuitur, & animi ferrugo deletur.

Nunquid super his continebis te Domine.] Cùm Babylonis ciuitatem tuam Domine & templum tuum euerterint, nosque acerbissimè affixerint, cur hæc toleras & pateris? Nunquid continebis te, ne iis rebus irascaris? Nunquid tacebis, nõ respondens impiis hostium tuorum blasphemis? Nūquid nos semper tantis calamitatibus vexabis? Acti dicant? sume de Babylonis vltionem Domine, nos autem ne finas in iis ærumnis amplius versari.

Supr. 29.

Leuit. 1.

Prou. 4.

Simile.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LXIIII.

Sicut exustio ignis tabescent.] In Hebraico est cikdhecha exhamasim. Quæ verba possunt ita verti: Sicut exurit ignis liquefactionem, hoc est, ignis vehemens, hamas enim liquefactionem & dissolutionem significat.

Cum feceris mirabilia non sustinebimus.] Pro non sustinebimus in Hebraico lonekaueh. Verbum est iakah, quod significat inter alia expectare, quam significationem sequitur in præfenti Pagninus. Et potest ita Latine reddi: Cum feceris mirabilia, nõ te expectabimus, nullam in te spem ponemus. Nec est mirum, nam de Christo dixerat Iacob: Ipse erit expectatio gentium. Non dixit Iudæorum, sed gentium. Et ex hoc verbo deriuatur dictio illa iikkchath, quæ ponitur in illa prophetia Iacob, pro qua noster interpret rectè vertit expectatio. R. Salomon congregatio. Alij auscultatio & obedientia. Quibus fauet Chaldaica translatio Onkeli, quæ ita habet. Et ei auscultabunt populi siue gentes. Quæ omnia Christo apertissimè conueniunt. Ille enim est in quo gentes spem suam collocarunt, & qui eas in vna ecclesia congregauit, in qua eius verba audiunt, eique obediunt.

Quasi pannus menstruatus.] Septuaginta habent: Quasi pannus fedetis. Quod idem significat. Existimo enim eos per fedentem intelligere mulierem patientem menstruum. In Hebraico est vceueghedh iddim. Quod potest rectè verti: Et quasi vestimentum centonium. Nam dictio iddim, significat centones, quos Lusitani farrapos appellant. R. Abraham exponit: Sicut vestimentum prædæ sanguine inquinatum. Thargum. Sicut vestis abominabilis. Quæ omnia in eandem coincidunt sententiam.

Argumentum Capituli LXV.

Ostendit Christus se fuisse quæsitum & inuentum à gentibus, quæ antea in errorum ac scelerum tenebris versabantur: aperuit enim illis Deus oculos aliquando, vt viam veritatis aspiceret. Iudæos verò vocauit, & in cruce pendens ad eos, qui eum falsis criminibus ad mortem acerbissimam vocauerant, manus expandit. At illi noluerunt ab infidelitate sua desistere, quin potius adhibuerunt illi impiam contumaciam à cæca atque nefaria malitia inductam. Inuehitur pro-

pheta in Iudæorum flagitia, qui Deo relicto idola vana coluerunt. Ostendit Deum reddere vnicuique iuxta opera sua. Prædicat ecclesiæ prosperitatem & concordiam.

CAPVT LXV.

Rom. 10.



Quæsierunt me, qui antè non interrogabatur: inuenerunt, qui non quaesierunt me. Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & ius prophanum in vasibus eorum, qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, qui immundus es. Isti sumus: erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: Non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum similes, dicit Dominus, qui sacrificauerunt super montes, & super colles exprobrauerunt mihi, & remetiatur opus eorum primum in sinu eorum. Hæc dicit Dominus: Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Sabeo semen, & de Iuda possidentem montes sanctos meos, & hereditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. Et erunt campestris in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.

EXPLANATIO.

Quæsierunt me.] In principio capitis superioris diximus Prophetam induxisse Iudæos captiuos suam à Deo liberationem postulantes, sed eum inspexisse ad peccati captiuitatem, & eius per Christum redemptionem. Quod huius capituli principium ostendit. Nam statim incipit à Gentium salute, quæ Christum quaesierunt, eique se repudiatis idolis dedicauerunt. Solent enim Diuini vates sæpe à liberatione terrenæ se ad cælestem transferre, quæ cum de humana tractabant, mente intuebatur. Est igitur sensus: Gentes quæ antea me non consulebant, nec quærebant, quæ erant superstitionibus impleta, & in erroribus intolerabilibus versata, me quaesierunt,

8 in.

& inuenerunt. Ponit pro re gentilica Deum nō interrogare & consulere. Debent enim Christiani cogitare & inquirere quæ sit Dei voluntas, ab ipso que Deo petere, vt illis suam aperiat voluntatem, vt nihil aduersus eam efficiant. Vnde *Psal. 118.* David Deū alloquens, Doce, inquit, me iustificationes tuas. *Psal. 142.* Et alibi: Doce me facere voluntatē tuam. In libro Iosue scriptum est incidisse Hebræos in errorem. Et reddens scriptura huius rei rationem ait: Et os Domini non interrogauerunt. Vnde vides nos ideo sæpenumero errare, quia Deū non consulimus, nec eius inspirationi acquiescimus, sed nostro corrupto appetitu gubernamur. Intelligi hunc Esaiæ locum de Gentium salute, & Iudæorum duricie & pertinacia asserit *Rom. 10.* Diuus Paulus in Epistola ad Romanos. Quod multo antea fuerat iis verbis à Deo per Dauidem prædictum: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt & claudicauerūt à semitis suis. Iacob luctās cum angelo mansit claudus: Iudæi aduersus Christū pugnātes claudicauerūt.

Ecce ego, ecce ego ad gentem que nesciebat me. Vide admirabilem rerum mutationem. Fideles recesserūt à fide, infideles autem eam receperunt. Qui erant in scala Iacob descendebant vsque ad terram: qui verò in terra iacebant, ad scalarum summitatem ascenderunt. Qui stat, inquit Apostolus, videat ne cadat. Inde cecinit Anna: Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.] Esse hunc populum, populū Iudaicum indicat Apostolus in epistola ad Romanos. Considera Dei misericordiā, Iudæi Christū crucifigebāt, ille autē eos vocabat. In cruce manus expansas habebat & brachia extensa, quasi peccatores vocans eos, que amplecti desiderans. Ideo apud Salomonē has voces emittit: Vocauit, & renuistis: extendi manum meā, & non fuit qui aspiceret. In cruce homines vocauit, & manus extendit.

Qui graditur in via non bona post cogitationes suas.] Hoc est, qui sequens suas deprauatas cogitationes viam perambulatur ad æternum supplicium ducentem. Fieri non potest, vt qui seipsum sequitur, Christū sequatur. Ipse enim ait: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suā cotidie, & sequatur me. Væ illi, qui ducē sequitur appetitū. Est appetitus veluti coruus, qui ei, à quo nutritur oculos eruit. Sed qui appetitu ducitur, suā cæcitatē & perniciem nō intuetur. Vt enim ceruus fœminæ cupiditate incensus accurrit ad ab-

scanditū venatorē rugitū ceruę singentem, ductūsq̄ appetitu, dum existimat se ad desideratam ceruam festinare, cursu sit velocissimē ad mortem ipsam, & ad venenatam venatoris sagittam recipiendā. Sic qui indomito appetitu ducitur, quanto celerius ad res desideratas contendunt, tantō perniciosius ad mortem ipsam amplectendam accurrunt.

Qui immolant in hortis.] Non in templo. Respuit Deus Iudæorum sacrificia extra templum. Cū igitur nunc careant templo, qua ratione existimāt sua sacrificia Deo grata esse? Medicus permittit febre laboranti gelidam aquam bibere ad maius malum vitādum, sed postea cū ita opus esse intelligit, illi indicat esse a tali aqua abstinendum. Et nolētē egroto ab aqua desistere, medicus coram eo vrceum frangit. Sic deus permisit populo Iudaico carnes immolare, vt illum ab idolorum cultu auerteret. Si enim Deo non sacrificaret, cū esset Ægyptiorum ritibus videndis assuetus, sacrificaret idolis. Sed veniētē tēpore cœlestis ille medicus in cruce pendēs illi dixit: cōsummatū est. Quibus verbis indicauit veteris legis sacrificia cessasse. At nolente Iudaico populo a sacrificiis abstinere, nolente ab illa aqua gelida desistere, coram illo vrceum fregit, templum euertit & destruxit, ne amplius sacrificarent. Erat enim templum veluti omnium sacrificiorum vas. Vnde fracto templo apertissimē constat esse antiquę legis sacrificia abrogata. Vt enim lapis in summitate testudinis templi est clavis totius domus, & ruētē eo lapide, euerfa illa clauē, ruit tota templi fabrica & structura, sic euerso templo Hierosolymę, quod erat clavis totius Iudaismi, perspicuē ostenditur totam Iudæorum synagogā esse euersā & funditus conuulsam. Sed Iudæi cæca malitia ducti, hoc nunquam perpendere voluerunt. Hanc ipsorum ignorantia indicat illis scriptura, cū ait: Mortuum fuisse Moysen &

Moys. 19.

Simile.

Deut. 34.

Figura.

Gal. 3.

in valle sepultum, nullūque eorum eius sepulchrum cognouisse. Quid per Moysen nisi lex vetus significatur? Mortua est lex quę ad iudicialia, & cerimonialia, & sacrificia & in valle sepulta, eius autem sepulchrū ignoratur a Iudæis eā adhuc viuere existimantibus. Fuit lex illa a Deo, sed nō erat nisi ad Christum duratura, Ideo D. Paulus in epist. ad Galatas, Lex, inquit, pędagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iā non sumus sub pędagogo.

Et sacrificant super lateres.] Id est super altaria lateritia. Pro altari, quod ex Dei lege erat constructum, Iudæi multa suis idolis ædificabant.

Quo

Qui habitant in sepulchris.] Solebant perfidi Iudæi mortuos consulere, & in eorum sepulchris ad eos interrogandū habitare, vt ibi in fomniis responsum reciperent. Vnde Septuaginta transtulerunt: In sepulchris & in specubus dormiunt propter somnia.

Ius prophanum.] Id est, carniū animalium prohibitōrum. Notat Iudæorum gulam in Dei contemptum.

Qui dicunt, recede à me.] Notat Iudæorum hypocrisisim, & arrogantiam.

Isti fumus erunt in furore meo, & ignis ardens tota die.] Hoc est, Ego eos in fumum redigam & in prunas. Et vt dicitur in psalmo: Deficientes quemadmodum fumus deficient. Psal. 36.

Ecce scriptum est coram me.] Hoc est, statutum est, & ita fiet.

Et iniquitates patrum vestrorum simul.] Iuxta id, quod ait Deus Exodi 21. cap. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorū, qui oderunt me. Quod intelligitur quo ad corpus, & temporaliter, non autem de pœna æterna, nec de omni pœna temporali, sed de aliqua Non enim æquū est vt filius pro patris scelere in æternas tenebras relegetur. Ita enim in Deuteronomio scriptum est. Non occidetur pater pro filio, nec filius pro patribus, sed vnusquisq; pro peccato suo morietur: Quod est etiam libro 2. Paralipomenon mandatum. Et licet intelligatur de morte corporis, potest tamen ad animæ mortem referri, de qua apud Ezechielem dicitur: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Potest nihilominus de pœna æterna intelligi id, quod hoc in loco apud Esaiã & in Exodo ait Deus, se visitare iniquitates patrum in filios, si filij peccata patrum admittat, & iisdem sceleribus cum patribus contaminentur. Nam cum Christus apud Matthæum scribis & pharisæis cedes prophetarum, quos patres sui occiderant, obiecit ait: Ecce ego

Exod. 20.

Deut. 24.

Ezec. 18.

Matt. 23.

mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occiditis & crucifigitis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinē Zachariæ filij Barachie, quem occidistis inter templum & altare. Vbi vides venisse super scribas & pharisæos peccata suorum maiorum, quæ in morte sanctorum commiserant, quoniam ipsi pharisæi vos sanctos etiam occiderunt, Ac si Christus illis diceret: Vos

Ccc 3 in inferno

in inferno cruciabitur quemadmodum patres vestri, quoniam isdem sceleribus estis cōtaminati. Castigat igitur Deus filios pro peccatis parentum, quando eisdem parentes in peccatis imitantur.

Et remetiar opus eorum primum in sinu eorum.] Hoc est, in primis peccatū eorum remetiar, retribuens eis pœnam iuxta culpam. Metaphora sumpta ab eumentibus & vendentibus. Qui vendit, nō omnibus eandem mensuram in sinum proicit, sed iuxta pecuniæ quantitatem.

Quomodo si inueniatur granum.] Dixerat Deus se esse Iudæos puniturum, eisque iuxta eorum peccata retributurum. Nunc similitudine quadam ostendit non esse omnes Iudæos perdendos: quoniam erant nonnulli, licet pauci, seruandi. Est igitur sensus: Vt si quis in botro arido aut corrupto acinum vnum siue granū inuenerit illæsum, dicit alteri ne dissipet illud, quoniam diuina benedictione effectum est, vt in tanta granorum corruptorum multitudine illud solū euaserit. sic ego, ait Deus, eos, quos fideles inuenero, liberabo, qui inter tantam Hebræorum infidelium multitudinem tam pauci erunt, vt vni acino comparētur. Et hoc faciam propter seruos meos, ne omnes Iudæi pereant, & in imas æternasque tenebras præcipitentur. Et vt ostendat Iudæorum reliquias esse multiplicandas, & salutem consecuturas, eas comparat semini, ita dicens: Et educam Iacob semen, & de Iuda possidentem montes sanctos meos, & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. Ac si dicat: Seligā ex Iudæis nō nullos, quibus dabo montes meos possidendos. Per montes intelligitur Hierosolyma, de qua Dauid, fundamenta, inquit, eius in montibus sanctis. At per Hierosolymā ecclesia Christi significatur, in qua habitāt omnes fideles catholici tam ex Iudæis, quā ex gentibus congregari. Ideo ait: Et hæreditabunt eam electi mei, serui mei habitabunt ibi. Iudæos, qui in Christum crediderunt, appellat acinum & semē, quemadmodum primo capite: Nisi Dominus reliquisset nobis semen. Eiusque capite decimo reliquias appellauit: quem inittās Apostolus in epistola ad Romanos eos etiam reliquias vocat. Cæterum hic Hebraïsmus: quoniam benedictio est, hunc potest habere sēsū: Vt maneat huius populi memoria ob suorum maiorum benedictionem & merita. Vnde colliges defunctorum merita viuus prodesse.

Et erunt campestris in caulis gregum.] Vult spirituales ecclesie fertilitatem significare. Caulæ sunt stabula, in quibus oues

Psal. 16.

Supr. 1.

Supr. 10.

Rom. 9.

¶ 11.

oues reconduntur. Achor vallis est, vbi Iosue iussit, vt Achā propter furtum lapidibus obrueretur, vt est in libro Iosue memoriz proditum. Et quoniam ibi turbatus est populus, appellatus est locus ille Achor, hoc est, Turbatio. Non enim solū viri iusti in campestrū planicie, in gaudio & quiete versantur, sed etiam aliquando in turbatione & calamitate: vt tristitia cum lætis misceantur, & harmoniam atque sonorum cōcentum efficiant. Vt enim in musica nō omnes voces sunt acutz, neq; omnes graues, neque omnes circumflexæ, sed ex vocum varietate suavis consonantia efficitur: sic temperata vitæ Christianæ harmonia ex diuersitate et mistione gaudij & afflictionis componitur.

Iosue 7.

Similitudo.

Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliuiscitis montem sanctum meum, qui ponitis Fortune mensam, & libatis super eam: nūmerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Pro eo quod vocaueri, & non respondistis mihi, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis: propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei lætabuntur præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino amen: & qui iurauit in terra, iurabit in Deo amen: Quia obliuioni tradita sunt angustia priores, & quia abscondita sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo caelos novos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendet super eos.

Prou. 1.
Ierem. 7.

Apo. 21.

Et vos qui dereliquistis Dominum.] Alloquitur Iudæos infideles, præsertim decem tribuum, qui Hierosolyma ciuitate sancta relicta in Samaria idola colebant. Appellatur in diuinis literis Hierosolyma ciuitas sancta, & mons sanctus, quia erat fidelium receptaculum & domiciliū, & quia ibi Christus Deus noster visibiliter inter homines apparuit, ibi fuit eius mors, & sepultura, & reditus ad vitam. Et ob eam causam patriarcha Iacob, eiusque filius Ioseph in Aegypto morientes præceperunt vt in terra illa sancta sepelirentur, quoniā, vt ait Theophylactus, mentis oculis intuebantur illic esse Christū sepeliendum, & à mortuis resurrecturum, & volebant cū eo resurgere. Ait enim D. Matthæus 27. cap. sui Euangelij monumenta operta fuisse, & multa corpora sanctorum, quæ dormierāt, resurrexisse, sanctos autem exeuntes de monumentis,

Gen. 49.
Gen. 50.

Matt. 27.

post Christi resurrectionem venisse in sanctam ciuitatē, multūque apparuisse. Verum per hunc montem sanctū, cuius Esaias ait Iudæos infideles oblitos fuisse, poteris Christum intelligere, de quo in principio capitis secundi disserimus.

Qui ponit fortune mensam.] Gentes Fortunā diuersis nominibus atque titulis vt Deam coluerunt. In id amentia & cecitatis inciderunt, vt etiam Fortunā malam adorarent. Effingebant eam habitu fœmineo, furenti similem, cæcam, inconstantem, super volubili globo sedentem, & in fine anni ei mensam dapibus plenam ponebant. Existimabant cæci homines Fortunam esse per se rem quandam separatam, viuā, & existentem, & ob eam causam eius simulachrum colebāt. Iudæi autem vt omnium idolorū portenta venerantur, Fortunam, etiam adorarunt, eique more gentilico mēsam dapibus repletam præpararunt, verūque Deum reliquerunt. Quam ob causam hic à Deo per prophetam reprehenditur. Præceperat enim Deus cap. 20. Exod. 26. Leuitici 4. Deut. ne quis sculptrile, similitudinem, & idolum faceret ad adorandum. Ex his locis contendunt nonnulli probare vsum imaginum diuorum esse perniciosum diuiniq; literis repugnantē. Inter quos est Caluinus multo hac in parte, quemadmodū etiam in multis aliis. Luthero non solum temerarior, sed pestilentior. Nam Lutherus, quanuis hæreticus, non ausus est tamen vsum imaginum auferre, imò reprehendit Carolostadium imagines damnantem, eumque obstinatum è Saxonia proscrubi curauit. Huius Carolostadii hæresim sestatat Caluinus, eamque pro viribus defendere conatur, asserens Deū in diuinis literis vsum imaginum apertè prohibuisse. At hoc neque ostendit, neque vnquam ostendit. Imò Deus postquā capite 20. Exodi. sculptrilia & idola prohibuit, præcepit fieri duos Cherubim aureos productiles ex vtraq; parte oraculi, vt in eodem Exodo capite 25. scriptura commemorat. De quibus ita ait Iosephus libri tertij antiquitatum cap. 8. Super tegmen verò arcae erantfigurationes duæ, quas Hebræi Cherubim appellant. Sunt enim animalia volatilem habētia figuram, quæ à nullo hominum est inspecta. Hęc ille. R. Kimhi Hebræorum doctissimus in libro radicū ait eos habuisse puerorum figuram, idemque esse Cherubim ac quasi pueros. & hanc esse antiquorum sententiam. A spicis igitur Deū imagines fieri præcepisse. Neque hoc illis locis repugnat, in quibus eas prohibuisse videtur. Perpende verba scripturæ, & videbis Dei intentionem esse, non prohibere diuorum imagines,

Exod. 20.
Leuit. 26.
Deut. 4.

gines, sed falforum Deorum cultum & venerationem. Ita enim ait: Non facies tibi sculpsile, nec omnem similitudinem, quæ est in celo desuper, neque in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Hæc capite 20. Exodi. Pondera hæc verba, & videbis ad quæ finē Deus Hebræis sculpsilia prohibuerit, nempe ne ea adorarent. Veniebant ex Aegypto, vbi idola colebantur, erant ad idolatriam propensi, facile cadebant, idē illis Deus toties præcipiebāt ne se idolorum cultu contaminarent. At cū nos sanctos pro diis non habeamus, nec eorum imagines latria adoratione soli Deo debita adoremus, possumus absque vilo crimine eorum imagines habere, & venerari, ipsam venerationem non ad lignum, neque ad lapidem, neque ad colores, sed ad prototypum referentes. Hinc colliges diuorum imagines nullum incommodum, imō magnam in nos vtilitatem conferre: instruunt enim simplices, admonent scientes, afficiūt omnes. Quis nō mouebitur visa imagine Christi pro nobis crucifixi, vulneribus confossi, sanguine aspersi, duris spinis coronati? Quis non excitabitur ad ardētem charitatē intuens diui Stephani vultum lapidibus percussis oculos arque manus ad Deum pro percutientibus leuantis? Quis erit tam lapideus, qui in spectā sancti Laurentij imagine igni pro Christo expositi, flammis que ardentibus combusti, non cōcipiat in animo desiderium quoddam pro Christo etiā moriendi? Quæstio de habēdis diuorum imaginibus fuit in cōciliis tractata, in quibus ex vniuersali ecclesiæ catholicæ consensu fuit decretum, perpetuisque monumentis cōsignatum, vsum imaginum diuorum non solum non repugnare literis diuinis, sed etiam esse licitum, pium, & salutare. Habes hoc decretum in concilio Niceno secundo, & in Constantinopolitano sub Hirinæo, & in tribus Lateranēnsibus sub Gregorio secundo, & tertio, & Stephano, & in Frankfordensi. Neque existimes in his cōciliis incepisse imaginū vsum, sed approbatum fuisse, quoniam iam erat: imō eum habet ecclesia ex Apostolorum traditione. Ita asserit libro 4. Damascenus author antiquus summæ authoritatis, qui etiam ait Christi Deum nostrum misisse imaginem faciei suæ Abagaro Edesenorum regi. Hodie idem refert Eusebius libro 2. Ecclesiasticæ historiæ vir omni sapientia & nobilitate præstanti. Et libro 7. loquitur de imaginibus Petri & Pauli, meminitque Christi imaginis miracula facientis: cuius etiam meminit in tripartitæ historiæ libro 6. Casiodorus. Et D. Lucas, vt cele-

Exod. 10.

bris per totam ecclesiam fama vagatur, sacratissimæ Dei genitricis Mariæ imagines depinxit, quarum nonnullas ego meis oculis vidi. Athanasius loquens de imagine crucifixi, quæ fuerat Nicodemi, narrat miraculum, quod cum ea contigerat. Sed quid cito hos authores? Pleni sunt libri, plenæ hominum voces, plena est miraculis imaginum diuorum, non solum recens memoria, sed annalium etiam antiqua vetustas. Nisi Deus vsum imaginum approbasset, nõ in illis tot miracula sefecerit. Non est hoc obscurum, res est perspicua, ipsa per se loquitur & lucet, multorum oculis testatissima. Quid ad hæc respondes Caluine? Quid pro te poteris asserere nisi præceptum de nõ colendis idolis? At id pro te nihil facit. Sed dices: Ego ita illud interpretor. Verum est: sed ecclesia id multo aliter interpretatur. Cui assentimur tibi cum Carolo studio, & aliis huiusmodi hæreticis, an tot conciliis, tot temporum consuetudini à tota ecclesia asseræ & comprobatæ? Sed dices: Non curo quid ecclesia dicat: satis mihi est post Dei præcepta nunquam licuisse imaginem facere. Quid ais Caluine? Nonne legisti Hebræos post illud præceptum imagines duorum Cherubim ex Dei iussu fecisse? Nonne Salomon diuina ductus inspiratione duodecim leuculos in folio fecit? Nonne sculpsit boues in mari fusili, leones, boues, & Cherubim in bassibus æreis? Nonne legisti præcepisse Deum Moyli, vt serpentem æneum faceret & cruci affigeret? Audi quid dicat scriptura cap. 21. Numerorum: Fecit ergo Moyles serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussis aspicerent, sanabantur. Erant Hebræi ob eorum scelera à serpentibus vulnerati, & cum oculos ad serpentem crucifixum dirigerent, sanitatem consequabantur. Vexillum illud quo erat serpens suspensus Christi crucem adumbrabat, & serpens ipsum Christum, vt ipse apud Ioannem testatur. Serpens, qui nos veneno suo infecerat, est hostis ille antiquus, cuius caput erat per Christum conterendum, iuxta id quod est tertio capiti Geneseos mandatum. Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, & ipsa, vel vt est in Hebraico, & ipsum conteret caput tuum. Pro quo Hierosolyma paraphrasis habet: Futurum est vt in diebus regis Messie amoueant morsum, qui factus est in calcaneo. Vbi aspicias intellexisse antiquos Hebræos veterem morsum esse per Christum sanandum. Christus est innocens ille serpens crucifixus, non venenosus, sed æneus, qui lögè latèque sonuit, quem inueneri debemus. Si humanum iudicium respicias, serpens ille æneus

Exod. 25.

2. Par. 9.

3. Reg. 7.

3. Reg. 6.

æneus in cruce leuatus, tantum abest, vt serpentium morfibus medeatur, vt etiam præsentissimum illis nocumentum videatur asferre. Qui enim est à serpente percussus viso serpente exhorrescit, & grauius ægrotat. Præterea eam auct esse æris candentis naturam, vt si quis à serpente vulneratus in illo oculos defixerit, statim moriatur. Quid magis humano iudicio contrarium quàm mortuum hominem viuificare, in morte esse vitam, in cruce gloriam? At torum hoc videbis & fateberis, si redemptionis humanæ mysteria fidei oculis aspexeris. Admiraberis diuinum consilium, sapientiam, iustitiam bonitatem. Si illa crucis imago vulneribus intuentium medebatur, cur ipsam crucem aspiciere non vis? Cur ò Caluine visa crucifixi imagine exhorrescis? Cur eam detestaris? Cur nec christi, nec eius sanctorum imagines permittis? Cur tot patres, tot concilia, tot annorum antiquissimum ecclesiæ consensum negligis & execeraris? O miserum te si non intelligis tuam hæresim, miseriolem si eam intelligendo vis in ea perseverare? O insensati Caluinisti quis vos fascinoit non obedire veritati? Cur transferimini in aliud euangelium? Quod non est aliud, sed est Caluinus, qui vos conturbat, & vult peruertere euangelium Christi. Quis non plorabit vestram perniciem? quis non gemet? quis nõ exardescet dolore? quis ob interitum vestrum vim lachrymarum non funder.

Numerabo vos gladio.] Hoc est, vos numeratos gladio interficiam. Vel numerabo vos ad cædem.

Vocauit & non respondistis mihi.] Vide Dei erga homines misericordiam, hominum autem erga Deum impietatē. Vos vocat, qui neque ei respondere volunt, neque obedire.

Ecce serui mei comedent, & vos esurietis.] Vide elegantem contrapositionem. Appellatur hæc figura antitheton, cum contraria contrariis opponuntur, vt apud quædam Poëtam: Frigida pugnabant, calidis, humentia siccis. Considera quanta sit piorum hominum felicitas, quanta verò impiorum miseria. Sunt tamen hæc de spiritali abundantia & fame intelligenda, quemadmodum id, quod dicitur in psalmo: Nõ cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Et in prouerbis: Non affliget Dominus fame animam iusti.

Pre contritione Spiritus.] Non accipitur hic contritio pro actu virtutis, qui dicitur penitentia, nec pro ea, quæ est pars sacramenti penitentia, habens relationem ad alias partes, sed pro dolore & conturbatione proueniente ex calamitate.

Et dimittit

Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis.] Iras tantas ærumnas incidetis, vt fideles mei quando iurauerint, sumant in exercitationem nomen vestrum, dicentes: Si id feci, veniant super me calamitates Iudæorum infidelium. Quã execrandum sit Iudæorum nomẽ post Christi necem, nemo est qui ignoret. Nulla est hodie in mundo natio detestabilior & calamitosior. Septuaginta habent: Relinquetis nomẽ ve-
strum in firmitatem electis meis: hoc est, in fastidium.

Apoc. 2.

Et seruos suos vocabit nomine alio.] Qui Christum receperint non vocabuntur Ethnici, nec Iudæi, sed Christiani. Pro nomine alio transtulerunt Septuaginta, nomine nouo. Hoc est nomen illud, de quo dicitur in Apocalypsi: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Ac si dicat Deus: Illi qui mundum, carnem, & dæmonẽ vicerit, dabo cœlestem quandam dulcedinem, & puram conscientiam, in qua habebit scriptum se esse verum Christianũ, & moralibus coniecturis sciet se esse in gratia constitutum, quanquam alij existiment eum esse infidelem, aut saltẽ mortiferis scelertbus contaminatum. Potest nihilominus nomẽ illud nouum apud diuum Ioannem intelligi de clara diuinitatis notitia in altera vita, vt ait in moralibus diuus Gregorius.

Qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino.] Id est, qui se in terra fœlicem senserit, totam suam fœlicitatẽ acceptam referet Deo. Et qui aliquid iure iurando asserere voluerit, non Deos falsos, sed verum Deum citabit in testem.

Psal. 31.

Quia obliuioni tradita sunt angustie priores.] Hoc est, peccata. Quasi dicat Deus: In hac beatitudine & ecclesiæ fœlicitate viuente serui mei, qui idolis relictis me colunt, quia iã non ero memor suorum antiquorum scelerum, quoniã illis dimissa sunt. Hoc enim volunt significare verba illa; Et quia abscondita sunt ab oculis nostris, hoc est recte. Tunc enim iniquitates dicuntur tecta, quando sunt à Deo dimissa. Ita dicitur in psalmo: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Possunt hæc verba Esaiæ non ad Deum, sed ad eos qui fidem receperunt, referri, vt fit sensus: In ecclesiæ fœlicitate versabimur, quoniã oblitus sumus priores nostras miseras, & antiquas afflictiones, & omnes illæ uanuerunt ab oculis nostris. Nunc autem spiritali gaudio perfusi, tam rebus aduersis, quàm prosperis lætamur, & semper in Domino gaudemus.

Ecce

Ecce enim ego creo caelos novos, & terram nouam.] Hoc est, nouum mundum cōstituo. Prædixit Deus his verbis omnia esse per Christum renouanda, abrogandas esse veteres ceremonias, & ecclesiam constituendam, vt quasi in nouo mīdo versari videremur. Noui cæli sunt Apostoli, noua terra nouus populus, qui deposito veteri homine nouum induit, vt seruiat Domino in spīritu nouitate. Hinc illa frequens vox in psalmis: Cantate Domino canticum nouum, Cæci Iudæi sperant tempore Messiaē alios fore caelos aliāque terram, non cōsiderantes in diuinis literis nouū aliquid sepe appellari, non quod antea non fuerit, sed ob acquisitam nouā quādam possessionem, quemadmodum per Ezechielē ait Deus: Facite vobis cor nouum, & spīritum nouum. Hoc est, mentis nouitate reformamini. Qua de re ea poteris videre, quæ capite quadragesimo tertio annotauimus illa verba explicantes: Ne meminertis priorum, & aliis in locis in quibus Esaias hanc inuouationem prædixit, de qua diuus Ioannes in Apocalypsi cap. 21. latè disseruit.

Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum, in his que ego creo, quia ecce creo Ierusalem exultationem, & populus eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo vltra vox fletus, & vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et edificabunt domos, & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructus earum. Non edificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet. Secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam, ad huc illis loquentibus ego audiam. Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, & serpenti puluis panis eius, non, negebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

Sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum.] Gaudium vestrum incipiet in hac vita, sed perficietur in altera & ita erit æternum.

Ecce creo Ierusalem exultationem.] Id est, constituturus sum ecclesiam, quæ sit fidelibus exultatio.

Et non audietur in ea vltra vox fletus.] Describit spīrituale gaudium fidelium, qui Christi amore in flāmā etiā cruciatibus oblectantur.

Non

Non erit ibi amplius infans dierum.] Sensus est: In ecclesia nullus eorum qui p̄ sunt & iusti, erit infans, sed omnes erunt senes pleni dierum. Hoc est, maturi, sapiētes, & integri. Nulla enim maior sapientia, quā scire vitam sempiternam comparare. Ideo omnes iusti senes vocantur, contrā verò iniusti pueri & infantes dicuntur. Id intelligens Salomon dicebat in Proverbiis: Viquequo paruuli diligitis infantia? Et paulo p̄st, Auerfio, inquit, paruulorum interficiet eos. Ac si diceret: Homines scelerati, quos ob eorum insipientiam paruulos & infantes appello, se à Deo auertunt, & separant, vt querant vitā, at hoc ipsum illis mortē adducit, quo fit, vt sibi ipsi excidium machinētur. Et alio in loco in eisdem Proverbiis, Relinquire, inquit, infantiam & viuite, Et in Ecclesiaste, Vē tibi, inquit, terra cuius rex puer est. Vnde Deas per Esaiam volens perniciem Hierosolymæ imminentem significare dicebat: Dabo pueros principes eorum, Et Diuus Paulus in epistolar. ad Corinthios, Fratres, inquit, nolite pueri effici sensibus. Vel ideò ait viros iustos longissimam ætatem victuros esse, quia acerba mors & ante tēpus viro iusto haudquam accidit, vita enim honesta & bene acta etiā in adolescentia est matura, & ipsa adolescentia senectus appellatur. Nec dicēdus est aliquis ante tēpus ē vita migraſse qui semper iustitiam coluit & pietatem. Contrā verò qui se humanis vitis contaminauit, totūque libidinibus dedit, quibus cæcatus velut domesticis flagitiis se inquinauit, & in violando iure diuino & humano teterrimas fraudes concepit, etsi longissimam degat ætatem, adolescens tamen dicitur, & parum vixit, quoniam nihil fecit, quod illum vixisse testetur. Imò nunquam explet tempus vitæ suæ, quam ipse sibi pollicetur, & quamuis perueniat ad extremam senectutem, tamē verissima est hæc sententia Davidis: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Prover. 20.

Prover. 9.

Eccel. 30.

Sap. 3.

1. Cor. 14.

Psal. 54.

Mat. 23.

Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.] Hic est sensus horū verborū: Quoniā iniquus moriens natus centū annos puer est, & talis puer centū annorū peccator est & maledictus. Vel sic: Quoniā qui in ætate centum annorū fuerit puer moribus, absque prudentia & virtute, morte æterna multabitur, & talis peccator centum annorum audiet: Ite maledicti in ignem æternum.

Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei.] Id est, Tam diu viuent, quādiu solet viuere arbor viuacissima. Quasi dicat, degēt ætatem longissimam. Huic arbori comparatur vir iustus

Iustus in primo psalmo vbi dicitur. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Et in psalmo 93 Iustus vt palma florebit. Non deest, qui totum hoc referat ad vitam æternam. Solent enim aliquando propheta ea, quæ ad cœlestem beatitudinem pertinent, huiusmodi verbis velare. Huic sententiæ fauet translatio Septuaginta, quæ habet hoc in loco: Et enim secundum dies ligni vitæ dies populi mei. Quod de ligno vitæ intelligitur, quod erat in paradiso. Quibus verbis voluerunt Septuaginta vitam beatorum æternam esse significare. Gen. 2.

Opera manuum eorum inueterabunt. Id est, diu permanebunt. Potest ita verbi: Opera manuum eorum durabunt electis meis.

Neque generabunt in conturbatione. Id est, filii, quos per euangelium genuerint, non erunt geniti in conturbatione, sed in animi quiete & tranquillitate. Ita enim dicebat Apostolus: Per euangelium ego vos genui. Potest etiam ad naturalem generationem referri. Nam vir iusti legitimo matrimonio copulati absque peccato mouentur ad filios generandos. Quod volens propheta explicare ait: Quia semen benedictorum est. Quasi dicat: Quia tale semen est virorum iustorum qui sunt à Domino benedicti. 1. Cor. 4.

Antequam clament, ego exaudiam. Id est, priusquam finem faciant clamandi. Quod statim explicans propheta ait: Adhuc illis loquentibus ego audiam. Vide Dei nostri clementiam & benignitatem.

Lupus & agnus pascentur simul. Hoc est, Tyranni, qui ob immanitatem lupi appellatur, recepto euangelio vique adeo erunt mites, vt cum hominibus piis, abiectis, & humilibus simul in ecclesia habitent, & eundem spirituale cibum sumentes se spiritualiter reficiant. Leo & bos comedent paleas. Hoc est, magnates & obscuro in vno stabulo, in vna ecclesia congregabuntur. Et qui serpentes fuerant, nemini nocebunt ore suo. Sed in monte sancto meo, ait Deus, hoc est, in ecclesia mea erit pax & concordia. Voluit propheta iis verbis significare fore, vt in ecclesia magna esset inter iustos charitas, magna concordia, magna humilitas & mansuetudo. Inuenies hoc vaticinium apud nostrum Esaiam cap. ii. vbi poteris ea videre quæ ibi annotauimus.

Annotationes ex Hebræo in

CAPVT LXV.

Ad

Ad populum incredulum.] In Hebraico est, Ad populum forer, à verbo for & geminata finali litera forer quod significat declinare, vt in psalmo: Declinate à me maligni. Significat etiam putridum esse foetidū, & corruptū. Vnde id, quod est apud Oseam prophetam: Separatum est conuiuium eorū, potest rectè verti: Foetidum factum est conuiuium eorū. Significat etiam subuertere, vt apud Ieremiam in Threnis: Semitas meas subuertit. Significat præterea recedere, & non obedire, vt apud Oseam: Omnes principes eius recedentes, pro quo Septuaginta inobedientes transulerunt. Et alia tandem significat, quæ non opus est recensere, Ex quo perspicuū apparet posse hunc locum ita Latine reddi: Ad populum à veritate declinantem, vel foetidum, & vitis contaminatum, vel separatum à Deo, vel subuersum, vel inobedientem & contumacem. Omnia enim hæc dictio, qua hic vsus est propheta, significat. Quæ omnia infideli populo rectè conueniunt. Quam ob causam interpres notier merito vertit: Ad populum incredulum.

Qui ponitis fortunæ mensam.] In Hebraico est ita: haorchim la gadh xulcham. Prima dictio significat ponere, præparare, ordinare. Vnde id, quod dicitur in psal. Manè astabo tibi, & videbo, potest ex Hebraico verti: Manè præparabo me tibi, & videbo. Ac si dicat: Nocte ac tenebris me orū scelērū habebō intellectu caligine circumfusum. At manè cum me præueniente gratia terigeris, præparabo me tibi, & splendore gratiæ gratum facientis illuminatus, mentis oculis ea aspiciam, quæ antè ignorabā. Secūda dictio, quæ est eā gadh significat fortunam, quam significationem secut⁹ est noster interpres. R. Moyse dicit esse eam stellam, quam Iouem appellamus. Et R. Dauid hīc in commentariis etiam sydus quoddam esse ait. Tertia dictio absque vllō dubio mensam significat. Ideo potest verti: Qui præparatis mensam Ioui. Est hæc stella in sexto cælo locata, cuius fulgorem dicunt esse prosperum & salutarem. Pagninus vertit: Qui paratis exercitui cæli mensam. Existimat enim hæc dictionem significare stellarū multitudinem, quam exercitum cæli appellauit. Nam gadhadh significat exercitum colligere, & cōgregare. cūm nostra vulgata editione concordant Septuaginta, qui fortunam interpretantur. Quare hanc esse rectiorem interpretationem existimo, & quia solebant antiqui, vt in explanatione dixi, fortunam colere, eique immolare: & quia dictio hæc fortunā significat, vt ex versione Septuaginta etiā demonstratur.

Et libatis super eam. In Hebraico est: ve ham malim lamni mimfac. Magna difficultas est in dictione mui cui additur la articulus. Nam noster interpres habet super eam, pro quo Pagninus posuit planetis. Ita enim habet, Impletis planetis libamē. Septuaginta, Impletis dæmoni poculū. Pro eo quod Pagninus vertit, planetas, dixerunt illi, dēmonē. Dictio hæc deriuatur à verbo manah, quod significat numerare, vt 2. Re 2. Reg. 24. gum: Vade, numera Israël & Iudam. Vnde dictio hæc numerū significat. Qua ratione adductus Pagninus vertit planetas, quasi numerum septem syderam. Potest rectē verti: Consecratis ipsi numero libamen. Fortasse enim vult eos reprehendere, qui Pythagorizantes ita ipsum numerum extulerunt, vt veluti Deum adorarent. Pythagoras enim numeros magni fecit: & qui postea eum secuti sunt, multo superstitiosius eos obseruarunt. Et videtur alludere ad illum numerum, quoniam sequitur: Numerabo vos in gladio. Quasi dicat: Quoniam vos numero sacrificatis, ego vos ad cædem numerabo.

Argumentum Capituli LXVI.

Ostendit Deus se implere cælum & terram, & in pauperum, atque humilium animis habitare. Incepit Iudæorum scelera, propter quæ illis Hierosolymæ vastitatem minatur. Prædicat ecclesiæ propagationem, & Apostolorum prædicationem & doctrinam. Consolatur bonos, malos autem ait esse suorum flagitiorum pœnas daturos.

CAPVT LXVI.



Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorū. Quæ est ista domus, quam edificabitis mihi? Quis est iste locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt: vniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritui, & trementem sermones meos. Qui immolat bouem: quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui exceret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offert: qui recordatur tburis, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.

Ddd

est.

Prou. 1.
Ierem. 7.
Supr. 65.

est. Vnde & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant, adducã eis: quia vocaui, & non eras qui responderes: locutus sum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. Audite verbum Domini, qui tremistis ad verbum eius. Dixerunt fratres vestri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum. Glorificetur Dominus, & videbimus in letitia vestra, ipsi autem confundentur. Vox populi de civitate, vox de templo, vox domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiet, peperit: antequam veniret parius eius peperit masculu. Quis audivit unquam tale? Es quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit & peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero ait Dominus Deus tuus.

EXPLANATIO.

Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea ¶ Dixerat Deus in fine capitis superioris magnam fore pacem & felicitatẽ in monte iancto suo: & ne Iudæi existimarent hoc esse intelligendũ tantum de monte Moria, vbi erat situm templum Salomonis, putantes Deum in templo illo solum debere adorari, illoque paruo loco claudi & contineri, ideò ait Deus se imple re cælum & terram, non autem in manufacto templo coherceri. Sed quoniam Dei magnificẽtia magnis in cælo elucet, quàm in terra, ob ipsius cæli admirabilem pulchritudinem, excellentes influxus & actiones, & quod sit amplius toto orbe terrarum, illustrius, & præstantius, positum in sublimi, ornatum innumerabilibus astris, quæ globosa & rotunda, splendidissimo cædore fulgentia, circulos suos orbisque cõficiunt admirabili celeritate, ordine & constantia, ideò cælum appellatur Dei sedes atque thronus, terra autem tanquam infimum elementum pedum eius scabellum. Vnde diuinus psalter, Cæli, inquit, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Eam ob causam in exordio diuine precatationis dicimus: Pater noster qui es in cælis. Hunc Esaiæ locum citat gloriosus ille Stephanus protomartyr in cõcione, quam habuit apud Iudæos, quam D. Lucas literis mandauit. Probat ille ex hoc loco Deum vbique esse, neque in Salomonis templo concludi. Hoc intelligens Moyses in hunc modũ fuit Hebræorum populum in Deuteronomio allocutus: Cogitato in corde tuo quod Dominus ipse est Deus in cælo surium, & in terra deorsum. Et Dauid in Psalmo: Sã

Psal. 118.

Mat. 6.

Act. 7.

Deut. 4.

Psal. 118.

altem.

ascendero in cælū, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Et per Ieremiam ipse Deus: Nunquid non cæli & terrā ego impleo? Est enim Deus excelsior cælo, longior terra, latior mari, omni profunditate profundior, totus ubique prærens, nō per partes diuisus, sed totus in omnibus locis, nō localiter, sed potentialiter, incomprehensibilis, omnē creaturā excedens. Si enim quæras magnitudinē, maior est si pulchritudinem, pulchrior: si splendorē, splendidior: si claritatem, illustrior & præstantior. Ipse solus est qui de se ait, Cælum sedes mea est, terra autē scabellū pedū meorū. Sed cū multi sint cæli, oritur dubitatio, de quo Deus hīc per Esaiā loquatur, an de Empyreo, an de Firmamēto, an de aliquo ex septē cælis Planetarū, an de primo mobili post Firmamentum, quod et si fuerit antiquis ignotū putantibus Firmamētū esse ipsum primum mobile, quorum opinionem sequitur Orontius insignis nostræ memoriæ mathematicus, tamen experientia constat esse primum mobile aliud cælum à Firmamento distinctum, vt ostendit Petrus Nonius magister meus, Mathematicorum doctissimus, alter Euclides, alter Ptolemæus. Huic quæstioni respondendum existimo, cælum hoc in loco non pro aliquo cælo particulari capi, sed pro omnibus simul corporibus cælestibus, quemadmodū in principio Genesis. In principio creauit Deus cælum & terram iuxta diui Chrysostomi sententiam. Magnus Basilus ideō existimat cælum sedem Dei appellari, quia cælestes virtutes in se firmiter retineant insidentem Dei cognitionem, terram autem scabellū pedum eius, quōd homines in terra degentes vix possint capere vel extrema, quæ de Deo celebrantur. Origines & D. Gregorius existimant per cælum hoc loco intelligi viros iustos & pios, qui ob excellentem charitatem & contemplationem, animiq; præstantiam & altitudinem cum cælo comparantur. Et meritō quidem, cū adhuc in terra constituti se ferant in sublime, tamq; in cælis quodammodo habitent: *Philip. 1. Similitudo.* ita enim ait Paulus Apostolus: Nostra enim conuersatio in cælis est. Quemadmodum enim rota, vt Diui Hilarij similitudine vtar, licet in terra voluatur, magna tamen ex parte, dum steterit est à terra eleuata parua autem pars in terra consistit, sic licet pars corporis sit ambulans in terra, anima tamen iusti, quæ maior pars est hominis, conuersatur in cælis. Est igitur vir iustus sedes Dei iuxta id quod scriptū est. Anima iusti sedes sapientiæ. Hæc sapientia Christus est, quam Salomon in Prouerbijs ita facit loquentem: Ab æterno or

dinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Et paulò post: Et deliciae meae esse cum filiis hominum. Per hanc sapientiam increatam intelligitur verbum, hoc est, Dei filius, ut ait in libro 11. de præparatione euangelica Eusebius Cæsariensis. Solet enim scriptura Dei filium sapientiam appellare: ita Diuus Paulus in epistola 1. ad Corinthios, Christus inquit, factus est nobis sapientia à Deo. Et in sequenti capite: Loquimur Dei sapientiam in mysteria, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram. Cum autem sedes Dei sit cælum, anima iusti sit sedes Dei, apertè colligitur, eam esse cælum, de quo hic ipse Deus ait: Cælum sedes mea est. At per terram quam hîc appellat deus scabellum pedum eius impius peccator intelligitur, quæ Deus veluti pedibus conculcat.

Ad quem autem respiciam nisi ad pauperulum.] Dixerat Deus animam iusti esse eius sedem & templum: quod clarius explicans subdidit: Quæ est ista domus, quam ædificatis mihi? Modò multò apertius ostendit domum, in qua requiescit, esse iusti animam, quam sedem suam appellauerat. Ita Paulus Apostolus ad Corinthios scribens. Vos, inquit, estis templum Dei viui. Intuere animo quam longè distet voluntas diuinæ ab humana. Homines volunt habitare cum diuitibus, Deus verò cum pauperulis. Homines querunt hospitia amœna & festiua, Deus verò animas contritas sermones suos trementes. Mundus pauperulos ærumniferos esse ducit, Deus verò eos beatos esse ostendit. Non sine causa aiebat Lactantius: Hoc vno beati esse in hac vita possumus, si minimè beati esse videamur. Et rectè quidem. Nam quid iuxta mundi opinionem infelicius paupertate? Et tamen ipsa veritas eam inter euangelicas beatitudines connumerat, & hoc in loco, Ad quem, inquit, respiciam, nisi ad pauperulum? Vnde ait Dauid: Oculi Domini in pauperes respiciunt. Respicere autem in literis diuinis fauere significat, & eum quem respicis, gratum atque charum tibi esse. Hoc voluit Moyses in Genesi significare, dicens: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Et Dauid: Respice in me Domine, & miserere mei. Vide quam falsa sit mundi de paupertate opinio, quam infelicitatè vocat. Contra verò nihil mādus beatius diuitiis, nihil securius, nihil gratius & blandius ad vitæ cursum transigendum existimat, cum Deus eas spinas vocet: & alibi dicat: Væ vobis diuitibus. Et Diuus Paulus in epist. sua 1. ad Timotheum. Quæ

2. Cor. 2.

1. Cor. 2.

2. Cor. 3.

Matt. 5.

Psal. 9.

Gen. 4.

Psal. 15.

Matt. 13.

Luc. 8.

Luc. 6.

2. Tim. 6.

volunt

volunt diuites fieri, incidunt in tentationē & in laqueū diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Hæc Apostolus. Ex quibus aspicias quàm periculosa sit diuitiarum affluentia. Ut nauis graui mercium pondere onusta, in immenso mari procella iactata, ventisque periculosis exposita proicit ad mare merces & diuitias, ne obruatur & funditus pereat, vtilius ducens opes potius amittere, quàm vitam, quoniam exonerata securius nauigat & celerius, sic homines diuitiis circumfluentes mediisque mundi fluctibus cõmissi, variarumq; tentationum exagitati, debent se mercibus exonerare, & diuitias inter pauperes distribuere, ne illis intemperanter abutentes mergantur, atque ad ima tartara præcipitentur. Ita nauis poterunt maris cursum securius transigere, & ad beatitudinis portum velocius atque feliciter accedere, si fuerint expediti, & diuitiarum pondere exonerati. Si mundus eum felicem iudicat, quem rex aut princeps aliquis benignè inuuetur, quàm felicior erit pauper, ad quem Deus piis oculis respicit, dicēs hic: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum? Sed dices nõ posse eum esse felicem qui opibus caret, quod nullum habeat splendorem, nullam nominis claritatem. Hęc est mundi opinio, sed inanis, impia, & ab omni veritate aliena. Luna, cum longius distat à Sole, totum splendorem terris ostendit, ad cælum autem claritatem non mittit: cum verò Soli cõiungitur, tota in superiore parte illuminatur, inferius autem nullum lumen ostendit. Et tunc insipientes eam obscuram arbitrantur, cum in eius coniunctione cū Sole, est in superiore parte splendidissima. Sic qui longè à Christo separantur, humanam solum inanemq; gloriam querunt, totum suum splendorem & nominis amplitudinem in terra defigunt, atq; animi candoris & præstantiæ obliuiscunt in humanis diuitiis, falsis voluptatibus, inani nominis claritate beatitudinem constituent. At qui Soli illi iustitiæ Christo Deo nostro coniunguntur, animi splendorem sursum tendentē emittunt. Et tunc à mundi amatoribus obscuri omnique claritate destituti stultè iudicantur, cum illa flamma diuini amoris incensit, sunt superiore parte, hoc est, animo fulgentissimi. Ex quo efficitur, vt ad cælum aspirent, Deum omnia providentem totamq; vniuersitatem moderantem intueantur, omnem veram claritatem in charitate diuini que numinis imitatione constituentes, & gloriam in ipsius gloriæ contemptu collocantes.

Et tementem sermones meos.] Vide quemadmodum diu-

Similitudo

Similitudo

nus vates in huius capituli exordio virum iustum describat: et appellat caelum, Dei sedem, templum & locum diuinae quietis, pauperculum, contritum spiritu, diuinos sermones tremitem. Ampla quidem & illustria nomina & epitheta. Et quauis omnes Christiani debet esse tot virtutum praesidio septi, tanta puritate muniti, ut illis omnia haec conueniant, praecipue tamen debent ad hanc perfectionem aspirare, in eaque perpetuo permanere monachi & sacerdotes, qui frequenter Christum Deum nostrum in admirabili eucharistiae sacramento sumunt, illudque diuinum manna, illum panem viuum, qui de caelo descendit, manducant. Ipse enim ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducant meam carnem & bibunt meum sanguinem, in me manent, & ego in illo. Et postea: Hoc est corpus meum. Quid clarius dici poterat? Non tulit diuinus amor, ut Christus corporali praesentia à nobis se separaret, quin nobiscum in sacramento maneret. Ibi est realiter eius corpus & eius sanguis, & eius anima, & eius diuinitas: & in qualibet parte hostiae consecratae Christus realiter continetur, & verè est cibus. Sciebat ipse Christus venturos esse hereticos, qui dicerent, Christum non esse in sacramento, nisi figuratiue aut significatiue, ideo ad hunc errorem tollendum dixit: Caro mea verè est cibus. Particula, verè, falsos intellectus excludit: eius enim corpus quod ibi verè est, verè à nobis manducatur, & gratiam confert. Ita enim Christus ait: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuat in aeternum. & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et ubi scaturit igitur Oecolampadius. Calvinus, & caeteri Capharnaitae dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Cum ergo tam admirabile sit hoc sacramentum, oportet sacerdotes illud ministrantes castos esse, & ita viuere, ut caeli, Dei sedes & templum, merito appellentur. Eam ob causam sanctè & iuste fuerunt illis conubia in noua lege prohibita, ut constat ex conciliis, in quibus hoc fuit assertum, & perpetuis munimentis mandatum. In concilio Carthaginensi post hanc prohibitionem sunt haec verba: Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruaui antiquitas, nos quoque custodiamus. Aspicis ecclesiam affirmare esse conubia sacerdotibus prohibita ex Apostolorum traditione. Et ne illa Apostolica doctrina posset obliuione deleri, fuit in conciliis reiterata, & à Calixto summo pontifice Rom. vniuersalis ecclesiae pastore ante mille & trecentos annos mandata literis, atque à caeteris pontificibus confirmata. Fuit in primitiua ecclesia concessum, ut coniugatus es-

ficere.

Ioan. 6.

Matt. 26.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

fieretur sacerdos ob sacerdotū infrequentiā, at sacerdotem
 post sacerdotiū vxorē ducere nunquā à Christi morte fuit cō-
 cessum, neq; auditū: nisi nostra hac in re infœlici ætate quan-
 do multi sacerdotes & monachi, qui se Deo deuouerant, per-
 petuumq; cœlibatū solenni uoto professi fuerāt, se à Christi
 ecclesia separarunt, & Lutheri synagoga dederunt. Hi autē
 impossibile esse perpetuam castitatē seruare, & iuxta Pauli
 sententiā melius esse nubere, quā vri. Si hi diuinum auxiliū **1. Cor. 7.**
 considerarent, illudq; implorare uellent nunquam has voces
 emitterent. Sunt quidē vires nostræ ex se tenues: at adiuuat
 nos Christus, qui nos nunquā deserit, si ad eum confugimus
 illumque toto animo inuocamus. Fidelis est enim, vt ait D.
 Paulus, qui nō patietur nos tentari supra id, quod possumus, **1. Cor. 10.**
 sed faciet etiā cum tentatione prouentum, vt possimus susti-
 nere. Ipsi Paulo laboranti, Christumq; inuocanti respondit
 idem Christus: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infir- **2. Cor. 12.**
 mitate perficitur. Non est igitur impossibile perpetuam ca-
 stitatem seruare cū Dei auxilio. Quod si de illo aliquis dubi-
 tauerit, cœlestiaq; arma proiecerit, se ipsum Christi præsidio,
 de quo desperat, indignum faciet, sibiq; ipse perniciē machi-
 nabitur. Locus autem Apostoli Melius est nubere, quā vri
 quē pro se citant heretici, intelligitur de laicis, non autem de
 sacerdotibus, quibus, vt ostendimus, Apostoli cōnubia pro-
 hibuerunt. Neq; hoc in loco D. Paulus nuptias nisi infirmis
 concedit. Ita enim ait: De quibus mihi scripsistis, bonum est
 homini mulierem non tangere. Et paulō pōst. Volo autē om- **1. Cor. 7.**
 nes vos homines esse sicut me ipsum. Et paulō pōst: Dico au-
 tem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint,
 sicut & ego: quod si non continent, nubant, melius est enim
 nubere quā vri. Aspicias D. Paulum hoc in loco non sacer-
 dotibus, sed imperfectis hominibus cōnubia concedere. Per-
 pende eius verba: Quod si non continent, nubant. Non vitu-
 perat matrimonium: est enim sacramentum à Deo institutū,
 sed præponit illi continentiam, & cœlibatū magnopere cō-
 ſeuerat & extollit. Reddens autem causas sui propositi. Vo-
 lo, inquit, vos sine sollicitudine esse: qui sine vxore est, solici-
 tus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem
 cū vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat
 vxori, & diuisus est. Si D. Paulus laicis cœlibatū suader, quan-
 tō magis sacerdotibus & religiosis, qui castitatis votū emise-
 rit? Sed autē votum castitatis esse ineptum & improbatum.
 Si hoc ita esset, cur Apostolus cœlibatū & perpetuam casti-

Matt. 19.

tatem suadet? Quomodo Christus laudat eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum cælorum? Qui cœlibatū impio-
bant, volūt Christum & Paulum cōculcare. Qui votum ca-
stitatis frangunt contemnunt Dauidem dicentem: Vouere &
reddite Domino vestro, &c. Et in alio psalmo: Tibi reddam
vota mea, Et Ecclesiasticum dicentem: Si quid vouisti Deo,
ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta pro-
missio: sed quodcunque voueris, redde. Quod autem dicunt
neminem castitatem seruare, est planè fallum & impiū: sunt
enim absque dubio multi Christiani castissimi & cōuentif-
fimi. Quid loquor de Christianis, cum sit memoria proditū
multos Gentiles non solum castitatem seruasse, sed pro ea
seruanda se morti obiecisse? Narrat Valerius Maximus lib. 6.
Græcam quandam fœminam nomine Hipponē, cum hostiū
classe esset excepta, se in mare proiecisse, ne incontinentes
homines eius pudicitiam violarent, Sabellicus etiam libro. 5.
scriptum reliquit, Demodem adolescentem Atheniensem in
feruentis aquæ lacū se proiecisse, vt castitatem, quam in peri-
culo videbat, tueretur. Voluit potius in interitū voluntarium
fuerē, quàm cōtinentiā amittere. Quid dicam de virginibus
Vestalibus, cum si aliqua in crimen incontinentiæ incidisset,
viva in campo Scelerato sepeliebatur, pro cuius incestu, vt
refert Fuluius in lib. de antiquitatibus, erat in vrbe publicus
luctus. Ethnici castitatem seruant, nos autem Christo dedi-
cati, eiusque sanguine redempti, cœlestique præsidio muniti eā
seruare non poterimus? Quis audiuit vnquā tale? Vbi igitur
Christiana religio? Vbi carnis mortificatio? Vbi crux nostras
vbi voluptatū contemptus? Vbi vis illa Christiana, quam pa-
titur regnum cælorum, quod violenti rapiunt? Vbi pudicitia
feruor? Vbi ardentis preces ad Christum fusas feruentibus la-
chrymis sociatæ? Vbi cœlestis præsidii fiducia? Nonne videtis
ô sacerdotes Lutherani vos hac in re etiam ab Ethnicis infi-
delibus superari? Hæc est vestra fortitudo, hæc est vestra re-
formatio? Quomodo audetis vocare vos ipsos viros euāge-
licos, à Deo missos, religionis assertores, ecclesiæ vindices,
mundi reformatores, si non solum à castis Christianis, sed et-
iam à Gentibus fide, spe, & gratia nudatis in virtute supera-
mini? Si à Deo essetis missi, viueretis continētius, vestraque
nouam sectam virtutibus & miraculis cōfirmaretis. Abrahā
docuit circumcisionem, rem nouā in mundo: Moyses legem
scriptā antea inauditā: Christ⁹ eiusque Apostoli nouam legē
veterisque abrogationem, & omnes hi res illas nouas, quas
docebant,

Psal. 7.
Eccle. 5.Gen. 17.
Exod. 17.

docebāt, & virtutibus & miraculis cōfirmarunt. Legite vtrūque testamentum, reuocate in memoriā tempora præterita, reuoluite tam recentū quā antiquorū annalium historias, & videbitis magnas nouitates & mutationes, quæ à Deo fuerunt, fuisse miraculis confirmatas, aut saltem à viris sanctis, honestate perspicuis, humilitate præcellētibus, charitate præstantibus institutas & prædicatas. Erat ecclesia in tranquillitate & quiete, nulla erat in rebus fidei dissensio, retinebātque omnes Chriſtiani antiquam ecclesiæ sanctę Romanę fidem, & institutiones. At surrexit quidā monach⁹ apostata, nomine Martinus Lutherus, votifragus, qui oīa voluit mutare atque magnas stipendāsq; nouitates adducere. Si hæc sunt à Deo, vbi sunt Lutheri miracula, vbi virtutes? Pro humilitate amplectitur superbā, pro castitate incontinentiā, pro vtorū obseruantia perfidia, pro abstinentia intemperantiā, pro exemplis scandala, pro miraculis vitia. Vnde effectum est, vt ira Germania leges nihil valeant, iudicia iaceāt, mos patrius perierit, nulla abstinentia, nulla continētia, nullus pudor teneat hæreicos. Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. Euertit ecclesias, magnifica monasteria, amplāque Dei tēpla solo adæquauit, fuerūt bona cōmissa direptioni monachi expulsi, virgines violatæ, & nihilominus tamen habet sequaces Lutherus, ei⁹ sectę & libertatis ferè Mahumeticę sectatores. O tēpora, ô mores. O Deus immortalis vbinā gentiū funus? O amentes homines Lutheri tequaces, cur hæc non aspicitis? cur perniciē vestrā nō consideratis? Hæc sunt opera euangelica? hæc est ecclesiæ restauratio? hæc sunt remedia quę afferitis? O cæci homines. Veniet tempus & non tardabit, quando hæreses vestræ finientur: at nulla erit vnquā ætas, nulla posteritas, nulla hominū memoria, quę de vestra cæcitate & amētia conticescat. Erunt omnia hæc omnium temporū annalibus mandata, perpetuisque consignata monimentis. Si hæc mea scripta in manus vestras fortasse deuenerint, vos oro & obtestor, vt ea æquo animo feratis, non enim possum filere, premor dolore, inflammor, doleo vestrū naufragium, deploro vestram tristē calamitatem, fundo ad Deum pro vobis crebras licet indignas meas præcationes. Vellem enim, vt ita viueretis, vt vobis ea quę hic ait Deus per Esaiam, conuenirēt: vt essetis cælum, Dei sedes & templum, humiles, contriti corde, Dei que sermones trementes.

*Qui immolat bonem, quasi qui interficiat virum.] Sensus est: Abominabilia sunt Iudęorū impiorū sacrificia: nā tam de-
prauato*

prauato animo immolat bouē, quān hominē. Quo proposito solēt suis idolis homines interficere & sacrificare, eo mihi boues immolant. Vel sic, Pro boue, quem mihi debent immolare immolant idolo hominē, pro pecoribus, quae debent sacrificare mihi, sacrificāt canes idolis: pro oblationibus offerunt sanguinē suillō, pro thure, quod debent in templo meo incendere, colunt idola. Vel referuntur hae ad rempus gratiē post sufficientē Euangelij promulgationem, vt dicat Deus: Nemo mihi offerat legalia sacrificia, quoniam iam sunt abrogata & mortiferas nolo legis ymbras, sed Euangelij veritatem: tam mortiferum est bouem immolare, veterique legis sacrificia offerre, quān hominem occidere. Ostēdit hic locus soluendam fuisse legem Mosaicam, quod praeter prophetarū oracula fuit etiā a Sibylla Libyca iis verbis p̄dictū: Ecce veniet dies, & illuminabit Dominus dēla tenebratum & soluetur nexus synagogae. Hui⁹ Sibyllae meminit Euripides in lamiae proemio, & Lactantius Firmianus lib. 4. diuinarū institutionum. De cessatione legalium ea poteris videre quae primo capite annotauimus, & 43. duobus in locis.

Hec omnia.] Nempe occidere homines, eoque Moloch sacrificare, canes idolis offerre, & sanguinem suillum & idolo benedicere, fecerunt Iudei, talibusque abominationibus fuerunt delectati.

Vnde & ego eligam illusiones eorum.] Sensus est: Quoniam ipsi hae elegerunt contra me, ego eligam contra eos illusiones, nam illudentur & subsannabuntur. Quoniam me offēderunt, ego de illis p̄nas sumā. Versio cui diuus Hieronymus adiecit cōmentaria habet, illusores, & ait idem diuus Hieronymus, vtrunque posse verti ex Hebraico. Et tunc est sensus: Quoniam ipsi, inquit Deus, elegerunt me contemnere, ergo id permittam vt sint, qui eos illudant & irrideant. Est eadem sententia cum superiore. Vel sic: Quoniā ipsi contra me elegerunt illusiones, hoc est, idolorū cultum, ego eligam easdem illusiones ad sumendum p̄nas de illis. Et ita capitur illusio pro idololatria. Nā in literis diuinis ludere aliquādo est idolum adorare. Ita interpretantur nonnulli id, quod est in Exodo scriptū post vituli conflationē: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, & illud Genesis: Vidit Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, hoc est, eum ad idoli cultum excitantem. Sed prima interpretatio mihi videtur planior & rectior.

Dixerunt fratres vestri odientes vos.] Sensus est: Quoniam vocaui

Exod. 3.

Gen. 22.

vocauit Iudæos, & noluerunt audire, ait Christus, præbete vos aures mihi Apostoli mei, qui verba mea religiose auditis. Fratres vestri Iudæi impij & infideles, qui propter me vos odio habent & abiciunt, in hunc modum vos alloquentur: Vos dicitis Christum esse verum Deum. Cur tam abiectum Deum introducitis? Glorificetur ille, videam⁹ eum in sua maiestate cum magna lætitia vestra, & credemus in eum. At Iudæi infideles hæc dicentes confundentur.

Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.] Dixerat esse Iudæos ob suam infidelitatem & malitiam confundendos. Nunc explicat propheta eorum ærumnas & calamitates. Ac si dicat: Obsidebuntur à Romanis, & in tantâ miseriam incident, vt præ dolore & desperatione vehementes fletus & clamores emittant. Audietur enim clamor miseri & ærumnosi populi, tumultus & euulatus ex omni parte de ciuitate & templo. Et ita sentiet Deum iratum, ac si audirent vocem eius, illos punietis, & duriter increpatis, quoniam erunt à Romanis capti, & occisi, & eius ciuitas funditus euerfa. Tunc impletum fuit id, quod illis Christus prædixerat: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quod multo antea Michæas propheta in hunc modum prædixerat: Si-
Luc. 11.
Mich. 3.
 on quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.

Antequam pariuireret, peperit.] Reiecta synagoga, ecclesia Christi propagabitur, & ante tempus pariendi pariet. Hoc est, breui & celeriter multiplicabitur. Et quoniam hoc superabat humanum ingenium, subdit: Quis audiuit vnquam tale? Et statim comparat ecclesiam terræ fecundæ vno die magnam herbarum multitudinem producenti. Nam vt in Actis refert
Act. 2.
Act. 4.
 D. Lucas, vna die crediderunt circiter tria millia. Et alio in loco ait concionatum fuisse D. Petrum, & multos credidisse, factumque esse numerum eorum quinque millia.

Nunquid ego.] Non mirum est ecclesiam tot filios breui tempore habere. Nam ego hoc faciam, ait Deus. Et filij ecclesie, mei erunt filij. Ego igitur qui alijs vim tribuo gignendi, non sterilis ero. Vocat Deus viros iustos filios suos, hoc est, quod ait D. Ioannes. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. De
Ioan. 1.
 qua generatione cap. 31. copiose differuimus.

Letamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lægetis super eam, vt surgatis, & replentini ad habere consolationis eius, vt mulgeatis, & delictis

Et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hec dicit Dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugeis, ad hübera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & oſa veſtra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suū, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino. Qui sanctificabatur, & mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus: quæ comedebant carnem suillam, & abominationem & murem, simul consumentur, dicit Dominus. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum, venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam.

Letamini cum Ierusalem. Inuitat propheta fideles, vt ecclesiæ congratulentur.

Vt sugatis, & repleamini ab hübera consolationis eius.] Id est, vt quasi modò geniti infantes sugatis hübera diuinæ consolationis, vt lacte interioris gaudiū reficiamini.

Ecce ego declinabo super eam quasi torrentem inundantem gloriam gentium.] Alii codices habent: Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium. Et ita est in Hebraico. Promisit Deus hoc in loco ecclesiæ tantam pacis affluentiam, quæ non riuulo, sed fluuio comparetur, & gloriam gentium se esse ad ecclesiam translaturum. Quod impletum esse cognoscimus. Nā magni principes gentiles, & excellentes Philosophi, aliiq; viri fortitudine & gloria præstantes, idola repudiarūt, seque ecclesiæ subiecerūt. Et vt pisces in marinis aquis nati & nutriti nullū habent maris saporē, sic hi in gentilitate, & idolorū cultu geniti & educati, à gentiū vana superstitione & idololatria longissimè abfuerūt. Vt enim Iosias statuas idolorū cōtruiuit, earumq; loca ofsibus mortuorū repleuit, vt in 4. lib. Reg. diuina narrat historia, sic hi repudiatis idolis deicētisq; ex animo vanitatibus, quas veluti idola colebāt, eū ipsū animū mortis meditatione repleuerūt, illumq; veluti altare Deo dedicarūt.

Et gaudebit cor vestrum] Mundi cōsolatio attingit corpus, diuina autem cor penetrat. Ideò Christus suis Apostolis dicebat: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

Et oſa veſtra quasi herba germinabunt.] Hoc est, magno gaudio

simile.

4. Reg. 23.

Ioan. 17.

gaudio afficiemini Nam quemadmodum spiritus tristis exci-
cat ossa, vt dicitur Prouerb. 17. sic spiritus lætus dicitur ossa *Prou. 17*
viridia & florida efficere.

Et cognoscetur manus Domini seruis eius.] Id est, Et auxiliū
Dei erit seruis suis perspectum & cognitum.

Ecce Dominus in igne veniet.] Nempe in die iudicij. Ita di-
citur in psalmo: Deus manifestè veniet Deus noster, & nō si-
lebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius *Psal. 49*
tēpestas valida. Quadrigæ autē eius, quas turbini veloci pro-
pter celeritatē cōparauit, angeli sunt, qui venient cū Christo.
Potest hoc intelligi de ludæorum vastatione per Romanos,
quādo Hierosolyina fuit euersa, & templū incēdio flagrauit.

Qui sanctificabantur.] Hoc est, qui sibi sanctimoniam assu-
mebant & arrogabant. Notat hypocritas.

Et mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus.] Id
est, qui intrant in hortos, vbi postquam ianuam ingrediūtur,
se abluunt, & purificatos putant. Solebant Iudæi crebris vti
lotionibus corporis animi candorem minimè curantes. Eam
ob causam dicebat illis Christus, vt est apud Matthæum: *Matt. 7.*
Vae vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de *Matt. 23.*
foris est calicis & paropfidis, intus autem pleni estis rapina &
immundicia.

*Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio vt con-
gregem cum omnibus gentibus.*] Hoc est, Ego, inquit, Christus,
veniam ad extremū iudicium, vbi congregabo opera & co-
gitationes Iudæorum cum operibus & cogitationibus gen-
tium, vt reddam vnicuique iuxta opera sua.

*Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint,
ad gentes in mare, in Aphricam & Lydiam tenentes sagittam in
Italiam & Græciam, ad insulas longè ad eos qui non audierunt
de me, & non viderunt gloriam meam. Et amuntiabunt gloriam
meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis geni-
bus domum Domini, in equis, & in quadrigis, & in lesticis, & in
mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meū Ierusalem, dicit Do-
minus: quomodo si inferant filij Israël muus in vase mūdo ad do-
mum Domini. Et assamam ex eis in sacerdotes & Leuitas, dicit Do-
minus: Quia sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio stare corā
me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrū. *Apoc. 21.*
Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, veniet omnis ca-
ro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur &
videbunt cadauera virorum, qui præuaticati sunt in me. Vermis eo-
rum non morietur & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque *Mar. 9.*
ad sa-*

ad satietatem visionis omni carni.

Et ponam in eis signum.] Locutus fuerat propheta de ecclesie propagatione. Sed quoniam prauiderat plerisque Iudæorum non esse ad eam venturos, meminit extremi iudicij, ubi ipsi cõdemnabuntur. Nunc redit ad Apostolorum prædicationem. Et inroducit Deum dicentem, se signaturum nonnullos ex creditibus viros iustos, eosque missurum ad enuntrandum Euangelium gentibus per totum orbem terrarum dispersis. Nam per mare, Africam, Lydiam, Italiam & Græciam, vniuersus orbis intelligitur. Christus non solum Apostolos designauit ad annuntiandum Euangelium, sed ut ait D. Lucas, designauit alios Septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam. Et quoniam Apostoli & alij fuerunt a Christo signati, ideo hic ait: Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, &c. De his concionatoribus dicitur in psalm. Annuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit dominus. Illi enim quos Dauid nomine cœlorum significauit. Christi iustitiam annuntiarunt populo, qui per fidem & gratiam renatus est ex aqua & Spiritu sancto.

Tenentes sagittam.] Potest referri ad Lydos ut sit sensus: Mittam hos concionatores ad Aphros & Lydos, qui pollent arcu & sagittis, qui sunt arte sagittandi instructi. Vel ad ipsos Apostolos qui præclaros sagittarios, quoniam corda infidelium sagittis verborum suorum transfixerunt, eosque in diuinum amorem excitarunt. De iis concionatoribus intelligitur id, quod dicitur in psal. Sagitte paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Ac si diceret. Verba Apostolorum quos ob innocentiam paruulos appello, dura hominum corda traiecerunt, & amore in Christum vulnerarunt.

Et non viderunt gloriam meam.] Hoc est, me ipsum. Vel gloriam meam, hoc est, mea miracula.

Et adducunt.] Vaticinatur de conuersione infidelium ad fidem & ecclesiam Christi. Per equos & quadrigas, cæterasque vecturas, intellige omnes rationes & modos adducendi infideles ad ecclesiam, quæ per montem sanctum Ierusalem significatur.

Quomodo si inferant filii Israël.] Hoc est, Ut filij Israël offerunt in templo dona munda in vase puro, sic Apostoli adducunt ad ecclesiam gentes veluti munus Deo gratum. Et erunt fideles semper in ecclesia tanquam nouum cœlum, & noua terra. Vult significare fidem nunquam in ecclesia defuturam.

Et erit mensis ex mense & sabbatum ex sabbato.] Hoc est, omnibus mensibus & omnibus sabbatis. Quasi dicat: Semper & omni

Luc. 10.

Psal. 117.

Psal. 67.

omni tempore veniet omnis, vt adoret coram facie mea. Hoc est, in perpetuum me Christiani adorabunt. Et vt affectum & desiderium colendi Deum in Christianis propheta ostenderet, ait: Veniet omnis caro vt adoret. Solent enim homines ad rem desideratam frequenter ire.

Es egredientur.] Nempe viri iusti à consideratione sui, ad impiorum considerationem: & videbunt eorum cadauera, Animaduerte. Impios appellat cadauera, & corpora absque anima. Qui enim fieri potest, vt viuant ab ipsa vita alienati? Christus de seipso, Ego inquit, sum via, veritas, & vita. Cum autem sceleribus implicati sint separati à Christo, qui est vita, non viui sed mortui meritò appellantur. Quapropter dicebat Christus cuidã ab eo petenti, vt permitteret illi sepelire patrem suum: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et D. Paulus in epist. 1. ad Timot. Quæ, inquit, in deliciis est, viuens mortua est. Mirremur absque dubio si videremus loqui & ambulare cadauer hominis, quæ sciremus mortuum esse, & talis visio nos teneret stupidos, & non miramur videtes cotidie homines flagitiosos, impiis atque mortiferis sceleribus inquinatos, nobiscum loquentes, & ambulantes, cum eos Christus mortuos appellet. Quid aliud est impius peccator quàm cadauer & phantasma? Vt anima vita est corporis, sic gratia vita anime. Vnde anima absque gratia dicitur mortua: mortua autem anima, homo ipse manet cadauer, in sepulchro peccatorum iacens. Debet ramen sperare, vt veniat Christus, & dicat: Lazare veni foras.

Vermis eorum non morietur.] Hoc est, cruciatus atque conscientie morsus semper illis in inferno durabit, vbi in igne inextinguibili & æterno torquebuntur. Ita apud D. Marcũ ait Christus: bonum est tibi debilem introire in vitã, quàm duas manus habentem ire in gehenam, in ignem inextinguibile, vbi vermis eorum non morietur, & ignis nõ extinguitur. Ex quo colliges loqui hoc in loco Esaiam de damnatorũ in inferno cruciatus, quos inquit esse ob sua scelera viris iustis fastidio. Ostendit hic locus falsam esse eorum opinionem, qui impie asserunt animas esse mortales, nec esse post mortem peccata neque gloriam. Et quamuis contra eos sint in nouo Testamento multi loci meridiana luce clariores, illos tamen silentio præteribo, quoniam in hac sunt hæresi, nouum Testamentum haudquaquam recipiunt. Eam ob causam veteris legis autoritatibus Gentilium & Philosophorum sententias eos conuincam. Capite 49. Genesios in illa oratione quã

Iacob

Jacob morti propinquus ad filios suos habuit, ubi nos habemus: Congregamini, ut annuntiem quæ vêtura sunt, &c. habet Thargum Hierosolymitanum: Cōgregamini & docebo vos finem reconditum, arcana abscondita, & præmium mercedis, quod monet iustos: pœnam item impiorum, atque felicitatem horti Edem: Hæc tibi. Per hortum Edem intelligitur paradysus, cuius fœlicitas est æternum præmium mercedis iustorum. Aspice sanctū patriarcham in illa vaticinatione ad spiritualia æternaque bona respexisse. David ille clarissimus rex & excellentissimus vates psal. 48. loquens de impiis peccatoribus canebat: Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos: & dominabuntur eorum iusti in matutino. Et auxiliū eorū veterascet in inferno, à gloria eorū expulsi sunt. Veruntamen deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me. Mortē hanc, quæ depascet impios nō autē iustos, perspicuum est non esse eam separationem animæ à corpore omnibus communem, quam mortem appellamus, sed pœnam inferni, æternamque damnationis noctem, quæ admodum matutinum, in quo iustorum præmium atque principatus reservatur, est resurrectio ad vitam immortale, æternaque claritas & beatitudo. Salomon in Prouerbiis, In malitia, inquit, sua repelletur impius, sperat autē iustus in morte sua. Cum mors sit terribilis & molesta, quid posset in ea iustus sperare, nisi esset post eam altera vita multo illustrior & præstantior? Daniel ca. 12. In tempore, inquit, illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobriū, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hæc Daniel. Verba illa: Alij in opprobrium, ut videant semper, possunt ita verti ex Hebræo: Alij ad approbriā & obiectionem æternam. Iob, Scio, inquit, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circūdabor pelle mea, & in carne mea videbo deū, quem visurus sum ego ipse. Quid clarius dici poterat? David in psalmo, Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Et in alio: Credo videre bona Domini in terra viuentium: Et in alio: Beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. In lib. Sapientiæ inducuntur impij in æternis pœnis cruciati suam miseriam plorantes: & statim subditur: Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerūt. Et paulō post

*Gen. 49.**Psal. 48.**Prou. 14.**Dan. 12.**Iob. 19.**Psal. 16.**Psal. 26.**Psal. 83.**Sap. 5.*

post dicitur de iustis: Isti autem in perpetuum viuēt, & apud Dominum est merces eorum. Non solum diuinæ literæ, sed etiam gentium Philosophi hâc veritatem contestantur. Socrates asseruit duas esse post mortem vias, alteram, qua ibant iustorum animæ ad gloriam immortalem, alteram qua impij descendeabant. Nam qui se pestiferis vitiis contaminaissent, & in diuino humanoq; iure violando fraudes inexpiabiles concepissent, iis deuium quoddâ iter esse aiebat seclusum à concilio sanctorum. Quam admirabiliter differit de animæ immortalitate in apologia Platonis, in Phædro de Phædone, & aliis in locis? Ipse Plato, Breues, inquit, virtutis labores æterna voluptas sequitur. Cyrus apud Xenophontem animam ait esse immortalem, quæ citat Marcus Tullius in Senectute, vbi quemadmodū in 6. li. de rep. & in 1. quæst. Tusc. & aliis in locis, animæ immortalitatem vindicat & extollit. In libro de inscriptionib; verustatis scriptum legi fuisse memoria patrum nostrorum inuentum antiquum epitaphium in sepulchro Aurelii Balbi ethnici hominis, in cuius fine erant hæc verba literis mandata, Hic in spe resurrectionis quiesceti locus publicè datus est. Nūquam Epaminondas Thebanus, neque Codrus Atheniësis, neque Decij Romani, cum aliis se pro patria telis hostiū obiecissent, si nihil longius quam vitæ termini postulabant, de animæ immortalitate cogitassent. At mente perspiciebant esse nobis exiguum vitæ curriculum circumscriptum, immensum gloriæ, esseque in cælo splendidissimas mansiones, vbi beati quo sempiterno fruuntur. Hæc de animæ immortalitate sententiã sequebantur etiam gentes infideles Indiarum Orientalium incolæ, quas Dei præsidio vicit & ad Christi fidem conuertit admirabilis ille Emmanuel inuictissimus Lusitaniorū rex, cuius facta celebrabuntur nō solum nostris, sed penè omnium gētium literis atque linguis, neque vlla vnquam ætas de eius laudibus conticescet. Aspicis igitur non tantum fideles, sed gentes etiam fide nudatas resurrectionem animæque immortalitatem cognouisse. Cum enim Deus sit iustus, affecturus est præmio bonos, malos autem pœna: at qui aliquando hoc non fit in hoc mundo, cum iustos deprimi videamus impios autem extolli, ergo in alio. Hoc intelligens Esaias loquensque hoc in loco de æternis sceleratorum cruciatibus ait: Vermis eorum non morietur & ignis non exstinguetur, &c.

Thren. 3.

Leu. 24.

Cant. 8.

Qui recordatur thuris.] In Hebraico est mazcir leuonak. Prima dictio est à verbo zachar, quod significat recordari, vt Threnorum quinto: Recordare Domine quid acciderit nobis. Significat etiam fragrare, & odorem emittere. Ideo illud Leuitici: Vt si panis in monumentum oblationis Domini, potest verti: Vt sit panis in odorem oblationis Domini. Dictio enim azcarah, quæ ibi est, significat odorem, monumentum, & memoriã: est enim deriuata à verbo hoc iazcar, quod & meminisse significat, & fragrare, & in tertia coniugatione facere fragrare, siue fumigare & iuffre. Quapropter potest hic locus Esaiæ, ita verti: Qui adolet thus, vel fumigare facit. Est enim adolere sacrificare, & quasi ardorẽ Deo prebere. In hac significatione accipitur à Vergilio dicente: Verbenasque adole pinguis, & macula thura. Ita hunc locum R. Semoloh & R. Dauid in commentariis interpretatur: quibus assentitur Ionathẽ in translatione Chaldaica, ita habens: Qui offert thus. Vnde id quod est in Canticis scriptum: Memores vberum tuorum super vinum, potest etiam verti: Fragrauit amor tuus plusquam vinum. Sed quoniam præcipua huius verbi significatione est recordari: voluit noster interpres, & recte quidem, eam sequi: conuenit enim cum antecedentibus & consequentibus, & non recedit à communis significatione.

Eligam illusiones eorum.] In Hebraico est: Eligam bettha alulehem. Ideo poteris ita vertere: Eligã effeminatos eorum, nempe vt de illis pœnas sumam, Nam taalul, quod est dictionis huius singulare: effeminatũ significat, vt supra cap. 3. Et effeminati dominabuntur eis. Et quoniam nonnulli existimant dictionem hæc deriuari à verbo olel, quod significat contere, trãstulit Thargum, afflicciones eorum: vt sit sensus: Ego eos affligam.

Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.] Ionathas Chaldaicus ita hunc locum trãfert: Antequam veniret ei angustia, salua facta est, & antequam veniret ei dolores partus, Messias reuelatus est. Quorum verborũ hic est sensus: Priusquam Iudæa à Tito obsideretur, iam erat æternã salutem consecuta, & antequam ab eodem

dem Tito euerteretur, iam Mesiã pepererat, qui eos saluo^s fecit, qui eum receperunt. Comparat propheta Hierosolymę afflictiones doloribus, quibus parturiētes mulieres premuntur. Ita hęc locum nō solum Ionathas, sed etiã antiqui Iudæorū Rabbini intellexerūt, quos sequitur R. Samuel Bernahamã. Si Mesiã erat ante Hierosolymę euerisionē per Romanos venturus, est autem ea destructa mille quingentos retrō annos & amplius, perspicuum esse venisse Mesiã, falsãque esse, ineptã, & impiã Iudæorum opinionē Mesiã expectãtium. Fuit adeo recepta hęc Ionathę interpretatio, vt multi ex Iudeis vidētes Hierosolymã euersã asseruerint Mesiã iam venisse, quę dixerunt esse Barchosibam hominē quēdã sceleratum, qui postea fuit occisus, luens suorum flagitiorum meritisimas pœnas. Ita ait R. Moyses Aegyptius & alij Ag-^{Agg. 2.}gręus propheta secundo capite loquens cū Hebræis templum Hierosolymę post Babylonicã captiuitatem reedificantibus templū ipsū indicans, ait: Veniet desideratus cūctis Gētib⁹ & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercitū. Meū est argentū & meū est aurum, dicit Dominus exercitū. Magna erit gloria domus istius nouissimę plusquã primę. Hęc ibi. Duo ex hoc loco aperte colliguntur: vnū est, templū secundū maiore gloriã habuisse quã primū: alterū est, nunquam Hierosolymę futurū esse Iudæorū templū, cū illud secundū appelleretur hic nouissimum siue vltimū, post quod aliud non est. Vnde conuincitur eorū cæcitas, qui templū Hierosolymę, vbi legalia offerant sacrificia, se esse ædificaturos expectant. Sed videamus in quo cōsistit hęc felicitas & gloria, qua secundū templū excelluit primo. Nō in regibus, nec in prophetis, non in auro, vasis pulchritudine, magnitudine & magnificentia, cū sit perspicuū in omnibus his fuisse primū multo excellentius & præstātius, quippe ædificatū à Salomone rege ditissimo, tã sumptuosum, vt oīa quę in illo erant, auro tegerentur, vt scriptura commemorat. At secundū fuit à Iudæis ædificatū à captiuitate redeūtibus, inopia laborantibus.^{3. Reg. 6.} Ex quo effectū fuit, vt senes qui primū templū viderāt, illudque memoria tenebāt, videntes secundū ad excellentiã primū nulla ex parte accedere, lachrymis & lamētis aērē impletēt, atque in intimo pectore singultus cōtinere non possent. Testis est Esdras cap. 5. lib. 2. & Iosephus 10. Iudaicarū antiquitatum.^{2. Esdr. 2.} Quę est igitur hęc gloria, qua secunda domus primā superauit, nisi præsentia Mesiã, qui in eo futurus erat, qui il-

Iud erat suo ore, sua doctrina, suis virtutibus, suis miraculis illustraturus. Hæc fuit gloria illa secundi ultimi que templi, de qua hic loquitur Aggæus, qua nulla alia poterat esse maior, nulla excellentior, nulla illustrior & præstantior. Id indicat idem vates, dicens: Veniet desideratus cunctis gentibus. Vbi Thargum habet: Veniet Mesiias. Ac si diceret: Hac in re erit hæc domus gloriosior prima, quia Christus verus Deus & verus homo in ea realiter apparebit, prædicabit, & miracula efficiet. Quæ omnia impleta fuisse ex Euangelica historia cognoscimus. Si Mesiias erat venturus stante secundo templo, iam venit, cum templum illud sit funditus euersum: at qui erat tunc venturus iuxta hæc Aggæi vaticinationem, ergo iam venit. Quis est tam cæcus qui hanc tam clarâ veritatem non videat? Cum hoc oraculo cõuenit id, quod ait Deus per Malachiam cap. 3. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos queritis. Esse hunc dominatorem Mesiã non solum Christiani, sed etiam Hebræi asseueranter affirmant. Dicens propheta Mesiã venturum esse statim ad templum suum, indicat se loqui de illo secundo templo, ad quod statim Mesiias erat venturus. Cum autem nullum tale templum sit, quid expectat miserum Iudæi? Aut Mesiias iam venit, aut falsa est illa propheta: æ propheta non est falsa, ergo Mesiias venit, & frustra à Iudæis venturus expectatur. Præterea Mesiias non solum erat futurus ex tribu Iuda, sed ex familia Dauid, iuxta illud psal. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et illud Esaiæ: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &c. At hodie nulla est tribus ab alia separata, cum Hebræi per totum orbem terrarum dispersi & peregrini uxores ducant ex quacumque tribu sine delectu. Si nulla est inter eos distinctio & separatio tribuum, quâto magis familiarum? Si ignoratur tribus, multo magis familia. Fuit hæc tribuum separatio usque ad Mesiã, qui de tribu Iuda futurus est: at post Mesiã nulla est talis separatio neque distinctio. Præterea Daniel propheta cap. 9. cum esset cum aliis Hebræis in Babylonica captiuitate, scripsit reedificandam esse Hierosolimam, quæ tunc erat euersa, & venturum esse Christum, & perdendum esse populum qui eum negaturus erat, & deustandam ciuitatem & templum, à populo qui venturus erat cum duce, & cessatura esse Iudæorum sacrificia. Et statim describit tempus quando hæc futura erant per hebdomades, Lege caput illud: numera illas hebdomades, ut volueris

Mel. 3.

Psal. 132.
Sep. 11.

Dan. 9.

volueris dando vnique septē dies, vel septē menses, vel se-
 ptem annos, & videbis impletū esse multis ab hinc annis tē-
 pus Mesiæ. Præterea si iuxta hanc Danielis vaticinationem
 prius erat Mesiæ venturus quàm Iudæorū populus perde-
 retur, & dispergeretur, eiusque sacrificia cessarent: & scimus
 Iudæorum populū esse perditum, & dispersum, & sacrificia
 cessasse: nam cessante templo in quo sacrificia fiebant neces-
 sariū erat cessare ipsa sacrificia, perspicuum est venisse Mesiā,
 & ex consequenti vanam esse, falsam, & impiam Hebræorū
 opinionē, imò perfidiā, & pertinaciam, Mesiā expectantiū.
 Ultimo loco in medium proferam Iacobi patriarchæ vatici-
 nium, quod hanc nostram veritatem absque dubio ostendit.
 Cum vir ille præclarus, quo nullus erat iustior, nullus chari-
 tate insignior, nullus vaticinatione præstantior, intelligeret
 vitæ suæ exitum appropinquare, vocauit filios suos, quibus
 inter alia regnum ad tribum Iuda venturū esse significauit.
 Et animi oculis perspicuus esse regnū ab ea auferendum, &
 statim Mesiā venturum, has voces emisit: Non auferetur
 sceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui
 mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Aspice quā
 aperte dicat, non fuisse regnum à tribu Iuda auferendum nisi
 tempore Mesiæ. Cum autem sit illi regnum ablatum à tem-
 pore Herodis Ascalonitæ, qua etate natus est Christus, aper-
 tē concluditur, venisse Mesiā, esseque saluatorem nostrum
 Christū Dei filium. Constat enim non solū ex Euangelica
 historia, sed etiam ex Iosepho historiographo Hebræo, & ex
 Rabbitorū antiquorū dictis, quæ Finus Adrianus collegit,
 & literis Latinis mādauit, fuisse Iudæam in Christi aduentu à
 Romanis possessam, & à gentilibus gubernatā, & tribū Iuda
 spoliatam potentia, omnique regia dignitate destitutā. At He-
 bræi ne à sua cōtumacia desistant, aiunt hoc non intelligi de
 Mesiā, sed de Saule: nam vbi nos habem⁹. Donec veniat qui
 mittendus est, habet litera Hebraica: Donec veniat xiloh. Et
 aiunt Siloh esse locum quendam, vbi defixum fuerat taber-
 naculum, & arca Domini collocata, vt patet ex 4. cap. 1. Reg. 1. Reg. 4.
 in quo loco aiunt Saulem fuisse regem constitutū. Et quoniā
 Saul erat de tribu Benjamin, vt 9. cap. 1. Reg. scriptura testa-
 tur, aiunt tunc ablatū fuisse regnū à tribu Iuda, impletamque
 fuisse hanc Iacob vaticinationem. At expositio hæc stare nō
 potest: nam locus ille Siloh non venit tunc, quando Saul re-
 gnū obtinuit, quoniā multō antea fuerat. Huc accedit quod

Iocus ille nō erat expectatio gentiū. Ita enim ait Iacob: Donec veniat Siloh, & ipse erit expectatio gentium. Nec est verum id, quod aiunt fuisse Saulem vnctū à Samuele in Siloh, vbi erat vnctio in arca domini: nā priusquā Saul vngeretur, iam arca erat translata in Cariathiarim, vt caput 7.1. Regum aperte ostendit. Item Saul fuit primus Hebræorum rex vt ex 1. Regum 9. cap. patet: antea enim populus per Iudices diuersarum tribuū gubernatur. Quomodo igitur in vnctio-
 ne Saulis ablatum fuit regnum à Iuda, si Iudas illud nunquā habuerat? Imo statim post Saulem regnavit Dauid de tribu Iuda, in qua vsque ad Herodē Aſcalonitiam gubernatio permansit. Alij ex Hebræis videntes esse hanc expositionē falsam, frivola, & vanam, aiunt hoc nō de Saule intelligi, sed de Ieroboam, qui cum esset de tribu Ephraim, fuit ab Iſraēle rex cōstitutus in Siloh, & abstulit à Roboā, qui erat de tribu Iuda, regiam dignitatē. Hæc expositio est intolerabilis, quoniam Ieroboam non fuit in regia dignitate cōstitutus in Siloh, sed in Sichem, vt patet 3. Regum cap. 11. Preterea tunc non fuit sceptrum ablatum à Iuda, nam Roboam māsit rex, & posterī eius eo mortuo in regno perseuerarūt. Alij per Siloh intelligunt Nabuchodonosorem Babilonicorum regem, qui Iudæos in Chaldeam trāstulit: quo tempore aiunt ablatum fuisse à Iuda sceptrum & omnem potestatem. Hæc opinio est falsa & frivola: nam Nabuchodonosor non fuit ille, qui mittendus erat à gentibus expectatus: neq; tunc Hebræorum potestas penitus sublata est. Nam etiam in Babilonica captiuitate detenti habebant suos gubernatores ex tribu Iuda, quos Sanhedrim appellabant, apud quos erat quidam principatus & potestas, quæ post captiuitatem apertius viguit, & in ea tribu vsque ad Herodem permansit. Ex quo colligitur non esse de Nabuchodonosore hoc vaticinium intelligendum. Quisnam sit hic de quo ait Iacob: Donec veniat qui mittendus est, ipse erit expectatio gentium, indicat Thargum Chaldaicum Onkeli, ita habens: Non auferetur qui facit potestatem de domo Iehudah, & scriba de filiis filiorum eius vsque in seculum, donec veniat Mesiās, cuius est regnum, eique obediens populi. Hæc Thargum. Qui facit potestatem iuxta hebraicum idem est quod rex, qui per sceptrum iuxta nostram versionem intelligitur. Sed vide quā aperte hic & expressè nomen Mesiæ ponatur. Rex Salomon etiam, & multi alij ex Iudæo:

1. Reg. 7.

1. Reg. 9.

3. Reg. 12.

ex Iudæo:

ex Iudæorum Rabbiniſ per Siloh Chriſtum intelligunt. Conſtat igitur Siloh hoc in loco non accipi pro Nabuchodonofore, nec pro loco illo, vbi quondam fuit arca fœderis collocata, ſed pro Meſſia, qui erat à Deo mittendus. Quam ob cauſam vertit noſter interpres: Donec veniat qui mittendus eſt. Nomen enim Siloh deriuatur à verbo xalah, quod mittere ſignificat, vt Gene. 45. cap. Miſit me Deus ante vos in Aegyptu: & Ieremiæ 14. Maiores miſerunt minores ſuos. Et alius in locis. Galatinus tamẽ lib. 4. de arcanis catholice veritatis ait xilah iuxta R. Kimhi ſententiam deriuari à nomine xiliah, quod ſignificat ſacculum illũ, in quo reconditur infans in vtero materno. Vnde colligit, voluiſſe hęc ſignificare ſcripturã fore, vt Meſſias ex matre abſq; patre naceretur, concipereturque de Spiritu ſancto abiq; virili ſemine. Et quanuis hęc opinio multis arrideat, mihi tamen magis placet ea, quã ſequitur cõmunis interpres, quõd fit clarior & cõuenientior, non contorta neque longẽ petita. Nonnulli Iudæi noſtri temporis videntes hanc Iacob vaticinationẽ de Chriſto apertiſſimẽ intelligi, ne fuiſſet errore faterentur, inueniunt aliã cauſationẽ & euafionẽ, ſed falſam, vanã, & impiam. Aiunt enim voluiſſe Iacob ſignificare aduentu Meſſie eſſe à Iuda omnes ærunnas auferendas, in quibus tribus illa multis ab hinc annis verſatur. Nomen enim xeuat, pro quo noſter interpres vertit ſceptriũ, aiũt ſignificare afflictionẽ, nõ autẽ regẽ, neq; regiã dignitatẽ. At hoc eſt merũ ſigmentum: nam Numerorum 24. vbi nos habemus in prophetia Balaam: Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, pro virga eſt in Hebraico hoc idem nomen xeuat, pro quo Thargi Onkeli vertit Chriſtum: ita enim habet. Cum conſurget rex de Iacob, & vngetur Chriſtus de Iſraël. Nec ſolum Onkelos, ſed Kimhi & Semoloh, & ceteri Rabinorũ locum illũ de Meſſia rege interpretantur. Præterea ſi xeuat pro afflictione in prophetia Iacob accipitur, ergo tẽpore Meſſie à ſola tribu Iuda erat auferẽda calamitas, nõ autẽ ab aliis. Erat igitur Meſſias ſolum pro hac tribu in mundũ veniturus. Quomodo igitur ait Deus per Eſaiã Meſſiam alloquens. Partũ eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcipiendas tribus Iacob, & facies Iſraël conuertendas, dedi te in lucem gentiũ, vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ. Quomodo ait Iacob: Et ipſe erit expectatio gentiũ. Si ſola tribus Iuda erat ob aduentum Meſſie gaudio uſacienda, quomodo in hunc modum Eſaiã gentilitatẽ

Ecc 4 ad Meſ-

Gen. 45
Ierem. 14.

Sup. 49.
Sup. 54.

ad Messiam conuersam alloquitur. Iætate sterilis quæ non parit, &c. Dicere nomen xeuæt hoc in loco accipi pro afflictione est Messia: misericordiã coarctare, omniumque antiquorũ Rabinorũ sententiã contemnere. Thargũ Onkeli pro xeuæt trãstulit, qui habet potestacẽ, hoc est, rex: Thargũ Hierosolymitanũ habet: Nõ deficiet reges de domo Iehudah. Et utrunque pro Silo Messiam vertit. Alij etiam antiqui in eadẽ sententia concorditer permanserunt. Vnde concluditur, voluisse obstinatos nostrẽ memoriẽ Iudẽos hunc textum ex industria deprauare: tam clarẽ enim ostendit Messiam venisse, vt licet alium non haberemus, hic iatus esset. Quare est obstinatorum Hebrẽorum cæcitas & perfidia sentienda, omnique lachrymarum copia deploranda, cum eum expectetẽ vturum, qui ante eorum calamitates, & Hierosolymæ euerfionem venit, quemadmodum hoc nostro capite iis verbis prãdixerat Esaias: Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.

Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis.] Septuagintã habent: Ego opera eorum & cogitationes eorum noui, & venio vt congregem omnes gẽtes & omnes linguas. Quod potest de primo Christi aduentu explanari. Cum enim homines esset dispersi, & variis ritibus separati, venit Christi⁹, vt eos in vna fide & ecclesia congregaret. Vnde ait Esaias capite 56. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Iraẽl. congregauit Christus gentes & eorum idola euertit, & absumpsit. Virga Moysi versa in serpentem virgas & serpentes sapientiũ Aegypti deuorauit. Ille serpens cœlestis, cuius figura fuit serpens ille quem Moyses extulit in eremo, ad quem cum percussĩ aspicerent, salutem consequebantur. Aegypti, hoc est mundi sapientiam, & turpem idolorum cultum euertit, & Iudæos atque gentes in vno ouili, cuius ipse pastor est, congregauit.

4049, 10.

Gentes enim sunt oues ille, de quibus Christus apud Ioannẽ dicebat: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnũ ouile, & vnus pastor. Ideo ait: alias oues, quia versabatur inter Iudæos, qui etiam oues erant. At multo plures ex Gentibus quã ex Iudæis in Ecclesiæ ouile introierunt, Alij enim noluerunt introire, sed in sua infidelitate & contumaciã permanserunt.

Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato.] Pro mense, est in

est in Hebraico chodhax, quod significat renouationem & instaurationem, à verbo chadax, quod significat restaurare, & Efaïæ 61. Et instaurabunt ciuitates desertas: Vnde nomen hoc chadax significat mensem, quod apud Hebræos in nouilunio incipiat mensis quādo luna incipit renouari. Et quāuis totus mensis dicatur chodhax, tamen primus dies potissimum hoc nomine appellatur, quem Greci neomeniā vocant, νεο μην, μην Lunā significat, quasi noua Luna, aut initium Lunæ. Et quoniam primus dies mensis erat celebris apud Iudeos, & tāquā festus obseruabatur, ponitur sepè neomenia pro ipsa solennitate. Vnde potest hic locus ita verti: Et erit neomenia & neomenia, & sabbatū & sabbatū: Quasi dicat: Erunt æternæ festiuitates, & requies semper duratura. Quod potest de vita immortalī cœlestī que beatitudine explanari. Ad quam non solum Christiani, sed etiam nonnulli ex gentibus aspirarunt, qui tamen nescierunt immortalitatis viam, nec scire voluerunt, res tamen ipsa eos non fefellit: Solum viri iusti, fide & charitate præstantes gloriā illam immortalē consequuntur. Ibi est æterna solennitas, & requies inenarrabilis, quæ vigebit memoria sempiterna, quam ipsa immortalitas semper intuebitur. Nullius est tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut scribēdi tāta copia & facultas, quæ possit illi⁹ regionis & cœlestium sedium summum gaudium oratione explicare. O æternā beatitudinem. O patriā cœlestē. O regionem splēdidissimā, & beatissimā, vbi sancti Deū vident, & illa diuina visione sempiterno æuo fruuntur. Ad te aspiro Christe sancte, ex hoc exilio æternam patriam saluto, ne permittas me ab illa in æternū exulare, pro quo sanguinem tuum profudisti, quando te pro me in crucis ara immolasti, Ne respicias flagitia mea contra te ipsum sepe atque grauius admīssa, sed iuxta tuam immensam misericordiā recipe me ipsum, vt in æternum fruam. O præclarū diem, cum viri iusti virtutibus fulgentes, & charitatis ornamentis magnificentissimè redundantēs, in cœlum beatorum, in sanctorum cœtum proficiunt vt immortalī gaudio fruantur. Precor te summe Deus vt ab hoc fluctuoso mari me ducas ad illum cœlestem portum, ab hoc arcto carcere ad illam amplissimā & permanentem ciuitatem, ab hac ima lachrymarum valle, ad illum altissimū diuine visionis montem, vbi viri iusti qui: escunt, summis bonis affluentes, & æternis gaudiis exultantes, qui mundum, dēmonem, & carnem vicerunt, & de illis te adiuuante

adiuuante mirabiliter triumpharunt. Vosque pijs lectores obsecro & obtestor, vt mihi ignoscatis, fateor enim me hñc diuinum vatem ob mei ingenij tenuitatem, & literarum penuriam pro dignitate non explicasse. Sed sit ægroti medicina confessio, Hęc habui quę in Esaiam scriberem, quę omnia ecclesię sanctę Romę correctioni humiliter submitto. Valete igitur candidi Lectores, & studia atque labores meos pijs precationibus adiuuate, pro me in scripturarum canopo prælianti manus cum Moyse ad Christum extollentes, vt possim Amalech, hoc est, perfidos Iudęos & hæreticos superare.

L A V S D E O.

FINIS.